J.-B. FERRERES

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

8
F-1

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS

TOMUS I

Dilecto filio
Ioanni Baptistae Ferreres
Sacerdoti e Soc. Iesu

Pius PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. –

Accepimus a dilecto filio, Eugenio Subiriana qui typis ediderat, duplex opus Petri Gury, tuis expolitum atque auctum curis: Compendium Theologiae Moralis et Casus Conscientiae; pro quo quidem munere quum cupimus ut ei Nostris verbis gratias agas, tum tibi de fructu doctrinae tuae gratulamur. Videmus enim te laudibus peritorum ornari, quod auctore, merito celebrato libros eo melius accommodaveris ad haec tempora in usum vel disciplinae, vel sacri ministerii. Etsi autem certis in rebus proprie commodum spectasti sacerdotum ex Hispania et America Latina, ceterum tamen videris omnium, qui rite criminum confessiones excipiunt, utilitati servisse: idque maxime, novarum accessione quaestionum, in quibus saepe poenitentiae administri haerere solent. Quare, et de conjecto opere te amamus, et optimus Cleri studiis prodesse scribendo pergas, hortamur. Auspicem vero divinorum munerum, ac testem benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte fili, itemque pontificio officinatori librario, quem memoravimus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus

Datum Romae apud S. Petrum die VII Martii MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pius PP. X

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

AD NORMAM NOVISSIMI CODICIS CANONICI

DISPOSITIONIBUS JURIS HISPANI AC LUSITANI
DECRETIS CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE
NECNON I CONC. PROV. MANILANI
EARUMDEMQUE REGIONUM LEGIBUS PECULIARIBUS ETIAM CIVILIBUS
ACCOMMODATUM

AUCTORE

P. JOANNE B. FERRERES, S. J.

MULTIS ADHUC RETENTIS EX

P. JOANNE P. GURY, EJUSDEM SOCIETATIS

WITHDRAWN

EDITIO OCTAVA, PRIMA POST CODICEM
CORRECTIOR ET AUCTIOR

DE LICENTIA ORDINARII ET SUPERIORUM ORDINIS

The Catholic Theological Union

TOMUS PRIMUS

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
SS. CORDIS JESU.

240
F385c

EUGENIUS SUBIRANA, PONTIFICIUS EDITOR
IN VIA DICTA PUERTAFERRISA, 14-BARCINONE-1917

PROPRIETAS LITTERARIA

21153.—Ex Typis Eugenii Subirana

PRAEFATIO AD LECTOREM

Promulgatio Codicis canonici Pii X a Benedicto XV, die 27 maji hujus anni 1917, feliciter facta, necessitatem induxit quamplurimas mutationes faciendi in omnibus operibus Theologiae moralis. Quare in hac nostra editione non paucas nec parvas coacti sumus facere in primo volumine, innumeras fere in secundo, cujus totam materiam pervadunt dispositiones novissimi Codicis.

Praeter has immutationes necessario faciendas opportunum duximus novas res in nostro Compendio pertractare quas jam a multo tempore pro hac editione mente volvebamus, uti sunt Tractatus praevius tum theoreticus tum historicus in Theologiam moralem, studium accuratius et plenius de probabilismo, itemque aliae quaestiones de syphilide infectis; de lactatione infantium; de medicorum obligationibus; de acardiacis baptizandis; de gravissimo crimine contra Deum, contra naturam, contra familiam et contra societatem quod ab eis committitur qui in conjugio, mediis onanisticis adhibitis, generationem impedire satagunt, ut alia praeteream. Unde et numeros marginales mutare omnes necesse fuit.

Quod si addas quaestiones illas in praecedentibus editionibus inductas de salario opificum, de cessatione laboris ex condicto, de operationibus *bursae*, de reparandis damnis ab eo qui rem alienam assecuratam destruxit, prout assecurationem cognoverit vel ignoraverit; de venditione sub hasta, ad tramites processualis codicis civilis hispani; de iis qui bona cedunt, deque eorum filiis ac parentibus; de *legitima* ex jure naturali, ac forali hispano; de assecuratione vitae; de paroeciis personalibus; de iis qui probabiliter adhuc vivunt, quamvis mortui communiter censeantur, sacramento donandis, etc. etc.; deinde de vasectomia duplici, de matrimonio mulieris excisae, de monetis falsis, de furto chartae quae jus dat ad sortitionem, v. gr. loteriae; de punctione cordis, de lotionibus vaginalibus, de hypnotismo, de dichotomia inter medicos; de hypotheca juxta novam recensionem legis hypothecariae; de jure parentis repudiandi hereditatem filio minori delatam; de contractibus usurariis ministerio judicis rescissis, etc., facile perspicies indolem hujus editionis.

Nec omittendum est, dispositionibus civilium codicum sive Hispaniae, sive Lusitaniae, sive *omnium* nationum Americae Latinae, sicut praecedentes nostras editiones, ita praesentem accommodatam esse, sic tamen ut haec prima sit Codici civili Brasiliae cohaerens, quippe qui anno superiore 1916 est promulgatus.

Etsi tot ac tanta fuerunt mutanda aut de novo inducenda, adhuc placuit non pauca retinere ex clarissimo P. Gury, cujus auctoritas magna semper apud omnes erit.

Ut vero loci in quibus textus P. Gury integer manet ab aliis distinguantur, quoties paragraphus aliqua, immutationem quamdam subiit, sive totalem sive partialem, numerum marginalem illi paragrapho respondentem nigriore charactere scripsimus.

Doctrinae Angelici Doctoris ac S. Alphonsi inniti nobis cordi fuit.

Aliqua, quae facilius in scholis omitti possunt, minoribus characteribus edita sunt. Praeterea litteris aegyptiis, seu nigrioribus, nomina **Hispaniae**, **Lusitaniae**, **Americae Latinae**, et singularum ipsius regionum expressimus, ut ii, quorum speciatim interest ea nosse, quae ibi dicuntur, facilius inveniant; reliqui vero facile omittere possint, si velint.

Ut cognitio Codicis canonici hodie tam necessaria facilior et plenior in scholis haberi possit, praeter hoc Compendium Theologiae moralis, **Institutiones** etiam **canonicas** ad normam novissimi Codicis ac disciplinae hispanae scripsimus, breviter indicando quid scholae Theologiae moralis, quid vero scholae Institutionum reservandum videatur, ut repetitiones quoad fieri possit caveantur.

Quae omnia, ea brevitate ac perspicuitate quae Compendium in scholis praelegendum decent peracta, signum aliquod sint grati animi nostri erga utrumque clerum cui curas nostras omnes A. M. D. G. consecravimus.

DISTRIBUTIO MATERIAE
in Seminariis ubi hoc COMPENDIUM et nostrae INSTITUTIONES CANONICAE pro textu habeantur

Quid uni vel alteri scholae tribuendum sit, multum pendet ab adjunctis, utrum scilicet unus idemque sit professor in utraque schola, an diversi; utrum schola Theologiae moralis habeatur eodem anno quo schola Institutionum, an diverso, et utra alteram praecedat; utrum utrique scholae tempus sufficiens sit assignatum, an alterutri tempus insufficiens, etc.

Si unus idemque sit professor utriusque scholae (ut per plures annos nobis contigit), facile materiam ordinabit. Si diversi, collatis inter se consiliis, partitionem facient materiae quae utrique communis aliquo sensu videri possit.

In genere materia hujus I voluminis de lege ecclesiastica (*nn.* 195, 196), de Curia Romana (*nn.* 197-200), de consuetudine (*nn.* 209-212), de temporis supputatione (*nn.* 213-214), de rescriptis (*nn.* 215-219) et de privilegiis (*nn.* 220-223), de censura et prohibitione librorum (*nn.* 624-645), de alienatione bonorum ecclesiasticorum (*nn.* 1089-1090), relinqui poterit scholae Institutionum. Quod si tota jam sit praeoccupata in schola Theologiae moralis, in altera summatim attingatur aut ex toto omittatur.

INDEX TOMI I

COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS

Pags.

Praefatio ad lectorem. v
Index scriptorum. XIII
Catalogus operum et auctorum recentiorum, qui praeter antiquos in superiori indice laudatos, in novis additionibus citantur. XXXIII
Notanda. XLVI

TRACTATUS PRAEVIUS

Introductio in studium Theologiae moralis

Sectio I. Notiones theoreticae. 1
Cap. I. Notio et divisio Theologiae. 1
Cap. II. Notio et divisio Theologiae moralis. 3
Cap. III. De fontibus ac de litteratura Theologiae moralis. 4
Sectio II. Notationes breves circa historiam Theologiae moralis. 5
Cap. I. Notiones et divisiones. 5
Cap. II. Prima aetas. 6
Art. I. Epocha prima. 6
Art. II. Epocha secunda. 6
Art III. Epocha tertia. 7
Cap III. Secunda aetas. 8
Art. I Secundae aetatis prima epocha. 8
Art. II. Secundae aetatis epocha secunda. 10
§ I Prima periodus hujus epochae. 10
§ II. Secunda periodus hujus epochae. 11

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

Cap. I. De notione actuum humanorum. 13
Cap II. De principiis actuum humanorum. 15
Art. I. De voluntario. 15
§ I. De voluntario in genere. 15
§ II. De voluntario in specie. 18
§ III. De voluntario indirecto, seu in causa. 18
Art. II. De libero. 23
Propositio I. 24
Propositio II. 25
Art. III. De iis, quae opponuntur voluntario et libero. 25
§ I. De ignorantia. 25
§ II. De concupiscentia. 27
§ III. De metu. 30
§ IV. Scholion in §§ praecedentes. 32
§ V. De vi, seu violentia. 33
Cap. III. De moralitate actuum humanorum. 34
Art. I. De essentia moralitatis. 34
Art. II. De fontibus moralitatis. 39
§ I. De objecto. 40
§ II De circumstantiis. 40
§ III De fine. 42
Appendix. De merito actuum humanorum. 47

TRACTATUS DE CONSCIENTIA

Cap. I. De conscientia recta et erronea. 51
Cap. II. De conscientia certa et dubia. 52
Art. I. De conscientia certa. 52
Art. II. De conscientia dubia. 53
Cap. III. De conscientia scrupulosa et laxa. 56
Art. I. De conscientia scrupulosa. 56
I. Causae scrupulorum. 56
II. Signa scrupulorum, seu conscientiae scrupulis obnoxiae. 57
III. Damna scrupulorum. 58
IV. Remedia scrupulorum. 58
V. Regulae pro scrupulosis. 59
VI. Regulae pro confessariis. 59
Art. II. De conscientia laxa. 60
Cap. IV. De conscientia probabili et improbabili. 61
Art. I. De natura probabilitatis. 61
Varia systemata circa probabilitatem. 63
Art. II. De efficacia probabilitatis ad conscientiam formandam. 64

Pags.

Art. III. Doctrina S. Alphonsi circa probabilismum. 77
Art. IV. De usu probabilitatis, et de regulis specialibus, ad conscientiam in dubiis formandam. 83
Art. V. De systemate compensationis. 89

TRACTATUS DE LEGIBUS

Pars prima.—De legibus in genere. 91
Cap. I. De natura et proprietatibus legis. 91
Cap. II. De auctore legis. seu de legislatore. 93
Cap. III. De objecto et subjecto legis. 97
Art. I. De objecto legis. 97
Art. II. De subjecto legis. 98
Cap. IV. De promulgatione et acceptatione legis. 102
Art. I. De promulgatione legis. 102
Art. II. De acceptatione legis. 104
Cap. V. De obligatione legis. 105
Art. I. De vi obligationis. 105
Art. II. De modo satisfaciendi obligationi legis. 107
Art. III. De causis a lege excusantibus. 109
§ I. De natura eorum, quae excusant. 109
§ II. De appositione voluntaria causarum excusantium. 110
Cap. VI. De interpretatione legis et epikeia. 112
§ I. De interpretatione legis. 112
§ II. De epikeia. 114
Cap. VII. De dispensatione legis. 114
Art. I. De potestate dispensandi. 114
Art. II. De causis ad dispensandum requisitis. 116
Art. III. De interpretatione et cessatione dispensationis. 118
Cap. VIII. De cessatione legis et praecepti. 119
Pars secunda.—De speciebus praecipuis legum. 120
Cap. I. De lege naturali et divina. 121
Art. I. De lege naturali. 121
Art. II. De lege divina positiva. 122
Cap. II. De lege ecclesiastica et civili. 123
Art. I. De lege ecclesiastica. 123
§ I. De antiquo Corpore juris et de novo Codice. 123
§ II. De Curia Romana. 125
Art. II. De lege civili. 134
Cap. III. De lege poenali et irritante. 136
Art. I. De lege poenali. 136
Art. II. De lege irritante. 137
Cap. IV. De lege non scripta, seu de consuetudine. 138
Cap. V. De temporis supputatione. 141
Cap. VI. De rescriptis. 143
Cap. VII. De privilegiis. 146

TRACTATUS DE PECCATIS

Pars prima.—De peccatis in genere, seu de natura, gravitate et distinctione peccatorum. 149
Cap. I. De natura peccati. 149
Cap. II. De gravitate peccati, praesertim de peccato mortali et veniali. 151
Propositio I. 152
Propositio II. 152
Propositio III. 153
Cap. III. De distinctione peccatorum. 157
Art. I. De distinctione specifica. 157
Art. II. De distinctione numerica. 159
Pars secunda.—De peccatis in specie. 164
Cap. I. De peccatis internis. 164
Cap. II. De peccatis capitalibus. 168
I. De superbia. 168
II. De avaritia. 169
III. De luxuria. 169
IV. De invidia. 169
V. De ira. 170
VI. De acedia. 171
VII. De gula 171
Appendix. De ebrietate. 172

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS

Cap. I. De fide. 175
Art. I. De necessitate fidei. 176
I. Quoad actum internum. 176
II. Quoad actum externum. 177
Art. II. De objecto fidei. 179
§ I. De necessario sciendis et credendis «necessitate medii». 179
§ II. De necessario sciendis et credendis «necessitate praecepti». 180
Punctum I. De sciendis ad recte credendum, seu de symbolo apostolorum. 180
Punctum II. De sciendis ad recte agendum. 182
I. De praeceptis Decalogi et Ecclesiae. 182
II. De sacramentis. 183
III. De oratione dominica. 183

Pags.

Art. III. De vitiis fidei oppositis. 184
§ I. De infidelitate. 184
§ II. De haeresi. 185
*§ III. De communicatione cum haereticis ac infidelibus. 187
Cap. II. De spe. 190
Cap. III. De charitate. 193
Art. I. De amore erga Deum. 193
Art. II. De amore erga proximum 195
§ I. De praecepto amoris erga proximum in se. 195
Punctum I. De praecepto charitatis erga omnes in genere. 195
Punctum II. De praecepto charitatis erga inimicos in particulari. 199
§ II. De operibus misericordiae. 202
Punctum I. De eleemosyna. 202
Punctum II. De correctione fraterna. 205

Pags.

§ III. De vitiis charitati erga proximum oppositis. 208
Punctum I. De scandalo. 208
Sect. I. De scandalo in genere. 208
Sect. II. De scandalo in particulari. 212
I. Circa luxuriam. 212
II Circa pravos libros. 213
III. De choreis. 215
IV. De spectaculis. 218
Punctum II De cooperatione. 219
Sec. I. De cooperatione in genere. 219
Sect. II. De cooperatione in particulari. 221
I. Quoad famulos. 221
II Quoad operarios. 223
III. Quoad mercatores. 224
IV. Quoad caupones. 225

TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI

De I Decalogi praecepto. 227
Cap. I. De actibus virtutis religionis. 227
Art. I. De adoratione. 227
Art. II. De oratione. 230
Cap. II. De vitiis religioni oppositis. 233
Art I. De superstitione. 233
§ I. De idololatria. 233
§ II. De vana observantia. 234
§ III. De divinatione. 235
§ IV. De magia et maleficio. 237
Appendix I. De magnetismo animali et hypnotismo. 238
Appendix II. De consultatione spirituum, seu de spiritismo. 245
Art. II. De irreligiositate. 246
§ I. De tentatione Dei. 246
§ II. De sacrilegio. 247
§ III. De simonia. 251
De II Decalogi praecepto. 258
Cap. I. De vana usurpatione nominis Dei et blasphemia. 258
Art. I. De vana sancti nominis Dei usurpatione. 258
Art. II. De blasphemia. 259
Cap. II. De juramento. 262
Art. I. De conditionibus juramenti. 263
I. De requisitis ad essentiam juramenti. 263
II. De requisitis ad validitatem juramenti. 264
Art. II. De obligatione juramenti promissorii. 266
Appendix. De adjuratione. 268
Cap. III. De voto. 270
Art. I. De conditionibus ad votum requisitis. 271
§ I. De intentione ad votum requisita. 271
§ II. De materia voti. 273
Art. II. De obligatione voti. 274
Art. III De cessatione voti. 276
§ I. De irritatione votorum. 276
§ II. De dispensatione votorum. 279
§ III. De commutatione votorum. 280
De III Decalogi praecepto. 281
Cap I. De iis, quae diebus festis praecipiuntur. 282
Art. I De iis. quae generatim diebus festis praestanda sunt. 282
Art. II. De auditione Missae in particulari. 283
§ I. De iis, quae ad Missam rite audiendam requiruntur. 283
Punctum I. Praesentia corporis. 283
Punctum II. Attentio mentis. 285
Punctum III. De loco debito. 288
§ II. De causis a Missa excusantibus. 292
Cap. II. De iis, quae diebus dominicis et festis prohibentur. 293
Art. I. De operibus, quae diebus festis prohibentur. 294
Art. II. De causis, ob quas opera servilia die festo permitti possunt. 298
De IV Decalogi praecepto. 299
Cap. I. De obligationibus filiorum erga parentes. 300
I. Amor. 300
II. Reverentia. 301
III. Obedientia. 302
Cap. De obligationibus parentum erga filios. 304
I Amor. 304
II. Educatio. 305
Educatio spiritualis. 305
Educatio corporalis. 309
Cap. III. De obligationibus conjugum. 314

Pags.

Cap. IV. De obligationibus aliorum superiorum et inferiorum. 316
Art. I. De obligationibus dominorum et famulorum. 316
§ I. De obligationibus dominorum. 316
§ II. De obligationibus famulorum 317
Art. II. De obligationibus magistrorum et discipulorum. 319
Art. III. De obedientia et reverentia civium erga temporalem auctoritatem. 320
De V Decalogi praecepto. 322
Cap. I. De occisione sui, seu de suicidio. 323
Cap. II. De occisione proximi. 326
Art. I. De occisione rei, seu malefactoris. 326
Art. II. De occisione injusti aggressoris. 328
Art. III De occisione innocentis. 330
§ I De occisione innocentis in genere. 330
§ II. De procuratione abortus. 331
§ III. De syphilide infectis. 336
Cap. III. De duello. 338
Cap. IV. De bello. 340
De VI et IX Decalogi praecepto. 342
Cap. I. De peccatis luxuriae non consummatis. 345
Art. I. De osculis et tactibus impudicis. 345

Pags.

Art. II. De aspectibus obscenis. 347
Art. III. De sermonibus et lectionibus impudicis. 348
Cap. II. De peccatis luxuriae consummatis. 350
Art. I. De peccatis consummatis juxta naturam. 350
§ I. De fornicatione. 350
§ II. De adulterio. 350
§ III. De incestu. 351
§ IV. De sacrilegio. 351
§ V. De stupro. 352
§ VI. De raptu. 352
Art. II De peccatis consummatis contra naturam. 353
§ I. De pollutione. 353
§ II De sodomia. 356
§ III. De bestialitate 357
De VII et X Decalogi praecepto. 358
De VIII Decalogi praecepto. 358
Cap. I. De mendacio. 358
Art. I. De mendacio in genere. 358
Art. II. De restrictione mentali. 359
Cap. II. De detractione. 361
Art. I. De vitio detractionis. 361
Art. II. De restitutione famae. 367
Cap. III. De contumelia. 369
Cap. IV. De judicio temerario, suspicione et dubitatione temeraria. 371
Appendix. De violatione secreti. 372

TRACTATUS DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

De solvendis decimis. 377
De I et II Ecclesiae praecepto, seu de observatione festorum. 378
De III Ecclesiae praecepto, seu de annua confessione. 380
De IV Ecclesiae praecepto, seu de communione paschali. 382
De V Ecclesiae praecepto, seu de abstinentia et jejunio. 383
§ I. De abstinentia et jejunio in communi ex novo Codice 383
§ II. Specialia quaedam de abstinentia. 385
Cap. I. De essentia et obligatione jejunii. 387
Art. I. De unica refectione et refectiuncula. 388
§ I. De unica refectione. 388
§ II. De collatione serotina. 391
Art. II. De hora refectionis. 393
Cap. II. De causis a jejunio excusantibus. 394
Appendix. Responsa circa jejunium et abstinentiam a carnibus 397
De VI Ecclesiae praecepto, seu de censura et prohibitione librorum. 398
Cap. I. De praevia censura librorum. 399
Cap. II. De prohibitione librorum. 403
Art. I. De natura prohibitionis. 403
Art. II. De libris prohibitis ipso jure. 404
Art. III. De facultate legendi libros prohibitos. 408
Cap. III. De Indice. 410

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE

Tractatio praeambula. 413
PARS PRIMA.—De natura et principiis justitiae et juris. 417
Cap. I. De notionibus generalibus justitiae et juris. 417
Art. I. De natura justitiae. 417
Art. II. De natura juris. 419
Art. III. De principiis generalibus juris et justitiae. 420
§ I. De principiis generalibus juris. 420
Propositio I. 420
Propositio II. 421
Propositio III. 421

Pags.

§ II. De principiis generalibus justitiae. 424
Propositio I. 424
Propositio II. 424
Cap. II. De praecipuis juris speciebus. 425
Art. I. De dominio. 425
§ I. De objecto dominii. 427
§ II. De subjecto dominii. 429
Punctum I. De dominio filiorumfamilias. 429
Punctum II De dominio uxorum. 432
I. Dispositiones juris romani. 432
II. Dispositiones juris hisp -ph. 433
Punctum III. De dominio clericorum. 439
Appendix. De jure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia, praesertim in Hispania. 443
Punctum IV. De dominio auctorum. 450
§ III. De acquisitione dominii. 452
Punctum I. De occupatione. 453
Punctum II. De inventione. 456
Punctum III. De praescriptione. 460
Punctum IV. De accessione. 474
Art. II. De usu et usufructu. 476
Art. III. De servitute. 479
Pars secunda.—De violatione juris. seu de injuria. 480
Cap. I De injuria in genere. 480
Cap. II De injuria in specie. seu de peccatis contra justitiam. 483
Art I. De natura furti. 483
Art. II. De causis a furto excusantibus. 488
§ I. De necessitate a furto excusante. 488
§ II. De occulta compensatione. 490
Pars tertia. — De restitutione. 493
Sectio I. De restitutione in genere. 493
Cap. I. De obligatione restitutionis. 493
Cap. II. De radicibus restitutionis. 497
Art. I. De acceptione rei alienae. 497
§ I. De possessore bonae fidei. 498
§ II. De possessore malae fidei. 505
§ III. De possessore dubiae fidei. 510

Pags.

Art. II De injusta damnificatione. 513
Art. III. De injusta cooperatione. 524
§ I. De jubente. 524
§ II. De consulente. 526
§ III. De consentiente. 528
§ IV De palpone. 530
§ V. De recursu, seu de receptante. vel recursum praebente 530
§ VI. De participante. 531
§ VII. De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis. 532
Cap. III. De circumstantiis restitutionis 536
Art I. Quantum sit restituendum? 536
De solidaritate. 536
Art. II. Cui sit restituendum? 538
Art. III. Quo ordine sit restituendum? 540
§ I. De ordine restitutionis inter cooperatores. 540
§ II. De ordine restitutionis quoad creditores. 541
Art. IV. Quomodo sit restituendum? 547
Art. V. Quando sit restituendum? 549
Cap. IV. De causis a restitutione excusantibus. 551
Sectio II. De restitutione in specie. 555
Cap. I. De restitutione ob damnum in bonis animi. 555
Cap. II. De restitutione ob damnum in bonis corporis. 556
Art. I. De restitutione ob homicidium. 556
Art. II. De restitutione propter stuprum et fornicationem. 559
Art. III. De restitutione propter adulterium. 561
Cap. III. De restitutione ob damnum in bonis fortunae in casibus particularibus. 563
Art. I. De tributis. 563
Art. II. De damno occasione militiae illato. 566
Art. III. De emptoribus bonorum ecclesiasticorum in Hispania. 569

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

Pars prima. — De contractibus in genere. 572
Cap. I. De requisitis ad contrahendum. 574
Art. I. De materia contractus. 574
Art. II. De subjecto contractus. 578
§ I. De minoribus 579
II. Ex jure hispano-phil. 580
§ II. De uxoribus. 582
I. Ex jure communi. 582
II. Ex jure hispano 582
§ III. De civiliter mortuis. 585
α) Jure romano. 585
β) Jure hisp., Insit. et Amer. lat. 585
§ IV. De interdictis, surdo-mutis et prodigis. 585
Art. III. De consensu requisito. 586
§ I. De dotibus legitimi consensus. 586
§ II. De vitiis consensui oppositis. 587
Punctum I. De errore et dolo. 588
Punctum II. De metu. 590
Cap. II. De obligatione contractus. 593

Pags.

Cap. III. De contractuum modificationibus. 597
Art. I. De juramento contractui adjecto. 597
Art. II. De modis contractui praefinitis. 600
Art. III. De conditionibus contractui appositis. 602
Pars secunda.—De contractibus in specie. 604
Sectio I. De contractibus gratuitis. 604
Cap. I. De promissione. 604
Cap. II. De donationibus. 606
Art. I. De donationibus in genere. 606
§ I. De conditionibus donationis. 607
§ II. De casibus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum. 509
A) De collatione. 509
B) De reductione donationum vel legatorum. 611
Art. II. De variis donationum speciebus. 612
§ I. De donatione inter vivos. 612
§ II. De testamentis. 614
Punctum I. De natura, divisione et forma testamentorum. 614
Punctum II. De testatoribus et heredibus. 623
Punctum III. De dispositionibus testamentariis, seu de codicillo et legato. 634
Punctum IV. De revocatione testamentorum. 636
Punctum V. De exsecutore testamenti. 637
§ III. De donatione mortis causa. 639
§ IV. De substitutione et fideicommissis. 640
Cap. III. De commodato et precario. 642
Cap. IV. De deposito et sequestro. 644
I. De deposito. 644
II. De sequestro. 645
Cap. V. De mandato et negotiorum gestione. 645
I. De mandato. 645
II. De negotiorum gestione. 646
Cap. VI. De mutuo. 647
Art. I. De natura contractus mutui. 647
Art. II. De usura seu de lucro percepto ex mutuo. 650
Art. III. De titulis ab usura excusantibus. 651
I. De damno emergente. 651
II. De lucro cessante. 652
III De periculo sortis. 652
IV. De poena conventionali. 653
V. De titulo legis civilis. 653
Propositio. 654
Sectio II. De contractibus onerosis. 659

Pags.

Cap. I. De venditione et emptione. 659
Art. I. De natura venditionis et emptionis. 659
Art. II. De justo pretio. 664
Art. III. De praecipuis venditionum speciebus. 670
§ I. De retrovenditione et mohatra. 670
§ II. De venditione sub hasta, seu per licitationem. 671
§ III. De monopolio. 674
§ IV. De venditione per proxenetas (*corredores, comisionistas*). 675
Cap. II. De societate et trino contractu. 677
Art. I. De societate. 677
Art. II. De trino contractu. 678
Cap. III. De locatione (ubi *de locatione operum, de salario opificum*, etc.). 679
Cap. IV. De cambio. 684
Cap. V. De censu. 686
Cap. VI. De contractibus subsidiariis, seu de fidejussione, pignore et hypotheca. 689
Art. I. De fidejussione. 689
Art. II. De pignore. 690
Art. III. De hypotheca. 691
Art. IV. De alienatione bonorum ecclesiasticorum. 692
Cap. VII. De contractibus aleatoriis. 694
Art. I. De assecuratione. 695
Appendix. De assecuratione vitae. 697
Art. II. De sponsione. 699
Art. III. De sortitione seu loteria. 700
Art. IV. De ludo. 700
Art. V. De operationibus bursae. 702
Apéndice I. De la promulgación de las leyes civiles en la América latina. 711
Apéndice II. Motu proprio Benedicti XV quo Commissio instituitur ad Codicis canones authentice interpretandos. 714
Apéndice III. Algunas notas sobre derecho foral español tomadas en su mayor parte de las antiguas ediciones españolas de Gury. 716
Apéndice IV. Del dominio de los hijos de familia en la América latina. 721
Apéndice V. Del dominio de la mujer casada en la América latina. 722
Apéndice VI. *A*) Diezmos y dotación del culto y clero en la América latina, según las leyes concordadas. 724
B) Derecho de la Iglesia a poseer, según las leyes civiles y las concordadas, en varias naciones de la América latina. 728

INDEX SCRIPTORUM

QUEM RATISBONENSI EDITIONI (1846) THEOLOGIAE MORALIS S. ALPHONSI PRAEMISIT P. MICHAEL HARINGER C. SS. REDEMPTORIS SACERDOS, ET EGREGIUS THEOLOGIAE MORALIS PROFESSOR

Titulos operum et nonnullos quoque scriptores addidit P. Ballerini, S. J.

Monitum P. Haringer: *Ne lector sola nomina habeat, sed etiam de ipsorum meritis et auctoritate judicare possit, semper ubi apud* S. Alphonsum *judicium de illis invenimus, hoc adjectis signis notavimus; quare advertendum, quod per asteriscon unicum * notatur auctor propter scientiam laudatus saltem ut doctus, vel etiam ut gravis et classicus; per duo asterisca ** signatur auctor qravis et probabilista; per signum † notatur doctor gravis probabiliorista; per † * vero auctor rigidus; mitiores semper specialiter nominantur.*

A

* *Abbas* (Nicolaus de Tudeschis) benedictinus, abbas monacensis, archiepiscopus *panormitanus*, quo utroque nomine citatur (*scripsit Commentaria in libros Decretalium, Consilia, Quaestiones, Practica*), natus 1370, mortuus est 1443.

** *Abelly* Ludovicus, gallus, episc. ruthenensis et familiaris S. Vincentii a Paulo, cujus vitam conscripsit (*Medulla theologica*), n. 1604, m. 1691.

** *Adrianus VI* papa, belga, scripsit ante varias epistolas in quartum Sententiarum, m. 1523.

Aegidius, romanus, ex Ordine S. Augustini, doctor Fundatissimus, S. Thomae discipulus, m. 1316.

Albertus Magnus, germanus (ex Ordine S. Dominici, arch. ratisbonensis, S. Thomae praeceptor), n. 1193, m. 1280.

Albitius Franciscus, italus, card. (*De inconstantia in fide, de inconstantia in judiciis, de jurisdictione cardinalium in suis titulis*), n. 1623, m. 1684.

Alensis, sive Alex. de Ales, anglus, Ord. S. Francisci (*S. Thomae, S. Bonaventurae, et Scoti praeceptor; hinc dictus Doctor doctorum*), m. 1245.

** *Alvarez* Didacus, hisp., dominicanus, professor theologiae in patria, tum Romae, postea archiepisc. tranensis, vir celeberrimus (ait S. Alph.) propter disputationes ab illo propugnatas pro gratia praedeterminante, m. 1640.

** *Amicus* Franciscus, italus, S. J., docuit Neapoli, Aquilejae et Graecii theologiam, ibique cancellarius universitatis factus est, m. 1651.

** *Amort* Eusebius, germanus, canonicus regularis Pollingae et sancti Joannis Lateranensis, theologus, episc. Augustani, a S. Alphonso saepius laudatus ut vir pro suis variis et doctis operibus undequaque perspectus. Suam theol. moralem et scholasticam non nisi prius a Benedicto XIV recognitam typis mandavit. Egregie defendit probabilismum, sed in quaestionibus practicis multo severior quam S. Alphonsus exstitit, n. 1692, m. 1775.

Anacletus. Vide *Reiffenstuel.*

† *Andegavenses collationes.* Notis ab Em. Gousset auctae prodierunt Parisiis 1829.

** *Angelus* Joann. de Clavasio, Ordinis fratrum minorum, auctor Summae Angelicae, m. 1495.

** *Angles* Jos., hispanus, Ord. S. Francisci, episc. bosanus in Sardinia, circa finem saec. 16.

†* *Antoine* Paulus Gabriel, S. J., auctor valde rigidae sententiae (hom. ap. XVI, 108, th. lib. VI, n. 505), n. 1679, m. 1743.

** *Antoninus* sanctus, Ord. S. Dominici, archiep. florentinus (Veronae recentius recusa sunt ejus opera Balleriniorum studio. Num exactius ac fidelius, quam antea? Alii viderint. Ita Fr. Ant. Zacharias), n. 1389, m. 1459.

** *Aravius vel Arauxus* Franciscus, hisp., dominicanus, docuit per 20 annos theologiam Salmanticae, et subinde archiepiscopus Segoviae electus est, ubi in odore sanctitatis m. 1664.

Armilla. Vide *Fumus.*

** *Aragonius* Petrus, hisp., Ord. S. Augustini, m. circa 1600.

** *Arriaga* Rodericus de, hisp., S. J., missus est in Bohemiam 1624, fuit cancellarius Universitatis pragensis, ibique m. 1667.

** *Arsdekin* Richardus, hibernus, S. J., docuit theologiam Lovanii et Antuerpiae, et scripsit post medium saec. 17.

Artesanus, italus, Ord. minorum, scripsit circa 1330.

Aureolus Petrus, gallus, franciscanus, card. et archiepisc. aquensis, doctor *Facundus* et *Elegans*, m. circa 1323.

Avendaño Didacus de, hisp., S. J., docuit theologiam Limae in America, m. circa 1670.

** *Aversa* Raphaël, neapolitanus, cleric. reg. minorum; propter insignia merita quinquies praepositus generalis Ordinis electus est. Innocentius X obtulit ei ecclesiam episcopalem nucerinam, et Alexander VII mardonensem, at ipse constanter recusavit, m. 1657.

** *Azorius* Joann., S. J., linguarum peritia, ingenio et theologiae scientia, vitae integritate et simplicitate, animi candore et hilaritate conspicuus, Societatem Jesu longa aetate decoravit et tandem laboribus fractus Romae m. 1607.

B

Babenstuber Ludovicus, germanus, benedictinus, 18 saec.

** *Bail* Ludovicus, gallus, doctor sorbonicus et poenitentiarius parisiensis, 17 saec.

** *Baldellus* Nicolaus, italus, S. J., poenitentiarius in ecclesia vaticana (*Disputationes ex Theologia morali*), n. 1572, m. 1655.

† *Ballerini* Petrus, veronensis, n. 1690, m. 1764.

† *Ballerini* Hieronymus, ejusdem frater: appellantur a S. Alphonso rigidae sententiae moderatae sectatores, n. 1702, m. 1764.

** *Bancelius* Ludovicus, dominicanus et decanus Facultatis avenionensis, m. 1685.

** *Bannez* Dominicus, hisp., dominicanus, professor theologiae Compluti, Vallisoleti et Salmanticae, S. Theresiam in opere reformationis plurimum adjuvit, et ipsius fuit confessarius et dux spiritualis, n. 1527, m. 1604.

** *Barbosa* Augustinus, episcopus uxentinus, celeber canonista (*De officio episcopi*, *De officio parochi*, *De jure ecclesiastico*), m. 1648.

** *Barbosa* Petrus, lusitanus, doctor utriusque juris, m. 1638.

** *Bardus* Franciscus, siculus, S. J., m. 1661.

†* *Baronius* Vincentius, dominicanus. Ipsius Theologia moralis nimis rigida in Indicem relata est. Scripsit Lovanii, circa 1670.

Bartholomaeus a S. Fausto, cisterciensis (*Thesaurus religiosorum*, *Speculum confessariorum*), 17 saec.

** *Bassaeus* Eligius, gallus, cappuccinus (*Flores totius theologiae practicae*), m. circa 1650.

Baumgartner Reinchardus, germanus, S. J. *Conclusiones ex quinque libris Decretalium deductae, etc. Romae* 1759.

Bauny Stephanus, gallus, S. J. (*Summa casuum conscientiae*), m. 1649.

** *Beatus* Gabriel, S. J. *Quaestiones morales. Romae* 1663.

** *Becanus* Martinus, belga, S. J., docuit per 22 annos theologiam Herbipoli, Moguntiae, Viennae in Austria, cum magna admiratione, n. 1561, m. 1624.

Beja Ludovicus de, lusitanus, augustinianus, scripsit (*Responsiones casuum*), circa 1587.

Benaglio Joseph, Comes, *Dell'attrizione*, 1846.

Bernal Augustinus, hisp., S. J., vir eximiae eruditionis et pietatis (*De sacram. in genere, de Eucharistia, de Ordine*), m. 1642.

** *Berteaut* Bartolus, doctor parisiensis, scripsit (*Regulae prudentis et pii confesarii, etc.*), circa 1637.

†* *Berti* Laurentius, italus (*De theologicis disciplinis*), n. 1696, m. 1766.

* *Biel* Gabriel, germanus, Ord. cleric. regul. vitae communis, Tubingae professor, m. 1495.

Billuart Carolus, belga, n. 1685, m. 1757.

Binetus Stephanus, gallus, S. J., scripsit sub ficto nomine Francisci Fontani, n. 1569, m. 1639.

Biusfeldius Petrus, germanus, suffraganeus trevirensis (*De confessionibus maleficorum et sagarum*, *Pastorale*, *De usuris*), m. 1606.

** *Bissus* Bernardus, benedictinus, scripsit nomine totius Academiae cassinensis contra Thyrsum González, 1694.

Blanchis Paulus, venetus, dominicanus, scripsit circa 1623.

Bona Joann., card. (*De sacrificio missae*, *Manuductio ad coelum*, *etc.*), n. 1609, m. 1674.

** *Bonacina* Martinus, doctor mediolan., episcopus et nuntius Urbani VIII, apud aulam austriacam (*Opera moralia*), n. 1631.

Bonaëspei Franciscus, carmelita, scripsit 1659.

Bonagratia habsensis, capuccinus (*Summula qq. regularium*), fl. 1664.

Bonartius Oliverius, belga, S. J. (*De horis canonicis*), n. 1655.

Bonaventura sanctus, Ord. minorum, cardinalis et episcopus albanensis, doctor Seraphicus, n. 1221, m. 1274.

** *Bordonus* Franciscus, italus, Ordinis S. Francisci.

** *Bosco* Joann. a, batavus, franciscanus (*Theologia sacramentalis*), circa 1665.

** *Bossius* Joann., barnabita, sui Ordinis praepositus generalis, m. 1665.

Boudewins Michaël, belga, scripsit (*Ventilabrum medico-theologicum*) 1666.

** *Bouvier* Joann. Bapt., episc. cenomanensis (*Institutiones theologicae in usum seminariorum*), m. 1855.

** *Bresserus* Mart., belga, S. J., rector Collegii brugensis, m. 1635.

Burghaber Adamus, bavarus, S. J. (*Tres centuriae casuum*), n. 1608, m. 1668.

** *Busembaum* Hermannus, germanus, S. J., rector Collegii hildesiensis, m. 1668.

C

÷ *Cabassutius*, Joann., gallus, Congregationis Oratorii (*Juris canonici theoria et praxis*), n. 1604, m. 1685.

* *Cajetanus* (Thomas de Vio), praepositus generalis Ordinis S. Dominici, Cardinalis et Archiepiscopus Panormi (*In S. Th. Summam*, *Summa casuum*, *Opuscula*), 1469, m. 1534.

†* *Camargo* (de) Ignatius, S. J. (*Regula honestatis moralis*), m. 1702.

** *Candidus* Vincentius, dominicanus, magister sacri palatii sub Innocentio X, qui ipsum ut sapientum ducem et magistrum solidae pietatis aestimavit, m. 1654.

* *Canus* Melchior, hisp., dominicanus, Episcopus canariensis, theologus clarissimus, interfuit Concilio Tridentino. S. Alphonsus vocat eum auctorem doctissimum, eruditissimum et classicum (*Loci communes theologici, etc.*), n. 1523, m. 1566.

Capreolus Joann., gallus, ex Ordine S. Dominici, m. 1415.

Caramuel (Joann. de Lobkowitz), cisterciensis, abbas mesrosensis, Episcop. vigevanensis in Italia. Hunc S. Alphonsus principem laxistarum vocat (*Theologia fundamentalis, moralis, Theologia regularis*), n. 1602, m. 1649.

** *Cardenas* (Joann. de), hisp., S. J. (*Crisis theologica*), circa 1700.

† *Carrière* Josephus, gallus, Congr. S. Sulpitii (*Praelectiones theologicae majores, De contractibus, et De matrimonio*), n. 1864.

** *Caspensis* Ludovicus, Ord. S. Francisci, circa 1635.

* *Castropalaus* (Palaus) Ferdinandus, hisp., S. J., jam a pueris ingenio et pietate conspicuus, ab aequalibus in quaestionibus theo-

logicis ut oraculum veneratus est. De instante morte monitus, insolitae laetitiae signa edidit, ingenue fassus, se nullius letalis culpae in anteacta vita argui a conscientia: sic placidissime in Domino obdormivit (*Opus morale*) 1633.

** *Catalani* Petrus, S. J. (*Theologia moralis*), 1728.

Chapeauville Joann., belga, n. 1551, m. 1617.

Chokier Erasmus a, belga, canonicus leodiensis, scripsit (*De jurisdictione Ordinarii*, etc.) 1621.

Clericatus Joann., praepositus patavinus.

Cocq, florentinus, canonicus Ord. praemonstratensis (*Theologia moralis*), m. 1626.

† *Collet* Petrus, gallus, continuator Tournely, n. 1697, m. 1770.

†* *Comitolus* Paulus, italus, S. J. (*Consilia seu responsa moralia*), n. 1546, m. 1626.

†* *Concina* Daniel, italus, auctor rigidissimus vocatus a S. Alphonso, n. 1686, m. 1756.

** *Coninchius* (Koninch) Aegidius, belga, S. J., magni Lessii non impar discipulus, docuit Lovanii (*De act. humanis, fide, spe, charitate, sacramentis, censuris*), n. 1571, m. 1633.

†* *Contensonius* Vincentius, gallus, dominicanus, auctor rigidissimus juxta S. Alphonsum, m. 1674.

Continuator Sporerii. Vide *Katzenberger.*

Corduba Antonius de, hispanus, franciscanus, scripsit 1553.

Coriolanus (Franciscus a Coriolano), capuccinus (*De casibus reservatis*), fl. 1618.

Cornejus Petrus, hisp., Ord. carmelitarum. Salmanticae theologiam tradidit, m. 1618.

** *Corradus* Pyrrhus, canonicus neapolitanus (*Praxis dispensationum*); 17 saec.

* *Covarrubias* Didacus, hispanus, discipulus celeberrimus Mart. Navarri, insignis jurisconsultus, Episcopus segoviensis, n. 1512, m. 1577.

* *Croix* (Claudius La Croix), belga, S. J., docuit theologiam in Universitate coloniensi, n. 1652, m. 1714.

Crux Joann. de la, italus, dominicanus, m. 1613.

†* *Cuniliati* Fulgentius, italus, n. 1685, m. 1759.

Curiel Joann. Alphons., doctor salmanticensis, m. 1609.

D

De Justis Vincentius, nobilis, lucensis (*De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*), fl. 1691.

** *Delbene* Thomas, italus, clericus regularis, scripsit (*De immunitate ecclesiastica, etc.*), 1649.

Delrio Martinus Antonius, belga, S. J. (*Disquisitiones magicae*), n. 1551, m. 1608.

Diana Antonius, clericus regularis (theatinus), consultor sacri Officii in Sicilia, auctor nimis benignus, n. 1585, m. 1663.

** *Dicastillus* Joann., neapolitanus, S. J. Docuit theologiam in Universitate murciensi et toletana, tum Ingolstadii; fuit non minus

pius ac doctus (*De sacramentis, juramento, et censuris. De justitia et jure, etc.*), n. 1585, m. 1653.

Dionysius Carthusianus, belga, n. 1402, m. 1471.

Dript Laurentius, benedictinus, *Speculum archidiaconale*, anno 1646.

Duarte Didacus, Ord. S. Francisci, *Brevis expositio propositionum damnatarum. Romae* 1712.

** *Duarte* Franciscus, hisp., S. J., n. 1559, m. 1601.

** *Du Hamel* Joann. Bapt., professor parisiensis (*Theologia speculatrix et practica*), n. 1624, m. 1706.

Dupinius Ludovicus, gallus, jansenianus, n. 1657, m. 1719.

Durandus de S. Portiano, dominicanus, magister S. Palatii et Episcopus, 1320.

** *Duvallius* Andreas, professor regius in Sorbona et decanus Facultatis theologicae. Fuit amicus et dux spiritualis S. Vincentii de Paulo (*In S. Thomam, de potestate Pontificis*), n. 1554, m. 1638.

E

** *Ehrentreich* Adamus, germanus, S. J., *Principiorum de usu opinionis probabilis declaratio. Romae*, 1699.

** *Elbel* Benjamin, germanus, Ordinis fratrum minorum, theologiae lector et examinator synodalis, Episc. passaviensis (*Theologia moralis*), m. post. 1750.

† *Elizalde* Mich. de, hispanus, S. J., scripsit (*ficto nomine Antonii Celladeus, Recta doctrina morum*), circa 1690.

Engel Ludovicus, benedictinus, *Collegium universi juris canonici.* 1688.

** *Escobar* Antonius de, vallisoletanus, S. J. (*Universa theologia moralis*), n. 1580, m. 1669.

** *Esparsa* Mart., hisp., S. J. (*Cursus theologicus*), circa 1666, m. 1689.

Eugenius Lombardus. V. *Sfondrati Card.*

F

†** *Fagnanus* Prosper, per multos annos sacrae Congreg. Concilii secretarius, auctorum rigidorum (juxta S. Alph.) facile princeps (*In libros Decretalium*), n. 1598, m. 1678.

** *Fagundez* Stephanus, lusitanus, S. J., docuit theol. Olysippone (*In praecepta Decalogi et Ecclesiae. De justitia et contractibus*), n. 1577, m. 1645.

** *Farinaccius* Prosper, jurisconsultus romanus (*Decisiones Rotae romanae*), m. 1618.

Felinus. Vide *Sandaeus.*

** *Fenek* Joannes Lucas, Romae parochus, *Flores casuum conscientiae.*

** *Ferraris* Lucius, italus, Ord. minorum, consultor sacri Officii (*Bibliotheca juridica, canonica, etc.*), m. post 1760.

** *Filliuccius* Vincentius, italus, S. J., fuit professor theolo-

giae in Collegio romano, tum responsor quaestionum conscientiae et poenitentiarius Papae (*Moral. quaest. cursus, etc.*), n. 1556, m. 1622.

** *Fragosa* Joann. Bapt., lusitanus, S. J., m. 1639.

** *Francolinus* Balth., italus, S. J. (*Clericus romanus, De dolore ad sacr. poenitentiae requisito, etc.*), 18 saec.

†** *Franzoia* Angelus, patavinus, rigidior adhuc, ait S. Alph., patre Concina.

Frassen Claudius, gallus, Ord. minorum, n. 1620, m. 1711.

** *Fumus* Bartholomaeus, italus, dominicanus et inquisitor generalis. Dicitur etiam *Armilla* ab ipsius summa sic dicta, m. 1545.

G

** *Gallego* Barnabas, hisp., Ord. S. Dominici, m. circa 1661.

** *Gamachaeus* Philippus, doctor et professor sorbonicus, abbas S. Juliani turonensis, n. 1568, m. 1625.

Gandavensis Henricus, professor sorbonicus, tum archidiaconus tornacensis, doctor Solemnis, n. 1219, m. 1295.

** *García* Nicolaus, hisp., professor juris civilis et canonici, canonicus abulensis (*De beneficiis, De dispensationibus*), 17 saec.

Gavantus Bartholomaeus, italus, clericus regularis S. Pauli (barnabita) (*In rubricas missalis et breviarii*), m. 1640.

†** *Genettus* Franciscus, gallus, episc. vasionensis, n. 1640, m. 1702.

Gerson (Joann. Charlier), cancellarius Universitatis parisiensis, n. 1363, m. 1429.

** *Gesualdus* de Bononiis, franciscanus, professor theologiae et qualificator sacri Officii in regno Siciliae, pietate et doctrina pariter egregius, 16 saec.

** *Gibertus* Joann. Petrus, gallus, n. 1660, m. 1736.

Gigas Hieronymus, italus, jurisperitus, floruit circa 1548.

Giraldi Ubaldi e cler. regul. Schol. piar., *Expositio juris pontificii*, 1769.

Giribaldus Sebastianus, italus, clericus regularis S. Pauli, scripsit an. 1700.

Gisbertus Joann., gallus, S. J., 1639, m. 1711.

Gobat Georgius, germanus, S. J., docuit theologiam Friburgi in Helvetia et Constantiae. Auctor multum eruditus et experientia abundans, sed satis benignus (*Experientiae sacramentales, Quinarium tractatuum*), n. 1600, m. 1679.

Gómez Antonius, hisp., jurisconsultus, salmanticensis, scripsit circa 1550.

†** *Gonet* Joann. Bapt., gallus, dominicanus, n. 1616, m. 1681.

González Téllez Emmanuel, *In libros Decretalium.*

González Hieronymus, *Glossema ad regulam S. Cancellariae*, 1569.

†** *González* Thyrsus, hispanus, prius professor theologiae, tum praepositus generalis Societatis Jesu. Hic multam operam dedit, ut in scholis S. J. probabiliorismus traderetur, et hac de causa

probabilioristas ex Hispania Romam vocavit; ipse etiam opus de recto usu opinionum probabilium edidit, ubi opinionem probabilem definiens dicit, eam esse probabilem, quae omnibus inspectis operanti vera apparet. Nescio (ait S. Alphonsus) quomodo praefati auctores (ubi loquitur de González, Habert, Fagnani, etc.) asserendo, quod non licet uti ad agendum nisi sententiis moraliter certis, quum sic revera penitus usum opinionum probabilium reprobent, quamvis in verbis videantur admittere; nescio, dico, quomodo excusari possint a propositione damnata, quae dicebat: non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, m. 1705.

** *Gordanus* Jac., scotus, S. J., confessarius Ludovici XIII, regis Galliae, n. 1552, m. 1641.

Gormaz Joann. Bapt., hispanus, S. J., *Cursus theologicus*.

* *Gotti* Vincentius, bononiensis, dominicanus, Bononiae et Salmanticae studiis vacavit, tum ipse Romae theologiam docuit, temporis successu prior, provincialis et inquisitor Ordinis electus est, tandem ob insignia merita et raram scientiam patriarcha hierosolymitanus et cardinalis creatus est a Benedicto XIII, n. 1664, m. 1742.

** *Graffius* vel Jacobus de Graffis, abbas cassinensis, scripsit 1693.

** *Granadus* Jac., hisp., S. J., scientia ac pietate pariter enituit, et apud omnes in summa aestimatione habitus est, n. 1562, m. 1632.

Gratianus, bononiensis, benedictinus, compilator Decreti sive primae partis juris canonici, medio saeculo XII.

** *Gravina* Dominicus, neapolitanus, dominicanus, fuit successu temporum professor theologiae Romae, vicarius generalis suae congregationis, et procurator generalis totius Ordinis, m. 1643.

** *Gravina* Josephus Maria, neapolitanus, S. J. (*Tractatus apolog. de probabilismo*), m. 1755.

Gregorius ariminensis, augustinianus, doctor Excellentissimus, m. 1358.

** *Gutiérrez* Joann., hispanus, jurisconsultus, circa 1580.

H

†* *Habert* Ludovicus, gallus, doctor sorbonicus rigidissimus (cf. González). Hic caeterum, ait S. Alphonsus, non dubitavit, illam secundum Bellarminum omnino erroneam opinionem asserere, Papam etiam ex cathedra definientem, tam in materia fidei quam morum, errare posse: forte, quia haec falsissima, et a nostris auctoribus communiter rejecta, sententia ipsis gallis moraliter certa et a formidine immunis videtur, n. 1635, m. 1717.

** *Hacquetus* Joann. Bapt., hibernus, dominicanus, docuit theologiam Mediolani, Neapoli et Romae, m. circa 1685.

Harduinus Joann., gallus, S. J., vir perdoctus, sed in sententiis suis plane singularis, n. 1646, m. 1729.

Haunoldus Christophorus, bavarus, S. J. (*De contractibus*), m. 1630.

** *Hauzeur* Mathias, flandrus, Ord. fratrum minorum definitor et provincialis, m. 1650.

†* *Henno* Franciscus, belga, Ord. S. Francisci, 17 saec.

†* *Henricus* a S. Ignatio, belga, carmelita (*Ethica amoris*), quod opus damnatum est, m. 1720.

** *Henriquez* Henricus, lusitanus, S. J., docuit theologiam Cordubae et Salmanticae, ubi celebrem P. Suárez discipulum habuit (*Summa theologiae moralis*) n. 1536, m. 1608.

** *Herinx* Gulielmus, belga, franciscanus, propter merita sua Episcopus yprensis electus est, n. 1536, m. 1668.

** *Holzmann* Germanus, saec. 18.

Homobonus de Bonis, Ordinis clericorum regularium S. Pauli (*Moralis*).

Hostiensis Henricus de Segusia, Episcopus hostiensis (unde nomen) et Cardinalis, celeberrimus juris utriusque doctor (*Aurea summa*), m. 1271.

** *Humbertus* praepositus generalis Ordinis S. Dominici, m. 1277.

** *Hurtadus* Gasparus, hisp., S. J., docuit theologiam Compluti, ibique decanus Facultatis electus est (*De sacramentis*), n. 1575, m. 1646.

Hurtadus Petrus de Mendoza, hisp., S. J. (*De fide, spe, charitate, justitia, etc.*), n. 1578, m. 1651.

Hurtadus Thomas, hisp., clericus regularis minorum (*De residentia, etc.*), m. 1659.

†* *Huygens* Gomarus, doctor lovaniensis, Quesnellii familliaris, n. 1631, m. 1702.

I

** *Ildephonsus* Joann. Bapt., hisp., dominicanus, rector Collegii caesaraugustani (*Opus suum edidit ex formali praecepto et decreto Capituli generalis dominicanorum Romae celebrato*), m. 1639.

Illsung Jacobus, germanus, S. J., docuit Ingolsdtadii (*Theologia practica universa*), m. 1693.

** *Isambertus* Nicolaus, galus, doctor sorbonicus, amicus S. Vincentii de Paulo, m. 1642.

J

Joannes Major, professor parisiensis, circa 1528.

** *Joannes* a S. Thoma, lusitanus, Ord. S. Dominici, m. circa 1664.

** *Josephus* a S. Januario (*Quaest. select.*), 17 saec.

K

Katzemberger Kilianus, germanus, Ord. minorum, continuator Sporerii, 18 saec.

Kercne Simon, S. J., *In quartum Decretalium*, 1717.

Krimer Ferdinandus, germanus, S. J. (*Quaest. canon. in 5 libros Decretalium*), 18 saec.

Kugler Joannes, germanus, S. J., cancellarius Universitatis wrastilaviensis, scripsit de matrimonio et sponsalibus, circa 1712.

L

Lambertini Prosper, Cardinalis, postea Papa Bened. XIV, n. 1675, m. 1758.

Lancellotti Joann. Paulus, italus, jurisperitus celeberrimus, n. 1511, m. 1591.

** *Lanfrancus* Nicolaus, polonus, S. J., vir sapientia et virtute clarissimus, n. 1575, m. 1652.

** *Lao* Andreas, dominicanus, 17 saec.

† *Launojus* Joannes, gallus, doctor sorbonicus, apostolicae Sedi multum infestus, n. 1603, m. 1678.

Laurentius Augustinus, S. J. (*Syntagmata theologica etc.*), n. 1692.

** *Laymannus* Paulus, germanus, S. J., natus Oeniponti, docuit philosophiam, theologiam moralem et jus canonicum, cujus fuit peritissimus, Ingoldstadii, Monachii et Dilingae. Vir profunde doctus, et quod rarum est, modestissimus et humillimus. In jure canonico, quod etiam commentariis illustravit, tanti fiebat, ut ejus dictata aliarum academiarum doctores saeculares, etiam pretio sibi describi curaverint. Consulebatur passim ex remotissimis locis super difficillimis rebus tamquam oraculum. Doli videbatur expers, patiens laborum, animo extra spem metumque posito, paratus omnibus obsequi et sui despectu infra omnes se abjiciens. Ad extremum Constantiae peste contactus est; qua ne forte alium inficeret, in separatum locum statim se abdidit, dehortando alios, ne sua causa periculo contagionis se exponerent: et in hac animi demissione mortales deseruit. Est doctor classicus, apud quem parem cogitationem S. Scripturae. SS. Patrum et canonum Ecclesiae atque theologorum moralium invenimus; quare Muzzarelli ait, quod nulli aut fere nulli theologo morali fuerit secundus, n. 1576, m. 1625.

Leander a SS. Sacramento, gallus, Ord. SS. Trinitatis, auctor nimis benignus (*Summa novem partium*), m. 1667.

Le Dent, belga, S. J., *De attritione ex metu gehennae*, 1667.

** *Ledesma* Bartholomeus de, hisp., Ord. S. Dominici, Episcopus antequeranus in America, m. 1604

** *Ledesma* Petrus, hispanus, dominicanus, n. 1616.

† *Le Drou* Petrus, Lambertus, *De contritione et attritione*, 1708.

** *Lessius* Leonardus, belga, inter maxima decora S. J. numerandus est et ipsum laudare vix sufficimus. A juvenili aetate usque ad exitum semper aegrotans et doloribus confractus, sine carne vitam trahere videbatur; quare mirandum est, quomodo tantum scribere et in omnibus doctrinis sacris atque profanis tam singulariter excellere potuerit. Sapientissimi sui aevi viri, ut Suárez, Vázquez, Molina aliique, in gravissimis scientiarum negotiis ipsius judicium exquirebant. Nihil sibi tristius quam sui laudes audire. Inter dolores tamen semper hilaris alios consolabatur. Quid dicam de ejus austeritate erga seipsum et singulari devotione erga B. V. Mariam, de qua pendere ajebat perseverantiam in vocatione? Angelicae puritatis fuit aemulator insignis, et ipse aliquando quum de peccatis luxuriae tractasset, ingenue fassus est, se ne primos

quidem carnis motus sensisse. Ut paucis dicam, omnium virtutum erat exemplar. Summi Pontifices Paulus V et Sixtus V, eum maxime aestimabant; sanctus vero Franciscus Salesius ipsi pro opere suo de justitia caeterisque virtutibus cardinalibus gratias egit; S. Carolus Borromaeus ejus opera confessariis commendavit; S. Alphonsus vero pariter eum inter doctores classicos numerat (*De justitia et jure, Auctarium ad* 1, 2, *in quo varii casus conscientiae*), n. 1534, m. 1623.

Laurentius Petrus, germanus, S. J., scripsit (*Forum beneficiale*), n. 1534, m. 1623.

** *Lezana* Joann. Bapt., hisp., carmelita, docuit theologiam Toleti, Compluti et Romae. Summi Pontifices Urbanus VII, Innocentius X et Alexander VII eum magni aestimabant et in rebus gravissimis ipsum adhibebant. Fuit consultor Congregationis Indicis et Rituum, assistens sex generalium, et sui Ordinis procurator generalis (*Summa quaest. regularium, Mare magnum, Consulta moralia*) n. 1586, m. 1659.

** *Ligorio* S. Alphonsus Maria de, Episcopus S. Agathae Gothorum, et fundator Congregationis SS. Redemptoris (*Theologia moralis, Homo apostolicus, etc.*). Ejus doctrinam posse quemque tuto sequi S. Poenitentiaria declaravit, m. 1787.

Lohner Tobias, bavarus, S. J., scripsit (*Instructiones pro confessariis, de missa, divino officio, etc.*), n. 1619, m. circa 1680.

** *Longus* Franciscus a Coriolano, italus, capuccinus, 17 saec.

** *López* Ludovicus, hisp., Ordinis S. Dominici, m. 1596.

** *Lorca* Petrus de, hisp., cirterciensis, m. 1602.

Lott Lud. Bertrandus, dominicanus, m. 1653.

Lotterius Melchior, italus, jurisconsultus, *De re beneficiaria*.

Luca Joann. Bapt. de, italus, cardinalis (*Theatrum veritatis et justitiae*), n. 1617, m. 1683.

** *Lugo* Franciscus de, hisp., S. J., fuit professor theologiae, tum missionarius apud Indos; sed Romam revocatus librorum a Societate edendorum censor factus est. Verum quum aestimationem sibi ex praesentia fratris tunc cardinalis ferre non posset, in Hispaniam remeavit, ibique cum odore sanctitatis vitam finivit. Majorem partem operum, quae conscripserat, naufragio perierunt; quae supersunt, magni aestimantur (*De Deo, De sacramentis*), n. 1580, m. 1652.

** *Lugo* Joann. de, hisp., frater Francisci de Lugo, annis minor, sed laude adhuc praestantior, sanctae romanae Ecclesiae cardinalis, Societatis Jesu singulare decus. Tantae erat indolis tantique ingenii, ut trium annorum puer libros legeret, et decimo quarto aetatis suae anno theses ex logica publice defenderet. Exemplo fratris motus, licet invito patre, S. J. amplexus est. Absolutis studiis tradidit philosophiam et theologiam Vallisoleti per 10, et Romae per 20 annos. Vasta sapientia et profunda humilitate conspicuus et ab omnibus aestimatus, ipse honores sollicite fugit; sed fugientem honores subsequuntur. Quum nihil tale suspicatus ab Urbano VIII cardinalis creatus esset, Summum Pontificem adiit et submisse quaesivit, an Sanctitas sua in virtute sacrae obedien-

tiae id ipsi praeciperet. Respondit Pontifex: Ita omnino praeceptum formale et formalissimum tibi imponimus; quo dicto humilis pater obedienter acquiescens, caput Sanctissimo, rubrum pileum imponenti, reverenter submisit. Cardinalis factus non tamen immutavit vitam religiosam. Sacramentis a cardinali Sfortia Pallavicino, suo olim in theologia dilectissimo discipulo, rite provisus et benedictione pontificia munitus, animam Deo reddidit. Ait S. Alphonsus (I, III, 562), quod Lugo post S. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici possit (*De jure et justitia*, *De fide, sacramentis in genere*, *Eucharistia*, *Poenitentia*, *Responsa moralia*), n. 1583, m. 1660.

** *Lupus* Christianus, flandrus, Ord. S. Augustini. Clemens IX eum magni aestimavit et ad episcopatum evehere voluit; ipse vero Lovanii manere maluit, ubi professor et decanus Facultatis fuit, n. 1612, m. 1681.

Lyranus (Nicolaus de Lyra), gallus, Ord. S. Francisci, m. 1349.

M

Machado de Chaves Joann., archidiaconus limanus in America, m. 1653.

Major Joann., scotus, professor parisiensis, n. 1478, m. 1548.

** *Malderus* Joann., belga, Episcopus antverpiensis, m. 1633.

Maldonatus Joann., hispanus, S. J., evangeliorum celeberrimus commentator, propter ingentem eruditionem ad novam Septuaginta editionem comparandam a Gregorio XIII Romam vocatus est, ibique vitam finivit, n. 1534, m. 1583.

** *Malettus* Carolus, doctor sorbonicus, n. 1602, m. 1680.

Mangianus Valentinus, italus, S. J. (*De religiosa paupertate*), m. 1660.

Mansi Joann. Dominicus, italus, celeber collector conciliorum, n. 1692, m. 1769.

Marchantius Jacobus, decanus couvensis, scripsit (*Resolutiones pastorales*) circa 1630.

** *Marchantius* Petrus, belga, franciscanus, fungebatur primis officiis sui Ordinis (*Tribunal sacramentale*), n. 1585, m. 1661.

Martínez Gregorius, hispanus, dominicanus, provincialis sui Ordinis, m. 1668.

Martinon Joann., gallus, S. J., m. 1662.

Mascardus Jos., italus, jurisconsultus (*De probationibus*), m. 1595.

** *Mastrius* Bartholomaeus, italus, Ord. minorum, m. 1669.

Maurus Sylvester, italus, S. J. (*Quaestiones theologicae*), n. 1619, m. 1672.

** *Mazzotta* Nicolaus, neapolitanus, S. J. (*Theologia moralis*), m. 1748.

** *Medina* Bartholomaeus, hisp., dominicanus, celeber professor salmanticensis, qui primus doctrinam de opinionibus probabilibus in systema redegit (*Expositiones in S. Thom.*), n. 1528, m. 1581.

** *Medina* Joann., hisp., theologus complutensis, n. 1490, m. 1546.

Megala Marcellus (*Praxis criminalis canonica, Resolutiones morales canonicae, etc.*).

Mendo Andreas, S. J., *Stera opinionum.*

Menochius Jacobus, italus, celeber jurisconsultus (*De probationibus*), n. 1532, m. 1607.

Merati Cajetanus Maria, clericus regularis, n. 1668.

Meratius Ludovicus, gallus, S. J., 1664.

†* *Merbes* Bonus, *Summa christiana*, Bajanismum olet.

†* *Mercorus* Julius, dominicanus, acerrimus rigidae sententiae propugnator, m. 1658.

†* *Merenda* Antonius, italus (*opus ipsius damnatum fuit*), n. 1578, m. 1658.

Merolla Franciscus, neapolitanus, ex Congregatione Oratorii (*Theologia moralis*), 17 saec.

Michel Augustinus, germanus, n. 1661, m. 1751.

** *Milante*, neapolitanus, Episcopus, m. 1749.

Molfesius Andreas, italus, theatinus, circa 1613.

* *Molina* Ludovicus, hisp., S. J., celeberrimus auctor operis *De justitia et jure*, et alterius, *De concordia gratiae et liberi arbitrii*, n. 1555, m. 1600.

Monacellus Franciscus, *De regulis Cancellariae.*

Montesinos Ludovicus, hispanus, m. 1621.

Moya Matthaeus, hispanus, S. J. Ipsius quaestiones morales, teste Rassler, ut nimis benignae Romae prohibitae et igni traditae sunt; sed postea correctae prodierunt Coloniae cum approbatione superiorum (*Quaestiones selectae morales*), m. post 1672.

Muniessa Thomas, hispanus, S. J., *Stimulus conscientiae*, 1698.

N

** *Naldus* Antonius, italus, clericus regularis, doctor utriusque juris, circa 1600.

†* *Natalis* Alexander, gallus, Ord. S. Dominici, in doctrinis moralibus rigidus, n. 1639, m. 1724.

Navarrus (Martinus Azpilcueta de Navarra), hispanus, canonicus regularis, ob magnam in theologia et jure canonico scientiam Romam vocatus et poenitentiarius factus est. Praecelluit in illo prae caeteris virtutibus maxime liberalitas erga egenos. (*Comment. in jus canon, Enchiridion seu manuale, etc.*). Nonaginta duos annos natus, m. 1586.

* *Navarrus* Petrus (vel Navarrettus), hisp., dominicanus (*De restitutione, etc.*), circa 1590.

Navarrus Tiburtius, hisp., Ord. minorum, 16 saec.

Nazarius Joann. Paulus, italus, dominicanus, a Clemente VIII magni aestimatus et cum nuntio apostolico ad exstirpandas haereses in Bohemiam missus est, m. 1645.

** *Neusser* Bruno, gallus, professor theologiae et provincialis fratrum recollectorum Coloniae, scripsit (*absolutissima Polyanthaea theologo-moralis-canonica*), 1680.

†* *Nicole* Petrus, gallus, jansenianus, n. 1625, m. 1695.

Noceti Carolus, S. J., *Veritas vindicata*, Romae, 1753.
Novo-castro Andreas, franciscanus, doctor Ingeniosissimus.
** *Nugnus* Didacus, hispanus, dominicanus, 17 saec.

O

Ochagavius Petrus, hisp., 17 saec.
Oñate Petrus de, hisp., S. J., missionarius in provincia peruana, postea provincialis Paraquariae (*De contractibus*), n. 1567, m. 1646.
†* *Opstraedt* Joannes, *Dissertatio theologica de praxi administrandi sacramentum poenitentiae, etc.* In indicem libr. prohibitorum relatus.
* *Oviedo* Franciscus de, hispanus, S. J. (*In S. Thom.* 1, 2. *Item de fide, spe et charitate*), n. 1602, m. 1651.

P

Palacius Michaël, hisp., 16 saec.
Palaus. Vide *Castropalaus.*
* *Pallavicinus* Sfortia, S. J., Cardinalis, celeberrimus auctor historiae Concilii Tridentini (*De universa Theologia assertiones*), n. 1607, m. 1667.
Paludanus (Petrus de Palude), gallus, dominicanus, patriarcha hierosolymitanus, m. 1342.
Panormitanus. Vide *Abbas.*
Pardus Emmanuel, hisp., S. J., 1664.
Parisius Flaminius, jurisconsultus (*De resignatione beneficiorum*).
Pasqualigo Zacharias, italus, clericus regularis theatinus, auctor nimis benignus (*De sacrificio novae legis*), 1630.
Passerinus Petrus Maria, dominicanus (*De electione canonica*), 1694.
†* *Patutius* Vincentius, italus, dominicanus, acerbus adversarius S. Alphonsi, auctor theologiae moralis, n. 1700, m. 1769.
Pavone Jos. Maria, neapolitanus, Congregationis SS. Redemptoris, m. in fine 18 saec.
Pax Jordanus, Episc. et canonista.
** *Pelbartus* de Temeswar, Ord. S. Francisci.
Pellizarius Franciscus, italus, S. J. (*Manuale regularium, De monialibus*), m. 1651.
** *Pérez* Antonius, hisp., S. J., n. 1583, m. 1649.
Pérez Martinus, hisp., S. J., simul pietate et ingenio praestantissimus, *De matrimonio*, an. 1656.
Pesantius Alexander, romanus, theologiae et juris utriusque doctor, 1617.
Petra Vincentius, Card., *Comment. in Constit. apostolicas.*
†* *Petrocorensis*, theologus anonymus, qui theologiam moralem pro usu Seminarii petrocorensis edidit.
Petschacher Benedictus, *De restitutione*, an. 1676.
Peyrinis (Laurentius de), Ordinis minimorum (*De privilegiis regularium, etc.*), m. circa 1620.

Phoebeus Franc., italus, S. J. (*Institutiones juris canonici*), m. 1706.

Piasecius Paulus, polonus, juris utriusque doctor, archidiaconus warsaviensis (*Praxis episcopalis et ecclesiastica*), circa 1665.

** *Pichler* Vitus, germanus, S. J., professor ingolstadiensis (*Jus canonicum, Quaestiones canonicae*), m. 1750.

Pignatellus Jacobus, italus (*Consultationes canonicae*), circa 1645.

Pirhing Henricus, bavarus, S. J., celeber canonista (*Juris canonici methodus, etc.*), m. circa 1670.

Pittonius Franciscus Maria, episcopus Imeriae, canonista.

Platelius Jacobus, belga, S. J. (*Synopsis cursus theologici*), n. 1608, m. 1681.

Polancus Joann., S. J. (*Directorium confessarii, Methodus adjuvandi moribundos*), 1617.

†* *Pontas* Joann., gallus (*Dictionarium casuum conscientiae*), n. 1638, m. 1728.

** *Pontius* Basilius, hisp., augustinianus (*De matrimonio*), m. 1629.

Pontius Joann., hisp., franciscanus (*Cursus theologicus*), circa 1644.

Portel Laurentius, lusitanus, Ord. S. Francisci, theologus pius et sapiens (*Responsa moralia, Dubia Regularium*), m. circa 1640.

** *Possevinus* Antonius, italus, S. J., nuntius apostolicus in Polonia, Russia et Suecia. Fuit confessarius S. Francisci Salesii, quum is Patavii studiis vacaret, n. 1534, m. 1611.

Potestas Felix, italus, Ordinis minorum, *Examen ecclesiasticum.*

** *Prado* Martinus de, hisp., dominicanus, m. 1688.

** *Praepositus* Joann., belga, S. J., vir sincerae pietatis, n. 1571, m. 1634.

Q

Quaranta Stephanus, italus, juris utriusque doctor, 17 saec.

Quarti Paulus Maria, italus, ex Congregatione clericorum regularium (*In rubricas missae*), 1655.

Quintanadueñas Antonius de, hisp., S. J. (*Singularia theologiae moralis*), m. 1651.

R

Raymundus de Penyafort, sanctus, n. 1175, m. 1275.

Raymundus Theophilus, gallus, S. J. (*Opera varia moralia*), n. 1583, m. 1663.

Rebellus Ferdinandus, lusitanus, S. J. (*De obligationibus justitiae, religionis et charitatis*), n. 1547, m. 1608.

Rebuffus Petrus, gallus, jurisconsultus parisiensis (*Praxis beneficiorum, etc.*), 1610.

Reding Augustinus, benedictinus, *Theologia scholastica*, 1667.

Redoanus Guillielmus, *De spoliis ecclesiasticis, De simonia*, 1570.

** *Reginaldus* Valerius, gallus, S. J., discipulus Maldonati. Fuit vir non minus doctus quam sanctus, et imprimis devotissimus

erga sanctissimum Sacramentum. S. Franciscus Salesius et S. Carolus Borromaeus ejus opera clero commendabant; S. Alphonsus vero pariter eum inter doctores classicos numerat (*Praxis fori poenitentiarii, De prudentia confessarii*), m. 1623.

** *Reiffenstuel* Anacletus, bavarus, Ord. min. S. Francisci, celeber canonista; citatur saepius sub nomine *Anacleti* (*Jus canonic.— Theologia moralis*), 18 saec.

** *Reuter* Joann., germanus, S. J., doctrinae soliditate, concinnitate et ordine rerum insignis (*Theologia moralis*), m. 1762.

Rhodes Georgius de, gallus, S. J. (*Theologia scholastica*), m. 1661.

Riccius Aloysius, canonicus neapolitanus (*Praxis aurea fori ecclesiastici*), 1674.

** *Rodríguez* Emmanuel, lusitanus, Ord. S. Francisci (*Summa casuum, Quaestiones regulares et canonicae*), n. 1551, m. 1619.

** *Roncaglia* Constantinus, italus, Congregationis Matris Dei (*Theologia moralis*), 18 saec.

Rosa Thomas de, *De executoribus litterarum apostolicarum*, 1683.

Rosell Joseph, carthusianus, *Praxis deponendi conscientiam dubiam et scrupulos*, 1656.

Rosella. Vide *Trovamala.*

Rosmer Paulus, belga, S. J. (*De act. hum. — De jure et justitia. — De poenitentia*), m. 1604.

S

** *Sa* Emmanuel, lusitanus, S. J. Sanctus Pius V eum magni aestimabat et in nova editione Bibliorum sacrorum adhibuit (*Aphorismi confessariorum*), n. 1530, m. 1596.

** *Sabinus* Franciscus, bononiensis, Ordinis minoris, 17 saec.

† *Saettler* Gaspar, doctor argentinensis (*Theologia moralis universa*), saec. 18.

** *Salas* Joann. de, hisp., S. J. (*In* 2, 2, *S. Thomae*, De contractibus), m. 1613.

** *Salmanticenses*, patres carmelitae discalceati civitatis Salmanticae (*Cursus theologicus*), 17 saec.

Salmerón Alphonsus, hisp., S. J., S. Ignatii socius, interfuit Concilio Tridentino.

** *Salonius* Mich., hisp., Ordinis S. Augustini (*De jure et justitia, etc.*), 17 saec.

** *Sánchez* Thomas, hisp., S. J. (*Opus morale in Decalogum, De matrimonio*), n. 1551, m. 1610.

Sancius (Sánchez) Joann., hisp., doctor utriusque juris, auctor nimis benignus (*Disputationes selectae*), circa 1620.

** *Santarellus* Antonius, italus, S. J., n. 1569, m. 1649.

** *Sayrus* Gregorius, anglus, benedictinus de Monte Cassino (*Clavis regia, De censuris*), m. 1602.

Sbroccius Jacobus, *De vicario Episcopi*, 1592.

Schiara Anton. Thomas, clericus regularis, *Theologia bellica*, 1707.

** *Schildere* Ludovicus de, belga, S. J. (*De principiis formandae conscientiae*), n. 1606, m. 1667.

Schlmalzgrueber Franciscus, S. J., *Jus ecclesiasticum universum.*

Scotus Joann., *Duns*, franciscanus, doctor *subtilis*, m. 1308.

** *Serra* Joann. Angelus, italus, m. 1775.

** *Sfondratus* Coelestinus, benedictinus, docuit jus canon. Salisburgi, tunc abbas monasterii S. Galli, demum Cardinalis creatus est, n. 1649, m. 1696.

* *Silvester* (Prieras), italus, magister sacri Palatii et praepositus generalis Ordinis S. Dominici (*Summa silvestrina*), m. 1523.

Simanchus Jacobus, italus, Episcopus pacensis.

Simonet Edmundus, gallus, n. 1662, m. 1773.

†* *Sinnichius* Joann., hibernus, doctor lovaniensis, Jansenii propugnator, qui non dubitavit asserere: «Non potest damnari Jansenius nisi ridente Pelagio, plorante Augustino.» Idem est auctor propositionis damnatae, quae ajebat, non esse licitum inter opiniones probabiles sequi probabilissimam, m. 1666.

Sorbo Hieronymus de, capuccinus.

** *Sotus* Dominicus, hisp., Ord. S. Dominici, docuit theologiam per 30 annos in Universitate salmanticensi et interfuit Concilio Tridentino (*In 4 lib. Sententiarum, De justitia et jure*), n. 1494, m. 1560.

Sotus Petrus, hispanus, Ord. S. Dominici (*De institutione sacerdotum*), m. 1563.

Spe Fridericus, germanus, S. J. (*Cautio criminalis*), m. 1635.

Sperellus Alexander, italus, Episcopus eugubinus (*Decisiones fori ecclesiastici*), circa 1638.

** *Sporer* Patritius, germanus, passaviensis, Ord. S. Francisci, definitor sui Ordinis. De hoc auctore ait S. Alphonsus, quod fuit in suis sententiis satis aequus et forte aliquando plus, quam par est, benignus (*Theol. moralis, etc.*), m. post 1700.

Stephanus a S. Paulo, carmelita (*Theologia moralis*).

** *Stor* Matthaeus, germanus, S. J. (*Tribunal poenitentiale*), n. 1614, m. 1678.

** *Struggl* Marcus M., egregius ex Ord. serv. B. M. V. theologus, *Theologia moralis juxta ss. canones, et probatos auctores, etc.*, 1758.

** *Suárez* Franciscus, hisp., S. J., vir fundatissimae scientiae et profundae humilitatis. Docuit theologiam cum summa laude Compluti, Salmanticae et Romae, et 23 tomos in folio praeter manuscripta reliquit. Benedictus XIV ipsum luminare theologiae nuncupavit. Bossuetus eum imprimis quasi doctorem omnigenae scientiae laudat; S. Alphonsus vero doctoribus classicis annumerat. Tali fuit vitae sanctitate, ut moriens prae dulci jubilo exclamare posset, se non putasse, tam facilem esse exitum. Multi opinati sunt, scientias illi divinitus infusas fuisse, n. 1548, m. 1617.

Suárez Joann., lusitanus, Ord. S. Augustini, Episcopus colombriensis, interfuit Concilio Tridentino, m. 1580.

Sylvius Franciscus, belga, canonicus et decanus sancti Amati Duaci, ubi plus quam 30 annos theologiam docuit. Vir simul doctus et sanctus, n. 1581, m. 1649.

T

†** *Taberna* Joann. Bapt., belga, S. J. (*Synopsis theologiae practicae*), circa 1700.

Tabiena Joann., italus, dominicanus (*Summa tabiena, seu Summa summarum*), circa 1525.

Tamburini Ascanius, Cong. vallumbrosanae, *De jure abbatum.*

Tamburini Thomas, siculus, S. J., docuit 24 annos theologiam, et subinde librorum censor ac consultor sacri Officii factus est. Auctor nimis benignus (*In Decalogum, etc.*), n. 1591, m. 1675.

Tancredus Vincentius, italus, S. J. (*Quaestiones morales, De matrimonio, De virtute religionis*), n. 1609, m. 1659.

** *Tanner* Adam, germanus, S. J., natus Oeniponti, docuit theologiam Ingolstadii et Monachii 20 annos, sed crescente fama Mathias imperator eum Viennam accersivit, ut pro Martino Decano theologiam explicaret; Ferdinandus vero II Universitati pragensi cancellarium dedit, quando eam Societati Jesu commisit. Demum adversante valetudine et Gustavo Adolpho Bavariam incursante, in Tirolim regressus in ipso itinere extinctus est. Variarum linguarum peritus, historiae ecclesiasticae amator, sanctorum Patrum indefessus pervestigator, magna auctoritate pollebat, quam virtutes religiosae adhuc augebant, n. 1572, m. 1632.

** *Terillus* Antonius, anglus, S. J., doctor et professor lovaniensis eruditissimus, probabilistarum antesignanus, ut ait Amort (*De conscientia probabili, regula morum*), circa 1668.

Thesaurus Carolus, S. J., *De poenis ecclesiasticis.*

Thomas Aquinas sanctus, doctor Angelicus, n. 1227, m. 1274.

Thomassinus Ludovicus, gallus, Congregationis Oratorii (*Vetus et nova disciplina Ecclesiae circa beneficia, etc.*), n. 1619, m. 1695.

Tiraquellus Andreas, gallus, celeber jurisperitus (*De privilegiis piae causae*), m. 1558.

** *Toletus* Franciscus, hisp., fuit singulare decus Societatis Jesu, et cum Bellarmino, Lugone, Pallavicino dignus habitus est, qui in sacrum Collegium cardinalium assumeretur. Summam scientiam cum profunda humilitate et devotione ita egregie conjunxit, ut multi dubitarent, num potius sanctitatem an doctrinam mirarentur. Ipsius *Instructio sacerdotum* cum summa laude christiani orbis excepta, et a S. Francisco Salesio ut tutam doctrinam continens clero commendata est. Cabassutius, quamvis antiprobabilista, non dubitavit dicere, quod plura saecula virum tanti meriti vix visura sint, nec ullas laudes sufficere pro card. Toleto, n. 1532, m. 1596.

Tonduti Petrus Franciscus de (*Quaestiones et resolutiones canonicae, etc.*).

Trovamala Joann. Bapt. de, italus, Ordinis minorum, auctor Summae quae dicitur *Rosella*, 15 saec.

** *Trullenchus* Joann., hisp. (*Praxis sacramentorum*), m. 1633.

Tuccius Stephanus, italus, S. J., 16 saec.

Turrecremata Joann. de, hispanus, Ordinis S. Dominici, Cardinalis, Episcopus sabinensis, n. 1388, m. 1468.

Turrianus Aloysius, hisp., S. J. (*In* 1, 2 *S. Thomae, De poenitentia, De virtutibus et vitiis*) n. 1562, m. 1635.
Tuschus Dominicus, Card. (*Practicae conclusiones juris*), m. 1620.

U

Ubaldis Petrus de, italus, celeber jurisconsultus, n. 1400.
Ugolinus Bartholomaeus, italus, Ordinis eremitarum S. Augustini (*De censuris et irregularitatibus*), 16 saec.
Urbanus ab Ascensione, carmelita, 1648.
Ursaya Dominicus, jurisconsultus romanus.

V

Valente Franciscus, lusitanus, S. J. (*Concordia juris pontificii cum caesareo*), m. 1621.
** *Valentia* Gregorius a, hisp., S. J., docuit philosophiam et theologiam Romae, Ingolstadii et Dilingae (*Comment. theolog. in Quaestiones S. Thomae, etc.*), n. 1543, m. 1603.
Valentia, gallus, scripsit gallice *De praeceptis, et sacerdotali officio*, m. 1847.
Van Espen (Zegerus Bernardus), belga, vir apostolicae Sedi infensissimus, n. 1646, m. 1728.
** *Vázquez* Gabriel, hisp., S. J., docuit 30 annis theologiam Romae et Compluti. In illo virtus cum doctrina, obedientia cum ingenio, pietas cum sapientia certare videbatur. Benedictus XIV eum et Suárez duo luminaria theologiae nominavit, n. 1551, m. 1604.
Vega Alphonsus, hisp., Ord. minorum, circa 1596.
Vega Andreas, franciscanus, vir doctrina eximius et Tridentini Concilii theologus.
* *Velasco* Achatius, hisp., Ordinis S. Dominici, Episcopus oriolensis, m. 1765.
Velázquez Joann. Ant., hisp., S. J., n. 1585, m. 1669.
Ventriglia Joann. Bapt., italus, Episcopus casertinus.
Veracruz Alphonsus, hisp., 16 saec.
Vericellus Angelus Maria, italus, clericus regularis (*De apostolicis missionibus*), 17 saec.
** *Victoria* Franciscus de, hisp., dominicanus: habuit celeberrimos discipulos Dominicum Sotum, Bartholomaeum Medinam et Melchiorem Canum, qui ipsum summum theologiae praeceptorem ducemque optimum appellavit, m. 1549.
** *Vidal* Marcus, italus, clericus regul. et professor theologiae, 16 saec.
Viexmontius Claudius, parisiensis, *Salutaris poenitentia peccatoris*, 1595.
** *Villalobos* Henricus de, hisp., franciscanus (*Candelabrum aureum, De sacramentis et censuris*), circa 1620.
Villar Thomas, hisp., Ord. S. Dominici, circa 1650.
Vindiciae gobatianae, sive examen propositionum, quas ex operibus P. Gobat damnavit Episcopus atrebatensis, 1706.

Vindiciae Tabernae, sive Auctor anonymus, qui Tabernam defendit contra damnationem Episcopi atrebatensis, 1706.

** *Viva* Dominicus, italus, S. J., docuit 30 annis theologiam Neapoli. Benedictus XIV eum cum laude memorat (*Damnatae theses, Cursus theol. moral.*), m. circa 1710.

Vivaldus, Martinus Alphonsus, italus, canonicus regularis Congregationis SS. Salvatoris, circa 1590.

Vogler Josephus, germanus, S. J., juris cultor, theologus (*Circa obligationes restitutionis*), saec. 18.

** *Voit* Edmundus, germanus, S. J. (*Theologia moralis practica*), m. ad fin. saec. 18.

Volpilière Philipphus de, *Theologia speculativa et practica*, 1590.

W

Wadingus Petrus, hibernus, S. J. (*De contractibus*), n. 1586, m. 1644.

Wagnereck, bavarus, S. J., *Commentarius exegeticus in Decretales*, 1665.

Waldensis Thomas, anglus, m. 1430.

†* *Wendrochius* Guillelmus, jansenianus rigidissimus, cujus liber de probabilismo damnatus et flammis traditus est, 17 saec.

Wex Jacobus, germ., S. J. (*Ariadne carolino canonica*), 17 saec.

Wiestner Jacobus, germ., S. J. (*Institutiones canonicae*), 17 saec.

†* *Wigandt* Martinus, germanus, dominicanus, professor theologiae in Universitate viennensi, 16 saec.

Wiggers Joann., belga, doctor lovaniensis, vir valde doctus et pius, n. 1571, m. 1639.

† *Witassus* Carolus, gallus, doctor sorbonicus, n. 1660, m. 1716.

Z

Zabarella Paulus, Cardinalis, patavinus, augustinianus.

** *Zacharia* Franciscus Anton., italus, S. J., n. 1712. m. 1796.

Zacchias Paulus, medicus romanus (*Quaestiones medico legales*), saec. 17.

Zambranus Melchior, hisp. (*Aureae decisiones casuum conscientiae*), circa 1604.

Zanardus Michaël, italus, auctor nimis benignus, n. 1570, m. 1641.

Zecchius Laelius, jurisconsultus, canonicus brixiensis, *De republica ecclesiastica, etc.*, circa 1580.

Zechius Franc. Xav., germanus, S. J., professor ingolstadiensis, m. circa 1750.

** *Zerola* Thomas, italus, Episcopus minoricensis (*Praxis episcopalis, Praxis sacramenti poenitentiae*). m. 1663.

Zoesius Henricus, J. U. D. Lovanii, *In jus canonicum universum*, m. 1627.

Zumel Franciscus, hisp., Ordinis de Mercede, m. 1706.

Zypus Franciscus, jurisc., vicarius generalis Antuerpiae, *Responsa de jure canonico, De jurisdictione ecclesiastica, Jus pontificium novum.*

CATALOGUS

OPERUM ET AUCTORUM RECENTIORUM, QUI, PRAETER ANTIQUOS IN SUPERIORI INDICE LAUDATOS, IN NOVIS EDITIONIBUS CITANTUR (1)

A. Opera collectiva.

Acta S. Sedis, in compendium opportune redacta et illustrata (ab anno 1865 ad ann. 1908).
Acta A. Sedis, commentarium officiale (ab anno 1909 *seq.*).
Analecta Ecclesiastica (Romae ab anno 1893 ad ann. 1911).
Analecta Juris Pontificii (Romae et Parisiis, 1855, ad ann. 1891).
Appendix ad Conc. Plen. Amer. (1900).
» Prov. I Manilan. (1910).
Arreglo parroquial del Arzobispado de Valencia (1902).
» » » » Zaragoza (1902).
» » » Obispado de Avila (1911).
Bullarium Romanum (Augustae Taurinorum, 1857-1872).
» » (Prati, 1839-1866).
Casus Conscientiae propositi ac soluti Romae ad S. Apollinarem (1896-1908).
Ciencias médicas. V. Criterio católico.
Codex juris canonici, Pii X Pontificis Maximi jussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus (Romae, Typis polyglottis Vaticanis, 1917).
Ciudad de Dios (*La*). (Madrid, 1880 *sig.*).
Código civil brasileiro (Río de Janeiro, 1916).
» » español (1889).
» de comercio (Madrid, 1895).
» penal español (Madrid, 1895).
» civil de la República Argentina (Buenos Aires, 1900). *Constitución* de la Nación Argentina (Publicación oficial. Buenos Aires, 1860).
Código civil de Bolivia (Sucre, 1890).
» de Costa Rica (San José, Imp. Nacional, 1887).
» de Colombia, con un suplemento de las Leyes que lo adicionan y reforman desde 1887 hasta 1892 inclusive (Bogotá, 1895).
Código de Chile (Códigos chilenos, Leipzig, 1882. Edición revisada por el representante de Chile en Francia).
Código civil del Ecuador (Edición hecha por la Corte Suprema de Justicia, 1889).
Código de Guatemala (Guatemala, 1877). — Item Leyes emitidas

(1) Nullum citatur opus quod propriis oculis non examinaverimus.

por el Gobierno democrático, desde 1.° de julio de 1881 a 30 de junio de 1883 (Guatemala, 1883).

Código civil de Méjico (México, 1901).

» de Nicaragua (Managua, 1871).

Código civil del Perú, con citas, notas, concordancias, etc., por Miguel Antonio de la Lama (Lima, 1899).

Código (del Perú) de enjuiciamientos en materia civil, con citas, etc., por la Lama (Lima, 1894).

Código (del Perú) de comercio, ley procesal de quiebras y suspensión de pagos, y reglamento del registro mercantil, con notas críticas, concordatorias, etc., por la Lama (Lima, 1902).

Código civil portugués (Ed. 9.ª Lisboa, 1890).

» » de San Salvador (San Salvador, 1883).

» del Uruguay (Montevideo, 1894).

» de Venezuela (Edición oficial, 1896).

» de procedimientos en juicios civiles y actuaciones especiales en las Islas Filipinas (Manila, 1906).

Collationes Brugenses (Brugis, 1896 *seq.*).

Collectanea S. C. de Propaganda Fide (Ed. 1.ª 1893; ed. 2.ª 1907).

Collectio Lacensis. Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum (1870-1890).

Compendium privilegiorum S. J. (1892).

Concilium Plenarium Americae latinae (Acta et decreta C. P. A. L. in Urbe celebrati anno Domini 1899. Romae, Typis Vaticanis, 1901).

Concilium provinciale Manilanum I (Acta et decreta Concil. P. M. I. in urbe Manilana celebrati anno Domini 1907 (Romae, Typis polyglottis Vaticanis, 1910).

Concilium provinciale Burgense (1898).

» » Caesaraugustan. (1908).

» » Valentinum (1891).

» » Vallisoletanum (Ed. 2.ª Vallisoleti, 1889).

Concordato (español) de 1737 (Madrid, 1882).

» (español) de 1753 (Madrid, 1882).

» celebrado entre S. S. Pío IX y S. M. Isabel II en 16 de marzo de 1851 (Tarazona, 1856).

Convenio-ley de 4 abril de 1860 (Madrid, 1882).

Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem initae sub pontificatu SSmi. D. N. Leonis PP. XIII (Romae, 1893).

Corpus Juris Canonici (Edit. Leipsiensis secunda, Richter-Friedberg, 1881).

Corpus Juris civilis romani (cum notis Gothofredi, Modii, Van Leeuwen.—Coloniae Munatianae, 1805).

Decreta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab anno 1868 usque ad 1882 (Ratisbonae, 1883).

Decreta authentica S. C. S. Rituum (Romae, 1898-1901).

Dictionnaire de Théologie catholique... commencé sous la direction de *Vacant*... continué sous celle de *Mangenot*... avec le concurs d'un grand nombre de collaborateurs (1899 *seq.*).

El Criterio católico en las ciencias médicas, órgano de la Sociedad Médico-farmacéutica de los santos Cosme y Damián (Barcelona, 1898 *seq.*).

Ephemerides liturgicae (Romae, 1887 *seq.*).

Ephemeris ecclesiastica (Rimini, ab anno 1904).

Formulae Apostolicae Datariae pro matrimonialibus dispensationibus jussu Eminentissimi Cardinalis Pro-Datarii Cajetani Aloisi-Masella reformatae (Romae, 1901).

Ilustración del Clero (Madrid, 1906 *seq.*).

Index librorum prohibitorum, SSmi. D. N. Leonis XIII jussu et auctoritate recognitus et editus (Romae, 1901).

Instructio pastoralis eystettensis, ed. 5.ª (Friburgi Brisgoviae, 1902).

Instructiones episcoporum Belgii, apud *Nouvelle Rev. Théologique.*

Ley de caza, 18 mayo 1902 (Madrid, 1902).
» de Enjuiciamiento civil (Madrid, 1896).
» de Enjuiciamiento criminal (Madrid, 1895).
» Hipotecaria (Madrid, 1890).
» del Jurado (Madrid, 1893).

Monitore (Il) ecclesiastico, publicazione mensuale ad uso del clero (Maratea, 1876-1882; Conversano, 1882 1899; Romae, 1899 *seq.*).

Normae secundum quas S. C. Ep. et Reg. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium (Romae, 1901).

Nouvelle Revue Théologique (Tournai, 1869 *seq.*).

Praxis Apostolicarum Dispensationum super impedimentis matrimonii secundum reformatas formulas Apostolicae Datariae, jussu editae Eminentissimi Cardinalis Pro-Datarii Cajetani Aloisi-Masella (Romae, 1902).

Razón y Fe, revista mensual redactada por Padres de la Compañía de Jesús (Madrid, 1901 *seq.*).

Rescripta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae (Ratisbonae, 1885).

Revue des questions scientifiques (Louvain, 1877 *seq.*).
» néo-scolastique (Louvain, 1891 *seq.*).

Synodus dioecesana Vallisolet. (1886).
» » Corduben. in America (1907).
» » Ancudien. (1907).
» » Aurien. (1908).
» » Matriten. (1909).
» » Malacitan. (1909).
» » Manilan. (1911).
» » Cebuen. (Manilae, 1911).
» » Calbayogen. (Manila, 1911).

Thesaurus Resolutionum S. Congregationis Concilii (Romae, 1718 *seq.*).

Vicaría castrense de la República de Chile. Breves pontificios, ley y decreto relacionados con su creación y establecimiento (1911).

B. **Auctores eorumque opera allegata.**

Aertnys (Joseph), C. SS. Redemptoris, batavus. Cit. *Theologia moralis juxta doctrinam S. Alphonsi M. de Ligorio* (Ed. 6.ª, 1901; ed. 7.ª, 1906).

Aichner (Simon), Episcopus Brixinensis. Cit. *Compendium juris ecclesiastici ad usum cleri, ac praesertim per imperium Austriacum in cura animarum laborantis* (Ed. 9.ª, 1900).

Alberti (Joseph), Cathedralis Aquipendiensis Canonicus theologus. Cit. *Theologiae pastoralis pars prima* (Ed. 3.ª, 1901); *pars altera* (Ed. 2.ª, 1901); *pars tertia* (1903); *pars quarta* (1904; *pars quinta* (1905).

Alcubilla (Marcelo Martínez). Cit. *Diccionario de la Administración española* (Ed. 5.ª, 1892). Opus caute legendum, quia liberalismi labe inficitur.

Allegre, Canonicus Gallus. Cit. *Le Code civil commenté dans ses rapports avec la Théologie morale, le Droit Canon. et l'Economie politique* (Ed. 8.ª, 1902).

Alsina (Raymundus), Professor theologiae moralis in Seminario coelsonensi, hispanus. Cit. *Compendium Theologiae Moralis* (Ed. 8.ª, 1898).

Angel a SS. Corde, O. Carm. Cit. *Manuale juris Regularium* (1899).

Antequera (José María). Cit. *La Desamortización eclesiástica considerada en sus diferentes aspectos y relaciones* (1885).

Antoine (Ch.), S. J. Cit. *Cours d'Economie sociale* (Ed. 2.ª, 1899).

Antonelli (Josephus). Cit. *De conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium* (1900); *Pro conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium* (1901); *De mulieris excisae impotentia* (1903); *Medicina pastoralis* (1905).

Appeltern (Victorius ab), Ord. Min. Capuc. Cit. *Compendium praelectionum juris Regularis* (1903).

Arendt (Guillelmus), S. J. Cit. *De quibusdam dubiis quae occurrunt in doctrinali interpretatione leonianae constitutionis de prohibitione librorum* (Romae, 1907); *Analysis theologico-canonica* decreti «*Ne temere*» *de sponsalibus et matrimonio* (1908); *De sacramentalibus* (Romae, 1900); *De laesione justitiae commutativae in Missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto* (Prati, 1914).

Augustinis (Aemilius de), Romae in Universitate Gregoriana Theologiae Dogmaticae Professor. Cit. *De re sacramentaria* (Ed. 2.ª, 1887).

Avancini (Petrus), italus. Cit. *Commentarius in Bull. Apostolicae Sedis* (Ed. 3.ª, 1874).

Bacardi (Alexander de), advocatus hisp. Cit. *Tratado del derecho militar de España y sus Indias* (Ed. 3.ª, 1878).

Ballerini (Antonius), S. J., italus. Cit. Notae ad *Compendium Theol. mor. P. Joann. Gury.*

Ballerini-Palmieri. Cit. *Opus theologicum morale in Busembaum medullam* (Ed. 3.ª, 1899-1901).

Barbéns, O. Cap., hisp. Cit. *Introductio pathologica* (1917).

Bargilliat (Michaël), in Semin. Corisopitensi juris can. professor. Cit. *Praelectiones juris canonici* (Ed. 18.ª, 1903).

Battandier (Albertus), Consultor S. C. Ep et Reg., Protonotarius apostolicus. Cit. *Guide canonique pour les constitutions des sœurs à vœux simples avec les modifications pour les instituts d'hommes* (Ed. 2.ª, 1900).

Beauregard (H.)-**Gallippe** (V.), galli. Cit. *Guide pratique pour les travaux de micrographie* (Ed. 2.ª, 1888).

Beclart (J). Olim professor Physiologiae in facultate medicinae Parisiensi. Cit. *Traité élémentaire de phisiologie* (Ed. 5.ª, 1866).

Berardi (Aemilius), cathedralis Faventinae canonicus. Cit. *Praxis Confessariorum* (Ed. 3.ª, 1898); *Theologia pastoralis* (Ed. 3.ª, 1902).

Beringer (F.), S. J., Consultor S. C. Indulg. et SS. Reliq., germanus. Cit *Les indulgences, leur nature et leur usage*, traduction par l'abbé Mazoyer (1905); *De cruce missionis* apud *Analecta ecclesiastica, vol.* 10, *pag.* 260-263.

Besson (Julius), S. J. Cit. *De la publicité des fiançailles et du mariage d' après la nouvelle législation canonique*, apud ephem. *Nouvelle Rev. Théologique.*

Bierbaum (Irenaeus), O. S. Fr. Cit. *Theologia moralis... auctore... Elbel... novis curis edidit... Bierbaum* (1904, *vol.* 1 et 2; 1895, *vol.* 3).

Bizzarri (A.), Archiep. Philippen. Cit. *Collectanea, in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg.* (Romae, 1885).

Blanc (Dr. Joseph), medicus barcinonensis. Cit. *La sífilis plaga social* (1908); *La coeducación de los sexos* (1912); *Diversa ejus scripta* in ephem. *El Criterio católico en las ciencias médicas*, necnon epistolae ipsius *ad P. Ferreres.*

Boudinhon, gallus. Cit. *Le mariage et les fiançailles, commentaire du décret* Ne temere (1908).

Bouix (Maria Dominicus) sacerdos gallus, n. 1808, m. 1870. Cit. *Tractatus de Episcopo* (Ed. 2.ª, 1873); *Tract. de jure Regularium* (Ed. 3.ª, 1882).

Bouquillon (Thomas Jos.), belga, in Universitate cath. Americana theologiae moralis professor. Cit. *Theologia moralis fundamentalis* (Ed. 2.ª, 1890).

Brabandère (P. de), in Semin. Brugensi jur. can. professor. Cit. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium* (Ed. 4.ª, 1882).

Brocá (Gullielmus) **y Amell** (Joannes), hispani. Cit. *Instituciones de Derecho civil catalán* (Ed. 2.ª, 1886).

Bucceroni (Januarius), S. J., Theologiae moralis professor in Pontificia Universitate Gregoriana collegii Romani. Cit. *Enchridion morale et supplementum Compendio Theologiae moralis Gury-Ballerini* (Ed. 2.ª, 1891); *Institutiones theologiae moralis* (Ed. 2.ª, 1893; ed. 5.ª, 1908); *Commentarii:* I. *De casibus reservatis;* II. *De censuris;* III. *De Const. Apostolicae Sedis;* IV. *De Const. Sacram. Poenitentiae;* V. *De absolutione danda, differenda, deneganda* (Ed. 5.ª, 1899); *F. Lucii Ferraris Promptae Bibliothecae Supplementum* (1899); *Casus conscientiae* (Ed. 5.ª, 1903-1904).

Bulot, S. J., gallus, in Collegio Max. Cantuariensi Theologiae moralis professor. Cit. *Compendium Theologiae Moralis ad mentem P. Gury* (1905).

Busquet (Joseph), C. M. F., hisp. Cit. *Thesaurus confessarii* (Ed. 5.ª, 1911).

Capellmann (Dr. C.). germanus. Cit. *Medicina Pastoralis* (Ed. 7.ª, latinarum altera, 1890).

Carbonero y Sol (Leo), hisp. Cit. *Tratado del matrimonio, de sus impedimentos y dispensas* (Ed. 3.ª, *vol.* 1 et 2, 1885, *vol.* 3, 1896).

Casajoana (Valentinus), S. J., hisp. Cit. adnotationes in Comp. P. Gury.

Cavagnis (Felix), Cardinalis. Cit. *Institutiones Juris publici ecclesiastici* (Ed. 2.ª, 1888; 4.ª, 1906).

Chabagno (Joannes), Missionarius Apostolicus in Japonia. Cit. *Le Mariage des infidèles dans ses rapports avec la loi civile en général et la loi japonaise en particulier* (Yokohama, 1913).

Choupin (Lucius), S. J. Cit. *Les fiançailles et le mariage. Discipline actuelle* (1908).

Ciolli (Alexander), cathedralis Florentinae canonicus. Cit. *Directorio práctico del Confesor; traducido de la* 5.ª *edición por el Rdo. D. Cayetano Soler* (1901).

Ciravegna (Matthaeus). S. J., italus. Cit. *De Societatis Jesu Paupertate, quaestiones variae* (1892).

Coconnier, O. P., Professor theologiae dogmaticae in universitate Friburgi Helvetiorum. Cit. *El hipnotismo franco...; traducido al castellano por el P. Jenaro Buitrago* (1898).

Constantini (Victorius), Antistes urbanus, ecclesiae cathedralis Aquipendiensis Archidiaconus. Cit. *Institutiones Theologiae moralis* (Ed. 3.ª, 1900).

Coppin-Stimart, belgae. Cit. *Sacrae liturgiae compendium* (Ed. 4.ª, 1910).

Corominas, medicus hisp. Cit. *De la mortalitat i de la protecció a la primera infancia* (Barcelona, 1917).

Craisson (D.), Vicarius generalis dioecesis Valentinensis in Gallia. Cit. *Manuale totius Juris Canonici* (Ed. 5.ª, 1880).

D'Annibale (Josephus), Card., italus, n. 1815, m. 1892. Cit. *Commentarius (Reatinus) in Bullam Apostolicae Sedis* (1880); *Summa Theologiae moralis* (Ed. 4.ª, 1896).

De Angelis (Philippus), italus, n. 1824, m. 1881. Cit. *Praelectiones juris canonici ad methodum Decretalium Gregor. IX exactae* (Ed. 1.ª, 1877).

De Herdt, Canonicus Mechliniensis, belga. Cit. *Praxis Capitularis* (Ed. 2.ª, 1895).

Debreyne (F. C.), gallus. Cit. *Ensayo sobre la Teología moral.* (Traducción de la 4.ª edición francesa por el Dr. D. P. P. y D. J. C. B., 1851).

Delama (Dionysius), in Seminario Tridentino professor Theologiae moralis. Cit. *Institutiones Theologiae Moralis* (1893-1895).

De Luca (Marianus), S. J., Professor jur. can. in Universitate Gregoriana. Italus. Cit. *Praelectiones Juris Canonici* (1898).

Deshayes (F.), Professor juris canonici in Seminario Cenomanensi. Cit. *Memento Juris Ecclesiastici* (Ed. 2.ª, 1897).

Denzinger (Henricus), in Universitate Wirceburgensi Dogmatices Professor. Cit. *Enchiridion symbolorum et definitionum* (Ed. 11.ª, 1911).

Depeder (Joannes), Professor Theol. past. in Seminario Tridentino. Austriacus. Cit. *Enchiridion Theologiae Pastoralis* (Ed. 2.ª, 1903).

Descuret. Cit. *La Medicina de las pasiones...* traducida del francés por el Dr. D. Pedro Felipe Monlau (Ed. 2.ª, 1857).

Desmet (Aloysius), in sem. Brugensi Theologiae professor. Cit. *De Sponsalibus et Matrimonio* (Ed. 2.ª, 1910).

Desplats (H.), medicus gall. Cit. *De la dépopulation par l'infécondité voulue* (1908).

Deville. Cit. *Les opérations de Bourse devant la conscience* (1884).

Devoti (Joannes), Episcopus Ananien., italus. Cit. *Institutionum canonicarum libri quatuor*, cum notis pro Hispania a Dre. R. Fort (Matriti, 1853).

D'Halluin, medicus gallus. Cit. *La morte réelle* etc., apud *Revue de Lille* (1906-1907).

Dumas. — V. Gury-Dumas.

Duval (Mathias), medicus gallus. Cit. *Cours de Phisiologie* (Ed. 2.ª, 1873).

Elbel-Bierbaum. — V. Bierbaum.

Elías de Molins.—*El Concordato de* 1851, *anotado con las leyes, decretos y disposiciones que se han publicado en su aclaración* (Madrid, 1882); *Manual de Derecho Administrativo civil y penal de España y Ultramar* (Barcelona, 1894).

Eschbach (A.), gallus, Rector Seminarii gallici in Urbe. Cit. *Disputationes physiologico-theologicae tum medicis chirurgis tum theologis et canonistis utiles* (Ed. 2.ª, 1901); *Casus de ectopicis conceptibus* (1894); *Casus de feminea impotentia* (1899); *De novo quodam sterilitatis conceptu; De essentia impedimenti impotentiae*.

Eymieu (Antonius), S. J. Cit. *El gobierno de sí mismo* (1908).

Falcón, y Romero Girón. Cit. *Código civil español ilustrado con notas, referencias, concordancias, motivos y comentarios* (1888).

Feije (Henricus Joann.), in Universitate catholica Lovanii, Juris can. profes. Cit. *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus* (Ed. 3.ª, 1885).

Ferrari (Aloysius), Cleric. Reg. S. Pauli, italus. Cit. *De statu religioso* (1899).

Ferreres (Joannes B.), S. J., Juris Canonici et Theologiae Moralis in Collegio Maximo Dertusensi Professor. Hispanus. Cit. *Casus conscientiae propositi ac soluti a P. Gury, S. J., novis casibus aucti, etc., opera P. Ferreres* (Ed. 3.ª, 1914); *Institutiones canonicae* (1917-1918); *El impedimento de clandestinidad* (1903); *La muerte real y la muerte aparente con relación a los santos sacramentos* (Ed. 4.ª, 1911); *Misas manuales, comentario sobre el decreto* Ut debita (Ed. 3.ª, 1906); *La enseñanza del Catecismo... Comentario sobre la enciclica* Acerbo nimis (Ed. 2.ª, 1906); *La comunión frecuente y diaria y la primera comunión. Comentario sobre los de-*

cretos Sancta Tridentina Synodus y Quam singulari (Ed. 3.ª, 1911); *Las Religiosas según la disciplina vigente* (Ed. 4.ª, 1914); *Los esponsales y el matrimonio según la novísima disciplina. Comentario sobre el decr.* Ne temere (Ed. 6.ª, 1916); *La Curia Romana... Comentario canónico e histórico sobre la Const.* Sapienti consilio (Ed. 2.ª, 1911); *De Vasectomia duplici, necnon de matrimonio mulieris excisae* (Ed. 2.ª, 1913); *El Breviario y las nuevas Rúbricas. Comentario a las Const.* Divino afflatu *y* Abhinc duos annos (1914); *La nueva Bula de Cruzada y sus extraordinarios privilegios* (Ed. 3.ª, 1915); *Los oratorios y el altar portátil* (Ed. 2.ª, 1916); *necnon diversa alia ejus commentaria canonica et moralia in Ephem. Razón y Fe* (1901-1917). — V. *Mach-Ferreres.*

Fine (Eduardus), S. J. — Cit. *Juris regularis tum communis tum particularis quo regitur Societas Jesu declaratio* (1909).

Franco (Joannes Jos.), S. J., italus. Cit. *El hipnotismo puesto en moda. Versión castellana* (Ed. 2.ª, 1891).

Franzelin (J. B.), Card., S. J., tirolensis, n. 1816, m. 1886. Cit. *Tractatus de Sacramentis in genere* (Ed. 3.ª, 1878); *Tractatus de Eucharistiae sacramento et sacrificio* (Ed. 2.ª, 1878).

Frasinetti (Josephus), italus, n. 1803, m. 1868. Cit. *Compendio de la Teología Moral* (Ed. 3.ª, hisp. 1889).

Galindo. y Escosura. Cit. *Comentarios a la legislación hipotecaria* (Ed. 2.ª, 1890-1891).

Gasparri (Petrus), Cardinalis, italus. Cit. *Tractatus canonicus de Matrimonio* (Ed. 2.ª, 1900); *Tractatus canonicus de S. Ordinatione* (1893); *Tractatus canonicus de Sanctissima Eucharistia* (1897).

Génicot (Eduardus), S. J., m. 1900. Cit. *Theologiae Moralis Institutiones* (Ed. 6.ª 1909); recognovit P. Joseph. Salsmans, S. J.; *Casus conscientiae* (1901).

Geniesse (Joannes B.), belga. Cit. *Versiones gallica, itala et germanica op. Patris Ferreres, La muerte real, etc.*, ab ipso Geniesse factae doctissimisque additionibus locupletatae.

Gennari (Casimirus), Cardinalis, italus. Cit. *Sulla communione frequente* (Ed. 2.ª, 1900); *De la nuova disciplina sulla censura dei libri, ovvero la const.* Officiorum *brevemente comentata* (1903, Ed. 3.ª); *Consultazioni morali-canoniche-liturgiche* (Ed. 2.ª, 1902-1904); *Quistioni theologico-morali* (Ed. 2.ª, 1907), *Quistioni canoniche* (Ed. 2.ª, 1908); *Quistioni liturgiche* (Ed. 2.ª, 1908), et alia ejus scripta apud *Il Monitore.*

Giné (Josephus), S. J., hispanus, In Collegio Maximo Dertusensi olim Theologiae Scholasticae Professor, postea Rector Seminarii Bonaërensis. Cit. *De Justitia et jure* (Opus lithograph., 1891-1892); *De Sacramentis in genere* (opus lithograph., 1892-1893); *De Baptismo* (opus lithograph., 1893-1894).

Giobbio (Adolphus), in pontificio Seminario Romano Juris publici ecclesiastici professor. Italus. Cit. *Lezioni di diplomazia ecclesiastica* (1899-1904).

Giovine (Petrus), italus. Cit. *De dispensationibus matrimonialibus consultationes canonicae* (1863-1866).

Goggia, Medicus italus. Cit. Diversa ejus scripta apud. ephem. gallicam «Cosmos».

Gury-Dumas. Cit. *Compendium Theologiae moralis P. Joannis Petri Gury, S. J., a R. P. Henrico Dumas ejusdem Societatis recognitum; editio novissima, multis correctionibus aucta...* (Ed. 7.ª, 1899).

Gury-Ferreres. — V. Ferreres.

Haine (Antonius), Professor Theologiae Moralis in Universitate catholica Lovaniensi. Belga. Cit. *Theologiae Moralis elementa* (Ed. 4.ª, 1900; ed. 5.ª, 1906; opera et studio, *J. Bund*).

Hefele (Carolus Josephus), germanus. Cit. *Histoire des Conciles* (1869-1878. Versio gallica).

Hernáez (Franc. Xav.), S. J. Cit. *Colección de Bulas, etc., relativas a la Iglesia de América y Filipinas* (1879).

Icard (Henricus Josephus). Cit. *Praelectiones Juris canonici habitae in Seminario S. Sulpicii* (1862).

Icard (Severinus), medicus gallus. Cit. *La mort réelle et la mort apparente, nouveaux procédés de diagnostic et traitement de la mort apparente* (1897); *La constatation des décès dans les hôpitaux* (Paris, 1911); *Le signe de la mort réelle* (Paris, 1907).

Kern (Joseph.), S. J. Cit. *De Sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae, 1907).

Konings-Putzer. Cit. *Commentarium in facultates Apostolicas* (Ed. 5.ª, 1898).

Laborde (J. V.), medicus gallus. Cit. *Les tractions rytmées de la langue, moyen rationel et le plus puissant de ranimer la fonction respiratoire et la vie* (Ed. 2.ª, 1896).

Lapponi (Josephus), medicus italus. Cit. *Ipnotismo e spiritismo* (Roma, 1907); Votum in causa albiganen. (1895).

Larraga-Saralegui. Cit. *Teología Moral* (1911).

Laurentius (Joseph), S. J., germanus. Cit. *Institutiones juris canonici* (1903).

Laurin (Franciscus), Juris canonici in facultate Theologica S. R. Universitatis Vindobonensis professor. Cit. *Introductio in Corpus Juris Canonici* (1889).

Lega (Michaël). Card. Cit. *Praelectiones in textum Juris Canonici de Judiciis ecclesiasticis* (1896-1899).

Lehmkuhl (Augustinus), S. J., germanus. Cit. *Theologia Moralis* (Ed. 9.ª, 1898; ed. 11.ª, 1910); *Casus conscientiae* (1902, 1903); *Comp. Theol. Moralis* (Ed. 5.ª, 1907).

Littré (E.), medicus gallus. Cit. *Dictionnaire de médecine* (Ed. 6.ª. 1886).

Lombardi (Carolus) in scholis Pontificii Seminarii Romani textus canonici antecessor. Cit. *Juris Canonici privati institutiones* (Ed. 2.ª, 1901).

López Peláez (Antoninus), Archiepiscopus Tarraconensis, hisp. Cit. *El derecho español en sus relaciones con la Iglesia* (1902; ed. 2.ª, 1909).

Lucidi (Angelus), italus. Cit. *De visitatione SS. Liminum instructio S. C. Concilii, edita jussu s. m. Bened. XIV exposita et illustrata* (Ed. 3.ª, curante J. Schneider, S. J., edita Romae, 1883).

Llobera (Carolus), S. J., m. 1899, hispanus. Cit. *Annotationes in compendium Theologiae moralis P. Gury* (opus litograph., 1899).

Mach-Ferreres, S. J., hispani. Cit. *Tesoro del Sacerdote* (Ed. 14.ª, 1914).

Mannajoli (Dominicus), Episc. tit. Pomariensis, ital. Cit. *De obligationibus christianorum propriis* (Romae, 1911).

Manjón (Andreas), Canonicus, professor Jur. can. in Univers. Granatensi, hispanus. Cit. *Derecho eclesiástico general y español* (Ed. 2.ª, 1891).

Many (G.), in Inst. catholico Parisiensi, Juris canonici professor. Cit. *Praelectiones de Missa* (1903); *Praelectiones de locis sacris* (1904); *De sacra ordinatione* (1905).

Marc (Clemens), Congr. SS. Redempt., gallus, m. 1887. Cit. *Institutiones morales Alphonsianae* (Ed. 11.ª, 1902; ed. 14.ª, 1911).

Marres (T. H.), Professor in Seminario Auremundensi. Cit. *De justitia secundum doctrinam theologicam et principia juris recentioris* (Ed. 2.ª, 1889).

Martin (Conradus), Episcopus Paderbonensis. Cit. *Omnium Concilii Vaticani documentorum collectio* (1873).

Martínez (Emmanuel), sac. hisp. Cit. *Manual del Clero castrense* (1906).

Massana (Franciscus), medicus hispanus. Cit. *Cuestionario médico-teológico-filosófico* (1901); et *alia ejus scripta* in eph. *El criterio católico en las ciencias médicas.*

Matharan (M. M.), S. J., gallus. Cit. *Casus de Matrimonio fere quingenti* (1893).

Melata (Benedictus), italus. Cit. *Manuale Theologiae moralis* (1888).

Mir (Joannes), S. J., hispanus. Cit. *El Milagro* (1895).

Mocchegiani (Petrus), Ord. Min., italus. Cit. *Collectio Indulgentiarum, theologice, canonice ac historice digesta* (1897); *Jurisprudentia ecclesiastica ad usum et commoditatem utriusque cleri* (1904-1905).

Morán (Josephus), O. P., hispanus. Cit. *Teología moral según la doctrina de los Doctores de la Iglesia Sto. Tomás y S. Alfonso M. de Ligorio* (Edic. 2.ª, 1899).

Müller (Augustinus). Cit. *De Placito-Regio dissertatio historico-canonica* (1877).

Müller (Ernestus), Episcopus Liciensis. Cit. *Theologia Moralis* (Ed. 8.ª, 1899-1902).

Muncunill (Joannes), S. J., hispan. Cit. *De vera Religione* (1909).

Noldin (H.), S. J., S. Theologiae Professor in Universitate Oenipontana. Cit. *Summa Theologiae Moralis* (Ed. 7.ª, 1908).

Nussi (Vincentius), Canonicus italus. Cit. *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem*, etc. (1869).

Nussi-Brueck. Cit. *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem variis formis initae* (1870).

O'Callaghan (Raymundus), cathedralis Dertusensis Canonicus Doctoralis, hispanus. Cit. *Práctica Parroquial* (Ed. 7.ª, 1901); *Derecho canónico según el orden de las Decretales de Gregorio IX* (1899).

Ojetti (Benedictus), S. J., Romae in Univer. Gregoriana Juris can. Professor, italus. Cit. *Synopsis rerum moralium et Juris pontificii* (Ed. 2.ª, 1904-1905; ed. 3.ª, 1909-1912); *In jus antepianum et pianum ex decreto* Ne temere (1908).

Oswald (Augustinus), S. J. Cit. *Commentarius in decem partes Constitutionum Societatis Jesu* (Ed. 3.ª, 1902).

Pallottini (Salvator), italus. Cit. *Collectio omnium conclusionum et resolutionum... in causis... apud S. Congr. Conc.* (1867-1893).

Palmieri (Dominicus), S. J., theologus S. Poenitentiariae, Consultor S. C. Ep. et Reg. Cit. *Tractatus de matrimonio christiano* (1880); *Adnotationes in Compendium Theologiae moralis P. Gury.*

Pellicer y Guiu (Josephus), dioeceseos Caesaraugustanae Vicarius generalis et canonicus Ecclesiae cathedralis. Hispanus. Cit. *Tratado teórico-práctico de Derecho Civil, Procesal, Penal y Administrativo para uso del clero* (1898; ed. 2.ª, 1908).

Pennacchi (Josephus), Historiae ecclesiasticae in Coll. P. F. professor. Cit. *Commentaria in Const. Apostolicae Sedis* (1883-1888); *Comm. in Const. Officiorum ac munerum* (*Acta S. Sedis. vol.* 30).

Peries. Cit. *L'Index: commentaire de la const.* Officiorum (1898).

Pesch (Christianus), S. J., germanus. Cit. *Praelectiones Dogmaticae* (1897).

Pesch (Tilmannus), S. J., germanus. Cit. *Institut. Psychologicae* (1896-1898).

Pezzani (Henricus), in Seminario Vaticano Juris canonici Professor, italus. Cit. *Codex sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae* (1895-1902).

Piatus (Frater) Montensis, O. Min. Capucc. Cit. *Commentarius in Const. Apostolicae Sedis* (1881); *Praelect. juris regularis* (Ed. 3.ª, 1906).

Pighi (Joannes) in seminario veronensi Theol. Mor. professor. Cit. *Cursus Theologiae Moralis* (1910-1912).

Pons (Josephus), S. J., hispanus. Cit. *De antiquitatibus Juris canonici* (1807).

Pottier (A.), Canonicus eccl. Cath. Leodiensis. Cit. *De jure et justitia* (1900).

Ponchet (F. A.), medicus gallus. Cit. *Théorie positive de l'ovulation spontanée* (1874).

Prümmer (Dominicus), O. P. Cit. *Manuale Theol. moralis* (1915).

Ramière (Henricus), S. J., gallus. Cit. *Compendium Instituti Societatis Jesu* (Ed. 3.ª, 1896).

Reig (Henricus), Episcopus Barcinonensis, hispanus. Cit. *Cuestiones canónicas* (1904).

Reymond, O. P., gallus, Cit. *Le guide des nerveux et des scrupuleux* (1911).

Rosset (Michaël), Episcopus Maurianensis, in Gallia. Cit. *De sacramento matrimonii tractatus dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et judiciarius* (1896).

Ruiz de Velasco (Franciscus), Auditor Rotae Matrit., hispanus. Cit. *Memorias y Capellanías* (1905).

Sabetti (Aloysius), S. J. Cit. *Compendium Theol. Moralis* (Ed. 19.ª, (1906), recognita a P. Timotheo Barrett, S. J., in Coll. Woodstockiensi Theol. mor. professore.

Sala (Bernardus), hisp. Cit. *La Teología moral* (1890).

Salazar y La Fuente. Cit. *Disciplina Eclesiástica* (Ed. 5.ª, 1894); *Tratado teórico-práctico de Procedimientos eclesiásticos* (1868).

Sánchez Mata (Nicasius). Cit. *Examen crítico de un recurso de protección* (1895).
Sánchez Román. Cit. *Estudios de derecho civil* (1891).
Sanguineti (Sebastianus), S. J., italus, n. 1829, m. 1893. Cit. *Juris ecclesiastici Institutiones* (Ed. 3.ª, 1896).
Sani (Henricus), italus. Cit. *Teologia Morale Pastorale* (1902-1908).
Santi-Leitner. Cit. *Praelectiones Juris Canonici juxta Ordinem Decretalium Gregorii IX; editio tertia emendata et recentissimis decretis accommodata cura Martini Leitner* (1898).
Scavini (Petrus), Ecclesiae cathedralis Novariensis canonicus, m. 1881. Cit. *Theologia moralis universa ad mentem S. Alphonsi M. de Ligorio* (Ed. 3.ª, hisp., 1859).
Sebastianelli (Guillelmus), in pontificio seminario romano Juris canonici professor. Cit. *Praelectiones juris canonici* (Ed. 2.ª 1905-1906).
Serafini-Trías. Cit. *Instituciones de derecho romano* (Barcelona 1898?).
Solàns (Joachimus), hisp. Cit. *Prontuario litúrgico* (Ed. 5.ª, 1906); *Manual litúrg.* (Ed. 10.ª, 1907).
Steccanella (Valentinus), S. J., italus. Cit. *Del comunismo* (1882).
Surbled (Dr. Georgius), med. gallus. Cit. *La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène; La vie sexuelle* (1900); *Célibat et mariage* (1900); *La vie organique* (sixièm. ed.); *La vie psychosensible* (Ed. 6.ª); *L'honneur médical* (Ed. 2.ª).
Tanquerey. Cit. *Synopsis Theologiae Moralis et Pastoralis* (Ed. 2.ª, 1904).
Tanquerey-Quévastre. Cit. *Brevior synopsis*, etc. (1911).
Tepe (Bernardus), S. J. Cit. *Institutiones Theologiae* in usum scholarum (1894-1896).
Trombetta (Aloysius), S. C. Ep. et Reg. Sub-secretarius, italus. Cit. *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos* (1865).
Uguet, *El Abogado popular* (2.ª ed., 1892).
Urráburu (Joannes Josephus), S. J., hispanus. Cit. *Institutiones Philosophicae* (1890-1899).
Vaissière (La), gallus. Cit. *Psicología experimental*. Versio hispana Patris Palmés (1917).
Valenzuela (Marius), S. J., columbianus. Cit. *Compendio del Código civil* (de Colombia) *en armonía con la conciencia* (1898).
Varceno (Gabriel de), Ord. Min. Capucc. Cit. *Comp. Theologiae moralis* (Ed. 6.ª, 1873).
Van der Moeren (Pius), Ord. Min. Recollet., batavus. Cit. *Tractatus de justitia* (1887).
Van Gestel (Adrianus), S. J., Theologiae moralis in Colleg. Mosae traject. professor. Cit. *De justitia et lege civili* (Ed. 2.ª 1896).
Van der Velden (Pius), Ord. Min. Recollet., batavus. Cit. *Principia Theologiae moralis* (Ed. 2.ª a F. Piato Montensi emendata ac pluribus adnotationibus locupletata, 1875-1884).
Van de Burgt, germanus. Cit. *Tractatus de matrimonio* (1859).
Vermeersch (Arthurus), S. J., Lovanii in Collegio Maximo S. J.,

Professor Theologiae moralis et Juris canonici. Cit. *De prohibitione et censura librorum* (Ed. 4.ª, 1906); *Quaestiones de justitia* (1901); *De religiosis institutis et personis* (1907); *De forma Sponsalium ac Matrimonii post Decretum* Ne temere (Ed. 4.ª, 1908); *Le problème de la natalité.*

Vicent (Antonius), S. J., hispanus. Cit. *Socialismo y Anarquismo* (1895); *Cooperatismo católico* (1905).

Vigouroux (Dr. H.), med. gallus. Cit. *Traité complet de médecine pratique.* — Paris.

Villada (Paulus), S. J., Moderator eph. *Razón y Fe*, hispanus. Cit. *Casus conscientiae his praesertim temporibus accommodati* (1884-1887); *De confessariis nostris* (Ed. 2.ª, 1892).

Villalón (Zoilus), S. J., chilensis. Cit. *Tratado teológico legal de la Justicia* (1871).

Vitoria (Eduardus), S. J., in Collegio Max. prov. Arag. S. J. professor ac director laboratorii chimiae, hispanus. Cit. *El vino dulce para Misas* (1909).

Vives Card. (Josephus Calasanctius), Ord. Min. Capucc., hispanus. Cit. *Compendium Theologiae moralis* (Ed. 7.ª, 1902).

Waffelaert (Gustavus), Episcop. Brugensis. Cit. *De dubio solvendo in re morali* (1880); *Etude de Théologie morale sur l'obligation en conscience des lois civiles* (1884); *Tractatus de justitia* (1886).

Wernz (Franciscus Xav.), Praep. Gen. S. J., antea Romae in Universit. Gregoriana juris Decretal. professor. Germanus. Cit. *Jus Decretalium* (vol. 1.um 1913; vol. 2.um 1915; vol. 3.um 1908; vol. 4.um 1911; vol. 5.um 1914; vol. 6.um 1913). Item diversa ejus *vota* in S. C. Conc.

Willard. *Anotación del Código civil español, indicando los cambios ocasionados por la legislación americana en Filipinas* (Manila, 1904).

Zamboni (Joh. Fortunatus), italus. Cit. *Collectio declarationum* S. C. *Concilii* saeculo XVIII (1860-1868).

Zelle (Joseph.), S. J. Cit. *Ars artium o La confesión según los grandes maestros. Versio hispana* (Ed. 2.ª, 1900).

Zigliara (Thomas), O. P., Cardinalis, italus. Cit. *Summa philosophica* (1876).

Zitelli (Zephyrinus), italus. Cit. *De dispositionibus matrimonialibus* (1887); *Apparatus juris ecclesiastici* (Ed. 3.ª, 1903).

NOTANDA

I. Quoties numerus ex auctoribus indicabitur, is ad tractatum, de quo agitur, apud illos auctores referendus erit; sic, v. gr. si in tractatu de legibus reperias *S. Alph., n.* 40, *in tractatu de legibus*. Si quando autem locus citatus ad diversum tractatum spectet, id expresse indicabitur. Attamen si agitur de auctoribus, qui opus suum morale in duo volumina distributum habent cum speciali numeratione pro unoquoque volumine, ut sunt *Lehmk., Buccer., Génicot,* etc., indicatio numeri referenda est ad vol. I vel II, prout citatur in vol. I vel II. Item si auctor praeter Theologiam moralem alia opera habeat, et titulus operis non citetur, citatio refertur ad Theologiam moralem.

II. Auctores ad confirmandam doctrinam adductos, ad majorem tractationis perspicuitatem post expositas rationes generatim retulimus; non ideo igitur rationes, saltem omnes, iisdem auctoribus indiscriminatim adscribendae sunt; eorum enim testimonium ad doctrinae potius, quam ad rationum confirmationem adducitur.

III. Si jus forale nostrum aut proprium alicujus reipublicae Americae lat. cohaereat cum jure communi hispano, id generatim in ipso textu notatur: secus vero remittitur lector, si opus sit, ad appendicem respectivam ex iis quae ad finem voluminis continentur.

IV. Citationes juris hispani aut Amer. lat., si nihil praeter articulum addatur, v. gr., art. 137, pertinent ad codicem civilem.

V. Quoties post titulum capitis, articuli, vel paragraphi dicitur, v. gr. Cfr. CC. CC. **hisp.,** 1665 *seq.;* **aeq.,** 2040 *seq.,* etc., tunc remittitur lector ad codices civiles illarum nationum, qui *generatim* cohaerent cum doctrina in illo loco tradita. Aliquando etiam remittitur lector ad appendices ubi inveniat *specialia* aliarum regionum.

VI. Pluries etiam doctrinae traditae, intra parenthesim inseritur haec vel similis citatio (art. 1119). Tunc datur intelligi illam doctrinam explicite contineri etiam in Codice civili *hispano,* articulo ibi citato.

VII. Quae intra parenthesim quadratam [ ] reperias, ea omnia, vel fere, ad Americam latinam spectare scias velim.

VIII. Si aliquod novissimum decretum, vel quid simile, suis in locis opportune inseri non potuit, in app. IX ad finem vol. II, illud invenies.

IX. In Codice **arg.** numeri articulorum, qui ad priores Codicis editiones referuntur, ponuntur intra parenthesim.

X. **Paraquariensis** Resp. a die 1 jan. 1877 habet ut proprium, codicem argentinum, ideoque quae diximus ex jure **arg.** valent etiam pro Paraquaria. Cfr. leges latas 19 aug. 1876, 27 jul. 1889.

XI. Cit. **hisp.-ph.** significat articulos ibi citatos Codicis civilis hispani retinere suam vim in Ins. Philippinis.

XII. Citationes **Codicis Canonici** fiunt per verb. *can.,* addito numero ipsius canonis. Quae citationes doctrinam canonis semper referunt; pluries vero etiam verba ipsa.

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS PRAEVIUS
Introductio in studium Theologiae moralis

SECTIO I

Notiones theoreticae

CAPUT I

NOTIO ET DIVISIO THEOLOGIAE

1. — *Theologia* etymologice idem est ac sermo seu tractatus de Deo.

Dividitur in naturalem et supernaturalem.

2. — *Naturalis* agit de Deo prout naturali rationis lumine ex creaturis Deus cognosci potest; *supernaturalis* vero divina nititur revelatione.

Theologia *supernaturalis* definiri potest: *Rerum divinarum, ex iis quae revelata sunt, sacra doctrina.*

Doctrina est quaecumque cognitio probativa, sive probatio fiat probabiliter, sive scientifice. *Doctrina* dicitur in docente, in addiscente vero *disciplina.*

3. — *Scientia* est cognitio certa et evidens veritatis per demonstrationem deducta. *Demonstratio* vero est: «Ratiocinatio seu argumentatio in qua ex certis ac evidentibus praemissis, evidens conclusio deducitur.»

Utrum Theologia dicenda sit scientia necne, est quaestio potius de nomine quam de re: etenim si ad rationem scientiae requiras omnino quod principia sint evidentia, Theologia non erit scientia; si autem sufficere dicas quod ex principiis certissimis inferantur veritates et conclusiones per evidentem consequentiam, tum sine dubio Theologia scientia erit appellanda.

4. — Theologia supernaturalis potest esse speculativa aut practica. *Speculativa* dicitur quae in simplici veritatis contemplatione quiescit, *practica* vero quae ad actionem tendit.

5. — Haec ultima divitur in *speculativo-practicam*, sive *moralem*, quae generalia principia morum investigare curat; *practico-practicam* seu *casuisticam*, quae applicationem horum principiorum ad generales casus christianae vitae inquirit; *asceticam*, quae de communi hominum sanctitate tractat, exponens non modo leges sed etiam consilia ad christianam perfectionem assequendam; et *mysticam*, quae non de communi hominum sanctitate, sed de contemplatione et sublimiore unione cum Deo, ad quam non omnes vocati sunt.

6. — Unde Theologia mystica disserit de *viis supernaturalibus ac extraordinariis* quibus Deus animam perducit ad intimam et consummatam *unionem* cum se ipso. Cfr. *Müller*, *vol.* I; Introd., §. 7, *n.* 3.

Aliquando sensu latiori, complectente universam ascesim christianam, Theologia mystica dicitur institutio de *omnibus viis mediisque* christianae perfectionis usque ad *unionem consummatam* cum Deo assequendam *(Ibid.)*.

7.— Theologia *speculativa*, quae etiam *dogmatica* vocatur, dividitur in positivam et scholasticam.

8. — Theologia *positiva* fere tota reducitur ad exponenda et demonstranda dogmata ex Scripturis, Patribus aliisque traditionis monumentis. *Muncunill*, De vera Religione, *n.* 5.

Scholastica vero praeterea *scientificam* sacrorum dogmatum pro viribus humanae rationis *explicationem* reddit, consectariaque ex illis deducit et in ordinem scientificum redigit. Cfr. *Mendive*, Instit. Theol., *vol.* I, Introd., *n.* 14 (1).

---

(1) Discrimen inter utramque videtur exponere *S. Thomas*, Quodlib. 4, *a.* 18: «Disputatio ad duplicem finem potest ordinari. Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem, *an ita sit*; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur... Quaedam vero disputatio est *magistralis in scholis*, non ad removendum errorem, sed *ad instruendum auditores*, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit (magister); et tunc oportet rationibus inniti *investigantibus veritatis radicem* et facientibus scire, *quomodo sit* verum, quod dicitur. Alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet.»

Theologiae scholasticae parens haberi solet *S. Anselmus* († 1109) eo quod inter occidentales primus fuerit qui veritates revelatas lumine rationis illustrandas susceperit. *Petrus Lombardus* († 1164) opus concripsit cui titulus «Libri IV sententiarum» in quo integram fere Theologiam systematice in unum corpus redegit collectis praecipuis sententiis sive ex S. Scriptura sive ex Patribus. *Alexander Alensis* formam syllogisticam adhibuit ut solidius theologia suas veritates demonstraret, ac demum *Albertus Magnus* philosophiam Aristotelicam in subsidium theologiae impensius caepit adhibere. Super his quatuor veluti fundamentis Theologiae scholasticae aedificium erectum est.

CAPUT II

NOTIO ET DIVISIO THEOLOGIAE MORALIS

9. — Igitur *Theologia moralis* est ea pars Theologiae supernaturalis quae de actibus humanis disserit quatenus media sunt ad finem ultimum supernaturalem assequendum.

Definiri etiam potest: «Scientia, principiis revelatis innixa, quae agit de *legibus* et *mediis* quibus homo in suis actibus dirigi debet ad finem ultimum assequendum.»

10. — Dividi solet in generalem seu fundamentalem, et specialem.

Fundamentalis agit de *principiis* generalioribus **actuum humanorum** in supernaturalem finem tendentium, *legum* quibus actus moderantur, *conscientiae* qua subjective leges applicantur, *peccatorum* quibus a supernaturali fine homo deviatur, ac *virtutum in genere* quibus voluntas ad constanter agendum secundum legem inclinatur: nempe agit de principiis quae totam materiam moralem ita pervadunt ut, iis non cognitis, tuto procedi non possit.

Specialis vero ad particularia in specie descendit: unde agit tum de singulis virtutibus, tum de praeceptis Dei et Ecclesiae, tum etiam de sacramentis seu mediis quibus ad virtutes colendas juvamur, tum denique de censuris aliisque poenis quibus sontes, seu a fine deflectentes, compescuntur, atque ad rectum tramitem reducuntur.

11. — Ex dictis facile eruitur in quibus cohaereat et in quibus differat Theologia moralis ab ethica seu philosophia morali, a Theologia dogmatica, ab ascetica, a mystica, etc.

12. — Quoad jus canonicum in eo differt quod scientia juris canonici sollicita est de probanda existentia legum ecclesiasticarum, de earum amplitudine, interpretatione, etc., quatenus referuntur ad ordinem *externum* et *socialem*, unde per se jus canonicum respicit *forum externum*. Theologia vero moralis potius supponit legis existentiam ejusque amplitudinem, et sollicita est de liceitate aut illiceitate omnium actionum humanarum, an et quatenus leges sive naturales sive divinae positivae, sive humanae (ca-

nonicae aut civiles) obligationem in conscientia pariant, quousque transgressiones a peccato excusari possint in quibusdam casibus, etc. Unde per se respicit *forum internum.* Cfr. *Delama, n.* 2; *Bouquillon,* Introd., *n.* 5; *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* I, *n.* 57.

13. — **Supposita** scientiae moralis dicuntur *dogmata* a quibus ipsa pendet. **Praeambula** vero scientiae moralis sunt illae *notiones ordinis psichologici* quae inserviunt ad intelligentiam rerum moralium, uti sunt conceptus actus, actionis, potentiae et facultatis.

Inter supposita recensentur existentia Dei personalis, creatio, constitutio humanae naturae ex corpore et anima, animae immortalitas, actuum libertas, hominis elevatio, lapsus et redemptio.

Generatim Theologia moralis nec supposita nec praeambula demonstrat aut plene explicat, sed accipit ab aliis scientiis, et ad summum ea revocat in memoriam aut inculcat data opportunitate. Cfr. *Bouquillon,* Proëm., *n.* 1.

CAPUT III

DE FONTIBUS AC DE LITTERATURA THEOLOGIAE MORALIS

14. — *Fontes* Theologiae moralis dicuntur origines seu causae efficientes unde promanant principia Theologiae moralis *(fontes essendi)* vel etiam sedes seu opera ubi talia principia reperiuntur *(fontes cognoscendi).*

15. — In primo sensu fontes Theologiae moralis sunt jus naturale, jus divinum positivum, jus ecclesiasticum et jus civile.

16. — In alio sensu fontes Theologiae moralis sunt Sacrae Scripturae, in quibus jus naturale et divinum positivum magna ex parte continetur; traditio divina et divino-apostolica; SS. Patres, quatenus testes sunt divinae traditionis, item Liturgiae antiquae, Concilia sive oecumenica pro universa Ecclesia, sive generalia aut provincialia pro sua respectiva regione, sive etiam synodi dioecesanae pro sua dioecesi; Codex canonicus, Bullae et decreta Rom. Pontificum, decreta S. Congregationum, decreta aliorum praelatorum pro territorio sibi subjecto; leges Institutorum religiosorum pro suis subditis; Codices civiles intra legitimum suum ambitum pro sua natione. Quoad Sacram Scripturam notandum est praecepta judicialia et caeremonialia Veteris Testamenti esse abrogata a Christo, ideoque sola remanent praecepta moralia.

17. — *Litteratura* Theologiae moralis constituitur ex operibus in quibus principia Theologiae moralis explicantur, evolvuntur, vindicantur atque ad praxim applicantur, quae proinde inserviunt ad principia, conclusiones et universam doctrinam Theologiae moralis plenius cognoscendum.

Talia sunt opera SS. Patrum quatenus principia moralia exponunt, opera Theologorum praesertim S. *Thomae* et S. *Alphonsi,*

necnon opera philosophica in quibus philosophia moralis et jus naturale traditur.

Amplissimam hanc litteraturam indicamus tum in historia Theologiae moralis, tum in catalogis auctorum initio hujus voluminis expositis.

18. — Ad hanc cognitionem plenius assequendum juvant opera canonistarum, opera liturgica, opera expositorum juris civilis, Historia ecclesiastica, Archaeologia canonica, compilationes antiquae, opera medico-pastoralia, etc.

Plurima hujusmodi opera indicantur in catalogo auctorum in hoc compendio citatorum.

SECTIO II

Notationes breves circa historiam Theologiae moralis

(Bouquillon, Theol. mor. fund., Introduct.; *Müller, vol.* I, Introd., § 11; *Prümer, vol.* I, *n.* 10 *seq.*; *Marc,* Inst. mor., I, *n.* 6).

CAPUT I

NOTIONES ET DIVISIONES

19. — Notio. Sicut in historia moralis christianae agitur de revelatione *principiorum moralium* eorumque explanatione, de controversiis circa verum eorum sensum, de erroribus contrariis deque definitionibus circa ipsa, ita in historia Theologiae moralis agi debet de litteratura Theologiae moralis, i. e. de auctoribus qui de iis principiis scripsere, de methodo quam in docendo tenuerunt, etc.

20. — Divisio in aetates. In historia Theologiae moralis distingui solet duplex aetas: altera Patrum, ab ortu Ecclesiae usque ad S. Bernardum (vel usque ad Concilium Lateranense III); altera vero Theologorum, quae a S Bernardo ad nostra usque tempora se protendit.

21. — Characteres utriusque aetatis. In prima aetate Theologia moralis est potius positiva seu fere tota innixa auctoritati; polemica contra judaeos, paganos, haereticos; practica, particularis. In secunda vero aetate est magis speculativa, seu magnam partem tribuit rationi; methodica, didactica et systematica.

22. — Subdivisio primae aetatis. Prima aetas tres in epochas dividi potest: Prima usque ad Conc. Nicaenum I (325); altera usque ad S. Gregorium Magnum (590 † 604); tertia usque ad S. Bernardum († 1153), vel usque ad Concilium Lateranense III (1179).

CAPUT II

PRIMA AETAS

ARTICULUS I

EPOCHA PRIMA

23. — In *prima epocha* doctrina moralis tradita reperitur: 1.° in *epistolis* episcoporum, qui morem Apostolorum secuti, epistolis docere absentes caeperunt principia moralia per modum instructionis, institutionis et explicationis (Cfr. *Funck-Diekamp,* Patres Apostolici, Tubingae, 1913); 2.° *in homiliis* quibus presse instruebant (sicut mos erat judaeorum a Christo et ab Apostolis etiam usitatus) et quas plurimi scriptas ad aliorum instructionem reliquerunt; item 3.° in *commentariis* in Sacram Scripturam; 4.° in scriptis contra judaeos, contra haereticos; 5.° in *apologiis* contra paganos; necnon 6.° *in diversis tractatibus* de virtutibus, de obligationibus, etc. Inter hos recenseri merentur «Pastor» *Hermae,* «Testamentum duodecim patriarcharum», liber *Clementis Alexandrini* († 215?) qui inscribitur «Paedagogus», necnon «Libri Stromatum» ejusdem *Clementis,* et alii S. *Cypriani* († 258), v. gr. «De opere et eleemosynis», «De habitu virginum», etc. Sunt etiam opera liturgico-moralia ut «Doctrina duodecim Apostolorum» (1), quae legenda dabatur catechumenis; et «Constitutiones Apostolicae» (2). *Casuisticae resolutiones* inveniuntur in decretis Conciliorum; v. gr. Carthaginensis (251), Elvirensis (306), Ancyrani (314) et Arelatensis (314).

ARTICULUS II

EPOCHA SECUNDA

24. — In *secunda epocha* opera moralia crescunt numero, mole, eruditione et profunditate. Insistitur in operibus satisfactoriis de jejunio, eleemosyna et oratione; de origine ac limitatione potestatis civilis deque ejus juribus et obligationibus, necnon de officiis magistratuum (de quibus pauca in anteriori epocha); de acquisitione divitiarum, de usura. REGULAE ASCETICAE ac MYSTICAE a moralibus distinguntur, meliusque explicantur; et apparet SYSTEMA THEOLOGIAE MYSTICO-LITURGICO-MORALIS sub nomine *Dyonisii Areopagitae* sub finem saeculi v vel initio saeculi VI. Cfr. *Bardenhewer-Solá,* Patrología, *pag.* 553 *seq.*

25. — Ferme omnia doctrinae moralis capita evolvuntur in specialibus tractatibus vel in diversis sermonibus ac homiliis, praesertim ab egregiis Patribus et Doctoribus utriusque Ecclesiae, uti sunt *S. Basilius* († 379), uterque *Gregorius Nazian.* († 390) et *Nyssen.* († 394), *S. Joannes Chrysostomus* († 407), *Ambrosius* († 397), *S. Augustinus* († 430), *S. Hieronimus* († 420), *S. Leo Papa* († 461), *S. Greg. Magn.* († 604).

26. — Apparent etiam DOCTAE CATECHESES *S. Cyrilli Hierosolymitani* et *S. Joannis Chrysostomi,* necnon TRACTATUS aliquo modo GENERALES, ut Mora-

---

(1) Cfr. edit. *Funk,* Tubingae, 1887. Opus videtur compositum saeculo I exeunte.

(2) Cfr. edit *Funk,* Didascalia et Constitutiones Apostolum, Paderbonne, 1905. Opus videtur scriptum ineunte saeculo V.

lia *S. Basilii,* Catechesis magna *S. Gregorii Nysseni;* Enchiridion *S. Augustini.* Plures CASUISTICAE RESOLUTIONES reperiuntur quoque in canonibus conciliorum hujus epochae (1), in Epistolis decretalibus (2) Romanorum Pontificum, et in diversis Patrum scriptis. Sic, v. gr. *S. Augustinus* casuistice omnino procedit in duobus suis operibus «De mendacio» et «Contra mendacium». *(Migne,* P. L., *vol.* 40, *col.* 487, 517).

27. — Ita ut sub finem saeculi VII praecipua saltem doctrinae moralis capita jam sint plene explicata.

ARTICULUS III

EPOCHA TERTIA

28. — **Tertia epocha.** Saeculo VIII et deinceps *a)* sunt plures compilatores, exscribentes doctrinam Patrum et Doctorum antiquorum; *b)* doctrina moralis cum dogmatica traditur frequentius IN SCHOLIS erectis in monasteriis et cathedralibus modo didactico; *c)* ADHIBETUR IN THEOLOGIAE SUBSIDIUM PHILOSOPHIA, et *d)* scribuntur tractatus generaliores in quibus cernere est specimina satis perfecta integri systematis theologici dogmatico-moralis (3), alii in quibus tractatur materia moralis separatim a dogmatica (4), plura opera canonico-moralia (5) et quam maximae resolutiones casuisticae in canonibus poenitentialibus et libris poenitentialibus (6), atque ita praeparatur epocha theologiae scholasticae.

29. — Hujus temporis magna nomina sunt S. Isidorus, S. Joannes Damascenus, S. Beda Venerabilis, S. Petrus Damianus, S. Bernardus, S. Anselmus, Rupertus Tuitiensis, Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, etc.

30. — *Epilogus primae aetatis.* Igitur aedificium Theologiae moralis cujus fundamenta jacta videntur a *Clemente Alexandrino* in «Paedagogo» et «Libris Stromatum» et a primis canonum collectoribus, jam ferme erectum apparet in utraque Summa *Hugonis* et in Decreto *Ivonis Carnotensis.* Multa tamen sunt adhuc complenda, perficienda, addenda.

---

(1) Concilia vide apud *Mansi;* Praecipuos Canones disciplinares, in collectione Hispana Cfr. *Migne, vol.* 84, *col.* 14 *seq.*

(2) Epistolae decretales dicuntur quae continent decreta disciplinaria. Plures vide in collectione Dionysiaca (*Migne, vol.* 67, *col.* 231 *seq.*

(3) Opera hujusmodi generatim inscribuntur «Libri sententiarum aut Summae», v. gr. *S. Isidori,* «Sententiarum libri tres» *(Migne, vol.* 83, *col.* 537 *seq.*); *Tajo Caesaraugustani,* «Sententiarum libri quinque»; *Petri Lombardi,* «Sententiarum libri quatuor»; *Hugonis* a S. Victore († 1141), «Summa Sententiarum», item «Summa de Sacramentis christianae fidei» *(Migne, vol.* 176).

(4) V. gr. *Alcuini,* «De virtutibus et vitiis»; *Hincmari Rhemensis,* De cavendis vitiis et virtutibus exercendis, etc.

(5) Confer Collectiones decretorum et libri poenitentiales, *S. Isidori* (*Migne,* 84, 14 *seq.*), *Reginonis (Migne,* 132), *Burchardi* Wormatiensis *(Migne,* 140, 491 *seq.*), *Ivornis* Carnotensis (Decretum et Panormia: *Migne,* 161) *Gratiani* «Decretum» celeberrimum.

(6) De canonibus poenitentialibus ac de libris poenitentialibus videatur *Zacharia,* Dissertatio prolegomena etc. quae praemittitur pluribus editionibus S. Alphonsi; *Wasserschlehen,* Die Bussordnungen der abendländischen Kirche (Halle, 1851); *Schmitz,* Die Bussbücher und Buss-disciplin der Kirche (*vol.* I, Mainz, 1883; *vol.* II, Düsseldorf, 1898).

CAPUT III

SECUNDA AETAS

31. — Secunda aetas duas in epochas dividi solet, quarum prima se protendit a Concilio Lateranensi III (1179) usque ad Lateranense V (1513), altera vero a Lateranense V usque ad nostra tempora.

ARTICULUS I

SECUNDAE AETATIS PRIMA EPOCHA

32. — In prima epocha maxime laudatur *prima periodus,* ut vere aurea, quae se extendit usque ad saeculum XIV adolescens, et cujus culmen habetur inter 1230 et 1280; altera vero inferior, quae complectitur majorem partem saeculi XIV et saeculum XV integrum.

33. — Tractatio est amplior quam saeculis praecedentibus, magis scientifica, magis didactica, magis informatur principiis sanae philosophiae. Ad hunc fructum obtinendum non parum contulit erectio et ampliatio Universitatum et Academiarum necnon institutio novorum Ordinum Religiosorum, praesertim S. Dominici et S. Francisci.

34. — Theologia moralis in tota prima epocha traditur simul cum dogmatica in «Commentariis super Libros sententiarum» (1) in «Quaestionibus» sive quodlibetalibus sive disputatis, in «Summis» et in «Compendiis».

35. — Explicare in scholis Libros sententiarum erat via ad assequendum gradum Magistri sive Licentiati, quo obtento poterant jam tractare materias quas vellent et respondere quodlibet: hinc ortae sunt «Quaestiones *quodlibetales*» i. e. de *quibuslibet* argumentis sive quae data occasione occurrebant sive quae ab aliis proponebantur; et «Quaestiones *disputatae*» quas auctor in scholis data opera accuratius explanabat. Quaestiones *quodlibetales* S. Thomae maxima ex parte morales sunt, et ex *disputatis,* illae inscriptae De malo, De virtutibus in communi, De charitate, De correctione fraterna, De spe, De virtutibus cardinalibus.

Quare commentaria in Libros sententiarum solent esse prima scripta cujusque magistri ac magis imperfecta. «Summae» e contra solent esse opera maturiora, perfectiora, profundiora, magis scientifica. Summae non erant textus a professore praelegendi in scholis sed libri discipulorum (2). Hinc

---

(1) Alberti Magni († 1280), S. Bonaventurae († 1274), S. Thomae Aquinatis († 1274), Scoti († 1308), etc., etc.

(2) Quare *S. Thomas* in prologo posito initio ipsius Summae scribit: «Quia catholicae veritatis Doctor, non solum provectos debet instruere, sed ad eum etiam pertinet *incipientes erudire* propositum nostrae intentionis in hoc opere est, ea quae ad Christianam religionem pertinent eo modo tradere, secundum quod congruit *ad eruditionem incipientium.*

Consideravimus namque *hujus doctrinae novitios,* in iis quae a diversis scripta sunt, *plurimum impediri;* partim quidem, propter multiplicationem inutilium quaestionum, articulorum et argumentorum; partim etiam, quia ea quae sunt necessaria talibus ad sciendum, *non traduntur secundum ordinem disciplinae,* sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se praebebat occasio disputandi; partim quidem, quia eorumdem frequens repetitio et fastidium et confusionem generabat in animis auditorum.

per duo saecula nullus editus est commentarius in Summam Sancti Thomae, cum e contra frequentissimi sint in Libros sententiarum.

Praecipuae Summae sunt: Alexandri Alensis († 1245), Alberti Magni, ac maxime illa Doctoris Angelici quae tres in partes dividitur: Prima de Deo ipso et de his quae processerunt ex divina potestate; secunda de homine deque actibus ipsius tendentibus in Deum (1) sive in genere (1.ª 2.ae) sive (2) in specie (2.ª 2.ae); tertia vero de mediatore Christo et de mediis ab ipso institutis seu de sacramentis (3).

Mortuus est S. Thomas († 1274) cum exponebat sacramentum poenitentiae, unde ejus Summa imperfecta remansit; hinc saeculo xv additum est Supplementum desumptum ex ejus commentariis super Libros sententiarum ab *Henrico Gorconio*.

Etiam Summa Alensis ac Summa Alberti Magni imperfectae remanserunt.

In Summa Angelici secunda pars est quae magis pertinet ad Theologiam moralem, et «vere aurea est neque satis commendari potest tum confessariis tum praedicatoribus» *(Prümer,* I, 11, *pag.* 12).

36. — Traditur etiam hac periodo Theologia moralis simul cum jure canonico. Est enim tempus magni progressus in jure canonico. Jus canonicum sub finem aetatis praecedentis separavit a dogmatica *Gratianus* per suum Decretum: initio vero hujus secundae aetatis in prima ejus epocha et in prima periodo promulgantur «Decretales Gregorii IX» (1234), «Sextus Decretalium» (1298) ac «Clementinae» (1314), nempe omnes compilationes authenticae quae usque ad nostra tempora, seu usque ad Codicem Pii X et Benedicti XV, vim retinuerunt.

37. — In hac epocha plures sunt qui scripserunt tractatus speciales de virtutibus et vitiis *(S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus,* etc.), de praeceptis decalogi *(S. Thomas, Joannes Baconus,* etc.), de justitia *(S. Thomas, S. Joannes Capistranus, S. Antoninus, Conradus Sumenhart)* et de aliis materiis moralibus.

38. — Fere universam materiam moralem, forma magis expositiva quam scholastica tractarunt *Gulielmus Alvernus,* Episcopus Parisiensis, ac *Joannes Gerson,* Cancellarius Parisiensis.

39. — Etiam de Theologia morali *stricte practica* scriptae sunt in hac epocha plures Summae de casibus conscientiae in quibus pars moralis simul cum parte canonica; et hoc vel forma methodica vel forma alphabetica. Eminent «Summa de casibus poenitentialibus» *Sancti Raymundi* de

---

Haec igitur et alia hujusmodi evitare studentes, tentabimus cum confidentia divini auxilii, ea quae ad sacram doctrinam pertinent, *breviter ac dilucide prosequi,* secundum quod materia patietur».

(1) «Postquam praedictum est de exemplari, scilicet *de Deo, et de his quae processerunt ex divina potestate* secundum ejus voluntatem, restat ut consideremus de ejus imagine, id est *de homine*, secundum quod et *ipse est suorum operum principium*, quasi liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem» (Prologus in 2.am partem).

(2) «Post communem considerationem de virtutibus et vitiis, et aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare *singula in speciali.* Sermones enim morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt... Unde in consideratione alicujus virtutis cardinalis, considerabuntur etiam omnes virtutes ad eam qualitercumque pertinentes, et vitia opposita. Et sic nihil moralium erit praetermissum» (Prologus in 2.am 2.ae).

(3) «Circa quam 1.° considerandum occurrit *de ipso Salvatore;* 2.° *de Sacramentis* ejus, quibus salutem consequimur; 3.° de fine immortalis vitae, ad quam per ipsum resurgendo pervenimus». (Prologus in 3.am partem).

Peñafort scripta anno 1227 ideoque antequam se accingeret (1229-1234) ad compilandas Decretales Gregorii IX (1) et «Summa theologica» *S. Antonini*. Loco antiquorum librorum poenitentialium succedunt confessionalia, summae confessionales, tractatus de modo confitendi, etc. Cfr. *S. Thomae* opusculum «De modo confitendi et puritate conscientiae»; *S. Joannis Capistrani* «Instructio seu directio simplicium sacerdotum»; *S. Antonini* «Summa confessionalis», etc.

ARTICULUS II

SECUNDAE AETATIS EPOCHA SECUNDA

40. — Secunda Theologorum epocha etiam in duas periodos partiri solet; prima vere aurea ab anno 1517 ad 1660, cujus culmen habetur intra annos 1570-1630.

§ I

Prima periodus hujus epochae.

41. — Opera praestant soliditate, amplitudine, principiis sanae critices, forma et methodo plane scientificis, profundiori informatione philosophica. Progressus maxime debetur *a)* reformationi Ecclesiae jam antea inchoatae et a Conc. Tridentino feliciter absolutae, *b)* institutioni Societatis Jesu «ex cujus sinu agmina doctorum, divino beneficio mox prodire debebant» *(Bouquillon, n.* 117), *c)* inventioni artis typographicae, *d)* pugnae cum protestantibus.

42. — Magister dominatur fere ubique *S. Thomas; Lombardus* e contra fere removetur; suos quoque discipulos habent *S. Bonaventura* et *Scotus*.

Multiplicantur commentaria in Summam Angelici sive stricte dicta, sive tractatus in quibus materiae saltem evolvuntur secundum ordinem Summae.

In his omnibus, sicut etiam in explicationibus Scoti, Theologia moralis simul cum dogmatica traditur.

Eminent inter commentatores stricte dictos Summae S. Tomae *Cajetanus* († 1534), qui «primus tempore primus etiam merito remansit», Cardin. *Toletus* († 1596), *Sylvius,* etc.

43. — Opera universalia vere egregia, quae etiam pendent a Summa, etsi stricte commentaria non sint, scripserunt *Suárez* († 1617) (2), *Vázquez*

---

(1) Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, n. 826 nota, necnon «Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum», *vol.* IV: *Ragmundiana, fasc.* 2, *pag.* 8-12.

(2) Ad moralem pertinent quae scripsit Doctor Eximius in 1-2: *De ultimo fine*, 1 vol., *De legibus*, 1 vol., *et* (ex parte) *De gratia*, 3 vol.; in 2-2: *De triplice virtute theologica*, 1 vol.; *De virtute et statu religionis*, 4 vol.; in 3 p.: *De sacramentis et censuris*, 3 vol. Plura ad moralem spectantia continet etiam *Fidei defensio*, et collectio *opusculorum*. Justitiae materiam non attigit, nec sacramenta ordinis et matrimonii. Ex his *classici*, judicio omnium, sunt tractatus *de legibus*, de religione, de sacramentis; tractatus autem *de fine ultimo* et *de triplici virtute theologica*, minus forte elaborati, nonnisi post mortem auctoris prodierunt; nihilominus et ipsi egregii sunt. Suarezii Moralis est positiva, speculativa, polemica et casuistica, omnibus scilicet partibus absoluta: in ea miramur ubique conjunctas eruditionem, vim et subtilitatem, diligentiam, sobrietatem et prudentiam, pietatem. Forte produci poterunt qui, sub uno vel alio speciali respectu, Doctorem Eximium vincant, v. g. profunditate Didacus Ruiz, facilitate arcana divina explicandi Lessius, subtilitate Joannes de Lugo, eruditione Petavius; at nullus est qui omnes simul perfecti theologi dotes plenius cumulaverit, nullus qui plures Theologiae partes felicius explicaverit, nullus cujus assiduum studium tanti valeat ad sensum theologicum

(† 1604), *Valentia* († 1603) (1), *Arriaga* († 1667), *Joannes a S. Thoma* († 1644) *Salmanticenses* (Cursus theologicus: † 1631-1679), etc. Etiam ad varias Summae partes morales referuntur opera *Molinae* († 1600) (2), *Lessii* († 1623) (3), *Cardinalis de Lugo* († 1660) (4), *Dominici Soto* († 1560), *Bánnez* († 1604), *Medina* († 1580), *Ledesma,* etc.

44. — Theologia *moralis separatim a dogmatica* exponitur speculative simul et practice, integre vel per partes in magnis operibus quae succedunt antiquioribus summis methodicis. Praestantiora opera scripserunt *Azor* (5), *Thomas Sánchez* (6), *Laymann* († 1635) (7), *Castropalaus, Sayrus, Bonacina, Trullench, Rocafull,* etc.

45. — Applicatio etiam principiorum moralium traditur in operibus *practicis* pro confessariis, qualia sunt *Navarri* «Enquiridion *confessariorum*»; *Sa* «Aphorismi *confessariorum*»; *Polanci,* Card. *Toleti,* utriusque *Marchant, Busembaum* († 1668), cujus opus «Medulla Theologiae moralis» est «vere classicum a cl. Lacroix et S. Alphonso uberrimis commentariis illustratum» *(Ibid., n.* 123, *nota),* ab anno 1645 ad annum 1770 repetita plusquam ducenties editione divulgatum *(Müller,* I, Introd., § 13, *n.* 3).

§ II

Secunda periodus hujus epochae.

46. — Secunda periodus secundae epochae aetatis Theologorum multo minus felix fuit quam praecedens.

Causae minoris progressus imo et regressus fuerunt: *a)* errores jansenisti valde difusi, *b)* erronea systemata philosophica a Cartesio usque ad Kant, *c)* recessus ab scholis Angelici Doctoris, cujus doctrina sensim oblivioni datur, *d)* exortae impugnationes probabilismi cum divisione theologorum in probabilistas et antiprobabilistas, ita ut Theologia moralis fiat contentiosa, plena disputationibus acerrimis, accusationibus, improperiis.

---

apud discipulos evolvendum et perficiendum. Nostro judicio minime excedunt qui Suarezium omnium recentioris aevi theologorum principem agnoscunt» (*Bouquillon,* l. c., *n.* 119, *nota*).

(1) «Eminent doctrinae soliditate, rerum claritate, eruditione; sunt autem simul positivi, scholastici, polemici» (*Ibid.*).

(2) «In scientia morali laudem sibi promeruit immortalem opere de justitia et jure» (*Ibid.*).

(3) «Excellunt Lessii opera idearum nobilitate, expositionis nitore, comparationum luminibus; non solum intellectum illuminant, sed et affectum pascunt, et cor accendunt» (*Ibid.*).

(4) «Fere omnia ejus ad moralem pertinent, nempe *De virtute fidei divinae, De jure et just., De Euch., De poen.* Lugonem proclamat S. Alphonsus, theologorum post S. Thomam facile principem. Certo profunditate, ingenii acumine, perspicaci opinionum crisi, subtilissima rerum analysi nulli secundus» (*Ibid.*).

(5) «Eminet prudentia, ingenio, eruditione» (*Ibid.*, 121, *nota*).

(6) «Est Sánchez, praesertim ratione operis de matrimonio, auctor *classicus;* admiramur in eo subtile acumen, peracre judicium, raram perspicuitatem, singularem et exquisitam in rebus indagandis solertiam, in tradendis facillimam methodum, in evolvendis citandisque theologis et jurisperitis exactissimum et poene indefessum studium. Nullus unquam scriptor exstitit qui matrimonii quaestiones uberius et accuratius explicaverit» (*Ibid.*). A Clemente VIII maximi habitus est (*Marc.,* l. c.).

(7) «Est etiam Laymann auctor vere *classicus,* eruditione, rationum momentis doctrinaeque perspicuitate praeclarissimus» (*Bouquillon,* l. c.). «Tamquam oraculum e remotissimis locis consultus» (*Marc.,* l. c.).

47. — Theologia *moralis simul cum dogmatica: a) speculative* traditur in commentariis sive super Libros sententiarum (rarissimi), sive in Summam S. Thomae (in dies fiunt rariores; frequentius vero in Cursibus sive Institutionibus, uti fecerunt *Gonet, Billuart,* Card. *Gotti, Esparza, Platel, Wirceburgenses, Gener, Frassens, Herinx,* etc.; *b) positive et polemice* contra Luteranos, Jansenistas, Quietistas, etc., tradunt *Bossuet, Dechamps, Pelletier, Lamy,* etc.

Plures quaestiones morales summa eruditione tractarunt *Thomassinus, Benedictus* XIV, *Zaccaria* et plures alii.

Theologiam *moralem separatam a dogmatica* scripserunt *Gobat, Lacroix, Reuter, Bonacina* († 1631), *Roncaglia, Salmanticenses* (Cursus theol. mor.: 1665-1724), *Sporer, Reiffenstuel, Elbel, Amort, Martínez de Prado,* etc. Inter omnes hujus periodi eminentiorem locum occupat *S. Alphonsus M.ª de Ligorio* qui providentissimo Dei consilio moralem Theologiam scribere aggressus est anno 1748 et commentandum assumpsit opus Busembaum «Medulla theologiae moralis»: «Eminet S. Doctor sapienti opinionum delectu et eximio sensu christiano, potius quam profunda eruditione, aut ordinata rerum expositione; uno verbo dicere liceat, parte prudentiali (quae ipsi quasi unice cordi erat), plerisque praestat, parte vero stricte scientifica (quam immensis laboribus distentus, minus curare potuit), multis cedit.» *Bouquillon, n.* 130, *nota.*

Novem editiones vivens publici juris fecit annis 1748, 1753-1755, 1757, 1760, 1763 (prima post episcopatum), 1767, 1772, 1779, 1785. Obiit nonagenarius † 1787.

48. — Igitur si universam hanc aetatem inspiciamus videbimus omnes fere partes Theologiae moralis in dies perfectiores evasisse ut videri potest si conferantur inter se tractatus de legibus, de justitia et jure, de religione, de poenitentia, de matrimonio prout reperiuntur sub finem saeculi XII et saeculo XIII cum aliis qui prodierunt saeculis XVI et XVII.

49. — Si tempora nobis proximiora inspiciamus nempe ab anno 1850 et deinceps, videbimus sanam philosophiam duce Angelico Doctore, pristinum locum in dies recuperare. Tractatus theologicos morales (et etiam dogmaticos) formam manualium ut plurimum affectare, et omnes fere SS. Thomam et Alphonsum magistros habere, et probabilismum moderatum sectari. Praeclariora opera completa ediderunt *Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, Gury, Scavini, D'Annibale, Génicot, Noldin, Bucceroni, Priimer, Alsina, Moran, Berardi, Aertnys, Marc, Tanquerey.*

50. — Tractatus speciales canonico-morales aut morales scripserunt *Gennari, Gasparri, Many, Ojetti, Vermeersch, Waffelaert, López Peláez, Mach, Bouquillon,* etc.

Opera canonica, ex quibus multum poterit juvari moralista, *Wernz, Santi-Leitner, Craisson, Salazar-Lafuente, Manjón,* etc.

TRACTATUS

De actibus humanis

Quum theologia moralis tota versetur circa actus humanos dirigendos, exordium tractationis nostrae, prouti rerum ordo et communis consuetudo postulat, ab ipsis *humanis actibus* ducemus. Agendum igitur hic nobis est 1.° de notione, 2.° de principiis, 3.° de moralitate actuum humanorum.

CAPUT I

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM

51. — Definitio. Actus *in genere* pro nostro scopo est determinatio qua potentia *activa* exercetur, seu exercitium facultatis agendi. — Ipsa potentia dici solet *actus primus*, et ejus determinatio *actus secundus.*

Ut clarius haec intelligantur, sciendum est quod potentia est aptitudo ad aliquid.

Dividitur in *activam,* quae est facultas aliquid efficiendi; *objectivam,* quae est mera non repugnantia ad existendum, et *passivam,* quae est capacitas suscipiendi complementum aliquod.

Actus vero quandoque idem significat ac perfectio. Pro nostro scopo, actus sumitur in alia acceptione et significat *determinationem qua potentia quaelibet exercetur juxta munus suum.* Unde respectu potentiae *activae,* actus idem est ac effectus aut productio illius; respectu potentiae *objectivae,* actus est existentia; respectu potentiae *passivae,* idem est ac forma seu perfectio recepta, vel informatio aut receptio.

Nos hic loquimur de actu in ordine ad potentiam activam.

52. — Theologia moralis tractat de actibus qui ab homine fiunt in hac vita. Hi vero dividuntur in *actus humanos* et *actus hominis.*

Actus humani dicuntur qui procedunt ab homine deliberate agente, i. e. cum advertentia ad bonitatem vel malitiam, et cum libera determinatione voluntatis. Hi enim soli sunt homini imputabiles ad meritum vel demeritum, ideoque soli sunt actus morales (1). *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 1, *a.* 1; *Suárez, disp.* 2, *sect.* 2.

(1) Alii tamen dicunt posse hominem deliberate agere, quin advertat neque in confuso ad ordinem moralem; unde dicunt non omnes actus humanos esse mo-

Actus enim *moralis* est actus liber qui procedit ex cognitione honesti aut turpis.

Actus vero *hominis* dicuntur qui ab homine quidem procedunt sed absque ulla deliberatione agente, ut sunt actus plene indeliberati, actus hominis distracti, somniantis, amentis, ebrii, usu rationis carentis.

53. — QUAER. *Quomodo dividuntur actus humani?*

Resp. Multipliciter, actus enim potest esse:

1.° *Elicitus*, vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur qui consummatur in ipsa voluntate, ut actus amoris, odii, desiderii. *Imperatus* vero, qui, imperante voluntate, perficitur ab alia potentia vel interna, ut actus cogitandi, vel externa, ut actus ambulandi, scribendi. Ita communiter accipitur *actus imperatus;* sed actus a voluntate *elicitus* potest etiam esse *imperatus* ab alio voluntatis actu.

2.° *Internus*, vel *externus*. Actus *internus* ille est, qui tantum internis animae potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi. Actus vero *externus*, seu *mixtus*, ille est, quem voluntas per corporis organa perficit. Actus internus specialius *actus* dicitur, et actus externus potius *actio* nuncupatur. Alii vocant actus *mixtos*, qui simul a potentiis internis et externis exercentur, ut attenta oratio vocalis.

3.° *Bonus*, *malus*, *indifferens*. Actus *bonus* dicitur ille, qui conformis est rectae rationi; *malus*, qui non est illi consentaneus; *indifferens*, qui rationis normae neque conformis est, neque repugnat. — Actus bonus aut indifferens dicitur etiam *licitus*, quia nulli legi opponitur; actus vero malus, *illicitus*, quia a lege aliqua prohibetur sive divina, sive humana.

4.° *Naturalis*, vel *supernaturalis*. *Prior* ille est, qui solis naturae viribus producitur; *posterior* vero, qui auxilio divinae gratiae perficitur.

5.° *Validus*, vel *invalidus*. Actus *validus* ille est, qui gaudet omnibus requisitis ad effectum proprium producendum essentialibus. *Invalidus* autem ille est, qui vel uno quopiam ex essentialibus caret. Sic est validus contractus, in quo requisita sive lege naturali, sive lege positiva ad ejus valorem reperiuntur. Secus, invalidus est habendus.

Non est idem actus *validus* ac actus *licitus*, et *invalidus* ac *illicitus;* sed actus validus potest esse illicitus, v. gr. matrimonia eorum qui simplici voto castitatis ligantur; et invalidus esse licitus, ut v. gr. testamentum holographum illius qui moritur antequam subscriptionem apponere possit.

---

rales, quamvis dicant omnes actus morales esse humanos. Est quaestio affinis illi utrum dentur, necne, actus indifferentes in individuo. Cfr. *Noldin, n.* 632, *V.*

CAPUT II

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM

54. — Tria requiruntur ad actum HUMANUM, scilicet, ut procedat *a)* a voluntate, *b)* cognitione intellectuali illustrata, et *c)* libere agente. Tria igitur sunt principia actuum humanorum: cognitio, voluntarietas et libertas. *(S. Alph., lib.* IV, tr. praev., *n.* V) (1). *Cognitio* praerequiritur ad actum voluntatis, quia *nihil volitum quin praecognitum; libertas* vero praesupponit *voluntatem* potentem se determinare.

ARTICULUS I

DE VOLUNTARIO

§ I. *De voluntario in genere.*

55. — *Voluntarium* juxta *S. Thomam*, 2, 2, *q.* 6, *a.* 1, dicitur illud «quod est a principio intrinseco cum cognitione finis». Seu in re morali est actus procedens a voluntate *cum praecognitione finis.* Finis est bonum voluntati propositum ut appetibile per cognitionem *intellectivam* talem ex qua ratio reddi possit cur appetatur.

Differt *a spontaneo* et *a volito.* Etenim id quod procedit a voluntate sed cum cognitione mere *sensitiva* et *materiali* dici solet *spontaneum,* et brutis etiam tribuitur.

Objectum autem in quod tendit actus voluntatis dicitur *volitum,* quod non semper pendet a voluntate. Sic pluvia *volita* esse potest, non vero est homini *voluntaria,* cum ab ejus voluntate non procedat.

56. — DIVISIO. Multiplex est voluntarium, scilicet:

1.° *Perfectum,* vel *imperfectum.* Voluntarium dicitur *perfectum* si procedat ex *plena* cognitione intellectus et *pleno* consensu voluntatis; secus dicitur *imperfectum,* quando scilicet non adest plena deliberatio. Voluntario perfecto videtur posse aptari definitio voluntarii ab Aristotele data, scilicet quod est a principio intrinseco cognoscente singula circa quae versatur actus. *S. Alph., lib.* V, tr. praev., *n.* VIII (2). Cfr. *Muncunill,* De actibus humanis, Opus lithogr.

---

(1) Alii praeterea addunt objectum agens tamquam causam finalem, quia ab objecto specificatur actus. Cfr. *Noldin,* De Pr., *n.* 45.

(2) Sanctus *Thomas,* 1, 2, *q.* 6, *a.* 2, utrumque vocat perfectum; et imperfectum vocat illud quod antea vocavimus spontaneum.

2.° Voluntarium *simpliciter*, vel *secundum quid*. *Prius* juxta aliquos est, quod fit ex plena voluntatis deliberatione et inclinatione, absque ulla mixtione involuntarii. *Posterius* vero, quod fit cum voluntatis consensu, sed cum *aliqua repugnantia*, seu quapiam inclinatione voluntatis in oppositum (*S. Th.*, 2, 2, *q.* 142, *a.* 3). Communius tamen doctores hanc partitionem adhibent cum iis dumtaxat actibus, in quibus aliquid est *voluntarii* simul et *involuntarii* (v. gr. in projectione mercium in mare, suborta tempestate): tunc enim voluntas simul in duo tendit (vult *servare* merces, et *projicere* merces ad salvandam vitam), quae tamen haberi simul non possunt; quare circa unum assurgit *efficaciter* et illud amplectitur (projicit merces), et respectu hujus dicitur actus voluntarius simpliciter; erga alterum vero *inefficaciter*, per quamdam velleitatem, illud relinquit (servare merces), et respectu hujus dicitur voluntarius *secundum quid*. Et in hoc sensu adhibetur haec vox in resolves 5.°, *n.* 57; et in *n.* 71. Cfr. *S. Th.*, 1, 2, *q.* 6, *a.* 6; *Suárez*, *disp.* III, *sect.* 1, *n.* 2.

In hoc ergo sensu voluntarium simpliciter dicitur quod est absolute et efficaciter volitum, quamvis habeat admixtam imperfectam velleitatem aliquo modo contrariam. *Suárez*, *ibid.*

Fere in idem recidit divisio actus in efficacem et inefficacem.

Actus voluntatis *efficax* est «qui affective connectitur cum objecti existentia, ita ut ex modo tendendi sit incomposibilis cum impedimento voluntati libero existentiae objecti (loco existentiae pone carentiam vel destructionem objecti, si de odio loquaris); *inefficax* qui simplici modo in objectum tendit, et tali connexione caret; hic dicitur simplex complacentia, vel displicentia. Affectus efficacitas *non* est desumenda *ex intensione*, sed ex indole prorsus essentiali, potest enim inefficax intensior esse quam efficax.» *Loss.*, 9, *pag.* 300, *n.* 111, edit. Barcinon.

3.° *Directum*, vel *indirectum*. *Prius*, quod etiam *voluntarium in se* appellatur, est illud quod in se ipso immediate et directe a voluntate intenditur, ut furtum a fure patratum, vel occisio a malevolo homicida intenta. *Posterius*, quod etiam *voluntarium in causa* dicitur, est illud quod voluntas non intendit, vult tamen *causam* ex qua talem effectum praevidet secuturum, v. gr. ebrietas in potatione excessiva, vel homicidium ex temeraria lapidis projectione.

4.° *Positivum*, vel *negativum*. *Prius* dicitur quod est a voluntate re ipsa agente, seu quod actionem positivam requirit, puta lectionem. *Posterius* illud est, quod procedit ex *omissione actus* a voluntate dependentis. Talis est omissio missae in eo, qui ad instantem ejus celebrationem advertens, nihilominus studio domi vacare pergit. — Plures sunt qui *positivum* vocant *directum*, *negativum* vero *indirectum*. Alii etiam dicunt *negativum* cum voluntas nullum elicit actum, sed manet suspensa.

5.° Voluntarium *expressum*, vel *tacitum*. *Expressum*, si consensus verbis aut signis exterius manifestetur, v. gr. si postulanti aliquid verbis aut nutu capitis illud concedas vel neges; *tacitum*, si consensus exterius verbis aut signis non manifestetur, colligatur tamen ex aliquo facto aut omissione, ut si pater videat filium aliquid contra legem agentem nec tamen prohibeat aut reprehendat, cum possit et debeat, consentire videtur. Hinc antiqua regula 43 juris: *Qui tacet, consentire videtur*, quod tamen fac intelligas de tacente in favorabilibus, aut si de odiosis, cum *possit ac debeat* loqui; non in aliis.

6.° *Actuale*, *virtuale*, *habituale*, *interpretativum* aut *praesumptum*. *Actuale* est ipsa volitio dum actu existit; *virtuale* volitio dum actu desiit esse, pergit tamen influere per aliquem effectum ipsius. Sic dum quis actu vult recitare Officium divinum et ex ea intentione sumit Breviarium et incipit recitationem, habet voluntarium actuale; si postea aliis cogitationibus distrahitur et pergit recitando, haec recitationis prosequutio habetur per effectum volitionis quae fuit actualis, et quae nunc jam non est, sed pergit influere per suum effectum.

Habituale, quod fuit actuale, et jam non est neque pergit influere per aliquem suum effectum, nec tamen retractatum est, v. gr. sacerdos heri vespere statuit celebrare hodie pro Titio, sed hodie distractus offert sacrificium quin recogitet pro quo illud oferat. Applicatio valet pro Titio ex voluntate habituali offerentis.

Interpretativum, quod nunquam *fuit* actuale, *esset* tamen si quis de ea re cogitaret, aut cogitare posset. Sic christianus pius accidenti aliquo repentino sensibus destitutus ac morti proximus censetur petere absolutionem et Extremam Unctionem, seu eas petiturus si cogitaret aut cogitare posset de suo statu.

Praesumptum, quod existimatur adesse *actu* in alio, saltem implicite. Unde *tacitum* actu adest in volente; *interpretativum* non adest, sed alii putant quod *adesset* sub aliqua hypothesi; *praesumptum* putant alii quod adest actu in alio, quamvis forte ita non sit. Unde hi duo voluntarii potius sunt in interpretante aut praesumente quam in subjecto de quo fit interpretatio aut praesumptio.

57. Resolves:—1.° In eodem actu haberi potest voluntarium directum seu *in se*, voluntarium indirectum seu *in causa* et involuntarium. Exemplum: *Titius* quaerens *Cajum* inimicum ad mortem, eum aggreditur, cum periculo laedendi etiam ejus socium, quem cernit associatum; sed glande, praeter utrumque, ferit quoque *Sempronium*, quem neque videbat, neque inibi adesse suspicari poterat. *Cajus* percutitur ex voluntario directo Titii, *socius* ex voluntario in causa, et *Sempronius* praeter omne voluntarium.

2.° Ubi nulla est advertentia ad praeceptum nullum relate ad illud est voluntarium, et proinde nulla praecepti voluntaria transgressio, atque adeo nullum peccatum. *S. Alph.*, *n.* 8.

3.° Ubi semiplena est mentis advertentia, actum habes dumtaxat semivoluntarium, qui in gravis quoque praecepti violatione non excedit peccatum veniale; sic evenit in semisopitis, aut ad alia distractis. Idem de imperfecto voluntatis consensu teneto. *S. Alph., ibid.*

4.° Aliquis actus potest esse voluntarius sub uno respectu, non vero sub alio, prout aliter cognoscitur: sic qui occidit aliquem, ignorans illum esse sacerdotem, homicidium committit, non vero sacrilegium. *S. Alph., ibid.*

5.° Qui violat grave praeceptum, inductus timore humano aut minis sociorum, ponit actum *simpliciter voluntarium*, et quidem graviter peccaminosum in materia gravi (modo timor usum rationis non valde turbet, nec talis sit ut a servando praecepto excuset), quia agit cum plena voluntatis determinatione, etsi aegre agat, et libentius hoc non egisset: attamen ejusmodi actus est etiam involuntarius *secundum quid*, et proinde minus culpabilis evadit. *S. Alph., n.* 21.

6.° Non solum voluntarium actuale, sed etiam mere virtuale in actus moralitatem aut validitatem satis ita influit, ut sit bonus vel malus, validus aut invalidus; secus vero dicendum de habituali et interpretativo, ut ex eorum definitione manifestum fit.

7.° Omissio potest esse voluntaria, sicut actus positivus voluntatis; non tamen, secluso praecepto, potest esse ad culpam imputabilis. Sic omittens missam die feriali non peccat. *S. Alph., n.* 11. Et nota quod omissio, si vere libera sit, non videtur posse intelligi sine aliquo voluntatis actu. Cfr. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 71, *art.* 5. — V. **Casus** (1), *n.* 1, *seq.*

§ II. *De voluntario in specie.*

Cum in ceteris voluntarii speciebus nulla specialis difficultas occurrat, solum dicemus

§ III. *De voluntario indirecto, seu in causa.*

58. Praenotanda. — Voluntarium indirectum seu in causa, ut diximus, illud est quod non intenditur *in se*, sed praevidetur secuturum ex alio directe volito, velut effectus ex causa. Nihilominus est verum voluntatis objectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex ea sequentem, si effectum hunc praevideat. Hinc effatum: *Qui est causa causae, est causa causati.* Sic quando quis peccat coram aliis, scandalum ex ejus peccato proveniens ratione voluntarii indirecti ipsi imputatur.

---

(1) Dum citantur **Casus**, remittitur lector ad editionem **Gury-Ferreres**, Barcinone, 1914; quamvis haec editio expresse non memoretur.

Causa autem multiplex distinguitur, scilicet:

1.° *Physica*, vel *moralis*. *Prior* est, quae physice agendo effectum producit, ut ignis incendium, sol lucem. *Posterior*, quae aliam causam liberam ad agendum efficaciter movet. Sic homicidium jubens causa moralis est occisionis.

2.° *Immediata*, vel *mediata*. *Prior* ea est, quae effectum producit, nulla alia intercedente causa, v. gr. si quis transfodiat pectus alterius, erit causa immediata ejus mortis. *Posterior*, quae effectum non producit, nisi alia causa interposita. Hinc causa moralis est causa mediata.

3.° *Proxima*, vel *remota*. Dicitur *proxima*, quae habet connexionem necessariam vel ordinariam cum effectu. *Remota* vero, quae licet effectum producere valeat, vim tamen magnam non habet, et in illum non influit notabiliter; vel ea est, ex qua effectus ut plurimum non provenit.

4.° *Causa per se*, vel *per accidens*. *Prior* est, quae ex natura sua tendit et ordinatur ad effectum producendum. Sic potus excessivus est causa *per se* ebrietatis. *Posterior* vero, quae etiamsi ex natura sua non sit ordinata ad quempiam effectum, attamen aliquando, intercedente aliqua circumstantia, illum producere valet. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest. — Plerumque haec ultima divisio in praecedentem recidit.

59. Principia. — I. *Principium*. Triplex conditio requiritur, ut effectus agenti, seu ponenti causam, imputari queat *ad culpam*, scilicet:

1.° Ut agens effectum, *saltem in confuso*, praeviderit. — Ratio est, quia effectus nullo modo praevisus, nullatenus potest esse voluntarius: *nihil enim volitum, quin fuerit praecognitum*. Hinc ebrietas voluntaria non est, nec ei imputanda, qui inebriatur ex modico vino, cujus vim ignorabat. Non ergo, ut quidam contenderunt, sufficit ad culpam, ut malus effectus *potuerit*, aut *debuerit praevideri;* nam negandum est suppositum, scilicet, posse praevideri effectum, si de facto non praevideatur *saltem in confuso:* prima enim idea alicujus rei non est in hominis potestate.

2.° Ut agens potuerit causam non ponere, vel positam auferre. — Secus enim, deficiente libertate, necessario deficit imputabilitas. Obligatio enim dari nequit, quando haec impleri non potest. Hinc axioma: *Nemo ad impossibile tenetur*. Hinc etiam *S. Aug.*, De lib. arb., *lib.* III, *cap.* 18: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

3.° Ut agens, ne talis effectus sequatur, teneatur causam non ponere, aut positam tollere. — Si enim non detur obligatio vitandi causam, effectus ex illa sequens imputari nequit, quia agens utitur jure suo; et nisi ideo teneatur abstinere a causa ne effectus ille sequatur, agens se habet tantum *permissive* quoad effectum.

(Cfr. *S. Alph., lib.* V, tr. prae., *n.* X). Hinc: 1.° motus inordinati non imputantur medico vel chirurgo in exercitio artis suae, quasi voluntarii, si ipsos directe nolit, quia isti artem suam ad hunc effectum praecavendum omittere non tenentur, sed e contrario justam habent rationem eam exercendi, ut ex principio sequenti magis declarabitur. *(S. Thom.*, 1, 2, *q.* 20, *art.* 5). — 2.° Nec imputatur (saltem ad grave peccatum) pollutio involuntaria, quam quis passus est eo quod manducaverit carnes die vetito: quia carnes tali die non prohibentur ne sequatur pollutio, et talis manducatio ad hunc effectum non nisi admodum leviter concurrit. *Ball.-P., vol.* I, *n.* 29.

60. — II. *Principium.* Licet ponere causam bonam aut indifferentem, ex qua *immediate* sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit causa proportionate gravis, et finis agentis sit honestus, pravum scilicet effectum non intendat. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 64, *art.* 7.

Ratio hujus principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret, vel ex intentione finis, vel ex positione causae, vel ex praevisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest.

Etenim 1.° hoc illicitum non est ratione *finis*, quippe qui supponitur honestus; **2.°** neque ratione *appositionis causae*, siquidem supponitur bona, vel saltem indifferens; 3.° neque ex *praevisione pravi effectus*, nam in hypothesi hic non intenditur, sed mere permittitur; eum autem permittendi adest causa proportionate gravis ac justa.

Quatuor autem conditiones, quae in hoc principio enuntiantur, omnino requiruntur, scilicet: 1.°, ut honestus sit finis agentis; 2.°, ut causa sit bona, vel saltem indifferens; 3.°, ut effectus bonus sit immediatus, et 4.°, ut adsit ratio gravis ponendi causam, nec teneatur agens ex justitia, aut ex officio, aut ex charitate eam omittere.

Itaque 1.° requiritur finis bonus, id est, agens *non debet malum effectum intendere*, quia secus malus effectus esset in se voluntarius. Idcirco neque de pravo effectu sibi complacere ullo modo debet.

2.° Requiritur causa bona, vel saltem indifferens, scilicet ut actus nulli legi opponatur. Ratio evidens est. Etenim, si causa in se mala foret, per se reatum induceret.

3.° Requiritur ut bonus effectus saltem *aeque immediate* ex causa sequatur. Ratio est, quia si causa directe et immediate pravum habet effectum, et non nisi mediante pravo illo effectu bonus effectus provenit, tunc bonum ex malo quaeritur: porro nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcumque procurandum: nam juxta pervulgatum axioma ex Apostolo depromptum, *Rom.*, III, 8: *Nunquam sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam.

4.° Requiritur ut adsit ratio proportionate gravis ponendi causam; quia aequitas naturalis nos obligat ad vitanda mala, et praecavenda proximi damna, quando id sine damno proportionate gravi possumus. Sed ratio habenda est non solum damni vel incommodi tunc agentis, sed etiam communis omnium, si generatim id prohiberetur, quia «sane gravissimum foret, si has ob causas sive ad evitanda hujusmodi pericula, quisque deberet ab agendo abstinere. Sufficit scilicet ut evitatio hujus communis incommodi, quae est quoddam bonum, exaequet malum quod permittitur.» *Ball.-Palmieri, vol.* I, *n.* 30.

Porro in hisce casibus eo major ratio requiritur ad agendum, quo *propinquius* causa malum effectum attingit, quo *probabilior* est malus effectus, et quo *minus juris* ad actionem in se spectatam habetur.

61.—III. *Principium.* Effectus malus, qui sequitur *per accidens* ex causa voluntaria, non est ad culpam imputabilis, nisi fuerit *intentus* **aut** adsit circumstantia accidentalis unde praevideatur effectus *necessario secuturus:* v. gr. vendere arma *per se* et seclusa prava intentione, nullum est malum; licet malum sit ea vendere alicui furioso. Ratio prioris partis est, quia effectus malus, si forte sequatur, non est proprie voluntarius, neque *in se*, quia non est intentus, neque *in causa* quia non continetur in causa per necessariam connexionem, nec ad hujusmodi effectum causa ordinatur, ideoque non censetur quis velle effectum quamvis causam velit. Ergo causam ponenti effectus non est imputabilis, sed respectu ipsius est pure permissus. *(Reuter, n.* 15). — Ratio alterius partis est, quia damnum, ex armis furioso traditis facile secuturum, non modo praevidere potes, sed etiam illud avertere tum ex charitate tum ex justitia teneris.

62. Resolves: — **1.°** Casus fortuitus qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate excusat *(can.* 2203, § 2).

«Delictum in ebrietate voluntaria commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita sit; violata autem lege in ebrietate involuntaria, imputabilitas exsulat omnino, si ebrietas usum rationis adimat ex toto; minuitur, si ex parte tantum. Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationis» *(can.* 2201, § 3).

2.° Voluntariae sunt blasphemiae, impudicitiae, rixae aut injustitiae, quae in ebrietate fiunt, quando praevisae sunt; sufficienter autem praevidentur ex consuetudine talia in hoc statu peragendi, et proinde sunt in causa voluntariae, et ad peccatum imputabiles.

3.° Non peccat belli dux, qui tempore obsidionis ad arcendum

hostem incendat agros, etc..., etsi per accidens patiantur incolae innocentes. Item si incendat turrim, in qua simul cum hostibus forte peregrini bello extranei includuntur; quia causa damni hujus est in se honesta; damnum autem innocentium *per accidens* sequitur, nec intenditur, sed tantum permittitur.

4.° Non peccat sacerdos, qui porrigit communionem peccatori occulto publice petenti; quia porrigere Eucharistiam *per se* est actus bonus et in casu duplex sequitur effectus, unus bonus: non avertere homines a receptione sacramentorum; et alius malus: sacrilegium; et est ratio sufficiens hunc effectum permittendi, nam quamvis sacrilegium sit malum ingens, tamen damnum publicum ex tali Eucharistiae denegatione secuturum magis vitandum est.

5.° Non peccat qui pecunia egens, nec aliunde habere valens, mutuum petit ab usurario lucrum injustum exacturo; quia petitio pecuniae per se non est causa malae voluntatis exigendi injustas usuras, sed soli usurario animus suus pravus est imputandus.

6.° Peccat graviter puella, quae ex delicto gravida abortum procurat ad vitandam infamiam; ratio, quia non adest sufficiens causa ejusmodi damnum proli inferendi; nec bonus effectus, nempe vitatio infamiae, sequitur immediate, sed mediante effectu pravo, nempe abortu. Princ. II, *n.* 3.°

7.° Advocatus non tenetur omittere justam defensionem, ex qua secutura est mors injusti invasoris. Ratio est, quia damnatio, quam subire debet malefactor, non sequitur ex justa invasi defensione, sed ex invadentis malitia, quae ipsi voluntaria ac libera fuit.

8.° Si causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non praeponderet, aut non aequivaleat malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio riquiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter carnales motus inde exsurgentes. Ita *Billuart*, *diss.* 1, *art.* 1.

9.° Si vero causa remote et leviter influens sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, obligatio aderit eam auferendi, sed levis, et sub veniali tantum, nisi agatur de gravi proximi damno; ratio, quia ista obligatio aestimanda est juxta quantitatem influxus causae. Cum enim effectus non sit voluntarius, nisi in causa, et leviter ac remote contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et idcirco levis est obligatio auferendi causam ob illum effectum. *Billuart*, *ibid.* Cfr. infra, *n.* 236.

10.° Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, ne indirecte quidem est voluntaria; quia illi actus advertentiam agentis penitus effugiunt. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis *in causa*, si oblivio seu inadvertentia ex praecedenti negligentia proveniat.

11.° Qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio re ipsa non sequatur; et proinde eam ut volitam confiteri tenetur. — V. **Casus**, *tom.* I, *n.* 7 *et seq.*

Ex iisdem principiis circa voluntarium indirectum et in causa innumerae aliae pendent resolutiones, praesertim ubi de scandalo, et de cooperatione tum ad peccatum alterius tum in damnum proximi.

ARTICULUS II

DE LIBERO

63. — Definitio. Liberum dicitur, quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potentia non agendi. Libertas vero est facultas agendi vel non agendi, seu facultas unum eligendi prae alio. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non vice versa.

Licet liberum et voluntarium in se distinguantur, ut patet ex definitione utriusque, in actibus tamen, quibus homo viator ad finem suum tendit, reapse non distinguuntur; quoties enim actus aliquis est voluntarius, est etiam liber, et vice versa. Ratio est, quia homo viator, sui compos, in his quae sunt ad finem, nunquam necessario agit. Ut enim recte docet S. Thomas, *si proponitur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habet, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest voluntas hoc non velle: unde nullus non potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem, quae ad ultimum finem ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat; nec aliquod adeo bonum quod in omnibus sufficiat; et inde est, quod in omnibus, quae sub electione cadunt, voluntas libera manet* (2, *dist.* 25, *q.* 1, *art.* 2, 6). Cfr. tamen *Suárez*, De gratia, *proleg.* 1, *cap.* IV, *n.* 22.

Divisio. Multiplex distinguitur libertatis species:

1.° Libertas a *necessitate*, seu libertas indifferentiae, vel electionis, quae est immunitas ab omni necessitate intrinseca antecedente, et haec est proprie et stricte dicta libertas.

2.° Libertas a *coactione*, seu libertas *spontaneitatis*, quae est immunitas ab omni violentia extrinsecus illata.

3.° Libertas *contradictionis*, quae est facultas se ferendi ad contradictoria, v. gr. studendi, aut non studendi.

4.° Libertas *contrarietatis*, per quam eligere aliquis unum quid potest, aut hujus contrarium, v. gr. diligere, vel odio habere.

5.° Libertas *specificationis*, quae est facultas se ferendi ad diversa, v. g. ambulare, ludere, etc. Cfr. *S. Alph., lib.* V, tract. praevius, *n.* XXX.

64. — Libertas proprie dicit exemptionem a necessitate et vi, unde fit ut qui liber est, habeat in sua potestate sese determinare

ad unum vel aliud, seu habeat *facultatem eligendi.* Si adsit aliquod principium *intrinsece* determinans voluntatem ad unum, cessat *libertas* a necessitate, et habetur proprie dicta *necessitas;* si principium determinans ad unum sit extrinsecum et contrarium inclinationi subjecti, cessat *libertas a coactione;* utraque haec libertas dicitur *physica.* Si vis extrinseca ligans voluntatem ad unum non est *physica,* sed *moralis,* uti est lex; voluntas dicitur carere morali libertate, seu obligari ad aliquid faciendum vel omittendum, quamvis physice libera sit ad utrumlibet. (*Mazzella,* de Relig., *disp.* I, *art.* IV, *n.* 58, *edit.* 2.ª, *pag.* 31).

His praemissis, catholicae doctrinae praecipua fundamenta paucis subjicienda sunt.

PROPOSITIO I

65. — *Homo in statu naturae lapsae liber est ab omni necessitate intrinseca.* Haec assertio est *de fide* contra Lutheranos, Calvinistas et Jansenistas, qui dicebant hominem habuisse liberum arbitrium ante peccatum Adae, sed per Adae peccatum illud amisisse.

Constat 1.° *ex Scriptura sacra.* Sic enim *Eccli.,* XXXI, 10: *Erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit.* Et *Eccli.,* XV, 14-18: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eadem doctrina ex sexcentis aliis sacrae Scripturae locis confirmatur.

2.° *Ex ratione.* Homo ex omnium consensu potest mereri et demereri, seu elicere actus meritorios et demeritorios: atqui ad hoc requiritur libertas a necessitate. *Prob. min.* Etenim nisi homo esset liber ad actum ponendum aut non ponendum, non esset dominus actus sui; ergo actus ille non posset ipsi imputari neque ad meritum neque ad poenam. — Insuper ad quid praecepta homini imponerentur? Ad quid prodessent adhortationes? Ad quid praemia, minae, et poenae, nisi homo libertate potiretur? — Demum id constat ex sensu intimo, cum homo se sentiat liberum, et aliunde sensus intimus fallere nequeat. Ergo...

3.° *Ex definitione Ecclesiae.* Sic enim sancitum fuit in *Conc. Trid., sess.* 6, *can.* 5: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo... anathema sit.* Sed adversarii admittebant liberum arbitrium ante Adae peccatum. Ergo et nunc homo liberum arbitrium retinet.

Confirmatur ex damnatione *prop. seq.* Jansenii ab Innoc. X fa-

cta: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate sed sufficit libertas a coactione.* Vide etiam prop. 1 ex damnatis ab Alex. VIII (7 dec. 1690).

PROPOSITIO II

Homo viator non tantum est liber libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, qua ad malum ferri potest.

Constat ex omnibus rationibus et testimoniis mox relatis, v. gr. ex illis verbis: *Potuit transgredi... facere mala*, etc.

Ceterum tota essentia liberi arbitrii reperitur in libertate *contradictionis;* in eo enim consistit, quod sit facultas agendi, vel non agendi (1); atqui hoc praestat libertas *contradictionis*, ut patet; ergo... Hinc potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii. Cfr. *S. Th.*, 1, *q.* 62, *art.* 8, ad 3; *S. Alph.*, l. c., *n.* XXXIII. — *Vide plura de libertate in Theologia dogmatica.*

ARTICULUS III

DE IIS QUAE OPPONUNTUR VOLUNTARIO ET LIBERO

Quatuor opponuntur, scilicet ignorantia, concupiscentia, metus, et vis seu violentia.

§ I. *De ignorantia.*

66. — Definitio. Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiae.

Divisio. Distinguitur ignorantia:

1.° *Positiva*, vel *negativa*, prout est carentia scientiae debitae, vel indebitae, v. gr. ignorantia juris canonici in hujus facultatis professore, vel in rustico.

2.° *Juris*, vel *facti*, prout versatur circa legis, vel facti particularis exsistentiam.

3.° *Vincibilis*, vel *invincibilis*, prout, adhibita diligentia, vinci potest vel non. – Est autem invincibilis *physice*, si nullo modo

---

(1) Ita ex *Aristotele*, *lib.* 3, Ethic. *c.* 5: «Quas enim res agere in nobis situm est, eas etiam non agere possumus; et quas non agere in nobis situm est, earumdem quoque agendarum potestas nostra est.» Haec autem verba sic exponuntur a *S. Thom.* in hoc loco *lect.* 11: «Si operari est in potestate nostra, oportet etiam quod non operari sit in potestate nostra. Si enim non operari non est in potestate nostra, impossibile esset nos non operari: ergo necesse esset nos operari: et sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate. Et similiter», etc.

vinci possit; *moraliter* vero, si adhibita morali diligentia tolli nequeat. Moralis autem censetur ea diligentia, quam viri prudentes, pro rei gravitate, adhibere solent. Porro non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem *in confuso*, obligatio ulterius inquirendi; quia prima idea non est in hominis potestate.

Hic mentio quoque facienda est ignorantiae *concomitantis*, qua quis ignorat quid agat, sed adhuc ageret, licet non ignoraret. Ipsa in actum nullatenus influit. *Scavini.*

Ignorantia vincibilis triplex distinguitur, scilicet: 1.° *simpliciter talis*, quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens, adhibetur; 2.° *crassa* seu *supina*, quando nullum aut vix ullum in veritate indaganda studium apponitur; 3.° *affectata*, quando quis media ignorantiam deponendi voluntarie refugit, ne a suo proposito retrahatur.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio *perfecta*, et inadvertentia *plena*. Hae autem, *si non* sint *perfectae*, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

4.° Ignorantia *antecedens* ea est, quae praecedit omnem voluntariam inquisitionis negligentiam; *consequens* vero, quae eam aliquo modo subsequitur. Cfr. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 6, *art.* 8.

67. **Principia. — I.** Ignorantia invincibilis penitus tollit voluntarium respectu rei aut circumstantiae ignoratae. Ratio est, quia ipsa non est voluntaria, et ita tollit rei cognitionem ut non pendeat a voluntate eam cognitionem habere. Atqui sine cognitione non datur voluntarium circa rem ignoratam, quia nihil esse potest voluntarium ubi nulla est cognitio. Ergo nullus actus ex ignorantia invincibili procedens est voluntarius, ideoque imputari agenti non potest.

Sic pariter de **oblivione** et **inadvertentia** *perfecta* statuendum est, cum ratio eadem recurrat.

II. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium.—Talis enim ignorantia, sive directe sive indirecte, est vere voluntaria. Ergo quod vi ipsius fit est voluntarium in causa, quia qui vult causam quam potest et debet auferre vult etiam illius effectum.

Attamen voluntarium *minuit*, quia est causa illud volendi, quod ea absente quis nunquam vellet.

Idem quoque, ob paritatem rationis, de **oblivione** et **inadvertentia** *imperfecta* dicito.

Confirmatur utrumque principium ex Codice canonico: «Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis; secus imputabilitas minuitur, et major vel minor est pro ignorantiae ipsius culpabilitate» (*can.* 2202, § 1). «Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de *inadvertentia* seu *inconsiderantia* et *errore*» *(Ibid.*, § 3).

III. Ignorantia crassa et ignorantia affectata multo minus mi-

nuunt voluntarium, ac proinde peccatum. — Ratio est, quia prior ex gravi oritur negligentia, posterior vero de industria ad liberius peccandum retinetur.

Resolves: — 1.° Maritus peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suae, reus est adulterii, non tamen incestus, utpote invincibiliter ignorati.

2.° Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiae vel suspicione malitiae, re ipsa formaliter non peccarunt, etsi usum rationis adepti jam fuerint; et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse illicita intelligunt, cum peccata materialia non sint materia confessionis.

3.° Si confessarius vel judex advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, et negligat scientiam acquirere, aut, antequam illam acquirat, pergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus, quos aliquo saltem modo praevidit, quia ipsi, saltem in causa, sunt voluntarii.

4.° Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantum venialiter culpabilis, factum ex ea sequens ad culpam tantum venialem erit imputabile. Ratio, quia ejusmodi actus sunt voluntarii atque adeo culpabiles tantum in causa; cum ergo causa, ignorantia scilicet, ad gravem culpam non pertingat, effectus quoque levem culpam excedere non potest.

De ignorantia plura alia vide alibi passim, imprimis in tractatu de conscientia, de legibus, de peccatis et contractibus in genere, ubi de errore. — V. **Casus**, *vol.* I, *n.* 12, *et seq.*

§ II. *De concupiscentia.*

68. — Definitio. Concupiscentia est motus sensitivi appetitus bonum sensibile prosequentis. *Suárez*, De act. hum., *d.* 3, *sect.* 3, *n.* 1.

Divisio. Concupiscentia potest esse: 1.° *Antecedens*, quae ordine causalitatis antecedit consensum voluntatis et hanc sollicitat ad consentiendum. 2.° *Concomitans*, quae est simul cum ipso consensu. 3.° *Consequens*, quae ordine causalitatis consequitur voluntatis actum. Concomitans vel nulla est, moraliter loquendo, quae non participet alterutram rationem antecedentis vel consequentis, vel, si sit, eodem modo est judicandum de illa ac de consequenti. *Suárez*, *d.* 3, *sect.* 3, *n.* 1; *S. Alph.*, *lib.* 5, tr. praev., *n.* XXIII.

Principia. — I. Concupiscentia *antecedens*, atque adeo non voluntaria, quo major est et vehementior, magis peccatum imminuit, immo a peccato omnino excusare potest. — Ratio, quia motus sensitivi appetitus turbat, minuit, seu etiam impedit judicium *indifferens* rationis; causae autem, quae diminuunt judicium *indifferens* rationis, diminuunt libertatem. Cum igitur actus malus in tantum

sit peccatum, in quantum est liber, eo ipso concupiscentia, cum libertatem imminuit, minuit et peccatum; atque adeo ubi intensior ac fortior est concupiscentia antecedens, ibi minus est peccatum; immo penitus cessabit ratio peccati, si concupiscentiae motus totaliter usum rationis impediat. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 73, *art.* 6; *et q.* 77, *art.* 2, 6 *et* 7; *S. Alph.*, l. c., *n.* XXIV.

Confirm. Libertas supponit cognitionem *indifferentem*, quae scilicet objectum ita proponat ut, licet suadeat, non tamen irresistibiliter impellat ad ejus amorem (vel odium), sed repraesentet illud simul bonum et malum sub aliquo respectu, ideoque proponat motiva attrahentia ad illud et retrahentia ab illo. *Loss.*, *vol.* 9, *pag.* 240, *n.* 8.

Concupiscentia *antecedens* minuit hanc libertatem, quia *minuit indifferentiam* judicii; nam faciens ut objectum appareat pulchrius, suavius, etc., auget motiva attrahentia et minuit vel occultat motiva retrahentia, unde facit etiam ut objectum vehementius moveat voluntatem et consequenter *minuit etiam indifferentiam voluntatis.* Cfr. *Suárez*, De actibus humanis, *d.* 3, *sect.* 4, *n.* 7, 8; *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 6, *art.* 6; *q.* 73, *a.* 6; *q.* 76, *a.* 6.

Hinc juxta *Aristotelem*, Ethic., *c.* 5, concupiscentia antecedens perturbat judicium rationis et corrumpit aestimationem prudentiae.

Unde concupiscentia magis quidem *auget voluntarium* quatenus facit ut voluntas *majori impetu* feratur in objectum, sed *minuit liberum* et consequenter peccatum.

II. Concupiscentia consequens, ideoque voluntaria, non diminuit peccatum, sed magis auget, *seu potius* (ut ait *S. Thomas*, 1, 2, *q.* 77, *art.* 6) *est signum magnitudinis ejus in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.*

Prob. 1.ª pars, quia peccatum consistit in pravo actu libero voluntatis rationalis, qui ex hypothesi antecedit motum concupiscentiae, sicut causa praecedit effectum. Posterior ergo rationis perturbatio, quam concupiscentia inducit, non potest afficere actum peccandi, qui jam praecessit, ideoque nec liberi nec peccati rationem minuere.

Prob. 2.ª pars, quia, ut habet *S. Thomas* (De mal., *q.* 3, *art.* 11): *Quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus sensitivus ad passionem, passio addit meritum vel demeritum, quia est signum, quod motus voluntatis sit fortior, et hoc modo verum est, quod ille qui cum majore compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat; quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior.*

Nempe haec concupiscentia semel exsistens inclinat voluntatem ad tendendum majori impetu in objectum, et sic auget voluntarium, nec minuit liberum, quamvis minuat indifferentiam, quia

haec ipsa imminutio fuit libere quaesita. Cfr. *Suárez*, l. c., *disp.* 3, *sect.* 3, *n.* 6.

Confirmatur utrumque principium ex Codice: «Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget; secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu; et omnino tollit, si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat» *(can.* 2206).

69. — Hucusque verba fecimus de concupiscentia, prout est passio appetitus sensitivi ad bonum vel ad malum indifferens, et a theologis consideratur uti minuens aut etiam penitus auferens voluntarium. Nunc addenda nonnulla alia sunt de concupiscentia, prouti hoc nomine designatur *pravarum cupiditatum fomes*, de qua saepius Apostolus disserit, estque ad malum propensio non solum inferiori, sed etiam in superiori appetitu residens.

Principia. — I. Utcumque pravi fomitis stimulis animus pulsetur, nulla unquam aderit peccati labes, nisi aliquo modo voluntas aut eis consentiat, aut ipsos, cum potest et debet impedire, non impediat. Communis et certa sententia est. Vid. *S. Thom.*, 2, *dist.* 34, *q.* 3, *art.* 1; et *Quodlib.* 4, *art.* 21.

II. Voluntatis motus primo primi, nempe qui praeveniunt quamlibet rationis deliberationem, et eliciuntur antequam attendatur ad objecti convenientiam cum regula morum, prorsus culpa carent. — Ratio, quia quatenus deliberationem rationis, et advertentiam ad moralem malitiam praeveniunt, nec voluntarii sunt nec liberi, et consequenter formalis *peccati sunt expertes*. Ita *theologi omnes*. Cfr. *S. Alph.*, l. c., *n.* XXV.

III. Motus voluntatis secundo primi, qui scilicet ad aliqualem rationis usum consequuntur, eliciuntur tamen cum tenui tantummodo, obscura et imperfecta ad regulam morum advertentia, in qualibet etiam gravi materia, sunt *solum* peccatum *veniale*. — Ratio, quia ejusmodi actus sunt imperfecte liberi et solum semideliberati; adeoque, propter imperfectionem actus, a gravi culpa excusantur. Ita pariter *communis theologorum sententia*. Cfr. *S. Alph.*, l. c.

Resolves: — 1.° Motus utcumque pravi, quousque voluntati displicent, etiam post advertentiam ad regulam morum, omni culpa vacant. Ratio, quia ubi est ejusmodi displicentia, nullus est consensus. *Nocere autem non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus (concupiscentia) non valet*, ut docet Synodus Trid., *sess.* 5 (1).

---

(1) Licet voluntati motus pravi displiceant, tamen aliquando negligentia vel tepiditas esse potest in eis resistendo, ideoque aliqua culpa venialis. Immo simplex displicentia concurrere facile potest cum voluntario simpliciter, ut docet infra auctor, *n.* 18, C.

2.° Motibus concupiscentiae, post rationis advertentiam, resisti debet saltem per displicentiam virtualem, animum scilicet ad alia distrahendo, nec sufficit *generatim* se negative seu neutraliter tunc habere, etiamsi periculum consensus abesse videatur. Ita communiter theologi. *S. Alph., lib.* 5, *n.* 3.

3.° Potissime vero id valet quoad motus concupiscentiae in re venerea, quos ne praetextu quidem luctae et exercitii virtutis retinere licet. Sufficit etiam in commotionis actu animum ad alia divertere, cum hoc etiam sit *positive* resistere. *S. Alph., n.* 8.

4.° Nulla tamen adest obligatio carnalibus motibus positive resistendi, si talis resistentia magis illos *excitet:* vel si motus ortum habeant ex actione necessaria vel utili, v. gr. ex auditione confessionum, et non facile negotium sit illos repellere; multoque minus necessaria est resistentia materialis. *S. Alph., lib.* 5, *n.* 9.

5.° Non modo quoad carnales motus, sed etiam quoad motus contra fidem et charitatem resistentia mere *indirecta* per distractionem mentis consulenda est, potius quam directa aliqua resistentia seu oppugnatio. *S. Alph., lib.* 5, *n.* 6.

6.° Nec item tenemur ad positivam resistentiam adversus quamlibet tentationem, quae diu protrahatur; hoc enim nimis molestum, et innumeris scrupulis obnoxium foret. *S. Alph., lib.* 5, *n.* 9.

7.° Quando *absit periculum consensus*, in motibus concupiscentiae mere negative se habere, juxta veriorem sententiam, peccatum tantum veniale est, licet de objecto gravi agatur, nec alia adsit causa a resistentia excusans. *S. Alph., lib.* 5, *n.* 6.

Quaeres: *Quaenam sint remedia contra motus concupiscentiae?* *Resp.* Ea generatim, quae eorum causis opponuntur. Hinc si proveniant ex *phantasia*, haec compescenda est, aut ad alia convertenda; si ex *objectis externis*, aut occasionibus, haec fugienda, nisi justae rationes contra exigant, aut ab omnibus objectis quis moveatur; si ex *complexione*, vel *humorum abundantia*, mortificatio adhibenda est, aut etiam medicus consulendus; si ex timore, vincendus hic est, seu spernendi sunt motus. — V. **Casus**, *n.* 21.

§ III. *De metu.*

70. — Definitio. Metus est trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime conjunctis.

Divisio. Metus sic communiter dividitur, scilicet:

1.° Metus *gravis*, vel *levis*, prout timetur malum vel *grave*, uti mors, mutilatio, dura carceratio, notabile famae detrimentum, magna bonorum jactura, etc.; vel *leve* e contrario, seu mediocre incommodum, uti amissio rei levis momenti, exiguum famae detrimentum; aut etiam *grave*, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, etc.

Metus autem est gravis *absolute*, vel *relative*. Metus dicitur *absolute gravis*, quum mala in se vere gravia timentur; *relative* autem *gravis*, quando, licet levis in se, gravis tamen est respective ad quasdam personas: sic pueri, mulieres, senes, timore majori in eodem periculo affici solent, quam viri aetate maturi.

2.° Metus ab *intrinseco*, vel ab *extrinseco*, prout provenit a causa intrinseca, v. gr. a morbo, ab infirmitate mentis, etc.; vel a causa extrinseca, sive libera, nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, ut ex elementis, contagione, etc.

3.° Metus *juste*, vel *injuste* incussus, prouti causa vel justa, v. gr. poenarum promeritarum infertur; vel injusta, hoc est, per injuriam incutitur.

Addendus etiam metus *reverentialis*, qui habetur quando quis timet ne parentes suos, aut alios superiores habeat offensos. Ad metum justum vel injustum refertur, prout justa vel injusta est ejus causa. Potest autem esse gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur, qui metum incutiunt.

71. **Principia.** — I. Actus ex metu quantumvis gravi positus, est *simpliciter* et *absolute voluntarius* et *liber*. — Ratio est, quia per metum neque tollitur cognitio ex parte intellectus, nisi penitus mens perturbetur, neque electio ex parte voluntatis, quae semper gaudet facultate se determinandi in oppositum. *S. Alph.*, *n.* 21. — Hinc semper ut apostatae illi habiti sunt, qui metu tormentorum victi, fidem negarunt.

II. Quae ex metu fiunt, etiamsi sint simpliciter voluntaria, tamen *regulariter* sunt etiam involuntaria *secundum quid* (1); unde et culpae gravitas minuitur. — Ratio est, quia cum quis solo metu ad agendum impellitur, ita agit, ut absente metu ab agendo refugeret; atque adeo opus ex solo metu factum sociatam quamdam voluntatis tristitiam ac repugnantiam, licet inefficacem, habet.

Excipe si voluntas omnino cedat, v. gr. quia inducitur ad amandum id quod *per se* bonum est et amabile; vel ad fugiendum quod per se odibile est, ut in attritione ex metu divinae ultionis elicita. Cfr. *Suárez*, l. c., *nn.* 8, 9.

III. Si metus usum rationis auferat, actus, uti patet, nullo modo potest esse voluntarius. Si autem non auferat quidem usum rationis, sed illum notabiliter impediat, actus erit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem.

IV. Metus sub omni respectu levis, *saltem in foro externo*, non censetur actuum causa efficax. — Praesumitur enim, ejusmodi timorem contemni facile potuisse, atque adeo hominem sua prorsus sponte egisse. Cfr. *S. Alph.*, *lib.* 3, *n.* 718.

---

(1) Dicitur involuntarium *secundum quid* quod non intenditur *per se* sed tantum in quantum est medium ad vitandum malum. *Suárez*, l. c., *n.* 4.

72. — **Resolves:** 1.° Metus levis nunquam a peccato gravi excusare potest, ubi materia praecepti gravis est.

2.° Metus etiam gravis non excusat *per se* a peccato mortali, nec de mortali veniale facit, quoties violatio cedit in contemptum fidei vel religionis, et generatim quoties lex non cessat propter grave aliquod incommodum, ut infra dicitur in *tract. de leg.*, *n.* 108. Ceterum remoto ejusmodi periculo, metus gravis excusat a lege humana; quia non censetur legislator cum tanto incommodo obligationem legis urgere velle.

Quare in Codice: «Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas imo et grave incommodum, plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt. — Si vero actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in § 2, delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt» (*can.* 2205, §§ 2 et 3).

3.° Metus, si rationem perturbet, excusat a mortali, ut supra dictum est, ubi de concupiscentia, *n.* 68.

4.° Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens, non impedit quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius, et possit esse validus: sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio, aut in gravi morbo emissum. *Reuter*, *n.* 20; *Billuart*, *diss.* 1, *art.* 7; *Elbel*, *n.* 48. — V. **Casus**, *n.* 17 *et seq.*

N. B. — Quae *cum* metu fiunt, sed non *ex* metu, sunt signum magnae voluntatis, quia illud voluntarium non oritur ex metu sed potius opponitur et vincit ipsum metum, ut cum Christus metuens mortem progrediebatur ad illam magna voluntate. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 6, *art.* 6; *Suárez*, *tract.* 2, *d.* 3, *sect.* 1, *n.* 6.

§ IV. *Scholion in §§ praecedentes.*

73. — Notandum est esse plures **perturbationes nervorum** aliasque sive corporis sive animi aegrotationes, uti sunt *neurasthenia, melancholia, hysteria, ideae fixae,* etc., quae non minus imo magis quam concupiscentia antecedens aut metus, aut inadvertentia, hominis libertatem minuere aut fere ex toto extinguere possunt, unde aliquando a peccato, frequentius vero a peccato gravi, excusare possunt, quatenus sive ex phantasia sive ex appetitu sensibili sive ex aliqua cerebri laesione judicium rationis perturbatur. Cfr. *can.* 2201, § 3.

Haec prae oculis habeat confessarius, quamvis multoties certum judicium efformare non poterit, an et quatenus libertas et consequenter peccatum minuantur; sed poterit dubitare et judicium Deo relinquere. Inserviet praeterea ut majori charitate cum hujusmodi infirmis agat, quamvis non expediat ut ipsis aperte significet imminutam fortasse libertatem, ne omnem resistentiam in posterum praetermittant.

Certe medici recentiores, secus ac antiqui, valde propensi sunt ad excusandos quamplures homines, praesertim criminosos, a suis erratis, eo quod putent eos imperfecta aut nulla uti libertate ex hac vel illa affectione

morbosa. Negari tamen nequit aegras affectiones nervorum hodie multo frequentiores esse quam anteactis temporibus.

§ V. *De vi seu violentia.*

74. — Definitio. Vis seu violentia est coactio, quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante ejus voluntate.

Divisio. Duplex distinguitur violentia, scilicet *absoluta*, vel *secundum quid*, prout coactio alicui, omnimode vel aliquatenus tantum repugnanti infertur.

Notanda. **I.** Involuntarium dicitur tripliciter: *negative*, *privative* et *contrarie*. *Negative* dicit negationem voluntarii, ideoque potest reperiri etiam in brutis; *privative*, eamdem negationem in subjecto capaci voluntarii oppositi; *contrarie*, quod est contra positivum actum elicitum voluntatis efficacem quantum est ex parte operantis. *Suárez*, l. c., *disp.* 2, *sect.* 1, *nn.* 1, 4.

II. Violentum dicitur juxta *Aristotelem*, 3 Ethic., *c.* 1, «quod est a principio extrinseco, passo non conferente vim», id est quod ita provenit a principio extrinseco, ut qui patitur in eo non confert vim sed potius in eo resistit quantum potest. *Suárez*, *disp.* 2, *sect.* 1, *nn.* 5, 6.

Principia. — **I.** Actus eliciti voluntatis nullatenus cogi possunt. Ratio, quia actus voluntatis necessario sunt ab intrinseco ipsius voluntatis, ergo non possunt esse ipsa non conferente vim. *Suárez*, l. c., *sect.* 5, *n.* 9; *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 6, *art.* 4. — Proinde S. Anselmus: *Invitus* (inquit) *nemo potest velle, quia nemo potest velle nollens velle* (De libero arbitrio, *c.* 6). Et S. Thomas: *Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus, vel violentus* (1, 2, *q.* 6, *art.* 4).

II. Actibus a voluntate imperatis et ab alia potentia exercendis violentia inferri potest, quatenus per vim extrinsecam aliae potentiae impediri possunt quominus imperium voluntatis exsequantur; quod experientia patet et est per se evidens. Sunt igitur hujusmodi actus coacti respectu voluntatis, quatenus exercentur a principio extrinseco ipsius voluntatis, ipsa non conferente vim sed repugnante quantum potest; quamvis non sint coacti respectu ipsius potentiae a qua exercentur, si vitali modo fiant. Sunt ergo coacti respectu hominis et principalis potentiae ipsius, et desinunt esse voluntarii et humani. *S. Thom.*, l. c., *a.* 4; *Suárez*, l. c., *sect.* 6, *n.* 1, *seq.*

III. Actus voluntati extrincesi ex *violentia absoluta* positi nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut demeritorii. Unde in Codice: «Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit» (*can.* 2205, § 1). Actus autem externi, qui ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur,

plus vel minus sunt liberi pro majori vel minori affectu, quo quis vim patitur. *S. Alph.*, l. c., *nn.* XVII, XVIII.

N. B. — Coactio vulgaris seu impropria aut moralis est quae fit per minas, verbera, etc. et respectu voluntatis confunditur cum metu. Cfr. *Loss.*, *vol.* IX, *pag.* 237, *n.* 3.

75. **Resolves:** — 1.° Mulier quae omnimode resistit violentiae, quae ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patiatur: nemo enim peccat omnino invitus.

2.° Peccant graviter feminae vim patientes, si pusillanimitate aut vano timore, v. gr. offendendi aggressorem, etc., non resistant quantum possunt, etiam secluso periculo consensus; quia etiamsi non consentiant in sensualem delectationem, tamen dum minus quam par est resistunt, aequivalenter in sui violationem consentiunt, et crimini alterius cooperantur. — An vero peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, controvertitur. Probabiliter negandum videtur, secluso consensus periculo. Imo valde probabiliter, secluso praedicto periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cujuslibet notabilis damni, sive infamiae vel nimiae verecundiae; nam si alioqui jam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto incommodo vim repellere. Sic expresse *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 430. In praxi tamen suadenda est opposita agendi ratio, ob alicujus consensus periculum. *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 368. — V. **Casus**, *n.* 19 *et seq.*

3.° Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel religionis injuriam requiritur. Cf. *Ball-P.*, *vol.* I, *n.* 72; *Lugo*, De just. et jure, *disp.* 10, *nn.* 195-200.

CAPUT III

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

Dicetur 1.° de essentia moralitatis; 2.° de ejusdem fontibus.

ARTICULUS I

DE ESSENTIA MORALITATIS

76. — *Moralitas formalis* idem est ac *imputabilitas (Erber*, *n.* 593). *Imputabilitas* autem *moralis* alicujus actionis, nihil est aliud

quam *culpabilitas* vel *laudabilitas* respectu ejusdem actionis. Ut enim ait *Angelicus:* «Nihil enim est aliud *laudari* vel *culpari*, quam *imputari* alicui malitiam vel bonitatem sui actus.» *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 21, *a.* 2.

77. — Theologi non pauci in varias sententias et in intricatissimas quaestiones abeunt ad explicandam determinandamque moralitatis actuum humanorum essentiam. Juxta communiorem autem doctrinam, sequentia videntur statuenda:

I. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actus humani *ad legem aeternam*, quae est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans. — Ratio est, quia sola lex aeterna potest esse primaria morum regula. Et sane hujusmodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis, et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex aeterna, e qua sola ceterae leges vim obligandi accipiunt; ergo... Sic ex *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 21, *art.* 2, *ad* 2.

II. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actus humani ad rectam rationem. — Ratio, quia sola recta ratio potest homini manifestare legem aeternam, seu primariam morum regulam. Ergo recta ratio est regula subjectiva primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate seu deformitate actus humani cum recta ratione. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 18, *art.* 5. Haec *Gury.*

Ut autem quae hic dicuntur cum aliorum sententiis forte concilientur, notanda videntur sequentia. Essentia moralitatis actus humani consistit *in conformitate* vel *deformitate* ejusdem actus *cum regula morum.* Qui sunt conformes huic regulae vocantur et sunt boni; qui vero diformes, mali. Haec regula potest esse multiplex.

Norma moralitatis CONSTITUTIVA: a) *proxima* et *formalis* est natura humana; b) *remota* et *fundamentalis*, natura divina.

Norma moralitatis MANIFESTATIVA: a) *proxima* est recta ratio humana; b) *remota* intellectus divinus.

Norma moralitatis PRAECEPTIVA: a) *objectiva* et *remota* est lex Dei aeterna; b) *subjectiva* et *proxima*, conscientia.

78. — Unde sequens thesis statui potest:

Bonitas vel malitia moralis formaliter et immediate *consistit in convenientia vel disconvenientia cum natura rationali quatenus tali.*

Etenim bonitas moralis objectiva respectu hominis debet dicere convenientiam cum ejus natura, secus non esset ipsi bona. Conveniens enim alicui dicitur quod eum perficit et reddit excellentiorem. Jam vero cum haec bonitas sit suprema in genere convenientiae, quia ab ipsa homo denominatur simpliciter bonus (et non secundum quid, *bonus musicus, bonus logicus),* debet ei convenire secundum perfectissimum gradum et supremam perfectionem quae in homine est, ideoque secundum naturam rationalem quatenus rationalis est. Ita *Suárez,* De act. hum., *tract.* 3, *disp.* 2, *sect.* 2, *n.* 10 *seq.; disp.* 7, *sect.* 1, *n.* 6; De legib., *lib.* 2, *c.* 6, *n.* 11 *seq.; Tanner,* 1, 2, *d.* 2, *q.* 5, *d.* 1, *n.* 11; *Vázquez,* 1, 2, *d.* 97, *c.* 3, *et d.* 58, *c.* 2; *Lugo,* De Incarn., *disp.* 5,

sect. 5; *Arriaga, d.* 20, *sect.* 1; et aliqui *thomistae* et *scotistae,* contra *plures alios* cujusque scholae.

Unde lex aeterna praescribit ea quae sunt convenientia naturae rationali, et prohibet contraria, quin possit aliter statuere.

Nunc vero si agatur de malitia morali quatenus *peccatum est et offensa Dei,* primario quidem habetur per oppositionem cum lege aeterna. Disconvenientia enim cum natura rationali non eo ipso supponit peccatum, quia peccatum supponit legem Superioris praecipientis aut prohibentis.

Igitur bonitas vel malitia moralis praecise talis reponitur in convenientia vel disconvenientia cum *regula moralitatis constitutiva.* Haec autem regula formaliter et immediate est natura rationalis quatenus talis, remote vero et fundamentaliter natura divina quae est exemplar et prima causa naturae humanae. Quatenus vero malitia supponit *offensam* Dei consistit in disconformitate cum regula *praeceptiva* quae est lex.

De mente S. Thomae videatur 1, 2, *q.* 18, *a.* 1 *et* 5; *q.* 71, *a.* 1 *et* 2; 2, 2, *q.* 145; Contra Gent., *lib.* 3, *c.* 129, *q.* 14; De malo, *a.* 2-8; 2 Sent. *d.* 40, *q.* 1, *a.* 5.

79. Resolves: — **1.°** Ens igitur morale illud omne solum est, quod substat regulae morum seu legi Dei praecipienti aut vetanti aut permittenti aut *consulenti.* Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum, vel ab eo deordinamur. Ergo ut actus nostri sint boni, debent esse aliquo modo conformes voluntati divinae, cum sit summa et primaria morum regula.

2.° Libertas praeexigitur ut fundamentum moralitatis; secus enim actus non esset humanus, atque adeo omnia peccata et merita de medio tollerentur. Ergo...

3.° Falsum est essentiam moralitatis reponendam esse in sola libertate. Etenim moralitatem actus humani consequitur ipsius imputabilitas ad laudem vel vituperium, ad praemium vel poenam; atqui actus non est tantum dignus laude aut vituperio quia liber est, sed etiam et maxime quia conformis est vel non regulis morum, seu divinae voluntati. Ergo...

4.° Falsum est a fortiori moralitatem consistere in solo voluntario, ut volunt janseniani. Vid. supra, *n.* 65. Voluntarium enim sine libertate, neque laude neque vituperio dignum est, quippe homo sine libertate non est actus sui dominus.

80. Quaesita. — Quaer. 1.° *An dentur actus proprie indifferentes, seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

Nota 1. Quaestionem esse de bonitate aut malitia in ordine naturali, non autem in ordine supernaturali, nec de merito aut demerito gratiae et gloriae. *Suárez, disp.* 9, *sect.* 3, *n.* 1; *Pesch, n.* 664; *Bouquillon, n.* 371.

Nota 2. Actum humanum posse dupliciter considerari: 1.° *secundum speciem* et ex parte objecti tantum; 2.° *in individuo* et ut est a parte rei vestitus suis circumstantiis. Sicut homo potest considerari: 1.° secundum speciem et quoad sua essentialia tantum; 2.° in individuo quatenus est hic homo cum omnibus notis individuantibus. Cfr. *Billuart, diss.* 1, De actibus humanis, *a.* 5.

Resp. 1.° Posse dari actus indifferentes *in specie* est communis sententia theologorum, quia sunt quaedam objecta quae secundum se non dicunt nec convenientiam positivam nec disconvenientiam cum natura rationali, v. gr. florem aspicere, ideoque *per se* nec *praecepta* sunt nec *prohibita* sed pure *permissa*.

Resp. 2.° Controversia vero est an dentur actus indifferentes in individuo.

S. Thom., 1, 2, *q.* 18, *a.* 9; *Alb. Magn.*, 2, *d.* 40, *a.* 4; *Richardus, Durandus, Suárez, dist.* 9, *sect.* 3, *n.* 3 *seq.; Valentia, Pallavic., Granadus, Amicus, Sánchez, Platelli, Meyer, Tanner, S. Alph., lib.* V, tr. praeamb., *n.* XLI; *Casaj., Mendive,* Eth. *n.* 134; *Bouquillon,* Theol. mor. fund., *n.* 371; *Costa-Rossetti,* etc. et generatim Thomistae dicunt non posse dari *per se*. Contrarium vero docent *S. Bonav.*, 2, *d.* 41, *a.* 1, *q.* 3, *concl.; Scotus,* 2, *d.* 41, *q. unic.; Gabriel, Alensis,* Summ., *p.* 3, *q.* 35, *membr.* 3, *resol.; Vázquez, d.* 52, *c.* 2; *Lessius, Arriaga, Viva, Erber* (*n.* 571), *Mair* (*n.* 191), *Struggl, tr.* 4, *disp.* 4, *q.* 2, *a.* 1, *n.* 7, et generatim Scotistae.

Omnes tamen generatim agnoscunt probabilitatem oppositae sententiae. Sic *Suárez, disp.* 9, *sect.* 3, *n.* 10; *Pesch, Casaj., Mendive,* ex alia *Vázquez,* 1, 2, *d.* 52, *c.* 2; *Erber, Mair, Struggl, Viva* († 1710) dicit suam sententiam esse communiorem recentiorum suis temporis. *Struggl* († 1760) vero dicit nostram esse communem Thomistarum et communiorem aliorum theologorum recentiorum.

Quod autem *per se* non dentur actus indifferentes in individuo ita probatur. Quotiescumque homo deliberate agit, tenetur actioni suae praestituere finem bonum et honestum; quod si faciat, actus erit bonus, modo aliunde non sit malus; si non faciat, erit malus, quia carebit fine debito. Ergo nullus indifferens in individuo. — Prob. antec. Quotiescumque homo deliberate agit agere debet ut homo, id est, juxta conditionem et exigentiam suae naturae rationalis. Atqui agere ita, est agere propter bonum honestum; dicitur enim bonum honestum quod convenit naturae rationali quatenus tali, etc. *Billuart*, l. c., *a.* 6, *prob.* 2.

Dices: omnis species debet posse salvari in aliquo individuo. Atqui dantur actus indifferentes secundum speciem. Ergo et in individuo.

Dist. Maj. Omnis species *absoluta* et *completa* debet posse salvari in aliquo individuo, *conc.;* incompleta et sub praecisione tantum, *neg.* Vel dic dari etiam in individuo actum indifferentem ex objecto seu specie; quia quod sit bonus vel malus non habet ex objecto sed ex circumstantiis. *Billuart, d.* 1, De act. hum., *a.* 5.

Resp. 3.° Quod *per accidens* dari possunt actus indifferentes in individuo fere omnes concedunt (Cfr. *Suárez, disp.* 9, *sect.* 3, *n.* 9; *Bouquillon,* l. c.; *Pesch, n.* 674). Ratio est, quia potest quis ductus probabilitate sententiae scotisticae velle objectum indifferens ex motivo indifferenti.

Ceterum ut bene notat P. *Gury, n.* 24, «utraque sententia, licet

specie tenus opposita, non tamen videtur adeo differre. Etenim juxta omnes pravus finis debet semper excludi; secus actus, quantumvis indifferens in se, malus evaderet. Bonus autem dicitur a thomistis finis, qui ut indifferens ab adversariis habetur. Agitur enim de fine, non supernaturali, sed naturaliter bono seu honesto. Porro ille fine naturaliter honesto ducitur, qui agit propter finem naturaliter operi intrinsecum, seu propter id, ad quod opus suapte natura ordinatur.»

81. — Quaer. 2.° *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

Praenotandum. Certe actus externus dicit conformitatem aut diformitatem cum natura rationali, ideoque habet moralitatem *materialem objectivam* et *radicalem* vel etiam, si vis, formalem respectu sui; verum suam moralitatem non communicat *formaliter* (seu per modum formae aut causae formalis) actui interno, sed tantum quasi *efficienter* seu per modum materiae ab homine eligibilis. Sicut actus amoris Dei non est bonus formaliter a divina bonitate, quia secus esset infinite bonus, nec odium Dei est malus malitia divina, quia nulla est in Deo; ita amor actus externi, non est formaliter bonus bonitate ipsius actus. Cfr. *Arriaga,* in 1, 2, *disp.* 16, *sect.* 1; *Struggl, p.* 1, *tr.* 4, *disp.* 4, *a.* 2; *Pesch, n.* 629 *seq.*

Resp. 1.° *Per se* actus externus nullam moralitatem addit actui interno, atque adeo neque auget neque minuit meritum aut demeritum substantiale actus interni. *Probatur* Actus illi proprie, primario et per se sunt boni aut mali morales qui proprie et per se sunt liberi (agimus enim de actibus humanis). Atqui actus externi *per se* et proprie non sunt liberi sed tantum per denominationem ab actu interno voluntatis. Ergo proprie et *per se* non sunt morales. Ergo *per se* non addunt bonitatem aut malitiam formalem actui interno.

Constat etiam ex Scriptura sacra, quae saepe voluntatem pro ipso facto reputat. Sic *Gen.*, xxii, 16-17, Deus dixit Abrahae, qui filium inmolare tantum voluit: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo... benedicam tibi.* Et *Matth.*, v. 28, dixit ipse Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.* — Ita ex sententia *communi* thomistarum cum *S. Thoma,* 1, 2, *q.* 20, *art.* 4, *et fere communi* in *Soc. Jesu,* eamque tuentur *Caspensis* Ord. Capucc.; *Lezana* Ord. Carmel.; *S. Alph.*, l. c., *n.* XLI, contra *Scotum et scotistas et aliquos Soc. Jesu*, v. gr. *Granado, Ripalda et Amicum.* Juxta *Mastrium*, De actibus hum., *q.* 5, *n.* 260, eam tenent *Alensis*, 2 *p.*, *q.* 107, membr. 8, § 2 et 4; *q.* 77, membr. 3, § 3; *D. Bonav.*, 2, *dist.* 4, *a.* 2, *q.* 1, et *dist.* 42, *art.* 1, *q.* 2.

Resp. 2.° *Per accidens* tamen plerumque actus externus auget moralitatem, quia saepissime est occasio cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, v. gr. ut protrahatur aut multiplicetur, etc. Actus enim internus adaugetur propter arduitatem boni operis

externi, vel delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere externo perficiendo necessariam. Cfr. *S. Th.* l. c.; *S. Alph.*, l. c.

Aliunde saepe adest in opere externo scandalum aut damnum proximi, aut contrario bona aedificatio, ex quibus adaugetur etiam actus interni moralitas. Ita *communiter theologi.* Cfr. *Suárez,* De humanor. act. bonitate, *disp.* 10, *sect.* 1.

Igitur actus internus *ceteris paribus* eamdem bonitatem habet sive conjungatur sive non conjungatur cum actu externo. Communiter autem actus internus ex conjunctione cum externo fit intensior, perfectior, pluries iteratur, etc.; unde cetera paria non sunt.

Facile quis decipi potest putans se paratum usque ad perferendum martyrium, et postea advenientibus minoribus adversitatibus deficit; unde illud: *del dicho al hecho, hay grande trecho.*

Hinc *Arriaga,* in 1, 2, *disp.* 16, *sect.* 4, *n.* 24: «Facile est in absentia dicere, ego libenter tolerabo pro Christo martyrium, ignem, rotas, verbera, glaciem, etc., at cum venitur ad factum, ad rem ipsam, et vehemens calor urit, aut frigus torquet, aut discerpuntur membra, longe alia sane apparent ea tormenta quam primo fuerant repraesentata; ideo libenter admitto intensiorem, fortiorem, et consequenter longe magis meritoriam requiri voluntatem ad ea tormenta aequanimiter perferenda, quam fuerit sufficiens in choro aut in cella coram crucifixo, ad priorem volitionem seu propositum.»

Ex positiva Christi vel Ecclesiae voluntate, indulgentiarum, sacramentorum, etc., efficacia ex opere operato adnexa est actibus externis; itemque actus externus est accusandus in confessione, quia constituit unum peccatum cum actu interno et Christus jussit nos confiteri peccata nostra, quaecumque illa sint; imo actus externus est conditio sine qua non pro censuris, pro reservatione peccatorum, etc.

ARTICULUS II

DE FONTIBUS MORALITATIS

82. — Fontes seu principia moralitatis dicuntur *objectum* actus, *circumstantiae* ipsius, et *finis* agentis, eo quod ex ipsis emanet bonitas vel malitia actus humani, seu ipsius convenientia aut disconvenientia cum regula morum.

Ut actus sit bonus simpliciter, opus est ut ex nullo ex his principiis seu fontibus malitiam hauriat, unde illud proloquium: *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* (Cfr. *Dionys. Areop.*, De divin. nom., *c.* 4, § 20: *Migne*, P. L., *vol.* III, *col.* 730). Nihilominus actus bonus potest conjungi cum aliqua malitia, si nempe ponatur ex fine externo partialiter malo.

§ I. *De Objecto.*

83. — Objectum actus humani seu moralis est illud circa quod actus tendit proxime et primario. Potest esse materiale vel formale.

Objectum *materiale* est id circa quod actus voluntatis versatur; *formale* vero idem objectum prout libere attingitur ab agente cum cognitione moralitatis ejus. Cfr. *Noldin, n.* 72, 4.

Alii vero dicunt objectum materiale esse illud quod a voluntate attingitur propter aliud, formale vero illud quod est motivum tendendi in aliquam rem. Cfr. *Muncunill*, De actibus hum., *p.* 597 (opus lithograph.).

Objectum bonum, *si ametur sub ratione boni*, tribuit per se bonitatem actui voluntatis; item odium ipsius tribuit malitiam. Odium objecti boni et amor objecti mali tribuit malitiam actui.

Dico: *Objectum per se tribuit actui primam et essentialem bonitatem. Prob.* Quia actus, sicut in ordine physico, ita et in morali, primo et per se specificantur ab objecto formali in quod tendunt; nam primo et per se illi actus sunt tendentia in eorum objectum formale; ergo objectum formale est id quod primo et per se invenitur in sua essentia.

N. B. Objectum potest esse *intrinsece* seu *ex natura sua* bonum, malum vel indifferens, prout dicat convenientiam vel disconvenientiam cum regula morum vel ab utroque praescindat. Poterit etiam esse bonum vel malum *non ex natura sua*, sed tantum *accedente praecepto* vel *prohibitione*. Unde sunt objecta praecepta, quia bona, ut Deum amare; aut prohibita, quia mala, ut blasphemia; et alia bona, quia praecepta, v. gr. jejunare; aut mala, quia prohibita, v. gr. edere carnes diebus prohibitis.

Si objectum est indifferens, moralitas actus desumitur ex circumstantiis vel fine.

§ II. *De circumstantiis.*

84. — Circumstantiae actus vocantur *conditiones* seu *accidentia* quae illum aliquo modo attingunt; sunt tamen extra substantiam ipsius, ideoque actus absque illis esse poterat. Cfr. *S. Thomam*, 1, 2, *q.* 7, *a.* 1.

Septem recenseri solent: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quis refertur ad accidentalia *personae* agentis; an scilicet, sacerdos sit, an laicus, uxoratus, etc. *Quid*, ad accidentalia ipsius *objecti*, v. gr. ad quantitatem vel qualitatem, nempe an pecunia vel res furtiva sublata sit in majori vel minori quantitate, an fuerit ex bonis

sacris, etc. *Ubi* refertur ad *locum*, an scilicet actio peracta sit in loco sacro vel profano, publice vel secreto. *Quibus auxiliis* denotat *media* adhibita, v. gr. mandatum, suasionem, coactionem, deceptionem, etc. *Cur* significat *finem extrinsecum* seu operantis, non intrinsecum seu operis, v. gr. dare eleemosynam intentione seducendi puellam. *Quomodo* indicat modum subjectivum *ipsius actionis*, an scilicet remisse, deliberate, cum semiplena advertentia, etc. posita fuerit: actus enim intensior pluribus remissioribus aequivalere potest, etc. *Quando* exprimit *temporis* durationem vel qualitatem, nempe an multum actio duraverit, an posita die festo, etc. Duratio intrinseca videtur augere bonitatem actus quatenus hic tunc aequivalet pluribus successivis.

Dico: *Actus humanus aliquam moralitatem desumere potest ex circumstantiis.*

Prob. **1.º** Quia circumstantiae convenientiam vel disconvenientiam dicere possunt cum regula morum. Ergo hanc possunt communicare ipsi actui.

2.º Ex verbis Christi laudantis eleemosynam viduae pauperis prae largitionibus divitum copiosioribus. Ergo illa major bonitas non ex objecto sed ex circumstantiis desumebatur.

Confirmatur ex comparatione cum bonitate rerum physica, quae etiam ex accidentibus crescit vel minuitur.

N. B. Ut circumstantiae bonitatem vel malitiam moralem actui tribuant opus est **1.º** ut convenientiam vel disconvenientiam habeant cum regula morum, secus non possent communicare, quod in se non habent.

2.º Ut cognoscantur uti tales et actus libere in eas tendat: sicut enim non contrahit bonitatem aut malitiam objecti nisi illud cognoscat ac libere in illud tendat, ita similiter de circumstantiis.

3.º Ut contrahat bonitatem opus est ut circumstantias bonas amet sub ratione bonitatis: sicut objectum vel circumstantiae non influunt in actum nisi detur hujus tendentia in illud, vel in eas; ita non influunt sub tali ratione bonitatis nisi detur tendentia sub tali ratione.

4.º Verum ut contrahat malitiam satis est ut amet circumstantias malas cognitas uti tales, quamvis eas non amet sub ratione malitiae: ratio est, quia amare aliquid prohibitum etsi non ametur quatenus prohibitum, jam est contra legem, atque adeo est peccatum.

Ratio differentiae inter modum tendendi ad bonitatem et malitiam ut actus dicatur bonus vel malus, est quia bonitas debet esse *per se* intenta; malitia vero est praeter intentionem, et per accidens: tum quia bonitas cum sit positiva requirit actum positivum voluntatis, malitia vero per solam privationem vel carentiam actus haberi potest. *Suárez, tract.* 2, De volunt., *disp.* 5, § 3, *n.* 32.

Hinc 1.°, circumstantiae aliae sunt quae ad moralitatem actus attinent; — 2.°, aliae quae ad eam nihil conferunt, quaeque proinde prorsus indifferentes habendae sunt; — 3.°, aliae quae in eadem specie morali objectum relinquunt, et aliae quae specie ipsam mutant, seu novam speciem superaddunt; et hae dicuntur mutantes *speciem moralem;* ex prioribus, aliae malitiam aggravant, aliae vero attenuant, idque graviter vel leviter efficiunt. Quae si ita peccatum minuunt vel aggravant ut ex mortali fiat veniale, aut vice versa, tunc dicuntur mutare *speciem theologicam.*

Quaer. *An circumstantia leviter mala totum actum bonum semper corrumpat?*

Resp. Neg. Etenim substantia actus boni, non obstante ejusmodi circumstantia, illaesa remanere potest; unde actus ille nonnisi ex parte inficitur. Sic, v. gr. agens non amittit totum meritum boni operis, nec praecipuam ejus partem, licet alicui tentationi vanae gloriae *incidenti* consensum praestiterit. *Billuart, diss.* 4, *art.* 4. — *Vide dicenda infra de fine, n.* 87.

§ III. *De fine.*

85. — Finis in genere est id, cujus gratia aliquid fit.

Duplex est, scilicet *finis operis,* nempe finis ipsi operi intrinsecus, et ad quem opus per se tendit; et *finis operantis,* id est extrinsecus operi, et ad quem agens ad libitum intentionem suam dirigit, seu quem agens sibi praestituit. De hoc tantum posteriori fine dicendum nobis est, quippe qui solus proprie est *circumstantia:* finis enim operis cum *objecto* actus confunditur.

Est autem finis ille 1.° *intermedius,* vel *ultimus,* prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit; — 2.° *positive* ultimus, vel *negative* ultimus, prout intenditur, vel non intenditur cum exclusione alterius finis; — 3.° *primarius,* vel *secundarius,* prout causa est per se sufficienter motiva actus, aut mere tantum impulsiva. Iterum finis ultimus potest esse *explicite* vel *implicite* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum hujusmodi fine impellitur.

Dico **1.°** Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. — Ratio, quia finis potest dicere ordinem conformitatis et deformitatis ad rectam rationem, ut diximus de circumstantiis; quia finis est una ex circumstantiis, nempe *Cur.* Sic rectae rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectae rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico **2.°** Peccat qui agit propter solam delectationem. — Ratio est, quia ille agit inordinate, pervertens ordinem rerum ab auctore naturae institutum. Etenim, juxta ordinem ab auctore naturae

institutum, delectatio est propter operationem, et non vice versa; scilicet delectatio est velut sal et condimentum quoddam, quod inservit ad alliciendum ad actiones vitae necessarias, vel utiles. Igitur delectatio est tantum medium ad actiones facilius, melius, constantius efficiendas, non autem finis ultimus actionis. Sic enim S. Thomas: *Divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes.* 1, 2, *q.* 4, *a.* 2.

Confirm. ex prop. 8.ª ab Innoc. XI damnata, quae sic sonat: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Igitur intendere voluptatem non est malum, modo finis proximus ad quem voluptas illa ordinatur natura sua, *implicite* saltem intendatur, i. e., *positive* non excludatur: secus erit peccatum *leve;* imo graviter peccaret, qui in voluptate finem *ultimum* poneret. *Bucc., n.* 82. — Cfr. **Casus**, *n.* 30.

86. **Resolves: — 1.°** Omnis electio mali medii est mala, sed non e converso omnis electio boni medii est bona. Sic reus habendus est, qui furatur pecuniam ad eleemosynam faciendam; nemo autem laudatur ex eo, quod abstineat a potu ex avaritia.

2.° Qui elegit medium honestum ad finem honestum, ponit actum duplicis honestatis, si utraque honestas sit intenta. Ita communis doctrina theologorum cui non contradicit *Vázquez* ut putarunt *Collet, S. Alphonsus* et *Prümer.* (Cfr. *Ballerini*, h. l.; *Gaudé*, adnotando *S. Alphonsum*, et *Prümer, n.* 122). Item duplicis malitiae reus est, qui eligit medium malum ad finem malum, puta si quis pecuniam furetur, ut se inebriet.

3.° Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. gr. si quis mentiatur ad proximum e periculo liberandum. Item vice versa qui adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit tantum malitiam finis.

4.° Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum, contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic, v. gr. si iter arripias, ut peregrino viam indices, habes tantum meritum finis; item si canas, ut alteri molestiam facias, habes tantum finis reatum. In confessione autem necesse non est circumstantiam mediorum hujusmodi declarare, ut patet.

87. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An finis quilibet malus totam actus* bonitatem *corrumpat?*

Resp. **1.°** Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit objectum in se. Actus enim ille nulla ex parte bonus esse potest, siquidem agens, peccando moraliter, a Deo totaliter recedit. (Cfr. *Lehmkuhl, n.* 100; *Noldin*, De princ., *n.* 65). Contrarium putat probabilius *Prümer, n.* 122, dummodo finis etsi graviter malus sit revera partialis et inadaequatus.

Resp. 2.° Finis leviter malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis*, vel saltem *primarius* agentis. Etenim si sit *totalis* totum objectum complectitur, et proinde totum inficit, quia *agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo, prout volitum est ab eo, malum est.* S. Thomas, 1, 2, *q.* 19, *art.* 7. — Constat etiam ex verbis Christi, *Matth.*, VI, 23: *Si... oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hinc dona Cain, licet in se bona, Deo displicuerunt, utpote a malo fine provenientia.

Si vero duplex habeatur finis, et malus sit primarius, eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur, ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur.

Resp. 3.° Si autem finis leviter malus sit mere *secundarius*, *probabilius* non corrumpit totum actum, qui erit partim bonus, partim malus. – Ratio est, quia actus ille bonitatem suam ex objecto retinet, finis autem malus se habet tantum *concomitanter*, nec in ipsam actionis substantiam influit. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. *Billuart, diss.* 4, *art.* 4; *Gerdil*, De act. hum., *et alii communiter.* —V. **Casus**, *nn.* 33, 34.

88. — QUAER. 2.° *An omnes actiones, ut* bonae moraliter sint, *motivo charitatis informari debeant?*

Resp. Neg. Actus enim ex motivo aliarum virtutum eliciti, per se boni sunt, ut sunt actus fidei, spei, etc... Constat id etiam ex *Conc. Trid., sess.* 14, *c.* 4, ubi declaratur, attritionem esse donum Dei, et disponere poenitentem ad justificationem. Item *sess.* 6, *can.* 31, ubi dicitur: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.*

QUAER. 3.° *An omnes actiones nostrae, ut* honestae sint, *ad Deum referri debeant ex motivo supernaturali, seu quod per fidem apprehendatur?*

Resp. Neg. Secus enim omnia opera infidelium essent peccata, quae doctrina ab Ecclesia damnata est.

QUAER. **4.°** *An omnes actiones nostrae, ad Deum referri debeant, juxta verba Apostoli*, I Cor., X, 31: *Omnia in gloriam Dei facite?*

Resp. Pauli verba, ex communi DD. sententia, ad virtutem charitatis spectant, et, non secus ac praeceptum charitatis, accipi possunt sensu tum negativo, tum affirmativo.

Si sensu *negativo* accipiantur, significant: *Nihil contra Deum faciatis;* et sic ex omnium sententia, imo et ex ipsa rei natura, praeceptum continent, scilicet non peccandi. Cfr. *S. Thom.*, 2, *dist.* 40, *q.* 1, *art.* 5, *ad.* 7.

Si vero sensu *affirmativo* intelligantur, quidam cum S. Bonaventura censuerunt Paulum per ea verba insinuare, ut singulae actiones, vel saltem singulae actionum sibi subordinatarum series, *actu*, seu *relatione actuali* in Deum referantur. Verumtamen simul contendebant Paulum ibi *non praeceptum* aliquod tradidisse, sed

merum consilium. — Vid. *S. Bonavent.*, 2, *dist.* 41, *art.* 1, *q.* 3, *ad* 1 et *ad* 6.

Alii vero communius cum S. Thoma docent, verbis Apostoli re ipsa *praeceptum* contineri obligans ad hoc ut omnia opera deliberata referantur in Deum, non quidem relatione *actuali*, sed tantum *virtuali* **implicita**, in eo sita quod opus *natura sua* tendat in ultimum finem: quae relatio convenit omni operi honesto, eo ipso quod honestum sit. Ita cum S. Th. explicant *Suárez*, De ult. fine, *disp.* 2, *sect.* 4, *n.* 5, De act. hum., *d.* 6, *sect.* 1, *n.* 12; *Billuart*, De act. hum. in esse moris, *art.* 6, *obj.* 2, *et alii.* Cfr. *Nouvelle Rev. Théol.*, *vol.* 41, *pag.* 561 *seq.*

Dices: ex praecepto Apostoli videtur requiri ex parte agentis, ut aliquando elicuerit, nec per gravem culpam retractaverit, actum charitatis, quo se homo et sua omnia in Deum tanquam ultimum finem ordinat.

Resp. Neg. Secus opera omnia christiani hominis exsistentis in peccato mortali essent contra praeceptum Apostoli, ideoque *ex se* essent peccata, quod absurdissimum est. Sequeretur etiam justificationem *ex attritione* et sacramento esse impossibilem *per se*, quia esset contra praeceptum Apostoli. Atqui talis actus est meritorius vitae aeternae. Ergo non est contra praeceptum Apostoli. Ergo *a*) non requiritur relatio virtualis *explicita*, quam *Suárez*, *lib.* 12, De gratia et merito, *cap.* 9, *n.* 1, vocat *objectivam*, et quae supponit actum charitatis praecessisse, quo homo se et omnia opera sua refert in finem charitatis, «etiamsi multo antea elicitus fuerit ita ut nec ejus memoria tunc occurrat, neque alia virtus movens ad operandum ex illo sit relicta, dummodo actus ille praecedens retractatus non sit»; neque (a fortiori) *b*) requiritur relatio virtualis *stricte dicta*, talis scilicet «ut praecedens actus (charitatis), mediante aliquo alio actu, qui nunc sit, influat aliquo modo in praesentem actum»; sed sufficit virtualis *implicita*, ut dictum est. Cfr. *infra*, *n.* 89, *q.* 6.

89. — Quaer. 5.° *Quae relatio operis in Deum requiratur et sufficiat, ut* moraliter honestum *sit?*

Resp. Debet habere aptitudinem ut possit in Deum referri, nempe nullam inordinationem culpae mortalis aut venialis continere, qua impediatur ne sit in Deum referibile; vel, ut alii dicunt, debet esse conveniens operanti quatenus rationali. *Ripalda*, De ente sup., *disp.* 71, *sect.* 3.

Quaer. 6.° *Quae relatio operis in Deum requiratur et sufficiat, ut opus sit* meritorium (de condigno)?

Resp. cum *S. Thoma* (De charit., *q. unic.*, *art.* 11, *ad.* 2), duo requiri: 1.° ut homo se per actum «vel saltem per habitum» charitatis ordinaverit in Deum; 2.° ut opus sit moraliter honestum. — Sic ille: *Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omni-*

bus, quae propter se facit, manet intentio ultimi finis, qui Deus est, unde in omnibus mereri potest, si charitatem habet. Et alibi (De mal., *q.* 2, *art.* 5, *ob.* 11): *Constat quod ille, qui habet charitatem, se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhaeret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se, vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum; sed hoc esse non potest, quin sit peccatum saltem veniale.* Exinde, juxta *S. Thomam*, in eo, qui est in gratia, nullus actus etiam quoad rationem meriti est indifferens; nam vel est malus saltem *venialiter*, et sic est demeritorius; vel est moraliter bonus, et sic erit meritorius.— *S. Thom., ibid.*, et 2, *dist.* 40, *q.* 1, *art.* 5, 6.

Diximus «vel saltem per habitum», 1° quia non aliud constat exigi a S. Thoma, ut apparet ex 2, *dist.* 40, *q.* 1, *art.* 5, *ad* 3; et ex verbis citatis (De mal., *q.* 2, *art.* 5, *ob.* 11), «*qui habet charitatem*» etc., ubi loquitur de charitate *habituali*, non de actuali. Cfr. etiam *Suárez*, De grat. et mer., *lib.* 12, *cap.* 10, *nn.* 6 *et* 24, *et cap.* 9, *n.* 8.—2.° Quia non requiri ad meritum de condigno quod actus charitatis praecesserit, probatur *a*) in justificatione ex attritione et sacramento, qui est actus meritorius vitae aeternae; *b*) in operibus supernaturalibus elicitis ab hujusmodi homine sic justificato, et antequam urgeat praeceptum charitatis, quod urgere *statim* ac quis est justificatus ex attritione et sacramento nullibi demonstratur; *c*) in puero baptizato eliciente opera supernaturalia statim ac usum rationis est assecutus, et antequam actum eliciat charitatis. Vid. *Suárez*, l. c., et *cap.* 9, *n.* 10, et *cap.* 10, *nn.* 5, 14, 21-24, 27.

Quaer. 7.° *An* ad meritum *sit necessarium saepius renovare intentionem, seu actu referre actus ad Dei gloriam, v. gr. singulis diebus?*

Resp. Neg. Nam sufficit quod aliquando actualiter omnia in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis se totum per actum vel habitum charitatis ad Deum dirigit et ordinat: tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit, et virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus finis ultimi manet in omnibus ad ipsum ordinatis. Ita *S. Thom.*, 2, *dist.* 40, *q.* 1, *art.* 5, *ad* 6 *et* 7. — Quousque igitur quis non excidit statu gratiae, quaelibet illius actiones, dummodo non sint peccata, meritoriae sunt, licet ipse intentionem dirigendi opera ad Deum minime renovet. Optimum tamen consilium est saepius hanc intentionem renovare, tum quia hi sunt totidem actus charitatis, tum quia fervor spiritus hoc pacto mirum in modum excitatur ac fovetur.

Quaer. 8.° *An ut actiones sint* meritoriae (sive de congruo sive de condigno) *necesse sit agere ex motivo supernaturali, aut saltem de Deo cogitare?*

Resp. 1.° *Affirm.* ad gratiam seu justificationem *acquirendam.* Nullus enim, ut ait S. Thomas (*in Hebr., cap.* 11, *lect.* 2), potest placere Deo, nisi accedat ad ipsum. Nullus autem accedit ad Deum, nisi per fidem.

Resp. 2.° Post acceptam justificationem *a*) non opus est in singulis actibus de Deo cogitare. Sicut non oportet quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine; ita ad hoc, quod alicujus actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo et charitate cogitet, sed sufficit quod prius per charitatis actum omnes actiones aliquando in finem, qui est Deus, ordinatae fuerint. *Vid. S. Thom.*, 1, 2, *q.* 1, *art.* 6, *ad* 3; *et* 2, *dist.* 38, *q.* 1, *art.* 1, *ad* 4.

b) Quoad motivum supernaturale, notandum est, quod ex doctrina S. Thomae *contra gentes*, 3, 147, quae est fere communis theologorum, ad hoc ut actus sit meritorius, sive de congruo sive de condigno, opus est ut sit intrinsece supernaturalis; eritque meritorius de condigno, si sit insuper actus hominis justi. Ergo quaestio haec de motivo supernaturali ab alia pendet, an scilicet ad hoc ut actus sint intrinsece supernaturales opus sit ut procedant a motivo supernaturali. Affirmative respondent *Suárez*, l. c., *c.* 10, *n.* 19; *lib.* 2, *c.* 11, *n.* 8; *Vázquez*, 1, 2, *d.* 86, *c.* 6; *Struggl*, *p.* I, *tr.* 6, *quaest. proemial*, 2, *a.* 2, cum *communiori:* quatenus «procedunt ex *motivo* alicujus virtutis vel *supernaturali* in se, vel saltem per illustrationem supernaturalem proposito» (*Erber, tr.* 3, *d.* 10, *art.* 4, *n.* 665). Et haec videtur esse sententia *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 63, *art.* 1 *et* 4. Tamen hi auctores dicunt ad hoc non esse opus in singulis operibus renovari intentionem *finis supernaturalis*, sed qui semel elicuit firmum propositum actibus suis acquirendi vitam aeternam, tamdiu ex hoc proposito agere, quamdiu illud non revocat neque negative neque positive, neque explicite neque implicite, qualis revocatio adest in omni gravi peccato. Si revocavit, nova conversio ad finem requiritur. Cfr. *Lugo*, De fide, *disp.* 12, *sect.* 3, *n.* 47; *Pesch*, De gratia, *n.* 408; *Bouquillon*, Theol. mor. fundam., *n.* 390; *Génicot*, I, *n.* 44. – V. **Casus**, *n.* 35 *et seq.*

APPENDIX

DE MERITO ACTUUM HUMANORUM

90. — Actus *meritorius* est opus bonum et cum gratia positum et praemio seu retributione dignum.

Meritum duplex distinguitur: 1.° meritum *de condigno*, cui merces ex justitia, hoc est, ex Dei promissione debetur; 2.° meritum *de congruo*, cui merces non ex justitia debetur, sed ex quadam decentia et Dei liberalitate.

Dico 1.° Homo justus per gratiam operans vere et proprie mereri potest *de condigno*. — Constat ex *Matth.*, v. 12: *Merces vestra copiosa est in caelis*; et II *Tim.* IV, 8: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Constat etiam ex *Trident., sess.* 6, *c.* 15, ubi declaratur vitam aeternam esse mercedem ex Dei promissione bene operantium meritis reddendam.

Dico **2.°** Homo etiam peccator et infidelis actibus cum gratia positis mereri potest *de congruo*. — Constat ex variis S. Scripturae locis in quibus oratione, eleemosynae, aliisque bonis *peccatorum* operibus tribuitur liberatio a peccato. Atqui hanc liberationem mereri de condigno non potuerunt. Ergo meruerunt de congruo. Item ex *Hier., lib.* 2 contra Pelag., *n.* 11: «Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.»

Exinde bona opera facta ex gratia triplicis sunt generis, scilicet 1.° *Opera viva*, seu opera bona facta in statu gratiae sanctificantis. —2.° *Opera mortificata*, seu opera bona, quae quidem in statu gratiae peracta sunt, sed meritum omne per subsequens peccatum mortale amiserunt, recuperata autem gratia sanctificante, reviviscunt. — *Opera mortua*, quae fiunt in statu peccati mortalis. Haec autem licet vitae aeternae praemium non habeant, ad meritum tamen de *congruo* prodesse possunt.

91. **Quaesita.** — QUAER. **1.°** *Quid requiratur ad meritum* de condigno?

Resp. Requiritur 1.° ut actus sit liber; secus enim non esset actus humanus; 2.° ut sit honestus; secus praemio dignus non esset; 3.°, ut ponatur ex gratia; alioqui proportionem non haberet ad vitam et mercedem supernaturalem; 4.° ut agens sit in statu gratiae, quia peccator non est Dei filius aut amicus, cui promissa debentur. Has conditiones *sufficere* patet ex dictis *n.* 89, *qq.* 6.° *et* 8.°

QUAER. 2.° *Quid homo mereri possit* de condigno?

Resp. 1.° Potest mereri augmentum gratiae sanctificantis, et gloriam aeternam, quae illam consequitur. — Constat ex *Conc. Trid., sess.* 6, *c.* 16.

Resp. 2.° Homo justus non potest *de condigno* mereri perseverantiam finalem, neque gratias efficaces, quia haec sunt dona gratuita, quae Deus non promisit.

QUAER. 3.° *Quid possit homo mereri* de congruo?

Resp. 1.° Peccator per bona opera, v. gr. jejunium, eleemosynam, orationem, mereri potest *de congruo* gratiae auxilium, ut peccatum vitet, et ad justificationem perveniat.

Resp. 2.° Justus mereri potest *de congruo*, 1.°, *sibi* gratias efficaces et perseverantiam finalem; 2.°, *aliis* gratiam primam et ulterioris gratiae auxilia.

QUAER. 4.° *An opus, ut sit meritorium* de condigno, *debeat esse supererogationis, seu non praeceptum?*

Resp. Neg. Constat enim ex *Trident., sess.* 6, *can.* 26, omnia opera, quae in Deo sunt facta, vitam aeternam promereri; opera autem, quae sunt praecepti, et ipsa sunt in Deo facta; ergo etiam per ea homo vitam aeternam promeretur.

92. — QUAER. 5.° *An ad meritum* de condigno *requiratur actus elicitus ex charitate?*

Resp. Neg., ut patet ex dictis supra, *n.* 89, *qq.* 6.° *et* 8.°

Confirm. ex S. Thom., 2, *dist.* 40, *q.* 1, *art.* 5, *ad* 3: *Non solum actus charitatis est meritorius, sed etiam actus aliarum virtutum secundum quod gratia informantur; licet meritorii esse non possint nisi secundum quod reducuntur in finem charitatis. Non autem oportet quod semper actus in finem illum (charitatis) reducantur; sed sufficit ad efficaciam merendi, quod in fines aliarum virtutum reducantur; qui enim intendit castitatem servare, etiamsi de charitate nihil cogitat, constat quod meretur, si gratiam habet. Omnis autem actus in aliquod bonum tendens, nisi inordinate in illud tendat, habet pro fine bonum alicujus virtutis; eo quod virtutes sufficienter perficiunt circa omnia, quae possunt esse bona hominibus.* Cfr. etiam 3, *dist.* 27, *q.* 1, *art.* 4, *q.* 3; *Suárez*, De grat. et mer., *c.* 9, *n.* 10, et *cap.* 10, *nn.* 5, 14, 21-24, 27; *Vázquez*, In 1, 2, *disp.* 217, *c.* 4, *n.* 38; *Erber*, *tr.* 3, *disp.* 10, *art.* 3, *nn.* 656, 663; *Struggl. p.* 1, *tr.* 6, *disp.* 6, *q.* 2, *art.* 4.

FINIS TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

TRACTATUS
De Conscientia

93. — Definitio. Conscientia est dictamen practicum rationis, seu judicium practicum, quo judicamus aliquid hic et nunc a nobis posse vel debere fieri, quia bonum vel praeceptum, aut omittendum esse, quia malum; vel quo judicamus aliquid a nobis bene vel male factum. In primo casu dicitur *antecedens*, et ab ipsa pendet tota formalis malitia actus; in altero appellatur *consequens*. Hinc differt a *synderesi*, quae principia tantum generalia dictat.

Divisio. Conscientia distinguitur:

1.° *Recta*, vel *erronea*, prout verum vel falsum dictat. Ita passim auctores, et in hoc sensu has denominationes adhibebimus. Alii tamen, non incongrue, quam hic diximus conscientiam *rectam*, malunt dicere *veram;* et addunt aliam partitionem conscientiae in *rectam* et *non rectam*, *rectamque* appellant quae judicat *secundum elementa sibi cognita*, ita ut *positis illis elementis* nequeat aliter judicium ferri, quamvis forte a parte rei hoc judicium sit falsum. Cfr. *Zigliara*, Summa phil., *sect.* 3, M. 13, IV; *Marc*, I, *n.* 15 *seq.*

Erronea potest esse vincibiliter vel invincibiliter prout de ignorantia supra *(n.* 66) dictum est, quia omnis conscientia erronea in aliqua ignorantia fundatur.

2.° *Certa*, vel *dubia*, prout mens firmiter et absque errandi formidine judicat aliquid esse bonum vel malum, aut e contra suspensa haeret circa actionis honestatem.

3.° *Scrupulosa*, vel *laxa*, prout vel inani motivo apprehendit, suspicatur aut formidat peccatum ubi non est, vel e contrario leviori de causa peccatum abesse praesumit, aut leve habet, quod est grave, aut tantum curat de mortalibus.

4.° *Probabilis*, vel *improbabilis*, prout ex motivo gravi aut infirmo ad opinandum mens inclinatur. — De singulis seorsim.

Quaer. *In quo differt conscientia a synderesi et a scientia morali?*

Resp. Synderesis est habitus primorum principiorum ad praxim spectantium; *scientia moralis* est habitus inferens conclusiones sive generales sive particulares ad mores spectantes ex primis principiis; *conscientia* vero est applicatio sive principiorum synderesis sive conclusionum scientiae moralis ad proprios operantis actus. Cfr. *Muncunill*, De actibus humanis, *c.* 8, *nota* 2 (opus lithograph.).

CAPUT I

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA

94. — DEFINITIO. Conscientia *recta* (quam alii *veram* appellant) ea est, quae repraesentat objectum sicut in se est: secus *erronea* est dicenda; et quidem erronea dicitur *invincibiliter*, aut *vincibiliter*, prout ignorantia seu error inculpabilis est, aut culpabilis.

Principia. — I. Conscientia *recta* (seu *vera)* praecipiens, semper sequenda est.—Quia conscientia est regula proxima voluntatis, derivata a prima et summa regula omnium actionum humanarum. *S. Alph., n.* 3.

II. Conscientia *invincibiliter erronea* praecipiens, pariter in omni casu sequenda est.—Quia omnino aequiparanda est subjective conscientiae rectae, et quia, juxta Apost., *Rom.*, XIV, 23: *Omne... quod non est ex fide* (seu juxta conscientiam) *peccatum est. S. Alph., n.* 5.

III. Conscientia *invincibiliter erronea* permittens, eximit ab omni peccato.—Quia ibi nullum potest esse peccatum ubi nulla malitia apprehenditur. *S. Alph., ibid.*

IV. Non licet sequi conscientiam *vincibiliter* erroneam permittentem, aut illicita praecipientem, quia cum ex hypothesi error sit vincibilis, quisquis agit cum tali conscientia, errat voluntarie.— Nec licet agere contra eam *prohibentem*, quia sic agens illud facit quod judicat prohibitum, ideoque peccat. Proinde ante actionem illa conscientia per inquisitionem veritatis deponenda est. *S. Alph., n.* 4.

«Haec valent quoad eum, qui hic et nunc aliquo modo advertit aut suspicatur de necessitate inquirendi, priusquam agat. At fieri etiam potest, prout monet Lacroix (*lib.* 1, *n.* 42), ut error quidem olim fuerit culpabilis, quem tamen in praesens quis amplius non advertat, v. gr. si confessarius non satis olim theologiam excoluit, aut hujus studium nimis diu ex negligentia intermisit. Et de hoc verissime dicitur cum S. Thoma (De verit., *q.* 17, *art.* 8, *ob.* 8), quod *nunquam a peccato excusatur*, sive agat juxta conscientiam, sive contra. Et ratio patet, quia semper adest vetus illud peccatum, culpabilis nempe ignorantia eorum, quae quis scire tenetur. Nec reatus iste incurritur dum quis acturus nunc est; sed est culpa omissae olim diligentiae, et a praesenti actione independens, cujus proinde gravitas desumi debet non ab actione nunc ponenda, sed ex communibus principiis de peccatis ignorantiae. Atque hinc vera etiam ratio patet, cur in casu magis reus sit, qui agit contra conscientiam, quam qui juxta: nam hic praedictum tantummodo ignoran-

tiae reatum habet; ille vero, praeter hunc, addit alium nunc reatum actionis contra conscientiam positae. Quod si quis ignorantiae culpam per congruam poenitentiam et additam diligentiam, ut par est, retractaverit, patet eum illi aequiparandum esse, qui invincibili ignorantia laborat.» *Ball.*, h. l.

95. Resolves: — **1.°** Qui putat esse jejunium eum obligans quando non est, ob erroneam conscientiam, peccat contra praeceptum, si non jejunet, eodem peccati genere ac si praeceptum realiter transgrederetur.

2.° Si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitae, putans inculpabiliter se ex charitate ad id teneri, actum bonum facit; et si non mentiatur, contra charitatem peccat.

3.° Qui cum aliquo dubio putat sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi nec contra eam facere; sed debet, si possit, inquirere, eam deponere, et postea operari; talis enim error est vincibilis.

4.° Qui erronee putat se peccare in eo quod nullo modo cavere potest, revera non peccat, v. gr. si putat se peccare omittendo sacrum cum in carcere aut in lecto graviter decumbens detineatur.

QUAER. *Quibus signis confessarius cognoscere possit errorem esse vincibilem in poenitente?*

Resp. Interroget 1.° an aliquam indecentiam in hoc actu adverterit? 2.° an ipsi sua conscientia dictaverit esse saltem interrogandum confessarium, vel alium prudentem virum? 3.° an occasionem interrogandi ex verecundia aut metu neglexerit? Si poenitens affirmative respondeat ad unum vel alterum ex his, censeri potest in culpabili errore versari; secus, si ad omnia negat. — V. **Casus**, *n.* 37.

CAPUT II

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA

ARTICULUS I

DE CONSCIENTIA CERTA

96. — DEFINITIO. *Conscientia certa* ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine judicat, aliquid esse bonum vel malum. Excludit ergo omne dubium *prudens* de opposito.

DIVISIO. *Certitudo* triplex distingui solet:

1.° *Metaphysica*, quae competit iis propositionibus, in quibus attributum subjecto essentialiter convenit, atque adeo immutabilis est.

2.° *Physica*, quae fundatur in ordine constanti, quo mundus regitur: haec firma consistit, quousque leges physicae constantes sunt, et constantes fuisse censentur.

3.° *Moralis*, quae nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur.

Iterum certitudo moralis subdividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Prior est, quae ita fundatur in legibus moralibus, ut clare percipiatur propositionem falsam esse non posse. Haec ad certitudinem metaphysicam mediate reducitur. Posterior ea est, quae competit iis propositionibus, in quibus errorem esse absolute non repugnat, quamvis difficillime contingere id possit. Haec varios gradus admittit.

Item certitudo alia est *directa*, quae obtinetur per certa argumenta materiae intrinseca; alia *indirecta*, quae habetur ex principio aliquo extrinseco, v. gr. Ecclesiae auctoritate.

Principia. — I. Sola conscientia *certa* est recta regula morum. — Ratio est, **1**.° quia *omne quod non est ex fide* (sc. ex persuasione certa honestatis), *peccatum est. Rom.*, XIV, 23 (1); **2**.° quia agens cum conscientia non certa violat obligationem de veritate inquirenda, et ideo peccat formaliter. Praecepta enim nos obligant non modo ne scienter ipsa violemus, sed etiam ne per inquirendi negligentiam eadem transgrediamur *(Ball.-P., n.* 166); 3.° quia qui ita operatur, prudenter timet se per illam suam operationem peccare formaliter; ergo voluntarie se conjicit in periculum proximum peccandi formaliter; ergo virtualiter consentit in transgressionem praecepti, ideoque formaliter peccat.

II. Sufficit conscientia moraliter certa, etiam imperfecta. — Ratio est: 1.° quia agens cum tali conscientia, vere ex fide agit; — 2.° quia certitudo absoluta plerumque haberi nequit; — 3.° quia constat ex sententia communi doctorum, et ex praxi universali.

ARTICULUS II

DE CONSCIENTIA DUBIA

97. — Definitio. *Conscientia dubia* ea est, quae haeret suspensa circa actionis honestatem. Dubium enim est suspensio assensus inter opposita.

Divisio. Multiplex dubium distinguitur, scilicet:

1.° *Positivum*, vel *negativum*, prout adsunt rationes graves dubitandi, aut leves tantum, vel etiam nullae; seu dubium est *posi-*

---

(1) Cfr. *S. J. Chrys.* in ep. ad Romanos, homil. 26, *n.* 3; *S. Ambros.* in ep. ad Romanos, *cap.* 14, *n.* 23; *S. Thomas*, De veritate, *q.* 17, *art.* 3, *sed contra; S. Alphonsus, lib.* 1, *n.* 55.

tivum, quando mens suspendit assensum ob apparentem aequalitatem rationum gravium; *negativum* vero, quando mens suspendit assensum ex defectu rationum gravium.

2.° *Juris*, vel *facti*, prout versatur circa legis exsistentiam, ejusve obligationem, aut circa factum aliquod particulare.

3.° *Speculativum*, vel *practicum*, prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam et in communi; vel circa veritatem, quae hic et nunc ad opus ordinatur.

Dubium autem *speculativum* potest etiam dividi in *speculativum simpliciter*, cum dubitatur de re ad mores non pertinente; et in *speculativo-practicum*, quando dubitatur de principio generali morum, aut de bonitate actionis in se sumptae, nec tamen inquisitio ad opus re ipsa exsequendum ordinatur; si vero circa actionem versetur hic et nunc ponendam, dicitur a quibusdam *dubium practice-practicum*.

98. **Principia**. — I. *a*) Nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia*, sed pars tutior est sequenda. Ratio patet ex modo dictis *de conscientia certa, principio* I. — *b*) Licet autem quandoque operari cum conscientia speculative dubia, cum scilicet, deposito dubio practico, ex dictamine practice certo, seu ex pricipiis reflexis certis, conscientia formatur, ut mox, agendo de probabilismo, dicemus.

II. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est. — Quia in ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde etsi illud maneat, urget tamen obligatio, vel stat libertas, prout antea exsistebat; nec efficere potest ut moralis certitudo oppositi subvertatur. Verum si prudens suspicio de errore tibi oriatur, ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus. *S. Alph*, *n.* 24.

99. **Resolves**: — 1.° Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est posturus, sit licitus necne, diligentiam veritati inquirendae, pro rei gravitate et personae locique conditione congruam, adhibere tenetur: probos et peritos consulat, eorum praxim investiget, rationesque solo veritatis studio perpendat; secus enim periculo legis violandae ex inquisitionis negligentia se exponit, et eo ipso peccat.

2.° Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis perpendere valeat, nec alia ratione, v. gr. per principia reflexa a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practice-practico*, id est cum conscientia vere dubia, ac sine ullo de actionis honestate certo judicio.

3.° Qui diligenti ac sufficienti inquisitione peracta adhuc dubitat, an adsit lex praecipiens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur; quia formare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo*,

scilicet non posse obligare legem, quae inveniri non potest, ut infra, ubi de *probabilismo*, dicetur.

4.° Inepte agunt, qui post actum jam commissum vel omissum apud doctores vel a confessario inquirunt, utrum peccaverint; nam peccatum praeteritum non pendet a sequenti judicio doctoris aut confessarii, sed a dictamine practico quod quis in agendo habuit. — Prudenter tamen facit qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quo pacto scilicet in futurum in simili casu se gerere possit aut debeat.

100. Quaesita. — Quaer. 1.° *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

Resp. Affirm. Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat ea peccati specie tum morali tum theologica, de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est, quia obligationem sane gravem violat praecavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressiones, quae graves esse possint. *Ball.-P., vol.* I, *n.* 166.

Quaer **2.°** *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse malam, sed ad ejus gravitatem non attendit?*

Resp. Alii censent hunc peccare graviter, vel leviter, prout objectum peccati est in se grave, vel leve: hi enim supponunt hominem apprehendere objecti gravitatem prout est in se; alii vero dicunt semper peccare graviter, quia supponunt hunc hominem ita comparatum, ut velit agere, etiamsi gravis sit culpa; alii demum venialiter tantum, modo malitiam gravem, saltem in confuso, non apprehendat, quod tamen supponi nequit, ubi agitur de re notabiliter gravi. *S. Alph, n.* 23.

Attamen cum hae sententiae diversam, ut patet, hypothesim respiciant, facile in concordiam adduci possunt. *Ball.-P., n.* 167.

Quaer. 3.° *Quid agendum sit in casu conscientiae perplexae, quando quis scilicet inter duo praecepta constitutus haeret dubius quodnam e duobus sequi debeat?*

Resp. Sequentes regulas in perplexitate teneto:

1.° Consule, si possis, confessarium, vel alios prudentes viros quia in eo casu ignorantia vincibilis est.

2.° Si consulere nequeas, et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspendi nequeat, elige quod tibi minus malum videtur, non tamen ita ut malum facias, sed ut magis a malo recedas. Scito autem leges, *inferioris ordinis* debere legi *superioris ordinis* cedere.

3.° Si utrumque praeceptum aeque tibi grave videatur, quidvis elige, nec peccabis; non enim peccandi datur necessitas. *S. Alph., n.* 10. — V. **Casus**, *n.* 43.

CAPUT III

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA

ARTICULUS I

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

Conscientia scrupulosa dicitur, quae ex levi, imo et vana causa dubitat de alicujus actionis honestate, ideoque formidat de peccato, ubi peccatum non est. Scrupulus enim est inanis apprehensio, seu levis suspicio, qua quis falso judicat aliquid esse peccatum. Vox autem *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes molestiam pedibus creant.

Dicemus breviter de scrupulorum causis, signis, damnis, remediis, necnon de regulis pro poenitentibus scrupulosis, eorumque confessariis. De tota hac materia cfr. *Eymieu*, *Le gouvernement de soi-même*, Deuxième série; *Raymond*, O. P., *Le guide des nerveux et des scrupuleux*, c. 5 et 6; *Gemelli*: De scrupulis; *Barbéns*, Introd. pathol., *lib.* 2.

I. CAUSAE SCRUPULORUM

101. — Causae scrupulorum praecipuae sunt sequentes:

1.° *Permissio divina.* Non quidem quasi Deus falsas apprehensiones immittat, sed quod has permittens lumen suum subtrahat, ut nimirum homo in anxietates lapsus redeat ad cor, ad meliorem frugem se recipiat, ad Deum recurrere discat, et pro peccatis, patienter sustinendo angorem, satisfaciat, meritum augeat, etc.

2.° *Daemonis operatio.* Dextre enim novit daemon scrupulos fabricare commovendo sanguinem, alterando humores, varia simulacra phantasiae objiciendo, species diversas componendo ut tetricam et falsam imaginem peccati formet, mentem conturbet, a profectu spirituali retrahat, et tandem in animi dejectionem, vel etiam in desperationem conjiciat.

3.° *Complexio melancholica et phlegmatica.* Melancholici enim sunt plerumque suspicaces, rerumque, quas apprehendunt, tenaces, et proinde proni ad omnem mali suspicionem; et cum frigidae sint complexionis, facilius timori et pusillanimitati obnoxii sunt, terrenturque ad primam mali speciem.

4.° *Imbecillitas capitis*, vel defectus judicii naturalis in personis ad timorem propensis; item pusillanimitas et dejectio animi, ob quam timores nescit quis contemnere.

5.° *Nimia sollicitudo* id omne vitandi, quod habet speciem mali; dum enim scrupulosus continuo sibi inclamat, *cave a peccato... attende tibi...*, seipsum sine causa terret et perturbat.

6.° *Consortium cum scrupulosis;* quo spectat et directio a confessario scrupuloso accepta, lectio casuum conscientiae et asceticorum severiorum facta ab aliquo incauto et minus intelligente; item fuga cujusvis humanae conversationis fastidiosa.

II. SIGNA SCRUPULORUM, SEU CONSCIENTIAE SCRUPULIS OBNOXIAE

102. — Plurimum interest, ut animarum moderatores discernant veros scrupulosos a falsis. Saepe enim scrupulosi putantur qui non sunt, et vice versa; et exinde ingentes in directione errores profluunt cum non modico damni spiritualis periculo; multa igitur circumspectione hic opus est. Signa autem praecipua scrupulorum sunt:

1.° *Pertinacia judicii*, qua quis renuit parere consiliis confessarii, vel sapientum; et dum varios consulit, nullius judicio adquiescit; imo quanto plures audit, eo magis implicatur.

2.° *Frequens mutatio judicii* ex levibus motivis; unde frequens inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3.° *Timor peccandi in omnibus*, conjunctus cum mentis pertinacia contra judicium confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium judicium; unde sequitur frequens interrogatio circa confessarii responsa, et repetita inquisitio, an in agendo juxta consilium datum conscientia immunis a culpa esse possit.

4.° *Reflexiones impertinentes* circa circumstantias, quae in actione adfuerunt vel adesse potuerunt, et certitudo in omnibus anxie quaesita.

5.° *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum* in confessione, vel ad illud habendum ceu peccatum, quod tale non esse jam pluries a confessario declaratum fuit.

6.° *Anxietas continua circa confessiones praeteritas* non obstante judicio confessarii, vel confessionum repetitione.

Non potest autem, saltem statim judicari scrupulosus, 1.° qui moderate est sollicitus, aut anxius, ne Deum offendat; 2.° qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur sibi satisfecisse, sed magis vult confiteri et peccata expiare; 3.° qui deliberate adhuc consentit in gravia peccata, quamvis post commissum peccatum valde angatur et anxie confiteatur, nam justa est causa anxietatis, saltem moderatae: potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus; 4.° qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter, nec dubitat, an in hoc vel illo peccaverit.

Ceterum subinde contingit, ut confessarius non possit post

poenitentem prima vel altera vice auditum statim decernere, an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat; quippe anxietatum justa aliqua ac rationabilis causa adesse potest. Multo autem minus confessarius scrupulosus facile judicare potest, num poenitens scrupulosus sit, an tantum meticulosus. *Lacroix*, *lib.* 1, *n.* 517, *etc.*

III. DAMNA SCRUPULORUM

103. — Scrupuli generatim gravia incommoda et damna spiritualia, et saepe etiam corporalia secum trahunt, modo non sint a Deo immissi, verum ex culpa hominis perseverent. Praecipua autem damna scrupulorum sunt sequentia:

1.° *Nocent corpori;* per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2.° Scrupulosum *ineptum* efficium *ad* fructuose *agendum cum proximo;* plerique enim scrupulosi tetrici sunt, et erga domesticos non minus ac erga extraneos morosi.

3.° *Nocent obedientiae*, aut etiam eam totaliter impediunt; quippe scrupulosus potius nugas ac phantasiae ludibria sectatur; sic ad agendum impellitur contra Dei voluntatem, quae illi per patrem spiritualem aut moderatorem manifestatur.

4.° *Orationis studium et amorem debilitant*, aut etiam de medio penitus tollunt; quia vim mentis enervant, ad nugas perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumque ineptum ad conjunctionem cum Deo faciunt. Hinc sequitur non solum *lucrum* spirituale *cessans*, sed etiam ingens *damnum emergens.*

5.° *Fortitudinem infringunt;* quid enim magni audeat, qui totus in nugis occupatur, et neglecta de passionibus suis victoria, tam facile dejicitur animo?

6.° *Spem valde imminuunt*, aut etiam perimunt; quia res demum eo adducitur, ut amissa in Deum fiducia, in laxitatem scrupulosus declinet. Quomodo enim Deo fidet debite, qui illum ut severissimum exactorum semper intuetur? Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus in desperationem brevi agetur, et cupiditatibus suis frena laxabit, vel saltem vitam miserrimam et cum magno damnationis periculo ducet.

IV. REMEDIA SCRUPULORUM

104. — Versantur frequenter scrupuli: 1.° circa actiones quotidianas; 2.° circa pravas cogitationes; 3.° circa confessiones. Igitur:

I. Scrupulosis, qui in omnibus actionibus anguntur timore peccandi, injungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis abstineant, nisi certissimi sint, ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiae, quam confessario praestare debent. *S. Alph.*, *n.* 17.

II. Scrupulosis, qui pavent assensum praebere, vel praebuisse cuilibet pravae cogitationi contra castitatem, fidem aut charitatem, imponendum est, ut has cogitationes velut mera phantasmata, despiciant, et abstineant ab hujusmodi cogitationum confessione, nisi jurare possint, se eisdem vere consensisse. *S. Alph., n.* 15.

III. Scrupulosis, qui semper anxii sunt circa confessiones, praesertim praeteritas, prohibendum est, ne amplius cogitent de culpis vitae anteactae, nec de iis verbum faciant in confessione, nisi jurare possint: 1.° peccata mortalia se perpetrasse; 2.° se nunquam ea confessos esse, praesertim si confessionem generalem jam peregerint. *S. Alph., n.* 16.

Porro scrupulosi et timorati, de praeteritis confessionibus anxii, sic interrogandi sunt: 1.° Num celasti scienter peccatum grave? 2.° An proponebas peccata iterare? Si negative utrique postulationi respondeant, valida pronuntianda est eorum confessio.

V. REGULAE PRO SCRUPULOSIS

105. — 1.° In rebus moralibus, non est certitudo in omnibus quaerenda. Hoc pro omnibus valet; sed scrupuloso praecipue applicandum est.

2.° Obedientia summa et caeca confessario praestanda est, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

3.° Dubium, quod in aliis rationabile videri posset, in scrupulosis omnino spernendum est.

4.° Licitum est, imo saepe obligatorium, et interdum sub gravi, adversus scrupulos decertare. *S. Alph., n.* 17.

5.° Nunquam iteranda confessio, nisi certe sacrilega fuerit; nec postremae confessionis examen unquam innovandum est, etiamsi dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

6.° Scrupuli contemnendi sunt; nec unquam secum de his disputandum a scrupulosis est.

VI. REGULAE PRO CONFESSARIIS

1.° Scrutetur confessarius, an poenitens sit vere scrupulosus..., an in omnibus..., et quaenam sit scrupulorum origo.

2.° Sit patiens, benignus et fortis. Ad ipsum spectant haec Apostoli, II *Tim.*, IV, 2: *Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

3.° Postulanti respondeat absque haesitatione et cum imperio; responsis non facile adjiciat rationes; nec jam confessa peccata pluries repeti sinat.

4.° Commendet scrupuloso magnam in bonitate Dei fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem.

5.° Cum scrupuloso generalibus, non peculiaribus utatur regulis; his enim scrupulosus dirigi non potest, quia ad eas applicandas ineptus est. — V. **Casus**, *n.* 48.

Scrupulosi: **1.°** non tenentur ad examen tam accurata diligentia ac reliqui, quia id ipsis nihil prodesset sed magis obesset; **2.°** nec tenentur ad confitenda, nisi ea peccata quae evidenter appareant mortalia ex obvio examine. Quae duo scrupulosorum privilegia vocari solent.

N. B. — Cum causa scrupulorum mediate vel immediate originem habere possit ex debilitate constitutionali, ex morbo corporali graviter debilitanti, ex insufficienti nutritione cum perturbatione functionum nutritioni inservientium, ex labore immoderato, ex emotionibus deprimentibus, ex quadam psychoneurosi deprimenti *(psychastheniam* appellant) quae prope ad neurastheniam accedit, et quae vix permittit sic male affecto eam animi intensiorem attentionem ad aequum judicium de rebus practicis efformandum: videat confessarius utrum scrupulosus remittendus sit ad medicum pium, doctum, ac prudentem, ut ipse inspiciat num aliquo remedio tonico, sedativo, etc., valetudini prospicere opus sit.

Haec tamen prudenti ac suavi modo scrupuloso insinuanda sunt, ita ut nullo modo offendi possit. Indicari nempe potest scrupulorum causam aliquando radicem habere in aliqua affectione morbida.

Quandoque expedire poterit ut scrupulosus dimittat munus, si quod habeat, majorem animi *tensionem* exigens quam vires ipsius patiantur.

Recursus ad hypnotismum pro sanitate scrupulosi censetur perniciosus.

Cfr. *Gemelli,* l. c.; *La Vaissière,* Psicología experimental, versio hispana a *P. Palmés, pag.* 421-483 (Barcelona, Subirana, 1917).

ARTICULUS II

DE CONSCIENTIA LAXA

106. — Conscientia *laxa* ea dicitur, quae ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere judicat; vel veniale tantum peccatum ibi reperit, ubi est mortale; ea videlicet est, quae absque sufficienti ratione judicium in favorem libertatis inflectit vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpae gravitatem.

Quam maxime periculosa est istiusmodi conscientia, ut attendenti facile patet, proindeque animas injicit in *viam latam, quae ducit ad perditionem. Matth.,* VII, 13.

Tripliciter distingui potest, scilicet: 1.° conscientia *laxa simpliciter,* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam; 2.° conscientia *cauteriata,* quae ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit; 3.° conscientia *pharisaica,* quae magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex pharisaeis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones praetereundo, se magni peccati reos existimassent.

107. — Quae ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complecti licet:

I. Graviter ille peccat, qui scienter laxae conscientiae obsequens, vel temeraria inadvertentia, legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane hujusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest; ergo ipsius ignorantiae praetextu a peccato letali excusari nequit.

II. Immo graviter etiam in re levi peccare potest, si sua illum temeritas ad agendum, quovis dictamine praetermisso et contempto, impellat. Confer quae diximus supra de conscientia dubia, *Quaer.* 1, *n.* 100.

QUAER. *Quaenam sint conscientiae laxae causae, effectus et remedia?*

Resp. ad primum. Causae sunt omissio orationis, animi tepor, sollicitudo nimia temporalium, atque peccandi consuetudo, quae peccati horrorem tollit, familiaritas cum hominibus vitiosis, vita mollis, quae cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

Resp. ad secundum. Effectus sunt caecitas mentis, durities cordis, quod vix ullis mediis moveri solet; obduratio in malo, quae summum salutis periculum inducit, juxta illud Apost., *Rom.*, II, 5: *Secundum... duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae.*

Resp. ad tertium. Remedia sequentia inter alia proponi possunt: humilis et assidua oratio, sacra exercitia, pia novissimorum meditatio juxta illud *Eccli.*, VII, 40: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis;* frequens piorum librorum lectio, quotidiana conscientiae discussio, recursus frequens ad Poenitentiae sacramentum, malorum fuga, et conversatio cum bonis.

CAPUT IV

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBABILI

De tribus agendum est, scilicet: 1.° de natura, 2.° de efficacia, 3.° de usu probabilitatis.

ARTICULUS I

DE NATURA PROBABILITATIS

108. — *Opinio* in genere est assensus in alterutrum cum formidine oppositi; seu est adhaesio alterutri e duobus contradictoriis cum formidine alterius.

Opinio vero *probabilis*, seu *sententia probabilis*, est judicium nitens *motivo gravi*, licet cum formidine de opposito.— *Opinio* vero *improbabilis* est judicium, quod *motivo solido* destituitur.

109. — Divisio *probabilitatis*. Distinguitur *probabilitas:*

1.° *Intrinseca*, vel *extrinseca*, prout vel rationibus ex natura rei deductis, vel auctoritati innititur. Utraque major, vel minor esse potest. «Probabilitas *extrinseca intrinsecam* supponit; eatenus nempe DD. auctoritas vim habet, quatenus censeri possit aut debeat, eos ad aliquam sententiam tenendam promotos gravi quapiam ratione fuisse. Quocirca si forte deprehendas, illos debili aut etiam prorsus falso fundamento innixos aliquid asseruisse, eorum auctoritas nihil sane momenti assertis addit.» *Ball.*, h. l.

2.° *Juris*, vel *facti*, prout circa juris exsistentiam, ejusve applicationem (v. gr. an matrimonium inter fratres sit jure naturali nullum), vel circa aliquod factum (v. gr. an Titius et Bertha sint fratres, cum pater Titii *probabiliter* sit etiam pater Berthae), versatur (1).

3.° *Speculativa*, vel *practica*, prout rem in genere, abstrahendo a circumstantiis, vel actum proxime ponendum respicit.

4.° *Absoluta*, vel *relativa*, prout talis apparet omnibus vel plerisque, aut uni tantum vel paucis.

5.° *Solitaria*, vel *comparativa*, prout talis apparet in se sola spectata, vel comparatione instituta cum contradictoriae propositionis fundamentis. Alii solitariam vocant *absolutam;* comparativam vero *relativam*.

6.° *Certa*, vel *dubia* aut *tenuis*, prout innititur motivis vel certo, vel dubie tantum solidis.

Probabilitas *comparativa* dividitur per gradus in triplicem, scilicet: 1.° *in probabilitatem majorem*, 2.° *mixorem*, 3.° *aequalem*. Quaevis enim propositio potest esse probabilior, vel aeque, vel minus probabilis, quam opposita, prout nititur motivis solidioribus, vel aeque, vel minus solidis. — Opinio autem probabilior et ipsa varios gradus admittit; est enim paulo vel notabiliter probabilior, prout ejus motiva paulo vel notabiliter graviora sunt prae motivis oppositae. *Probabilissima* etiam dicitur, si gravissimo motivo gaudeat. *Probabilissima est*, ait S. Alph., *n.* 40, *quae nititur fundamento gravissimo; quapropter opposita censetur* TENUITER *vel* DUBIE *probabilis*.

Insuper opinio est *tuta*, vel *tutior*, vel *minus tuta*, prout simpliciter favet legi, vel eidem plus minusve favet. Opinio igitur probabilior non est semper tutior, siquidem probabilitas major etiam pro libertate stare potest.

---

(1) Probabilitas *facti*, juxta *S. Alphonsum*, est, quae versatur circa rei veritatem, sive rei substantiam: nempe, an sacramentum cum tali materia collatum, sit validum aut nullum; an contractus cum tali pacto initus, sit usurarius necne. — Probabilitas autem *juris* versatur circa honestatem actionis, id est, an liceat sacramentum cum tali materia conferre; an contractum cum tali pacto inire. *S. Alph., lib.* 1, *n.* 41. Hic tamen loquendi modus parum est usitatus.

Varia systemata circa probabilitatem.

110. — **1.°** *Tutiorismus absolutus*, seu *rigorismus*, juxta quem pars tutior, id est legi favens, semper sequenda est, nisi certo constet, nihil legi contra libertatem favere. Haec doctrina damnata est ab Alexandro VIII.

2.° *Tutiorismus mitigatus*, juxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem.

3.° *Probabiliorismus*, juxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit probabilior.

4.° *Aequiprobabilismus*, juxta quem licitum non est sequi opinionem minus tutam, nisi aeque sit probabilis ac opposita, vel fere aeque probabilis.

5.° *Probabilismus*, juxta quem licet sequi opinionem minus tutam et minus quoque probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat.

6.° *Laxismus*, ex quo semper fas est sequi opiniones etiam tenuiter probabiles; sed hoc quoque systema fuit damnatum, ut infra patebit.

Hinc pro variis circa valorem probabilitatis opinionibus theologi varia sortiti sunt nomina, ut vel rigoristae vocentur, vel tutioristae mitigati, — probabilioristae, — aequiprobabilistae, — probabilistae, — laxistae.

N. B. Alii excogitarunt systema compensationis, de quo dicetur inferius.

111. **Concludes ex dictis:** — 1.° Probabilitas ex natura sua necessario requirit, ut certitudinem etiam dumtaxat moralem exclu dat; per hoc enim solum a certitudine discrepare potest.

2.° Hinc omnis probabilitas, quantacumque fuerit, adveniente certitudine propositionis contradictoriae, omnino perimitur.

3.° Certo probabilis habenda est opinio, quae, tolerante Ecclesia, communis est theologorum, vel docetur a S. Thoma ejusque schola, vel a plerisque theologis ut probabilis asseritur, vel etiam quam absolute tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, judicio et scientia praestantes, nisi ratio certa contra istam opinionem appareat.

4.° Illa opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et experitur se absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram aut certe probabilem deprehendere.

5.° De intrinseca probabilitate juris communiter possunt judicare soli doctissimi, et in re morali versatissimi, cum soli possint scire, nihil certi ipsis opponi.

6.° Vir mediocriter doctus judicare potest de extrinseca opi-

nionis probabilitate, si statum quaestionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus omni exceptione majoribus, id est inter theologos omnino probatis.

7.° Unicus auctor, si sit omni exceptione major, afferatque rationem, quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis haec sit communi opinioni adversa.

8.° Homo rudis audiens a viro, quem ipse existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere; non enim per se rem expendere valet, nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi... — *Lacroix*... etc.

ARTICULUS II

DE EFFICACIA PROBABILITATIS AD CONSCIENTIAM FORMANDAM

112. — Efficacia *probabilitatis* sita est in ipsius vi ad ultimum conscientiae dictamen practice certum formandum. Verum ex iis quae asseruimus *n.* 96, sola conscientia certa est recta morum regula. Quo igitur modo fieri potest ut ex majori etiam probabilitate liceat interdum agere? Id sane vi solius probabilitatis non licet. Ergo ad principium aliquod moraliter certum confugiendum est, ut certitudo habeatur. Itaque disserendum nunc venit, quid in hunc finem valeat probabilitas; utrum scilicet aliquando solidis rationibus, tum legi, tum libertati faventibus, ab ipso legis vinculo liberos nos censere possimus.

Has quaestiones ut discutiamus resolvamusque, sequentes statuimus theses.

PRIMA THESIS

Non licet sequi opinionem probabilem, *nec* prababiliorem, *relicta tutiore, quoties praeter honestatem actionis adest obligatio absoluta alicujus effectus determinati obtinendi, vel mali vitandi, ita ut usus medii prababiliter inepti haec in periculum adduceret; tunc igitur pars tutior est sequenda.*

113. — *Prob.* Quisquis effectum aliquem absolute et *certius* obtinere adigitur, is ea tenetur eligere media, quibus effectum illum certe sit assecuturus. Atqui in casu per solam tutiorem partem *certo* obtineri potest effectus; ex hypothesi enim medium, probabiliter tantum aptum, in discrimen adducit effectum, quem absolute consequi teneor. Ergo non licet uti medio tantum probabiliter apto, sed aptiora media eademque tutiora elegenda sunt.

Nec sumus hic in materia probabilismi, quae respicit legem dubiam. Hic lex obtinendi effectum meliori et securiori quo possis modo, est *certa*. Dubia tantum est efficacia mediorum, et tu teneris ad efficaciora. «Negandum est, inquit *Ballerinius (hic)*, in hisce adjunctis ullam opinioni probabilitatem superesse. Ex dictis enim *(supr., n.* 111) nulla superest pro libertate probabilitas, ubi contra lex *certa* militet. Atqui sic se res habet in casu.» Igitur pars tutior sequenda est.

114. Hinc resolves: — Tutius sectari teneris:

1.° *In his, quae saluti necessaria sunt necessitate medii:* gravissima enim quemque urget obligatio aeternam animae suae salutem certo curandi; proinde media absolute tuta et certa sunt adhibenda. In rebus, igitur, ad fidem seu ad veram religionem pertinentibus, opposita probabilitate posthabita, opinio tutior necessario sequenda est. Hinc ab Innoc. XI damnata est sequens propositio sub *n.* 4: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. S. Alph., n.* 43.

2.° *Quoties agitur de jure certo alterius.* Ideoque *a)* venator timens, ne plumbum in feram ejaculando aliquem hominem forte laedat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimaret abesse periculum; hoc enim, si forte adsit, probabilitate contraria, etsi majori, removeri non potest. *S. Alph., lib.* I, *n.* 52.

b) Medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora quae hic et nunc haberi possunt, adhibenda; quia tacito contractu ad finem securius obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt. Idem pariter dicendum de omnibus aliis, qui erga proximum aliquam ejusmodi obligationem contraxerunt. *S. Alph., n.* 44. Cfr. prop. 2 damnatam ab Innoc. XI.

3.° *Quoties agitur de valore sacramenti.* Unde minister sacramenti, ubi de ejus valore agitur, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia, vel urgeat casus necessitatis, tutiorem partem, in quantum potest, relicta minus tuta probabili, vel etiam probabiliori, sequi tenetur: ratio, quia aliter exponeret sacramentum periculo nullitatis, et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est propositio ab Innoc. XI sub *n.* 1: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore. S. Alph., n.* 48.

Dixi, **1.°** *nisi defectus suppleatur ab Ecclesia;* aliquando enim Ecclesia potest et censetur id supplere, quod desideratur ad valorem sacramenti; quod quidem in duobus sacramentis potest contingere, scilicet in sacramento Poenitentiae, si conferatur cum jurisdictione *probabili*, et in sacramento matrimonii, quando celebretur cum dubio impedimento juris ecclesiastici. *S. Alph., n.* 50.

Dixi, 2.° *nisi urgeat casus necessitatis*; quia cum sacramenta sint *propter homines*, homini in gravi periculo vitae constituto

ministranda ea sunt *meliori, quo fieri potest, modo*, etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de eorum valore. *S. Alph., n. 49, et alii communiter.*

SECUNDA THESIS

Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiore.

115. — *Prob.* Nam opinio tenuiter probabilis, ut dictum est, levibus innititur motivis, quae assensum viri prudentis attrahere nequeunt, unde ex iis suaderi non potest legis exsistentiam esse incertam. Atqui illicitum est sequi opinionem aliquam, relicta tutiore, nisi lex dici possit invincibiliter ignorata; ignorata autem censeri non potest lex, nisi eam incertam esse solidis rationibus probetur. Ergo...

Constat etiam ex prop. 3.ª ab Innoc. XI damnata: *Generatim dum probabilitate intrinseca, seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

TERTIA THESIS

Licet sequi opinionem probabilissimam et etiam probabiliorem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agitur.

116. — *Prob.* 1.° *Quoad probabilissimam.* Constat 1.° ex damnatione propositionis *Sinnichii*, quae est tertia ex XXXI ab Alexandro VIII proscriptis, et est ejusmodi: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo licet sequi opinionem saltem *probabilissimam.* Aliunde autem in hac propositione damnata agitur de probabilissima *minus tuta*, cum nemo unquam negaverit, licere sequi probabilissimam *tutiorem.* Ergo... — Constat 2.° ex eo, quod, juxta S. Alph. et alios, ubi datur opinio *probabilissima*, opposita propositio evadit *tenuiter probabilis*, ut dictum est supra (n. 109) in definitione opinionis probabilissimae. Stante igitur opinione *probabilissima*, errandi formido levissima superest, et proinde sin minus certitudo absoluta, habetur saltem aliqua lata certitudo moralis de legis non exsistentia. Ergo, etc.

Prob. 2.° *Quoad probabiliorem.* Illud ut verum admittendum est, in quo omnes theologi conveniunt; non potest enim supponi theologos omnes unanimi consensu in errorem incidisse. Porro, si rigoristas paucissimos excipias, omnes turmatim in hanc doctrinam admittendam conveniunt, saltem si agatur de opinione vere probabiliori.

Ceterum si intrinsecam hujus sententiae rationem exquirere

velis, alia solida non videtur afferri posse praeter eam qua probari consuevit sequens propositio de liceitate usus *moderati probabilismi*, scilicet legem, si forte adsit, esse prorsus ignoratam, et proinde eam obligare non posse.

QUARTA THESIS

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore aeque probabili, vel etiam vere probabiliore, ubi de solo licito, vel illicito agitur.

Haec propositio triplici argumentorum genere demonstrari potest, scilicet: 1.° ex ratione; 2.° ex auctoritate; 3.° ex consectariis, quae ex opposita sententia profluunt.

I. *Argumentum ex ratione.*

117. — Lex contra cujus exsistentiam militat *vera* et *solida* probabilitas est incerta. Atqui lex incerta non obligat. Ergo lex contra cujus exsistentiam militat vera et solida probabilitas non obligat. Ergo est nulla.

Quod *lex contra quam militat vera et solida probabilitas sit incerta*, clare probatur, quia si contra ejus exsistentiam militat vera et solida probabilitas, datur prudens dubium de ejus exsistentia; ergo datur prudens errandi formido; ergo non datur certitudo, quia certitudo est adhaesio mentis uni parti contradictionis *sine ulla errandi formidine*.

Quod autem *lex incerta non obliget* probatur: 1.° ex Codice, *can.* 15: *Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent;* 2.° ex ratione, hoc pacto: Nullus ligatur lege nisi mediante scientia seu cognitione certa exsistentiae ipsius legis: atqui de lege incerta, seu de cujus exsistentia certo non constat, non habemus scientiam, quia non habemus de ipsa cognitionem certam, et scientia dicit cognitionem certam. Ergo...

Major hujus postremi syllogismi probatur ex *S. Thoma* in Quaest. disp. de veritate, *quaest.* 17, *art.* 3 (Opera omnia, *vol.* 15, *pag.* 75, ed. *Vives*, París, 1889): «Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti... Eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia ligat, cum praeceptum non liget nisi per virtutem scientiae, nec scientia, nisi per virtutem praecepti» (1). Hoc argumentum plene probat et maxime

(1) Immediate antea dixerat: «Ita... se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem

urget *S. Alph.*, Mor. System. (in edit. *Gaudé, n.* 74, *vol.* 1, *pag.* 49. Cfr. etiam *n.* 59. *pag.* 28).

Nec dicas nomine scientiae significari cognitionem *probabilem*, nam recte respondet ibi *S. Alphonsus:* «Quod sub nomine *scientiae* intelligatur *probabilis* notitia, haec est novi vocabularii nova significatio, dum *philosophi omnes* cum eodem *S. Thoma* distinguunt *opinionem* a scientia, quae accipitur ut *cognitio certa* alicujus veritatis.»

118. — Confirmatur thesis. Lex incerta nequit certam inducere obligationem sed incertam tantum. Atqui obligatio incerta est obligatio nulla. Ergo lex incerta non obligat seu nullam inducit obligationem.

Probatur major, seu *lex incerta nequit certam inducere obligationem.* Quia lex seu *vis obligandi* est causa, et obligatio subjectiva, seu *necessitas obediendi*, est effectus: effectus autem suam causam superare nequit. Ergo si lex seu causa est incerta, obligatio quae est effectus nequit esse certa.

Probatur minor, seu *atqui obligatio incerta est obligatio nulla.* Nam obligatio subjectiva supponit hoc judicium absolutum: *teneor hoc facere vi talis legis:* ideoque necessario supponit adesse legem me ad hoc obligantem. Atqui nequit absolute affirmari adesse legem, et simul incertum esse an adsit lex. Ergo...

Hanc veritatem ita proponit *S. Alph.,* in *lib.* 1, *n.* 59: «Ab omnibus philosophis cum D. Thoma, docetur distinctio inter opinionem et scientiam: *opinio* denotat cognitionem *dubiam* aut *probabilem* alicujus veritatis; *scientia* vero cognitionem *certam ac patentem* significat. Sed audiamus ipsum S. Doctorem; et quod S. Thomas nomine *scientiae* intelligat praecise cognitionem *certam*, patet, quia proponit hoc quaesitum: *Utrum conscientia liget?* ac deinde ait: *Ita... se habet imperium* etc. (Vide dicta supra in n. 117, nota). Similitudo a D. Thoma hic allata nequit esse magis lucida et convincens, ad probandam nostram sententiam sive principium, nempe, quod lex incerta non potest certam obligationem inducere. Dicit S. Doctor, quod scientia praecepti est instar vinculi, quod voluntatem ligat. Unde, sicut ad rem aliquam ligandam, opus est ut actualiter funis applicetur; ita ad ligandam hominis voluntatem, ut actionem aliquam exerceat vel omittere teneatur, necesse est ut ipse praecepti *scientiam* habeat: alioquin homo ille in sua libertate remanet. Quamobrem, dum illa in dubio est, an adsit vel non praeceptum prohibens vel praecipiens (sicut accidit, cum duae opiniones ejusdem ponderis aeque probabiles concurrunt), tunc non habet quidem scientiam praecepti; ideoque praeceptum servare non tenetur... Sicut... qui ab aliquo vinculo actualiter non est ligatus, habet potestatem divertendi quo vult; ita, qui non est ligatus *per scientiam* praecepti, liber est ab obligatione praecepti. Ideo S. Doctor scribit legem dici a ligando: *Dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum.*» *(Lib.* 1, *n.* 59, ed. *Gaudé, pag.* 28, 29. Vide etiam *n.* 69, *pag.* 41).

---

aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde, nec imperio alicujus... domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum *per scientiam.*» *(Ibid.).*

Et postea, allegatis diversis locis *S. Thomae,* concludit *S. Alphonsus:* «Itaque juxta has omnes D. Thomae doctrinas concludendum, divinam legem non obligare, nisi cum est *cognita,* nisi cum est *certissima,* nisi cum de illa habetur *scientia,* nisi ipsamet *innotescit.*» *(Ibid., n.* 76, *pag.* 53).

119. – Quod hic dicitur de lege incerta valet etiam quoties lex sit certa sed *dubium sit an lex ad casum aliquem se extendat.* Ut enim ait *S. Alph.*, l. c., *n.* 73, *pag.* 48: «Posito quod *vere probabile* sit, casum illum a lege non comprehendi; idem est dicere, dubium esse an ad casum illum lex se extendat, ac dicere, legem respectu illius casus esse dubiam, proindeque respectu illius casus non obligare.»

120. — Nec dicas, quod deficiente lege *directa certa,* exsistat alia lex *indirecta certa,* pariens obligationem *certam.* Nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest.

1.° Non lex *vitandi periculum peccandi.* Etenim 1.° retorqueri potest objectio in probabilioristas ipsos; siquidem, supposita hujusmodi lege, jam ne solide probabiliorem quidem sequi, rejecta tutiore, liceret; quia etiam tunc adesset tale periculum, cum multoties falsa sint probabiliora veris, ut jam notaverat Aristoteles. — 2.° Illa lex non posset *certo* exsistere, et proinde nec *certo* obligare, nisi in quantum esset revera periculum peccandi formaliter in violatione legis directae, quae probabiliter non exsistit: porro nullum est periculum peccandi formaliter, siquidem illa lex *directa,* utpote *incerta,* nullam parit obligationem *certam,* ut ex dictis patet; ergo si forte exsistit lex illa prorsus *incerta,* dabitur tantum violatio materialis legis; ergo nullum aderit peccatum.

2.° Neque lex *tutius sequendi.* Etenim 1.° si fingeretur talis lex, valeret etiam contra adversarios, et nos deduceret in tutiorismum proscriptum in damnatione propositionis *Sinnichii: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* 2.° Illa lex tutius sequendi supponeret, non esse *simpliciter tutum* posthabere legem probabiliter non exsistentem: porro hoc falsum est, ubi agitur de solo licito vel illicito. Nam satis *tutum* est vitare peccatum et peccati periculum: porro vitatur peccatum et periculum peccati non adimplendo legem *directam probabiliter non exsistentem,* ut supra dictum est. Ergo...

II. *Argumentum ex auctoritate.*

121. — Ex variis capitibus constat, scilicet:

1.° Ex *communiori auctorum* per plura saecula *consensu.* Per integrum fere saeculum (ab anno 1570 ad annum 1654) omnes cujusque scholae adhaeserunt probabilismo. Bartholomaeus de *Medina, O. P.* (1570), fuit primus qui aperte proposuit ac solvit hanc

quaestionem (1), et tam ipse quam *omnes* Dominicani usque ad Ildephonsum *Baptista* (1648) docuerunt probabilismum (2), inter quos citari merentur *Bannez* (*in* 2, 2, *q.* 10, *art.* 1); Didacus *Alvarez*, (*in* 1, 2, *disp.* 80, *n.* 9); Petrus de *Ledesma* (Theol. mor., *p.* 2, *tr.* 7, *c.* 22, *dub.* 2); Gregorius *Martínez* (*Tom.* I, *q.* 19, *art.* 6, *disp.* 6, *c.* 1); *Ioannes a S. Thoma* (1, 2, *q.* 21, *disp.* 12, *art.* 3, *n.* 4).

Jesuitae fere omnes, et quidem omnes insigniores, uti *Toletus*, *Suárez*, *Vázquez*, *Lugo*, *Valentia*, *Arriaga*, *Azor*, *Sánchez*, *Castro Palao*, *Laymann*, *Lesius*. Item Franciscani, ut *Sporer*, *Reiffenstuel*, *Elbel*, *Mastrius*, etc. Inter plures Carmelitas sufficiat nominare suos egregios *Salmanticenses*.

Plures etiam afferri possent ex Benedictinis, Augustinianis, et ex aliis Ordinibus, ita ut *Mastrius* († 1699) scotista, vocet hanc sententiam *communissimam et receptissimam* in omni schola (De act. hum., *disp.* 5, *q.* 2, *art.* 1, *n.* 45) et *Struggl* († 1760), Ord. serv. B. M. V., dicat esse *communissimam recentiorum et plurimorum aliorum*.

Certe saeculo xvii in finem vergente et saeculo xviii plures a probabilismo recesserunt propter diversas causas, plaudentibus et coadjuvantibus jansenistis et regalistis, quibus ansam praebuerunt probabilistae laxi.

Auctores tamen et numero et auctoritatis pondere longe distant ab his qui probabilismum propugnarunt. In hac ipsa periodo floruere egregii theologi probabilismum propugnantes, uti *Gobat*, *Lacroix*, *Viva*, *Reuter*, etc., inter Jesuitas; *Salmanticenses*, inter Carmelitas; *Sporer*, *Reiffenstuel* et *Elbel* inter Franciscanos; *Roncaglia*, *Amort*, etc. Providentissime *S. Alphonsus* illis omnibus qui contra probabilismum scripsere restitit hisce calamitosis temporibus.

Objiciebat *Billuart* (*diss.* 6, *art.* 1) esse (suo tempore) «plus quam mille parochos per totum Galliae regnum, pietate et eruditione praestantes, qui contra probabilismum acriter insurrexerunt, et de illo respective apud suos Episcopos conquesti sunt.» Respondet *S. Alph.*, *lib.* 1, *n.* 79 (edit. *Gaudé*, *pag.* 59): «Loquendo vero de iis qui non jam scribunt de proposito pro rigido systemate, sed tantum illud oretenus approbant, omnes ego veneror, et reputo me sapientiores; sed dico, quod tunc hi majorem auctoritatem mihi afferrent, si scirem ipsos mature utriusque sententiae momenta ponderasse; sed de hoc valde dubito, et jure merito; dum video eosdem scriptores rigidae sententiae ab eis probatae, aut parum nostras rationes animadvertisse, aut respondisse nobis aequivocis et fallaciis, quibus unusquisque intelligens facillime respondere valet.»

---

(1) «Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit» (In 1, 2, *q.* 19, *art.* 6, *conclus.* 3).

(2) Anno 1654 latum est decretum in Capitulo generali Ord. Praed. quo prohibebatur probabilismus; hinc postea omnes dominicani docuerunt probabiliorismum aut tutiorismum.

122. — 2.° Ex *doctrina hujusce temporis* communiter *tradita*. Etenim si inspiciantur scholae per totum orbem diffusae, fere in omnibus invenietur tradita et propugnata *probabilismi moderati* doctrina, praesertim Romae, quae merito haberi debet ut centrum scientiarum theologicarum.

Certe hodie passim ubique traditur probabilismus. Vix ulla est schola sive in Europa, sive in utraque America, in qua non habeatur ut textus auctor probabilista, uti *Bucceroni*, *Génicot*, *Gury-Ferreres*, *Lehmkuhl*, *Noldin*, *Sabetti-Barret*, etc., aut aequiprobabilista ut *Aertnys*, *Marc*, *Scavini*, etc. Aequiprobabilistae autem, ut videbimus, substantialiter probabilismum moderatum tradunt.

3.° *Ex approbatione Ecclesiae* saltem implicita in approbatione operum *S. Alphonsi*. Etenim solemniter declaravit Sacrorum Rituum Congregatio: *Nihil esse censura dignum in operibus S. Doctoris*. Iterum in decreto *S. Poenitentiariae* (5 jul. 1831) a *Greg. XVI* approbato, professor quivis theologiae sequi et docere potest omnes opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur *S. Alphonsus*, nec inquietandus est confessarius qui easdem in praxi sacri tribunalis Poenitentiae sequitur. Atqui *S. Alphonsus* docet verum et germanum probabilismum, ut postea demonstrabimus. Ergo...

III. *Argumentum ex consectariis.*

123. — I. Sequeretur in systemate probabilistarum *difficultas nimis gravis pro confessariis*. Etenim confessarius se exponeret periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiae in perpendendis variis gradibus probabilitatis, praesertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus aeque probabilibus unam sequeretur. Si enim *a*) sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permittendo, in quo deformitatem probabiliter exsistentem apprehenderet. Si juxta sententiam rigidiorem ageret, peccaret jugum incertum poenitenti imponendo. Insuper *b*) licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quandonam certum erit, eam revera talem esse, atque alteri confessario oppositam probabiliorem non videri? Nec quisquam *c*) munus confessarii subire posset, nisi forte ita versatus foret in theologia morali, ut distinguere inter opiniones probabiliores et minus probabiles certo posset; onus enim faciendi includit onus sciendi: paucissimi autem hoc praestare valent. «Exinde repetendum, ut recte observat *Ballerinius* (*hic*), quod confessarii probabiliorismi principiis imbuti, et alioquin timoratae conscientiae, sacrum audiendi confessionis ministerium plerumque refugiant, diris nimirum angustiis vexati, vel certe universam operam excolendis in spiritu

nonnullis devotulis impendant». Vide alia incommoda apud *S. Alphonsum, Dissertatione de probabilismo,* juxta edit. Neap. an. 1755, praesertim *nn.* 17, 42, 48, 50, aut etiam *nn.* 63, 72, 81-83 in edit. *Gaudé.*

Hinc sequitur *d*) etiam illa contradictio confessariorum, qui utut probabiliorismum profitentes, haud raro tamen dictitant, se non posse in administratione sacramenti Poenitentiae principia probabiliorismi *rigorose* applicare; et ideo aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt, qui in angustiis constituti, facile id probabilius judicent, quod alias minus probabile haberent. Nonne praestaret principia mitiora cum tot sapientissimis doctoribus statuere et admittere, eaque *exactius* in praxim deducere?

124. — II. Sequeretur *molestissima difficultas pro fidelibus.* Etenim in dubiis imponeretur ipsis obligatio inquirendi, quaenam opinio sit probabilior; quippe obligatio operandi secundum probabiliorem, includit necessarium officium eam inquirendi: porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliorem et minus probabilem; nam etiam doctis hoc valde difficile saepius est. Et sane quaero, an tenear ad probabilius *in se* seu *absolute,* vel *quoad me* seu *relative?* Si *prius,* unde noscam? Si *posterius,* iterum vel agitur de probabilitate intrinseca, vel extrinseca. Si de *posteriori,* qualis schola sequenda?... quales doctores interrogandi?... Si de *priori,* crescit difficultas: unde sciam, an sim satis ad hocce judicium idoneus? an in ignorantia invincibili verser, vel non? Anceps igitur, dubiisque pressus, quid agam? Recurram ad magistros? At ex hypothesi meum est judicare. Quot itaque, quantaeque angustiae impendeant fidelibus ex illa necessitate probabilius tutiusve sequendi, manifestum fit. *Segneri,* opusc. De probab.

125. — III. Sequeretur *fluctuatio perpetua doctrinae.* Ex probabiliorismo enim sequitur perpetua fluctuatio doctrinae inter ipsos probabilioristas, uti comprobat quotidiana experientia. Sed et ex ipsa natura probabiliorismi oritur ista discrepantia. Impossibile est siquidem, ut re ipsa conveniant, nam posita obligatione sequendi opinionem, quae cuique probabilior apparet, necessario alii pro affirmativa parte, alii pro negativa resolvent. Ligabit unus, solvet alter, et quod tibi probabilius apparebit, facillime alteri aeque vel minus probabile videbitur (1). Hinc sequentur confusio decisionum, perplexitas fidelium, et angustiae ipsorummet confessariorum, qui ex putatitio aliquo probabilitatis excessu gravissimas

(1) Etenim, ut ajebat *S. Alph.* in *diss.* anni 1755, *n.* 17: «non raro aliqua opinio, quae *alicui probabilior* apparet, alicui *minus probabilis* apparebit; imo *sibimetipsi* opinio, quae *heri minus probabilis* erat, *hodie probabilior apparebit*».

obligationes imponent. Probabilismus vero bene intellectus hujusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certae, et obligationes mere probabiles. Quamvis vero non semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, ordinarie loquendo multo facilius esse discernere, an solida ratio vel auctoritas contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis judicium proferre. Ergo..., etc...

126. **Objectiones**. — *Objic.* 1.° Ex *Scriptura sacra*, Eccli., III, 27: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Atqui probabilistae *amant periculum* sequendo opinionem aeque, vel minus probabilem. Ergo...— Eccli., XXXVII, 20: *Ante omnia opera verbum verax praecedat te.* Atqui in probabilismo non est verbum *verax*. Ergo... — 1 Thess., V, 22: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Atqui probabilistae permittunt sequi *speciem* mali. Ergo...

Resp. 1.° *Retorqueo.* Haec enim objecta Scripturae loca, sic intellecta, ne permitterent quidem usum probabiliorismi. Nam in opinione probabiliori contra legem adest *periculum* peccati, *verbum* non *verax... species mali...*

Resp. 2.° *Directe. Ad primum:* agitur ibi de impoenitentia finali, ut patet ex contextu: *Cor durum habebit male in novissimo; et qui amat periculum, in illo peribit.* Insuper nullum adest periculum, ubi nullum deprehenditur peccatum.

Ad secundum: verbum *verax* apud nos est ipsum principium reflexum, quod parit certitudinem practicam, et proinde actus ex eo positus veritati conformis est.

Ad tertium: abstinet a specie mala qui hoc peragit, in quo nullum videt peccatum; tunc enim nec *peccati speciem* cernit.

127. — *Objic.* 2.° *ex (antiquo) jure canonico.* In jure canonico haec regula passim traditur: *In dubiis pars tutior eligenda est.* Sic in cap. *Illud Dominus*, de cler. excomm.

Resp. 1.° *Retorqueo.* Si res ita sit, jam nec tibi quidem licet sequi opinionem utut probabiliorem contra legem, quia non est *via tutior*. Consequenter tibi confugiendum erit ad tutiorismum. Sed systema illud est damnatum. Quid igitur facies? Tu videris.

Resp. **2.°** *Directe.* Agitur in praefata regula de dubio practico, non vero de dubio speculativo, in quo ope solidi motivi conscientia formari potest, vel etiam agitur de casibus in quibus finis est necessario obtinendus. Ita *S. Alph., Objic. IV.* Posset etiam responderi cum eodem S. Doctore (Moral. system., *n.* 77: edit. *Gaudé*), *regulam praefatam canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de praecepto.*

Objic. 3.° *ex Patribus.* Proferuntur multa Patrum testimonia quae probabiliorismo patrocinari videntur, apud *Collet, Concina, Billuart*, etc.

Resp. 1.° Plerumque enim Patres loquuntur de casibus particularibus dubii practici, vel ubi finis necessario obtinendus est.

Resp. **2.°** Non desunt Patrum alia testimonia probabilismo evidenter faventia. Satis sit pauca referre. *S. Aug., epist.* 54 (alias 118), *c.* 2, ait: *Quod neque contra fidem, neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est* (*Migne*, P. L., *vol.* 33, *col.* 200) (1). *S. Greg. Naz., orat.* 39, dicit: *Quod si dubia res est, vincat humanitas et fragilitas.*

128. — *Objic.* 4.° Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a majori eliditur et destruitur. Ergo...

Resp. Neg. Etenim si elideretur minor probabilitas, jam major probabilitas evaderet certitudo, seu dubium prudens excluderet. Hoc autem esse falsum manifeste patet. Insuper rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petitae, se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meae, non obstante opposita probabilitate, in toto suo robore stabunt, usque dum eas esse falsas probaveris. Unde, ait *S. Alph.* (Dissert. edit. ann. 1755), «recte respondent AA. nostri, falsum esse, majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis, vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat: tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur... Haec responsio utique recta est, et omnino evincit, quod major probabilitas alicujus opinionis minime reddit oppositam improbabilem.»

Objic. 5.° Probabilistae non agunt ex *morali certitudine*, ne ex principio quidem reflexo, cum opinionem suae oppositam improbabilem dicere nequeant. Ita *Billuart, art.* 2, et *Gerdil, c.* 6.

Resp. 1.° *Retorqueo* ex paritate rationis. En igitur difficultas tibi prius solvenda.

Resp. 2.° *Directe.* Principium nostrum reflexum istud est: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*, seu *lex incerta certam obligationem imponere nequit.* Porro principium hoc inconcussum est, cum non possit negari, quin sibi contradicant negantes. Imo adversarii hoc principio reflexo inniti debent, nisi, relicto probabiliorismo, tutiorismum velint defendere.

Bene *S. Alph.*, ed. *Gaudé, p.* XX, XXI: «Quod si opinio quae stat pro libertate sit aeque probabilis ac altera quae stat pro lege, nec

---

(1) Quare *S. Alphonsus:* «Quaelibet igitur actio nobis permissa est modo convicti aut *moraliter certi* non simus, illam contra fidem aut bonos mores esse.» *S. Alph.*, ed. *Gaudé*, 1, *n.* 66, *pag.* 37.

etiam ipsam quis sequi potest, eo quod sit probabilis; nam ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis»; nihilominus, «opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatur probabilitate ac opposita quae stat pro lege, grave quidem immittit dubium, an exsistat lex quae actionem prohibeat. Ideoque eo casu lex redditur incerta; *lex autem incerta nequit certam obligationem inducere*».

129. — *Objic.* 6.° Imprudenter agit probabilista non sequendo opinionem verisimiliorem, et agit contra conscientiam faciendo id quod probabiliter, vel etiam probabilius est peccatum.

Resp. 1.° *Retorqueo.* Nonne tu pariter agendo id, quod est probabiliter contra legem, imprudenter te geris?

Resp. 2.° *Directe.* Non agit imprudenter ille, qui nullam cernit obligationem in oppositum, nec proinde agit contra conscientiam, cum nullam deformitatem aut ullius legis transgressionem in sua actione deprehendat.

Objic. 7.° Probabilista vult objectum, quod novit probabilius esse materialiter malum: ergo vult etiam malum formale, quod a materiali cognito separari nequit.

Resp. 1.° *Retorqueo.* Tu vero nonne simili laboras incommodo? Etenim etiam probabiliorem opinionem sequendo contra legem, nonne vis deformitatem materialem saltem probabilem, et consequenter formalem? numquid probabilitas, quae paulo major tibi apparet, periculum violandae materialiter legis tollere potest?

Resp. **2.°** *Directe. Neg. ant.* Probabilista non vult deformitatem ullam: ne materialem quidem. Etenim cum deformitas objectiva sit dubia, actus potest esse bonus. Ergo si potest esse bonus, potest non intendi, et reapse non intenditur ut malus, siquidem simpliciter ignoratur ut malus; et deformitas ignota objectum voluntatis esse nequit.

Optime *S. Alph.* in edit. 5.ª, *pag.* 9, *n.* 48: «Hinc quando dicunt adversarii non esse licitum sequi opinionem faventem libertati adversus legem, patenter errant in terminis; nam quotiescumque adest lex aliquid vetans, omnino rejicienda est opinio libertati favens; sed prius tunc probanda est exsistentia legis... Potius dicere deberet, opinionem contrariam militare, *non contra legem,* sed *contra sententiam* eorum qui adstruunt quod in eo casu adsit lex... Et tunc sequens opinionem pro libertate, ageret, *non contra legem,* sed *contra sententiam asserentem adesse legem.* Denique vellent fautores rigidae sententiae mundum obstringere ad observandas tamquam leges omnes illas opiniones, quas probabiles pro lege ipsi esse arbitrantur. Fautores autem nostrae sententiae volunt leges servari ut leges, opiniones autem ut opiniones, quae numquam vim legis habere possunt. *Utinam Christiani leges certas servarent, quin eis addantur incertae!* Sicut enim Deus praecepit nihil a Lege auferendum, ita nihil addendum, ut Deut., 4, 2: *Non addetis ad verbum quod loquor vobis: nec auferetis ab eo.*»

130. — *Objic.* 8.° Adhibenda est cura major animae, quam corporis. Porro quis aegrotans eligit remedium minus efficax, et re-

linquit probabilius efficax, nisi insaniat? Sic *Collet* cum aliis non paucis.

Resp. 1.° *Retorqueo.* Quis aegrotans sanae mentis sumit remedium probabiliter nocivum, relicto remedio certo? Nonne tutius praeferendum est?

Resp. 2.° *Directe.* Quid ad rem? Insignis cavillatio! Quis non videt, nisi omnino caecutiat, usum probabilitatis hac in re esse prorsus illicitum? Numquid probabilitas major vel minor in causis physicis avertere potest periculum noxii effectus qui timetur? Ergo negandum est suppositum cum paritate.

131. — *Objic.* 9.° Judex in ferenda sententia debet sequi opinionem probabiliorem; ut patet ex sequenti propos. ab Innoc. XI damnata: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem.

Resp. Exemplum nihil facit ad rem, et *Neg. conseq.* Ratio damnationis hujus propositionis est, quia judex ab auctoritate constituitur, ut unicuique jus suum tribuat: porro jus majus habet ille, cui major favet probabilitas, seu potior ratio. (*S. Alph., lib.* 4, *n.* 210). Ut exemplum esset ad rem, proferri deberet casus, ubi de solo licito vel illicito agitur. Imo juxta Codicem canonicum, *can.* 1869, § 2, judex nequit ferre sententiam contra reum nisi *moraliter certus* sit circa rem sententia definiendam. Ego nemo potest cogere aliquem ad legem servandam nisi moraliter certo constet de exsistentia legis.

Objic. 10.° Probabilismus ignotus fuit ante Medinam. Ergo non est sequendus.

Resp. Dist. ut systema ignotus fuit *conc.* vel *trans.* Practice non agebant confessarii ut probabilistae, *nego.*

Objic. 11.° *Probabilismum* damnavit Innoc. XI, die 26 jul. 1680. Ergo hoc systema omnino est rejiciendum.

Resp. Neg. ant. Innoc. XI nunquam damnavit nec prohibuit probabilismum; sed jussit tantum ut Patribus S. J. daretur libertas propugnandi probabiliorismum, et impugnandi, si vellent, probabilismum; quam libertatem filiis suis nunquam denegavit Societas Jesu. — Vide memoratum decretum apud ephem. *Razón y Fe, vol.* 5, *pag.* 258. Illud recenter publici juris factum est, *postulante Patre Brucker*, S. J., ut falsitas confictae damnationis evidenter comprobaretur.

Illud etiam nota, ab orta Societate Jesu semper theologus Sacrae Poenitentiariae electus est (etiam tempore suppressionis ipsius Societatis) et nunc etiam eligitur, ex ipsa Societate, et ferme omnes probabilistae fuere, imo plures in favorem probabilismi scripserant, ut P. *Palmieri* et ejus successor, nunc theologus S. Poenitentiariae, P. *Arendt.* Non ergo Sancta Sedes suspectum habet

probabilismum. Cfr. *Arendt*, Aequiprobabilismus ab ultimo fundamento discussus, *pag.* 116, *seq.*

ARTICULUS III

DOCTRINA S. ALPHONSI CIRCA PROBABILISMUM

In pervestiganda mente S. Alphonsi prae oculis habuimus non modo ejus Epistolas et Theologiae moralis criticam editionem clarissimi *Gaudé*, sed etiam, praeter 2.am, omnes editiones quas ipse sanctus dum viveret publici juris fecit, scilicet 1.am, 3.am et omnes subsequentes usque ad 9.am inclusive. Omnes has editiones in bibliotheca nostri Collegii habemus.

132. — Dico: *S. Alphonsus semper usque ad finem vitae suae docuit verum et germanum probabilismum moderatum.*

In prioribus quidem editionibus illum profitebatur aperte, postea vero, saltem ab editione sexta, territus calumniis contra probabilistas, maxime contra jesuitas, verbis visus est non modo aliquid concedere adversariis, sed etiam recedere a probabilismo et quemdam aequiprobabilismum inducere, sed qui revera nihil differt a probabilismo moderato. Et certe nos argumenta ad demonstrandum probabilismum ex doctrina *S. Alphonsi* desumpsimus ut videri licet, *n.* 117 *seq.*

Jam vero, quod in prioribus editionibus docuerit probabilismum omnes fatentur. Sufficiat nobis afferre haec verba ex editionibus 3.a et 4.a: «Unde cum ad constituendam legem dubiam sufficiat *vera probabilitas* in contrarium, ut supra *evidenter* ostendimus, sequitur quod etiamsi opinio pro lege sit probabilior, possum habere judicium certum sive probabilissimum quod liceat mihi secundum probabilem operari, dato quod probabilissimum judicium habeam quod lex dubia non obliget» *(pag.* 14, *n.* 57, XXXII, in utraque editione).

Quod autem in posterioribus editionibus (a sexta et deinceps) visus sit recedere, etiam aperte constat, nec ullus est qui negare possit. Cfr. edit. 6.am et 7.am *pag.* 10, *n.* 55; edit. 8.am *pag.* 7; edit. 9.am *pag.* 11 *seq.*

133. — Hunc vero aequiprobabilismum non differre a probabilismo moderato, jam ostendo. S. Alphonsus docet licere sequi opinionem pro libertate quando haec est aeque aut fere aeque probabilis ac opinio quae legi favet, in quo omnino consentit cum probabilistis, ut certum est apud omnes. Sic enim in editione 6.a, *pags.* 10-11: «dico quod cum opinio minus tuta est aeque aut fere aeque probabilis, potest quis eam licite sequi».

Et in 6.a *(pag.* 10) et 7.a *(pag.* 10), De consc., *n.* 55, I: «...cum inter utramque opinionem, modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma: *Parum pro nihilo reputatur*».

Docet praeterea non licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, cum opinio quae stat pro lege est *certe* aut *notabiliter* probabilior. Sed hoc dicit ex hypothesi quod opinio tutior est moraliter certa, altera autem certo funtamento caret et est *tenuiter* aut *dubie* probabilis. Rejicit quidem *S. Alphonsus* usum opinionis *certo* et *notabiliter* minus probabilis, sed hujusmodi eas tantum vocat opiniones quae solide probabiles non sunt; quasque propterea etiam moderatus probabilista improbat.

Sic aperte in editione 6.ª *pag.* 10, *n.* 5, II: «Dico igitur non licere sequi opinionem minus probabilem, cum opinio quae stat pro lege, est notabiliter, aut certe probabilior: dico *aut certe,* quia cum opinio pro lege est *certe,* et sine ulla haesitatione probabilior, tum opinio illa non potest esse nisi *notabiliter* probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit jam dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto, ut in altera quaestione dicemus), sed est *moraliter,* aut *quasi moraliter certa;* saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se *certum* habeat fundamentum, quod ipsa sit vera. Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut *tenuiter,* aut saltem *dubie* probabilis respectu tutioris; adeoque non est prudentia, sed imprudentia velle eam amplecti» (1). Idem omnino docet in editione 7.ª, *n.* 55, II, *pag.* 10.

Item in editione tum 6.ª tum 7.ª *(pag.* IV, *Ad lectorem):* «Opinionem minus probabilem in concursu probabilioris (modo haec sit *certo probabilior)* sequi nec audeo, nec possum, sed tantum dico, me ignorare, *quomodo possint rejici ut improbabiles opiniones illae, quae aliquo gravi non careant* fundamento verisimilitudinis, vel auctoritatis, et contra oppositis sententiis nulla assistit infallibilis auctoritas, aut evidens ratio, quae de veritate convincere possit.»

In eadem editione, ad calcem III voluminis, *pag.* 203, *col.* 2.ª (Auctoris monitum pertinens, etc.), haec scribit: «Insuper aliud hic advertendum est. Dixi mox supra, quod si opinio tutior apparet **certe probabilior,** tenemur eam amplecti; advertendum quod hoc procedit, etiamsi opinio illa tutior non sit magno excessu probabilior; sufficit enim ipsam esse uno tantum gradu probabiliorem, ut eam teneamur sectari. Ceterum in praxi loquendo, opinio tutior difficulter apparere poterit certe probabilior, nisi adsit in probabilitate **aliquis notabilis excessus**. Sed quidquid sit de hoc, certum est quod cum dubitatur an opinio tutior sit vel non aliquantulum probabilior, vel omnino aeque probabilis, quam altera minus tuta, eo casu lex remanet vere dubia dubio stricto; ideoque non adest tunc obligatio sequendi tutiorem» (2).

---

(1) De hac editione 6.ª ita *Gaudé* (*pag.* XIX): «In sexta demum affirmat licitum esse sequi opinionem minus tutam, si sit aeque probabilis ac opposita pro lege; illicitum vero esse ulterius progredi: non licere igitur sequi opinionem minus probabilem, cum opinio quae stat pro lege est **notabiliter** aut **certe** *probabilior.* His circumscripta ex utraque parte limitibus, S. Alphonsi sententia praecipue quidem impugnat probabiliorismum, at simul vitat scopulos et pericula probabilismi communis; quam sententiam si postea S. Doctor magis explicaturus est, substantialiter tamen non amplius mutabit.»

(2) De hac editione 7.ª ita loquitur *Gaudé,* l. c., *pag.* XX: «Porro S. Alphonsus in duobus capitibus melius explicat suum systema; et primo quidem, loquendo de opinione minus tuta in concursu probabilioris, hic (in hoc *Auctoris monito*) et deinceps (in subsequentibus editionibus) omittit verbum *notabiliter,* et loquitur tantum de *certo* probabiliori. Quamvis enim practice, ut ipse S. Alphonsus adver-

134. — Quod opinio illa probabilior pro lege debeat esse saltem moraliter certa, ex sententia *S. Alphonsi*, ut contra ipsam agere non liceat, probatur quoque ex doctrina passim tradita, etiam in ultima editione, ab ipso Sto. Doctore, qui omnino docet cum Sto. Thoma legem non obligare nisi de ipsius existentia habeamus scientiam, i. e. cognitionem *certam ac patentem*, nec sufficere ut de ipsa habeamus *opinionem* i. e. cognitionem *dubiam* aut *probabilem*, ideoque legem non obligare nisi cum ejus exsistentia est *certissima*. Vide supra, *n.* 117 *seq.*, praesertim *n.* 118 in fine.

Jam vero si de exsistentia legis non haberemus nisi cognitionem *probabiliorem* (et non moraliter saltem *certam)*, ita ut contra ejus exsistentiam militaret opinio *vere* et *solide probabilis*, tunc non haberemus *scientiam* de tali lege, seu cognitionem *certam*, sed haberemus tantum *opinionem;* et S. Doctor sibi ipsi contradiceret in terminis si diceret talem legem non moraliter saltem certam obligare.

Ergo ex doctrina S. Alphonsi licet sequi opinionem probabilem pro libertate, quamvis opinio pro lege sit probabilior, dummodo excessus probabilitatis tantus non sit ut haec opinio reddatur moraliter certa.

Seu quod idem est, licet sequi opinionem *vere* et *solide* probabilem pro libertate, quamvis opposita pro lege sit probabilior. Quia si illa opinio quae stat pro libertate est *vere* et *solide* probabilis, opposita nequit esse moraliter certa; secus illa esset tenuiter aut dubie probabilis.

---

tit in Monito, § *Insuper aliud hic*, et magis diserte in epistolis ad P. Andream Villani, et P. Petrum Paulum Blasucci, vix aut ne vix quidem opinio possit esse certo probabilior, nisi sit simul **notabiliter probabilior**, ita ut duo illae notiones idem significare videantur: at profecto vox *notabiliter* est verbum incertum, quod ambiguitatem in mente gignere natum est, dum contra vox *certo*, cum non suscipiat majorem vel minorem ambitum, huic vitio viam prorsus intercludit.»

In epist. CCXVII, Nov. 1768, ad P. Blasucci, scribit *S. Alphonsus*: «Del resto veniamo ora al *vostro* sentimento di dovere seguire l'opinione rigida, che tienne uno o due gradi di maggioranza. Questa regola a me pare molto confusa e scrupulosa; mentre è difficile trobar qualche mezza canna che misura questi due o uno grado di preponderanza. La regola mia mi pare chiarissima e certa. Quando la sentenza per la legge è certamente probabiliore, dico che non può seguirsi la meno probabile.» (Lettere, *vol.* 3, *pag.* 342 *seq.*). Et in epist. 25 maj. ann. 1767, ad P. Villani: «Cum opinio pro lege apparet *certe* probabilior, signum est eam *notabiliter et cum excessu* probabiliorem esse.» (*Ibid.*, *pag.* 302 *seq.* Verba S. Alphonsi sunt italice scripta et etiam ep. cujus statim transcribo fragmentum).

In alia epist. ad eumdem Blasucci, 8 aug. *ann.* 1769: «Dico, quando opinio rigida est *certe* probabilior, etiam unico gradu, tunc est *etiam notabiliter* probabilior, quia ista certitudo majoris probabilitatis probat, hanc probabilitatem adeo praeponderantem esse, ut sufficiat ad inflectendum lancem; et ita assero sententiam *certe* probabiliorem eamdem esse ac *notabiliter* probabiliorem, quia si notabilis non foret excessus, non posset inflectere lancem... Ita, Domine, sufficit ut opinio sit unico gradu probabilior; sed rite id intelligatur: iste gradus talis sit oportet, ut certum me reddat opinionem esse probabiliorem, et mihi monstret legem moraliter seu sufficienter promulgatam» *(Ibid., pag.* 349).

135. — Jam vero haec est ipsamet doctrina probabilismi moderati, qui docet non esse licitum sequi opinionem tenuiter probabilem pro libertate, opinionem esse tenuiter probabilem quando opposita est moraliter certa, opinionem *certo* probabiliorem esse moraliter certam. Hinc *Suárez*, probabilista, De legibus, *lib.* 8, *c.* 3, *n.* 19: «major probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis, certus sit».

Item *Mannhart,* probabilista, scribebat anno 1759, id est tribus annis antequam S. Alphonsus suam explanaret doctrinam de aequiprobabilismo: «Quid enim, obsecro, interest, an duae sententiae invicem oppositae, quando agitur dumtaxat de licentia actionis, sint aeque probabiles, vel una earum paulo plus, altera paulo minus probabilitatis habeat, modo utraque vere, solide ac comparative probabilis sit, id est, gravi ac prudenti fundamento innixa, parique auctoritate firmata, ita ut in mutuo conflictu inconcussa stet, nec vinci aut enervari queat... Quod si una *notabiliter magis* probabilis sit, accedet ad classem *probabilissimarum,* quas sequi licere nemo dubitat; si *clare et notabiliter* minus sit probabilis, accedet ad classem *tenuiter probabilium,* quas sequi non licet; certe immunis non erit a periculo excedendi e finibus verae probabilitatis» (De ingenua indole scientiae mediae, probabilismi, etc., *c.* 4, *pag.* 211: Augustae Vindelic., 1759).

Idipsum testatur *S. Alphonsus*, qui ideo dicebat se nullum novum condidisse systhema:

«Ego non contendi, nec contendo nova systemata condere; et bene novi *nullum probabilistam solidae doctrinae ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis.* Sed quia multi probabilistae sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem... idcirco volui distinguere, statuendo quod non liceat sequi opinionem minus tutam quando notabilis et certus est excessus probabilitatis pro tutiore.» Apologia in cui si difende la dissertatione circa l'uso moderato dell'opinione probabile (1765), apud *Bouquillon, pag.* 575.

Hinc est etiam quod *S. Alphonsus* quoties intelligit aliquam opinionem posse sequi, vocat eam probabilem, non vero aeque vel fere aeque probabilem; et ejus discipuli sequuntur in praxi opiniones quas probabiles vocat *S. Alphonsus*, et in quaestionibus posterioribus quas *S. Alphonsus* non tractavit eas amplectuntur, quas intelligunt gravi fundamento fulciri, et dum volunt significare, aliquam opinionem posse sequi in praxi, eam probabilem vocant, sicut probabilistae. Cfr. *Noldin*, *n.* 243, 1.

136. — Quare nullum esse substantiale discrimen inter aequiprobabilismum Ligorianum eorumque discipulorum et probabilismum moderatum testantur recentiores ex utraque schola.

Sic enim *Scavini,* aequiprobabilista (Theol. mor., *vol.* 1, *n.* 148, edit. *Mediol.* anni 1869, *pag.* 118), ubi relata doctrina probabilistarum, sic pergit: «Ita *Voit* (probabilista) innumerique alii; quorum tamen fere omnes *nobiscum conveniunt in re, etsi non in verbis;* ut enim patet eorum opera volvendo, non ita facile excludunt opinionem probabiliorem, si ea talis sit quam nos exposuimus, nempe *certe, sine ulla haesitatione* et *notabiliter* probabilior. Si enim *nonnisi levis sit praeponderantia, neque a nobis attenditur.* Et en

quo sensu S. Alphonsus in suis dissertationibus de usu probabili tuetur licitum esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur, sive intrinseco, scilicet ratione, sive extrinseco, nempe ex auctoritate doctorum. Et hoc sensu plane assentimur cl. *Ballerini.*» Idem tenet *Pruner* († 1897), Theol. mor., *vol.* 1, De consc., § 9, prope finem (Paris, 1880, *pag.* 112-113).

Item *Bouquillon,* probabilista: «Sit igitur haec nostra conclusio: S. Alphonsus a tempore quo rigorismum reliquit usque ad obitum suum eamdem constanter sententiam de morali systemate retinuit. Haec sententia perfecte declarata reperitur in iis quae scripsit intra annos 1762-1767; prout autem ibi exprimitur, apprime cohaeret cum iis quae antea scripserat, licet tunc uteretur formulis latioribus; neque discrepat ab iis quae scripsit postea, licet coactus fuerit uti formulis paulo strictioribus. Jam vero sententia ista, quam post alios vocavit *aequiprobabilismum,* omnino recidit in *communem probabilismum moderatum.* Igitur S. Alphonsus non est auctor novi systematis moralis, sed veteris illius assertor et vindex, quod toto nostro tractatu exponere conati sumus.» *Bouquillon,* l. c., *pag.* 584 *seq.*

Ita demum sapientissimus ac prudentissimus Card. *Gennari:* «Il sistema morale divenuto oggimai, per divina misericordia, communissimo, *chiamisi equiprobabilismo o probabilismo moderato o semplicemente probabilismo bene inteso (differenze che praticamente svaniscono),* insegna a buon diritto: 1.° che sino a quando, fatte le debite ricerche della verità, l'opinione favorevole alla libertà contro quella favorevole alla legge rimane solidamente probabile, può lecitamente seguirsi; 2.° ma che tale opinione non può seguirsi, quando non trattasi della sola liceità, ma vi è un gran bene da conseguirsi necessariamente, o un gran male proprio od altrui che necessariamente devesi evitare.» *Il Monitore, vol.* 25, *pag.* 75.

137. — *Dices:* Cur ergo S. Alphonsus, qui antea professus fuerat se esse probabilistam et sectari, ut plurimum, sententias jesuitarum, quos appellabat veros scientiae moralis magistros, quorum sententiae non sunt nec laxae nec rigidae (1), postea dixit se non esse probabilistam nec tenere doctrinam jusuitarum? (2).

Resp. S. Alphonsus territus clamoribus, calumniis aliisque per-

---

(1) Sic in epist. X, diei 30 martii 1756: «Sento consolazione ancora in sentire che V. S. farà rivedere (il libro della Morale) da un Padre Gesuita... attenendomi io per lo più alle opinioni dei PP. Gesuiti... essendo le loro opinioni nè larghe nè rigide ma giuste. E se io tengo qualche opinione stretta contro alcuno scrittore Gesuita, la tengo forse quasi sempre coll'autorità di altri scrittori Gesuiti, da'quali confesso avere imparato quel poco che ho scritto; perchè essi (come dico sempre) sono stati e sono i maestri della morale... E così io mi son regolato secondo meglio mi ha paruto secondo la coscienza. E molte sentenze, benchè io non l'abbia ammese per probabili, nulladimeno non l'ho espressamente riprovate. E così V. S. non dubiti ch'io non sono molto stretto ma neppure molto largo... ho tenuto e tengo il sistema del probabilismo, non già del probabiliorismo ossia rigorismo.» (Lettere, *vol.* 3, *pag.* 22 *seq.*).

(2) Sic in Dichiarazione anni 1773: «Ego iterum in hoc brevi Opusculo declaro, quod non sum probabilista, neque sequor probabilismum; quinimo eum reprobo.» Et in epist. CCLIV, diei 14 Maji 1772: «Dio mio! Come noi insegnamo le dottrine de'Gesuiti, quando io che ho stampato su queste materie, ho riprovato le dottrine de'Gesuiti... Predicatelo e publicatelo tutti che noi siamo contrarî, ed io il primo, alle dottrine de' Gesuiti. Parlo delle dottrine che non sono buone.» (Lettere, l. c., *pag.* 402 *seq.*).

secutionibus jansenistarum, regalistarum aliorumque contra probabilistas ac maxime contra jesuitas, usus est verbis plus minus aequivocis ut se suosque liberaret ab immani illa persecutione.

Sed revera a parte rei semper docuit moderatum probabilismum, et sicut fecit in prioribus editionibus ita etiam in posterioribus communiter sequitur doctrinam jesuitarum.

His aequivocationibus usus, dixit *se esse probabilistam* intelligendo hoc de probabilismo moderato, *se non esse probabilistam*, intelligendo de probabilismo laxo. Sub iisdem verbis aequivocis dicit *se esse probabilioristam, se non esse aequiprobabilistam* (1).

Ex eadem causa declinandi persecutiones contra probabilistas ac contra jesuitas textum Busembaum, S. J., omittere cogitaverat, ut explicat *Gaudé,* Redemptorista, l. c., *pag.* XVIII: «Causa autem, cur S. Alphonsus ambigeret, servandusne esset textus Busembaum an non, in eo reponenda est quod *luctuosis illis temporibus, homines Ecclesiae infensi, calumniis prosequebantur auctores e Societate Jesu et quoslibet alios, qui eidem Societati favere aut ab ea pendere putarentur.* Quare S. Alphonsus, ut vitaret damna quae sibi accidere possent, consilium iniit, suadentibus etiam suae Congregationibus sodalibus, textum Hermanni Busembaum ab opere suo prorsus expungendi, et theologiam moralem de integro et ex proprio penu iterum scribendi. Quod quidem factum est in Conscientiae tractatu (sextae editioni et posterioribus inserto); sed opus sic inceptum prosequi et ad finem perducere, per aetatem nimis provectam, infirmam valetudinem curamque dioecesis sibi commissae, S. Doctori non licuit.»

138. — *Dices* iterum: Sanctus Alphonsus numquam firmiter probabilismo, adhaesit illudque systema ex obedientia potius quam ex animo sectatus est.

Resp. S. Alphonsus probabiliorismum quem in scholis didicerat semper uti falsum habuit ex quo melius doctrinam potuit introspicere, et in hac sententia perseveravit usque ad mortem, illud systema passim impugnans.

Cfr. *lib.* 1, *nn.* 62, 72, 81-83, etc.: «Ego, ut sincere veritatem fatear, cum theologiae moralis scientiae vacare coepi, quia rigidioris sententiae magistrum mihi audire contigit, pro hac strenue cum aliis tunc temporis contendebam. Sed postea, melius rationes hujus controversiae discutiens, opposita sententia, quae pro opinione aeque probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit; et quidem inductus ab illo pluries hic repetito principio, quod lex dubia non potest obligare.» (Edit. *Gaudé, vol.* 1, *n.* 82, *pag.* 62, *col.* 1.ª) (2).

---

(1) Sic in epist. ad P. Blasucci, 5 aug. 1772: «Perge asserere quod ego et nos omnes sumus probabilioristae; et hoc verum est; etenim dico non licitum esse sequi opinionem probabilem ut probabilem, quippe quod ad bene operandum requiratur certitudo moralis.» (Lett., *vol.* 3, *pag.* 422 *seq.*). Et in Dichiarazione an. 1773: «Itaque neque probabilista sum, neque aequiprobabilista, eo scilicet modo quasi dicam esse per se licitum sectari opinionem aequiprobabilem.»

In hoc sensu omnes probabilistae dicere possunt se non esse probabilistas nec aequiprobabilistas, sed esse probabilioristas.

(2) Cfr. etiam edit. 6.ª *pag.* 20, *n.* LXVI.

Idipsum testatur *Gaudé*, Redemptorista, egregius cognitor doctrinae Ligorianae, *vol.* I, *pag.* XIX.

En verba *Gaudé:* «S. Alphonsus *jam ex quo primum de re morali scripsit, ac deinde toto vitae suae tempore, tutioristas praecipue et prababilioristas impugnavit;* sed in prioribus suae Theologiae moralis editionibus ex parte tantum et imperfecte suum tradit systema, quod paulatim ac sensim evolvit et explicat.»

ARTICULUS IV

DE USU PROBABILITATIS, ET DE REGULIS SPECIALIBUS AD CONSCIENTIAM IN DUBIIS FORMANDAM

139. — Praeter principia generalia, quibus theoria probabilismi statuta est in articulo praecedenti, scilicet: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*, vel *lex dubia non obligat*, recensentur etiam nonnullae regulae speciales, quibus ea principia confirmantur, vel in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes:

I. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.* Ratio est, quia praesumptio plerumque efficit certitudinem moralem saltam latam. Hinc si soleas tali tempore diligenter recitare breviarium, et dubites an aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet, et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Item si dubites, utrum superior juste praecipiat vel dispenset, pro illo stat praesumptio; quia is rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter judicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt, ut in tali casu ipsi deferatur. Ita *communiter theologi.*

II. *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.* Axioma communiter receptum. *S. Alph.*, passim. — Recidit haec regula ferme in praecedentem, cum in utraque praesumptio sit ratio ita judicandi. Sed prior latius patet; siquidem praesumptio erui potest non tantum *ex ordinarie contingentibus*, sed etiam ex particularibus circumstantiis. *S. Alph., ibid.*

III. *In dubio standum est pro valore actus.* Regula est juris civilis, etiam rebus theologicis communiter applicata. Hoc intelligendum est, si factum principale sit certum, et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito: v. gr. si dubites an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris, non teneris iterum confiteri. *S. Alph., lib.* 1, *n.* 26, etc. — Principium istud videtur etiam intelligendum, 1.° *in favorem libertatis*, modo non obstet contraria praesumptio, aut bonum commune reipublicae, vel religionis; 2.° *contra libertatem* in foro externo, vel etiam in foro interno cum agitur de bono publico, v. gr. de *con-*

tractibus, praesertim de *matrimonio*. Ratio autem, cur illud principium non sit applicandum in omni casu contra libertatem, petitur ex alio principio superius memorato, nempe: *Non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet.* Porro non constat de obligatione, nisi urgeat aliqua evidens ratio justitiae, religionis, boni publici, vel alterius finis necessario obtinendi. *S. Alph.*, *lib.* 1, *n.* 26; *lib.* 6, *n.* 505; *Voit*, *n.* 38.

140. — IV. *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda* (*reg. jur. can.* 15, *in* VI); id est in dubio benigniora sunt praeferenda. Unde secundum hoc principium, et communiorem interpretationem, haec statuenda videntur: 1.° Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda, et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2.° Si odia et favores sint indivisibilia, tunc de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subjecta materia, aut ex adnexis circumstantiis judicandum est. 3.° Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. *S. Alph.*, *lib.* 1, *n.* 99.

Odiosum autem hic intelligitur, quidquid *a*) tendit ad poenam, vel *b*) laedit jus tertii, aut *c*) juri communi opponitur. *Favor* vero, seu *favorabile*, quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit, sine privatorum, aut communitatis, aut juris ipsius detrimento (*can.* 19).

V. *In obscuris, quod minimum est, tenendum* (*reg. antiqui jur. can.* 30, *in* VI), seu clarius in Codice: *Leges etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio* **juris** *non urgent* (*can.* 15). Sic intelligenda est haec regula: Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et inquisitione praemissa, determinari neque ex natura rei neque ex contextu verborum aut loci consuetudine, aliave circumstantia, potest, interpretatio minus onerosa seu libertati benignior admittenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle ultra id obligare, quod clare in lege exprimitur. Contra eum, qui legem clarius dicere potuit et non fecit, est interpretatio facienda. Et in Codice, *can.* 2219, § 1: *In poenis benignior est interpretatio facienda;* et *can.* 2233, § 1: *Nulla poena infligi potest, nisi certo constet delictum esse commissum et non esse legitime praescriptum.* Hinc in dubio de quantitate poenae infligendae, minima eligenda est. Item si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

VI. In dubio facti valent sequentia axiomata, seu regulae juris civilis apud omnes receptae, scilicet: 1.° *In dubio, factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem, v. gr. si dubium sit, an quispiam alium percusserit, hoc factum praesumi non debet, sed qui affirmat, debet illud positive probare. — 2.° *In dubio, praesumitur factum, seu recte factum, quod de jure faciendum erat.* Hoc intelligen-

dum de dubio circa actum accessorium, supposita certitudine actus principalis; si quid enim de jure faciendum erat, aut si ordinarie fieri soleat, aut sit favorabile facienti, praesumitur factum esse. — 3.° *In dubio, nemo malus praesumitur, nisi probetur.* Hoc valet, quoties agitur de dubio alicujus delicti. Illud namque imputari non debet, nisi de eo certe constet. Ratio, quia delicta non praesumuntur; nec malus quisquam praesumitur, sed probandus est.

VII. *In dubio, pars tutior est sequenda (regula antiqui juris canonici).*

Haec regula restringenda est ad casus *dubii practici*, vel ad eos in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum, quod lex praecipit omnino cavendum, ut v. gr. in sacramentis conficiendis, juxta superius dicta, *n.* 113, et ex omnibus hucusque expositis compertum est. Si vero hujusmodi regula extenditur ad casus dubii speculativi, est de consilio non de praecepto, ut docet S. Alphonsus (*Moral. System.*, *n.* 77).

141. **Resolves:** — 1.° Non licet sequi opinionem tantum *probabiliter* probabilem, si per opinionem *probabiliter* probabilem intelligatur opinio nulli gravi ac solido argumento innixa, quia talis opinio nequit haberi ut ratio sufficiens ad legem incertam habendam. Sed licet sequi opinionem probabiliter probabilem, si per hanc intelligatur opinio quam quis *probabiliter*, id est, ductus *prudenti, gravi* ac *solida* ratione judicat probabilem; quia talis opinio *proprie et solide* est probabilis.

2.° Non tibi licet sequi sententiam aliis vel aliquando probabilem, et tibi actu prorsus falsam, v. gr. si noveris a R. Pontifice fuisse damnatam. Ratio est, quia si judices actu aliquid esse illicitum, et illud facias, in praesenti actu habes conscientiam peccati, ideoque agis contra conscientiam tuam. Ut ergo licite sequaris sententiam alienam, debes eam prius facere tuam, id est, judicare eam esse probabiliter veram, vel objectum ejus esse probabiliter licitum (*Reuter*, *n.* 105), ad quod sufficit, «ut alterius auctoritas te in prudens de tua sententia dubium inducat.» *Ball.*, h. l.

3.° Non semper licet sequi quamlibet opinionem *speculative* probabilem; quia quandoque opinio speculative probabilis non est *practice* probabilis: nimirum potest dari actio in se quidem licita, quae tamen in praxi ob periculum scandali, irreverentiae, injustitiae, etc., illicita evadat: i. e. quia «licitus opinionis ejusdem usus illas exigit conditiones, quae in praxi vix aut ne vix quidem sperari possunt.» *Ball.*, h. l. Cfr. infra, *n.* 479.

4.° Non licet sequi opinionem probabilem, quando opposita apparet *probabilissima*, quia non videtur posse stare motivum grave in conflictu motivi gravissimi; unde talis opinio habenda est dubie vel tenuiter probabilis.

142. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An licitum sit uti probabilitate, non*

tantum in materia juris positivi, sed etiam juris divini et naturalis?

Resp. Affirm., quia in qualibet materia contingere potest, ut non constet de legis exsistentia, quoties nempe contra militat vera et solida probabilitas; ac proinde datur de tali lege ignorantia vere invincibilis. Porro Deus, auctor legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare, quando invincibiliter legis exsistentiam ignoramus. *Lacroix*, etc.

QUAER. **2.°** *An confessarius possit, vel debeat absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem probabilem quidem, sed oppositam sententiae, quam ipse tenet?*

Resp. Affirm., si poenitens adhaereat opinioni vere probabili cum conscientia formata. — Ratio est, quia poenitens habet jus sequendi opinionem vere probabilem, nec confessarius jus habet ipsi imponendi proprias opiniones, etiamsi probabiliores ipsi videantur. Confessarius enim non est *judex opinionum*, quas poenitens sequi teneatur, sed est tantum *judex dispositionis* sui poenitentis, ut patet ex *Trid.*, *sess.* 14, *c.* 6. — Ita *S. Alph.*, *lib.* 6, *n.* 604, *et alii communiter.*

Hinc nec licet confessario uti opinione probabili ad imponendam obligationem poenitenti, quamvis hic oppositae opinionis veram probabilitatem ignoret. «Iniquissimum enim foret, poenitentis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio, quae a Deo legislatore non imponitur, et quae insuper poenitenti in perditionis laqueum cedere posset.» *Ball.* Cfr. infra, *n.* 144, in fine.

QUAER. 3.° *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere probabilem?*

Resp. Affirm., saltem generatim loquendo; imo in quaestionibus, quarum solutio magnopere pendet a prudentum aestimatione, major auctoritas majorem constituit probabilitatem. Nam difficile est aliquid esse *extrinsece* probabile, quin pro eo sit ratio vere gravis. Rationabiliter autem praesumi debet adesse talem rationem quando multi et graves auctores tenent aliquam opinionem esse probabilem, quippe qui rei veritatem penitus perspexisse, et solidis motivis inniti merito censentur. — Hinc S. Thomas: *Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur.* 2, 2, *q.* 4, *art.* 8. — Accedit etiam auctoritas S. Poenitentiariae. Etenim S. Congreg. interrogata, utrum sit inquietandus confessarius, qui sequatur doctrinam *S. Alphonsi*, quin rationes ejus perpendat, sed tantum propter ejus auctoritatem, respondit *negative;* et hoc responsum fuit a summo pontifice *Gregorio XVI* approbatum. Ergo probabilitas extrinseca intrinsecam supponit. Ergo...

143. — QUAER. 4.° *Quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo:* QUI PROBABILITER AGIT, PRUDENTER AGIT?

Resp. Principium istud sic enuntiatum *falsum* est, si habeatur ut principium primarium et *per se* vim habens. Ratio est, quia actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis, sed id habet ex sola certitudine. — Est autem *verum*, si habeatur tantum ut consequentia alterius principii primarii, quod sit per se regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Nulla est obligatio, nisi de ea certo constet.* Ex quo principio sic argui potest: Atqui de obligatione quae habet contra se opinionem vere probabilem, quamvis pro se habeat probabiliorem, non certo constat. Ergo talis obligatio est *nulla* (Vide supra, *nn.* 117-119). Ergo qui sectatur opinionem vere probabilem, etiam relicta probabiliore, prudenter et honeste agit, cum *nullam* obligationem violet. Atqui sectari opinionem vere probabilem, etiam relicta probabiliori, est quod significatur his verbis: *agere probabiliter.* Ergo qui probabiliter agit, prudenter agit. Cfr. *S. Alph., lib.* 1 (ed. *n.* 79, *Gaudé, pag.* 58, 59).

QUAER. 5.° *Quomodo intelligendum sit axioma:* IN DUBIO MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, *et quinam ejusdem usus in conscientia formanda?*

Resp. 1.° Haec regula prout a DD. tradi et admitti in scholis consuevit, nunquam de statu opinionis, sed solum de statu dubii presse sumpti intellecta et recepta fuit. Inter dubium autem et opinionem hoc semper discrimen exstat, ut illud omnimodam assensus suspensionem inter duo contradictoria importet; haec vero assensum in alterutram partem, licet non sine formidine oppositae.

Resp. 2.° Hoc axioma valere tantummodo in materia justitiae, non vero generatim in materia aliarum virtutum, censuerunt nonnulli, contenderunt vero praesertim probabilioristae, ne videlicet ex hoc principio, quod ab omnibus receptum videbant, vis accederet alteri principio, quod ipsi impugnabant, nempe *legem dubiam non obligare*, aut *ex lege incerta non posse certam obligationem induci.* Ita *Billuart*, De actibus human., *dissert.* 6, *art.* 2.

Istud tamen axioma valere in aliarum quoque virtutum materia, communior est et prorsus tenenda sententia; oppositamque opinionem merito Suarezius (De cens., *disp.* 40, *sect.* 5, *n.* 15), *falsam* dixit et *nulli fundamento* innixam. *Vide etiam Lugo*, De just. et jure, *d.* 24, *n.* 110.

Et sane, ut idem *Suárez* advertit (De voto, *lib.* 4, *cap.* 5, *n.* 7), jura, ex quibus illa regula sumitur, generatim et sine restrictione loquuntur, ut in cap. *In pari* 65, de reg. juris in VI, absolute dicitur *in quacumque causa praeferri jus possidentis.*

144. — QUAER. 6.° *Si dubites utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?*

Resp. 1.° *Affirm.* prorsus juxta omnes, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de *dubio negativo*, aut de dubio *practico;* ratio

est, quia in tali dubio numquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis, *nn.* 96, 98 *et* 127, itemque ex principio: *In dubiis melior est conditio possidentis.*

Resp. 2.° Si autem agatur de *dubio positivo*, seu de vera et solida probabilitate, controversum fuit.

Affirmant cum quibusdam aliis *Concina*, *Collet* et *Antoine;* et rationem desumunt ex hoc principio: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam.* Etenim (inquiunt) lex semel exsistens et imperans jus habet exigendi *rigorosam* obedientiam seu indubiam obligationis impletionem. Porro quando tantum probabiliter aut etiam probabilius existimas te legem adimplevisse, ipsi rigorose minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usquedum certo satisfeceris.

Communissima tamen, et prorsus rationi consona sententia est, eum, qui probabiliter alicui obligationi satisfecit, ad nihil ulterius teneri. Cfr. *Suárez*, De poenit., *disp.* 22, *sect.* 9, *n.* 6; *Lugo*, De poenit., *d.* 16, *nn.* 58, 59.

Prob. 1.° Cum probabilitas gravi et prudenti judicio fulciatur; quisquis ergo probabiliter satisfacit obligationi, illud agit quod prudenti judicio sufficit ad praeceptum implendum. Atqui neque aequitas patitur, ut plus exigatur, quam quod prudenter creditur sufficiens ad implendum praeceptum, neque plus aliquid velle merito censetur prudens et aequus legislator. Ergo...

Prob. 2.° Quaelibet exactio ultra id, quod probabiliter sufficit ad implendum praeceptum, contra se habet prudentis hujus judicii probabilitatem. Atqui exactio, contra se habens judicium probabile, evadit quoad hoc obligatio seu lex incerta, quae (ut ex dictis superius constat) vim obligandi habere non potest. Ergo...

Prob. 3.° Ab absurdo. Si enim obligationi certae itidem certam satisfactionem postules, nedum per probabilem aut probabiliorem, sed ne per probabilissimam quidem satisfactionem praeceptum dici poterit impletum; nam semper locus superest reponendi, certam esse obligationem, satisfactionem vero incertam seu minus certam. Atqui hoc recta via ad damnatum tutiorismum adducit. Hinc etiam *Billuart* (De sacr. Poenit., *diss.* 7, *art.* 2, § 4) et alli, licet probabiliorismum tenerent, censuere tamen sufficere, si legi *probabilius* satisfacias. Ergo...

Quoad axioma, quod objicitur: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam*, respondetur, verum esse, quoties sermo est de dubio practico vel negativo, non vero si libertati faveat vera et solida probabilitas.

QUAER. 7.° *An inter plures opiniones probabiles liceat modo hanc modo oppositam sequi?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia inter probabiles opiniones nulla datur *formaliter* tutior et securior altera. Omnes enim sunt

aeque securae.—Insuper si tenearis opinionem sequi, quae tibi probabilior apparet, nec possis ex probabili aliorum sententia operari, mille scrupulis agitari debes, et singulis horis opus variare, cum jam uni opinioni ceu probabiliori adhaereas, jam contrariae, etc.—*Pal.*, De cons., *disp.* 2, *punct.* 2, *nn.* 2, 3. Sed vid. **Casus**, *t.* 1, *n.* 75.

Non tamen licet in actu moraliter uno utramque opinionem ita sequi, ut utrique simul adhaereas qua prodest, rejicias vero quatenus nocet; nam aperta tunc foret contradictio et juris *certi* violatio. Sic illicite ageres si adires hereditatem, vi testamenti debitis solemnitatibus destituti, ex probabili opinione quod tale testamentum sit validum in conscientia, et simul nolles legatum in *eodem* testamento relictum solvere, ex opposita probabili opinione quod tale testamentum sit nullum. Tunc enim, quo jure retines legatum? Non ex vi testamenti, neque quatenus es heres ab intestato. Ergo nullo jure. Ergo violas jus *certum* sive legatarii, sive heredis ab intestato; nam certum est horum uni sive alteri bona legati deberi. Cfr. *Aertnys*, *l.* 1, *n.* 89; *Buccer.*, *n.* 128.

ARTICULUS V

DE SYSTEMATE COMPENSATIONIS

145. — Aliud systema, quod appellant *compensationis*, alii inducere volunt.

EXPONITUR HOC SYSTEMA. Principium eorum est: legem incertam nec habere omnem obligationem, ut lex certa, nec omni obligatione carere, sed obligare plus minus prout magis aut minus sit cognita. Unde causa quae a lege certa excusare non potest, poterit excusare a lege incerta.

PROBARE VOLUNT HOC PACTO: Lex certa parit obligationem plenam; lex nullo modo cognita, nullam parit obligationem. Ergo lex imperfecte cognita, parit aliquam obligationem majorem vel minorem pro diverso gradu cognitionis, quia semper adest periculum majus vel minus violandi legem materialiter. Consequenter etiam causa major vel minor pro gradu obligationis excusabit a periculo violationis materialis. Cfr. *Gury*, **Casus**, 1, *n.* 61 *seq.*; *Prümer*, 1, *n.* 344 *seq.*; *Tanquerey*, 2, *n.* 415.

146.—IMPUGNATUR: 1.° Antecedens verum est, sed consequens et consequentia falsitatem habent. Quasi quis dicat: Homo post annum vigesimum primum habet perfectam obligationem jejunandi; puer unius diei nullam habet obligationem jejunandi: ergo juvenis pro majori vel minori aetate intra hos terminos majorem vel minorem obligationem habet jejunandi.

Igitur obligatio consistit in indivisibile cum inducat necessita-

tem agendi; ergo aut obligatio adest aut omnino non adest. Causae excusantes admittuntur ubi lex est moraliter certo cognita, secus non opus est causa excusante.

2.° Praeterea hoc systema non inservit ad quaestionem dilucidandam sed ad confusionem inducendam, et incurrit incommoda probabiliorismi et tutiorismi. Quis enim judicare poterit de diversis gradibus obligationis, juxta diversos gradus cognitionis, vel de gradibus cognitionis necessariis ad peccandum mortaliter, vel de causis quae excusent a gravi tantum vel etiam a levi peccato? Quaenam erit norma clara et certa ad judicium efformandum? Ergo vel sectaberis semper tutiora, vel te expones periculo transgrediendi legem materialiter, quod juxta te peccatum est. *Gury*, l. c., *n.* 62.

147. — *Dices:* Sicut distinguitur obligatio gravis ab obligatione levi in aliis casibus, ita etiam hic.

Resp. Negandum est, quia in aliis casibus supposita lege certa distinguis obligationem gravem a levi ex gravitate materiae, etc., sed in hoc systemate, postquam judicium efformes de gravitate materiae, etc., debes attendere ad gradus majoris vel minoris cognitionis. Ergo adauges difficultatem.

Cognoscere autem utrum aliqua opinio sit necne vere et solide probabilis multo facilior est, cum auctores communiter de hoc consentiant; et posita illa cognitione quaestio finita est. In systemate compensationis in primis debes cognoscere gravitatem vel levitatem obligationis quam induceret lex si certo cognosceretur, deinde eam obligationem quae respondeat ipsi legi plus vel minus cognitae, postea attendere debes ad causas excusantes juxta diversos gradus cognitionis, etc.

Dices: Ante Medinam confessarii et sapientes procedebant juxta systema compensationis.

Resp. Hoc neque probare poteris neque verum est. Cfr. *S. Alph.*, in edit. 4.ª, *pag.* 20, *n.* 67 *seq.*

FINIS TRACTATUS DE CONSCIENTIA

TRACTATUS

De legibus

Lex est regula externa et remota actuum humanorum, sicut conscientia, seu dictamen practicum rationis, est eorumdem regula interna et proxima.

Agendum 1.° de legibus in genere; — 2.° de praecipuis legum speciebus.

PARS PRIMA

DE LEGIBUS IN GENERE

Dicemus de legis natura, — auctore, — objecto et subjecto, — promulgatione et acceptatione, — obligatione, — interpretatione, — dispensatione et cessatione.

CAPUT I

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS

148. — Definitio. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata (*S. Thom.*, 1, 2, *q.* 90, *art.* 4). Hinc differt a praecepto. Lex enim essentialiter fertur communitati a persona publica et pro bono communi, dum praeceptum proprie dictum etiam a persona privata emanare potest, et subditos privatos respicere in privatum eorum bonum. Tale est imperium patris in filium, aut principis in aliquem subditum. Saepe tamen etiam leges praecepta dicuntur. Sic leges divinae, Moysi in monte traditae, praecepta Decalogi nuncupantur.

Multiplex discrimen est inter legem et praeceptum, scilicet: 1.° *Ratione jubentis*, quia legislator est persona publica, praecipiens vero potest esse persona privata. 2.° *Ratione subjecti*, quia lex *per se* fertur in communitatem, praeceptum potius in personam privatam. 3.° *Ratione finis*, quia finis legis immediatus est bonum commune, finis autem immediatus praecepti bonum privatum. 4.° *Ratione loci*, quia lex *per se* afficit territorium, praeceptum vero personam, atque, ut ajunt, *ossibus haeret*. 5.° *Ratione*

durationis, quia praeceptum generatim cessat resoluto jure praecipientis sive per mortem, sive per translationem, etc.; lex vero non exstinguitur simul cum legislatore.

Divisio. — Lex multiplici modo distinguitur:

1.° *Divina*, vel *humana*, prout Deum, aut hominem auctorem immediatum habet.

2.° *Naturalis*, vel *positiva*, prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3.° *Ecclesiastica*, vel *civilis*, prout a potestate ecclesiastica vel civili fertur.

4.° *Moralis*, aut *poenalis*, vel *mixta*, prout sub sola culpa, vel sub sola poena, vel sub utraque simul obligat.

5.° *Affirmativa*, vel *negativa*, prout praecipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *praeceptiva*, vel *prohibitiva*.

6.° *Prohibens* simpliciter, vel *irritans*, aut *permittens*, prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7.° *Favorabilis*, vel *odiosa*, prout ampliat vel restringit libertatem.

8.° *Scripta*, vel *usu servata*, prout mandata scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

149. — Quaer. 1.° *Quales sint proprietates seu conditiones legis humanae?*

Resp. Sunt sequentes, quae in ipsa legis definitione includuntur, scilicet, debet esse *possibilis*, *honesta*, *utilis*, *justa*, *permanens* seu *stabilis*, et *promulgata*. — Ita *ex prima parte Decreti, d.* 4, *can.* 2.

1.° *Possibilis*, id est accommodata moribus et circumstantiis personarum, etc.

2.° *Honesta*, id est nihil statuens, quod inhonestum sit, ac bonis moribus seu rectae rationi aut divinae legi positivae, repugnans; neque enim ad actus malos et ultimo hominis fini adversos obstringere lex potest.

3.° *Utilis* bono communi, 1.° quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2.° quia lex est actus publicae potestatis, quae in solum bonum commune instituta est.

4.° *Justa*, id est secundum normam justitiae distributivae, adeo ut alii non magis quam ceteri graventur, sed subditis cum aequalitate proportionis, spectatis eorum viribus et facultatibus, imponatur; secus in conscientia non obligat.

5.° *Permanens* seu *stabilis*, id est statuta sine tempore definito, ita ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu stat communitas cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiae, pro quibus lata est.

6.° *Promulgata*, quia lex est regula generalis et publica actio-

num, dirigens et obligans communitatem. Regula autem dirigere et obligare nequit communitatem, quam regit, nisi ei sit per promulgationem applicata.

Quaer. **2.°** *Quaenam leges ecclesiasticae habendae sint ut irritantes et inhabilitantes?*

Resp. Eae tantum quibus *expresse* vel aequivalenter statuitur aut *actum* esse *nullum* aut *inhabilem personam (can.* 11).

CAPUT II

DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE

150. — Legislator dicitur superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet jurisdictionem.

Principia. — I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario ceteri legislatores, quicumque sint, omnem suam potestatem accipiunt, sive *immediate*, sive *mediate*. — Deus enim est regula summa et essentialis cujuslibet ordinis, et ipse solus gaudet supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. Constat etiam ex Scriptura: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Prov., viii, 15-16. *Non est... potestas nisi a Deo.* Rom., xiii, 1.

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quae ad finem ipsi propositum assequendum conducunt.

Constat 1.° *ex Scriptura sacra.* Sic enim Christus Petro, *Matth.*, xvi, 19: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis*, etc. — Et Luc., x, 16: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* — Item Act., xv, 28-29: *Visum est... Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato.* Porro verba: *Quodcumque ligaveris... qui vos audit, me audit... imponere vobis...* significant collatam Ecclesiae potestatem ligandi seu leges statuendi.

Constat 2.° *ex ratione.* Ecclesia enim est societas perfecta in suo genere. Ergo gaudere debet potestate expedita ad proprium regimen necessaria. Atqui Ecclesia suo regimini providere non posset, nisi facultatem condendi leges haberet; multi enim sunt abusus reprimendi inter fideles, multaque ad Dei cultum promovendum aut servandum, et ad animarum salutem procurandam constituenda sunt. Ergo...

Constat 3.° *ex traditione* et constanti Ecclesiae praxi, seu ex variis constitutionibus apostolicis et conciliis, quibus statuta disciplinaria condita sunt.

151. — III. Principes saeculares condere possunt leges, quae ad finem temporalis felicitatis conducant.

Constat 1.° *ex Scriptura sacra*, Prov., VIII, 15: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt...* ut supra *in* I *princ.* Et I Petr., II, 13-14: *Subjecti... estote... sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.*

Constat 2.° *ex ratione;* etenim principes a Deo habent potestatem regendi subditos, ut supra dictum est: atqui hanc potestatem exercere non valerent, nisi facultate leges statuendi gauderent. Ergo, etc.

IV. Semper obtemperandum est legitimis superioribus aliquid justa lege praecipientibus, sive immediate a Deo, sive mediante populo eos auctoritatem recepisse existimes. — Ratio est, quia in utraque sententia sunt aeque a Deo societati gubernandae praepositi, ac propterea ab eo accepta pollent auctoritate. Hinc nullius momenti est in praxi controversia utrum principes saeculares *mediate* an *immediate* potestatem a Deo habeant.

Censenda autem est justa lex, quoties de ejus injustitia apud viros doctos et probos communiter non constat; quia rectus ordo requirit, ut in dubio praesumptio superiori faveat.

152. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

Resp. Papa, concilium generale, episcopi et concilia particularia.

1.° *Papa*, seu *Pontifex Romanus, pro tota Ecclesia.* Ipsi enim dictum est in persona Petri: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joann., XXI, 15-17. Vox autem *pascere* idem significat ac gubernare et regere. — Adde verba Matth., XVI, 19, supra relata: *Quodcumque ligaveris*, etc. Papa enim est verus successor Petri in cathedra romana; est proinde *summus Pontifex, summus Claviger, Pastor pastorum*, Christi *Vicarius* in terris.

N. B. In Codice nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis venit non solum Romani Pontificis persona, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet *(can.* 7).

2.° *Concilium generale* itidem *pro tota Ecclesia.* Concilium enim generale juridice repraesentat totam Ecclesiam docentem ac regentem; ergo leges condere potest pro tota Ecclesia. Verumtamen nihil potest concilium generale, nisi Summus Pontifex sive per se, sive per legatos ipsi praesit, et ejus decreta confirmet. Ecclesia enim, absente capite seu Papa, repraesentari non potest.

3.° *Episcopi pro dioecesi.* Hoc enim necessarium est ad rectam dioecesis administrationem. Constat etiam ex illo *Act.*, XX, 28: *Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hoc autem jus accipit Episcopus in sua canonica institutione. Habet enim

jus et officium gubernandi dioecesim cum potestate legislativa, judiciaria et coactiva, *(can.* 335), ideoque leges perpetuas etiam extra synodum ferre potest, et, ut videtur, etiam inconsulto capitulo, nisi aliter in casu peculiari statuat jus. Nihil porro potest Episcopus circa legem Summi Pontificis, cum inferior jurisdictionem in superiorem non habeat. Nec proinde quidquam statuere potest, quod legi communi opponatur vel illam infirmet. — *Archiepiscopi* vero et *patriarchae* leges ferre nequeunt pro dioecesibus suffraganeorum, quia non sunt superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas dirimere possint. Cfr. *can.* 271, 274.

4.° *Concilia particularia pro provincia vel natione.* Etenim si episcopi seorsim sumpti leges pro dioecesibus statuere valent, similiter et in concilio, sive nationali sive provinciali, leges pro natione vel provincia constituere possunt; sed aliter et aliter: nam potestas concilii provincialis nunc *ordinaria* est, nationalis vero sive plenarii potius delegata dicenda erit, cum unice ex delegatione Sedis Apostolicae suam hodie accipiat constitutionem et auctoritatem (*can.* 281). Cfr. *Wernz, vol.* 2, *n.* 856.

Horum autem conciliorum decreta, antequam promulgentur, ad S. Congr. Conc. mitti debent ut recognoscantur (*can.* 291, § 1).

Cfr. etiam *Benedictum XIV,* De syn. dioec., *l.* XIII, *c.* 3, ubi haec habet: «Ea (decreta), antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V ad sacram Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit, provincialia concilia, non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmari.»

Confirmatio vero synodorum per Apostolicam Sedem duobus modis sedulo distinguendis fieri potest: in forma communi, vel in forma specifica. — V. *Bened. XIV,* De synod. dioec., *l.* XIII, *c.* 5, *n.* 11, ubi ait: «In forma *communi* confirmari dicuntur statuta, quae non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice *motu proprio et ex certa scientia*... et talis confirmatio nihil novi juris aut efficacitatis illis tribuit. — In forma *specifica* fieri (confirmatio) dicitur, cui praemittitur causae cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adjecta conditione, auctoritate apostolica cum clausula *motu proprio atque ex certa scientia,* confirmantur... Statuto confirmato in forma *specifica,* cum naturam induerit legis pontificiae, nulli inferiorum fas est derogare; imo ab hac confirmatione tantas accipit vires, ut praevaleat juri communi, cui ceteroquin sit contrarium.» Ita *Bened. XIV,* De syn., l. c.; et *l.* XII, *c.* 5, *n.* 13.

Transmissio actorum et decretorum ad Sedem Apostolicam necessaria est ut *valide* concilium sive provinciale sive plenarium promulgetur. Ipsimet Concilii Patres designare debent et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant... Decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in suo cujusque territorio universo, nec Ordina-

rii locorum ab iisdem dispensari possunt, nisi in casibus particularibus et justa de causa (*can.* 291).

Nec tamen transmissio ad S. Congr. Conc., et multo minus confirmatio per Sedem Apostolicam, necessariae sunt pro statutis synodi dioecesanae. Unde *can.* 362: «Unicus est in Synodo legislator Episcopus, ceteris votum tantum consultivum habentibus; unus ipse subscribit synodalibus constitutionibus; quae, si in Synodo promulgentur, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliunde expresse caveatur.»

153. — QUAER. 2.° *An leges condere possint capitulum cathedralis sede vacante, praelati regularium, et abbatissae, seu monialium superiorissae?*

Resp. **1.°** *Capitulum* primis octo diebus, et postea Vicarius Capitularis, sede vacante, nihil innovare aut abrogare possunt; sed dioecesim juxta leges exsistentes gubernare debent. Attamen statuta, quae pro circumstantiis necessaria essent, ferre possent. Cfr. *can.* 435, § 2, *et* 436; *S. Alph.*, *n.* 104; *Gousset*, *n.* 129.

Resp. **2.°** *Praelati regularium* veras leges condere valent, sive in congregatione generali ordinis, sive alio modo, intra limites suae jurisdictionis, juxta proprias ordinis constitutiones. Habent enim statuta a Summo Pontifice approbata, quae illis hanc facultatem tribuunt.

Resp. **3.°** *Abbatissae* vel *superiorissae monialium* non possunt leges proprie dictas ferre, cum jurisdictionis ecclesiasticae jure ordinario non sint capaces. — Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res praeceptas vel circa ea quae ad profectum monialium, juxta regulas, conducunt. Habent enim jus praecipiendi tum ex voto obedientiae a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinae, quae in communitate servari debet.

154. — QUAER. 3.° *Quinam principes saeculares potestatem condendi leges habeant?*

Resp. Omnes ii, qui suprema gaudent auctoritate nec sunt alterius delegati, ut hujus nomine agant; ejusmodi sunt imperatores, reges, magistratus reipublicae legitime constitutae, etc.; non vero duces militum, nec praefecti provinciarum, qui proprio nomine agere nequeunt.—V. **Casus**, *n.* 79 *seq.*

Si qui autem sunt, qui licet agant nomine proprio, nihilominus superiori subdantur, horum leges a superiore irritari aut reformari possunt, v. gr. leges principis feudatarii in ordine civile a primario principe, sicut et in ordine ecclesiastico leges Episcopi, aut concilii provincialis, aut oecumenici, aut praelati regularis, corrigi vel aboleri a Romano Pontifice possunt.

CAPUT III

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS

ARTICULUS I

DE OBJECTO LEGIS

155. — Objectum legis generatim est quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

Principia. — I. Objectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. — Ex dictis sequitur.

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti objectum legis esse possunt. — Nam cum actus ejusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt praecipi aut vetari.

156. Quaesita. — QUAER. 1.° *An actus heroici sub legem cadant?*

Resp. — Generatim sub legem *humanam* cadere non videntur, quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo ejusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis*. — Attamen aliquando, exigente bono communi, praecipi possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde respublica captura sit. — Sub *divinam* legem sive naturalem sive positivam cadere possunt, ut patet in martyribus.

QUAER. 2.° *An lex* humana *possit praecipere actus mere internos?*

Resp. 1.° Lex *civilis* certo *non potest*, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet. — Praeterea de internis judicare nequit.

Resp. 2.° Ecclesia id potest *indirecte*, v. gr. dum fidei articulum definit, indirectam imponit obligationem credendi illum; dum gratias spirituales largitur sub conditione meditationis peragendae, vel quando subditi sponte se submittunt etiam quoad actus internos, ut patet in constitutionibus regularium.

Resp. 3.° An *directe* et *absolute* possit, disputant auctores. *Negant S. Thom.*, 1, 2, *q.* 91, *art.* 4, et *q.* 100, *art.* 7; *Suárez*, De legibus, *l.* 4, *c.* 12; *Bened. XIV; S. Alph.*, *l.* 1, *n.* 100, cum sententia, quam *Suárez*, l. c., *n.* 4, et *Bouquillon* (Th. mor. fundam., *n.* 101) vocant *communem:* tum *a)* quia Ecclesia hos actus punire nequit, et consequenter repugnat de hujusmodi actibus leges ferre (*S. Thom.*, l. c.); tum etiam *b)* quia, quum Ecclesia sit corpus visibile, ejus legifera potestas ad externam tantum gubernationem se extendere debet (*Suárez*, l. c., *n.* 7 *seq.*); tum *c)* quia nullibi constat hanc

potestatem fuisse Ecclesiae collatam *(Suárez*, l. c.). — *Affirmant* vero alii, inter quos *Lacroix, lib.* 1, *nn.* 648-655; *Ballerini-P., vol.* 1, *n.* 308, *seq.; Bouquillon*, l. c., qui rationibus adversae partis ita respondet: *ad a)* posse Ecclesiam hos actus punire per censuram latae sententiae, vel relinquere judicio Dei; *ad b)* hanc potestatem esse valde consonam indoli et fini Ecclesiae ad salutem animarum institutae; *ad c)* hanc potestatem contineri in generali legifera potestate, in qua limitatio admittenda non est nisi probetur. Cfr. *Génicot, vol.* 1, *n.* 92; *Deshayes*, Memento jur. eccles., 328.

157. — Quaer. 3.° *An lex humana possit praecipere actus mixtos, seu partim internos et partim externos?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia actus mixti constituunt simul unum *morale indivisum.* Sic Ecclesia praecipit devotam attentionem in missae celebratione. *Ita omnes.*

Quaer. 4.° *An lex humana praecipere possit actus externos occultos?*

Resp. Affirm. Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt; quod autem puniri nequeant, id per accidens contingit. *S. Alph., ibid.*

Quaer. 5.° *An confessarius actus mere internos injungere possit?*

Resp. Affirm. Quia munus dirigendi poenitentes in via salutis hanc facultatem exigit. Hinc pias meditationes poenitentibus injungere potest. *Voit, n.* 163.

ARTICULUS II

DE SUBJECTO LEGIS

158. Principia. — I. Omnis homo nascitur et remanet subjectus *legi naturali.* — Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas praescribens quae sunt rectae rationi consentanea, in mente cujusvis hominis indelebili charactere imprimitur. Igitur per accidens fit ut, obvoluta ratione, non statim agnoscatur, vel aliquando cognosci desinat.

II. *a) Legibus ecclesiasticis* subduntur soli baptizati, qui septennium jam expleverunt, et sufficienti rationis usu gaudent, nisi aliud expresse in jure caveatur *(can.* 12). *b)* Legibus *generalibus* tenentur ubique terrarum *omnes* pro quibus latae sunt. *c)* Legibus conditis *pro peculiari territorio* tantum ii subjiciuntur pro quibus latae sunt, quique ibidem *domicilium* vel *quasi-domicilium habent* et simul *actu commorantur* (*can.* 13). Excipe leges quibus etiam peregrini adstringuntur *(Ibid.).*

Ratio *primi* est, quia lex ferri nequit nisi in subditos. Ratio *secundi* est, quia homines habitualiter usu rationis carentes, legibus dirigi non possunt. (Cfr. resol. 2.° et 3.°). Quare soli homines

actualiter ratione utentes possunt legem moraliter violare; quia, deficiente cognitione, nemo peccare potest, juxta dicta in *tract. De act. hum., n.* 55.

159. Resolves:—1.° Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam, v. gr. ad blasphemias, turpitudines, etc., quia illi, utpote naturam rationalem habentes, lege naturali *in actu primo*, seu radicaliter, obligantur; ideoque formaliter peccant, qui eos ad actus intrinsece malos provocant. *Reuter, n.* 167.

2.° Infantes et perpetuo amentes non sunt legi ecclesiasticae subditi, ut patet ex *principio* II. Licet igitur eis dare carnes edendas diebus quibus illae ab Ecclesia prohibentur, etc.

3.° Amentes tamen ad breve tempus, vel qui multa lucida habent intervalla, ebrii et dormientes, sunt legi subjecti, quia sunt in statu habituali usus rationis; per accidens tamen sunt ab ea excusati, si non sint actualiter rationis compotes. Hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis. *S. Alph., l.* 1, *n.* 155, etc.

4.° Infideles, nimirum quicumque baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur; quia Ecclesiae jurisdictioni nondum subjiciuntur, quamvis teneantur Ecclesiam ingredi.

5.° Haeretici, schismatici, et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis *per se* tenentur; quia quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiae subditi: attamen *per accidens* in praxi non videntur peccare, quia fere nesciunt, se ex conditione sua ad servandas has leges teneri, etiamsi forte necessitatem et obligationem ingrediendi catholicam Ecclesiam jam cognoscant.

6.° Eadem de causa Ecclesiae legibus adstriguntur excommunicati, quamvis de Ecclesia ejecti fuerint; secus enim ex malitia sua commodum reportarent.

160. Quaesita. — Quaer. 1.° *An clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. 1.° Certo non obligantur legibus quae repugnant immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris canonibus. *Ita communiter.* —2.° Certo obligantur ad omnes leges, quae bonum commune immediate spectant. —3.° Quoad alias leges, videntur teneri sicut et ceteri, quia sunt pars communitatis, et Ecclesia id exigit et praecipit. — *Ita communius. Suárez, Reuter, n.* 168. Ad leges de quibus diximus *nn.* 2.° *et* 3.° tenentur tantum *directive,* non *coactive;* sed tamen non effugiunt sanctionem Ecclesiae. Cfr. *Cavagnis*, Instit. jur. publ. eccles., *vol.* 2, *n.* 107.

Quaer. 2.° *An* **peregrini** *teneantur legibus particularibus sui territorii, a quo absunt?*

Resp. 1.° *Neg.*, nisi earum transgressio in patria noceat, aut leges sint personales (*can.* 14, § 1, 1.°); lex autem praesumitur territorialis, nisi aliud constet (*can.* 8, § 2). Sic transgressio legis ad urgendam residentiam beneficiati, quando hic abest a proprio territorio, nocet in patria.

QUAER. 3.° *An peregrini teneantur legibus loci, in quo versantur?*

Resp. Neg., iis exceptis quae vel ordini publico consulunt, vel determinant solemnitates actuum (*can.* 14, § 1, 2.°). Unde omnes peregrini tenentur ad leges speciales loci in quo versantur: 1.° quoad contractus; 2.° quoad necessaria ad bonum commune; 3.° quoad delicta, tunc enim fiunt subditi ratione delicti: 4.° *per accidens*, etiam quoad leges, quae sine scandalo violari non possint. *Ita omnes.*

QUAER. 4.° *An et quatenus peregrini teneantur legibus generalibus?*

Resp. 1.° Tenentur ad eas observandas si vigeant in loco in quo versantur; quamvis in suo territorio non vigeant (*Ibid.*).

Resp. 2.° Non tenentur eas observare, quando peregrini ibi sunt ubi haec non vigent, etsi forte vigeant in suo territorio (*Ibid.*, § 1, 3.°).

161.—QUAER. 5.° *Quibus legibus* **vagi** *teneantur?*

Resp. Tenentur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur (*can.* 14, § 2).

162. **Ex dictis circa peregrinos resolves:**—1.° Si in tuo territorio vel paroecia sit jejunium, et eodem die pergas ad locum ubi non est jejunium, potes vespere coenare. *Ita communiter.*

2.° Probabiliter potes etiam jentare, si mane exiturus sis, ut contra *alios* docent *Busemb.*, *Less.*, *Sánch.*, etc., et probabile putant *Salmant.* cum *Suár.*, apud *S. Alph*, *n.* 157. Ratio est, quia jejunium est quid individuum.

3.° Mane exsistens in loco ubi non est jejunium, vesci potes carnibus, etsi circa meridiem reversurus sis domum ubi est jejunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus. *S. Alph.*, *n.* 158.

4.° Si in tuo territorio vel paroecia sit speciale festum, et in alium locum ubi non sit festum, profecturus sis, non teneris audire sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum, ubi viget praeceptum, antequam tempus obligationis cesset. Ratio est, quia praeceptum non obligat, ut exspectes. *S. Alph.*, *l.* 1, *n.* 157; *Salmant.*, *n.* 66, contra *Antoine*, etc.

5.° Si quis legi communi jam in sua patria vel suo territorio satisfecerit, probabilius non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi serius urget. Sic italus vel hispanus, qui in patria jejunavit in pervigilio S. Petri, non tenetur iterum jejunare in Gallia, ubi hoc jejunium in sabbatum sequens transfertur. Ratio, quia non datur obligatio iterum idem praeceptum adimplendi, cum jam suo tempore adimpletum est: ubi enim jam est solutum debitum determinatum, non est iterum solvendum. — V. **Casus**, *n.* 79 *et seq.*

163. Scholion.— Ut ea quae de peregrinis ac de domicilio dicta

sunt clarius intelligantur, haec addimus: 1.° Persona dicitur *incola* in loco ubi domicilium habet, *advena* in loco quasi-domicilii; *peregrinus*, si versetur extra territorium ubi habet domicilium vel quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium (*can.* 91).

2.° Ad acquirendum *verum domicilium* jure ecclesiastico requiruntur et sufficiunt: *a*) *factum* actualis habitationis in aliqua *paroecia* aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica, et *b*) *intentio perpetuo* ibidem manendi, si nihil inde avocet, **vel** habitatio protracta ad *decennium completum*.

Quasi-domicilium acquiritur hoc duplici elemento: *a*) facto actualis habitationis in aliqua paroecia (aut quasi-paroecia etc.), et *b*) intentione ibidem commorandi per majorem anni partem, si nihil inde avocet, **aut** commoratione quae de facto protracta sit ad majorem ausis partem. — Quae acquisitio domicilii vel quasi-domicilii locum respective habet statim ac duae illae conditiones copulative verificantur (*can.* 92).

Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *paroeciale;* in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum* (*can.* 92, § 3).

3.° Domicilium et quasi-domicilium amittitur si haec duo copulative concurrant: *a*) discessus actualis a paroecia *cum b*) animo non redeundi (*can.* 95).

4.° Hoc domicilium vocatur *voluntarium*, sed praeterea est aliud quod dicitur *legale*, sive necessarium. Hoc habent minores (filii vel filiae) in domo paterna vel materna aut tutorum, eorum scilicet cujus potestati subjiciuntur, illudque derelinquere non possunt nisi postquam emancipati fuerint, vel ad majorem pervenerint aetatem. Etiam carceri damnati ultra semestre, postquam in illum detruduntur, ibi quasi domicilium acquirunt; vel domicilium, si in perpetuum illic includantur. Pariter uxor a viro legitime non separata domicilium habet ubi maritus (*can.* 93). Qui omnes (etiam pueri postquam infantiam egressi sunt) possunt etiam alibi quasi domicilium acquirere: v. gr. pueri vel puellae in collegio vel conservatorio ubi educationis gratia per majorem anni partem, vel forte per plures annos, a parentibus collocantur. Idem potest uxor legitime non separata; quod si legitime separata fuerit, etiam domicilium acquirere potest (*can.* 93). Cfr. *Ferreres*, in opusc. *El impedimento de clandestinidad, nn.* 34-52, vel in Ephem. *Razón y Fe, vol.* 5 et 6, *pag.* 512 *seq.;* 107 *seq.;* item *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 4, *n.* 177 *seq.;* Instr. austriaca Card. *Rauscher*, § 39 (*Coll. Lacensis, vol.* 5, *col.* 1292); *Gasparri*, De matrim., *n.* 916 *seq.; Génicot, vol.* 1, *n.* 99 *seq.; Acta S. Sedis, vol.* 32, *pag.* 376 *seq.*

5.° Sive per domicilium sive per quasi-domicilium, nisi aliter

in jure cautum fuerit, suum quisque parochum et Ordinarium sortitur. — Proprius **vagorum** parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur (*can.* 94, § 1 et 2).

Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur (*can.* 94, § 3).

164. — 6.° Territorium cujuslibet dioeceseos (ac praelaturae *nullius*) debet esse in distinctas partes divisum cum ecclesia ac determinato populo; unicuique autem parti suus peculiaris rector tamquam proprius ejusdem pastor pro necessaria cura animarum est praeficiendus. Hujusmodi partes dioeceseos (vel praelaturae *nullius*) sunt *paroeciae* (*can.* 216, § 1, 3).

Pari modo vicariatus apostolicus, praefectura apostolica, ubi commode fieri possit, dividi debent (*Ibid.*, § 2). Hujusmodi partes vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur *quasi-paroeciae* (*Ibid.*, § 3).

7.° Igitur *paroecia* est pars dioeceseos (1), cum ecclesia ac determinato populo, cui peculiaris rector praefici debet. Quasi-paroecia est pars vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae vel missionis, cum ecclesia ac determinato populo, cui peculiaris rector de facto praefectus est.

8.° Sine speciali apostolico indulto non possunt constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis aut ritus fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales; quoad jam constitutas nihil innovari debet inconsulta Apostolica Sede (*can.* 216, § 4).

CAPUT IV

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE LEGIS

ARTICULUS I

DE PROMULGATIONE LEGIS

Promulgatio est publicatio legis, facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

Leges instituuntur, cum promulgantur (*can.* 8).

165. **Principia**. — I. Promulgatio publica legis necessaria est ut ipsa obliget, nec sufficit ejus privata notitia, quia sic praece-

(1) Nomine dioecesis in jure venit etiam abbatia vel praelatura *nullius* (*can.* 215).

ptum non est sufficienter communitati propositum et manifestatum. — *S. Alph., n.* 95.

II. Promulgatio sufficit sine notitia legis ad obligandum in foro *externo*, quia legis rite promulgatae notitia generatim praesumitur. In foro autem interno notitia legis insuper requiritur, quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione, juxta dicta in *tract. De act. hum., n.* 4 *et seq.*

III. Ex natura rei, sufficit ut lex ita promulgetur ut ad notitiam communitatis pervenire possit; et statim obligat ac promulgata fuerit. Attende tamen ad consuetudinem receptam, vel ad statuta particularia variorum locorum, cum modus promulgationis sit in potestate legislatoris. Cfr. *Sanguineti*, Jur. eccles. inst., *n.* 64 *seq.*

Leges *praeceptivae* **Hispaniae** obligant in ipsa peninsula, insulis Balearicis et Fortunatis, et etiam in regionibus Africae quae hisce legibus subjiciuntur, *post dies viginti* (1) a promulgatione facta in ephemeride, vulgo dicta *La Gaceta, C. C. H., art.* 1. Leges *permissivae* statim ac promulgatae sunt in eph. *La Gaceta* vim obtinent *(Sent. Trib. S.* 18 maj. 1907: *Alcubilla*, Apénd. de 1908, *pag.* 534). Vide in App. I, ad calcem vol. huj. quid in unaquaque republica **Americae latinae** statutum sit.

166. Quaesita. — Quaer. 1.° *An obliget lex dubie promulgata?*

Resp. Neg., quia non est sufficienter manifestata et intimata, et proinde dubia est; lex autem dubia non obligat. *S. Alph., n.* 97.

Quaer 2.° *Quomodo promulgantur leges pontificiae atque episcopales?*

Resp. 1.° Leges Apostolicae Sedis promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali* nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus praescribatur *(can.* 9). Ita etiam Pius X, Const. *Promulgandi*, 29 sept. 1908. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *n.* 1317 *seq.*, vel in eph. *Razón y Fe, vol.* 22, *pag.* 501 *seq.*

Resp. 2.° Episcopales leges in urbe episcopali solent promulgari, generatim etiam per insertionem in aliquo Commentario officiali. Modus autem promulgationis ab Episcopo determinari debet *(can.* 335, § 2).

Quaer 3.° *An leges ab Apostolica Sede latae obligent statim ac promulgatae sunt?*

Resp. Neg., sed tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta *(can.* 9).

---

(1) In **Philipp.** etiam post *viginti dies a promulgatione*, nisi aliud in ipso decreto statuatur, ut statui solet in singulis casibus. Cfr. *Villard, pag.* 3.

Igitur tres hi vacationum menses non computantur a die quo lex fuerit data, sed a die assignata fasciculo *Actorum* in quo lex promulgata fuit.

Quaer. 4.° *Quandonam incipiant obligare leges episcopales?*

Resp. Statim a promulgatione, nisi aliud in ipsis caveatur *(can.* 335, § 2).

ARTICULUS II

DE ACCEPTATIONE LEGIS

167. — *Acceptatio* legis est submissio, qua subditi, saltem quoad majorem et saniorem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

Principia. — I. Per se lex quoad vim obligandi nullo modo pendet ab acceptatione populi. — Secus enim simul cum superioris potestate corrueret omnis legum auctoritas, atque adeo totius ordinis socialis subversio sequeretur. Constat etiam ex propositione 28 ab Alexandro VII damnata, quae sic jacet: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. — Ita omnes.*

II. *Per accidens* quandoque lex non acceptata non obligat, ratione taciti vel expressi consensus superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratae. — Constat ex praxi in variis casibus, atque ex consensu communi theologorum. *S. Alph., n.* 138.

168. **Quaesita.** — Quaer **1.°** *An obliget lex, si major et sanior pars populi eam non acceptaverit?*

Resp. Neg., si princeps non urgeat. Et idem dicendum est, postquam major pars, licet non sanior, non acceptat, et princeps, cum potest, non urgeat; quamvis enim in hoc ultimo casu peccaverint priores legem non acceptantes, alii tamen culpa vacant, ob praesumptum superioris consensum. *S. Alph., nn.* 137-139.

Quaer. 2.° *An obliget lex in dubio an sit acceptata?*

Resp. Affirm., quia praesumi debet acceptata, nisi de contrario constet: *Praesumitur enim factum, quod de jure faciendum erat*, juxta regulam supra relatam, *n.* 140. *S. Alph., n.* 97.

Quaer. 3.° *An obliget Ecclesiae lex quae, aliquo gubernio civili prohibente, acceptata non fuit?*

Resp. Affirm., per se, quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili; et proinde est ab ea omnino independens. Ipsi enim a Christo dictum est: *Quodcumque ligaveris... erit ligatum*, etc. *Matth.*, xvi, 19. *S. Alph., n.* 137.

Quaer. 4.° *An episcopi possint leges pontificias non admittere?*

Resp. Negandum est. Etenim episcopi, licet principes sint in suis ecclesiis, Romano tamen Pontifici, immediato Christi in terris

Vicario, totiusque Ecclesiae capiti et gubernatori, subjiciuntur. Ei igitur parere debent, et sic exemplum obedientiae propriis subditis praebere, legem pontificiam promulgando et ejus observantiam in dioecesi sua procurando. — *Excipe* tamen si graves obstent rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent episcopi has rationes S. Sedi exponere; deinde vero ejus definitioni acquiescere tenebuntur. *Vide Decretal., lib.* 1, *tit.* 3, *cap.* 5, *et Bened. XIV*, De synod., *l.* 9, *c.* 8.

CAPUT V

DE OBLIGATIONE LEGIS

Agendum 1.° de vi obligationis; 2.° de modo obligationi satisfaciendi; 3.° de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I

DE VI OBLIGATIONIS

169. **Principia.** — I. Lex quaelibet veram inducit obligationem, saltem ad poenam. — In hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit. *Ita omnes.*

II. Lex humana quaelibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest. — Ratio est, quia superiores a Deo constituti sunt cum potestate praecipiendi. Hinc *Apost.*, Rom., XIII, 2: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ita omnes.* — Et in conscientia obligabit nisi mens legislatoris fuerit sub poena tantum obligare, quod tum ex legis materia ac verbis, tum ex aliis adjunctis argui poterit. *Vide infra, ubi de lege poenali.*

III. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiae aut circumstantiarum, vel finis a superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper*, sed non *pro semper;* lex negativa vero obligat tum *semper*, tum *pro semper*, id est pro singulis momentis. *Consentiunt omnes.*

IV. Lex divina positiva, et humana, non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi*, seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis conjunctum sit. — Constat ex jure naturali et canonico (*can.* 2205, § 2), ex praxi Ecclesiae et consensu omnium.

V. Leges ecclesiasticae respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur (*can.* 10).

170. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An legislator possit praecipere sub levi in materia gravi et vice versa?*

Resp. ad 1.um *Affirm.*, saltem probabilius, quia obligatio pendet ab ejus voluntate, sicut lex ipsa. *Ita communiter. S. Alph., n.* 143.

Resp. ad 2.um *Neg.*, quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine, etc. *S. Alph., ibid., et alii communiter.*

Quaer. 2.° *Quaenam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

Resp. Colligendum id est 1.° ex verbis ipsis legis; 2.° ex ejus objecto, fine et circumstantiis; 3.° ex gravitate poenae inflictae; 4.° ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere materia gravis est, quando finis legis sit prorsus magni momenti, et ad hunc finem lex multum conducat, aut si materia valde obsit, etsi *de se* sit quid leve; secus, materia censebitur levis. Sic grave est pro celebrante missam, si omittat infundere in calicem aliquot guttulas aquae. Non autem erit grave, si die jejunii unciam panis manduces extra refectionem. *S. Alph., n.* 144; *Lacroix, n.* 663, *et alii communiter.*

Quaer. 3.° *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioqui valida, contrahatur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit; nec prohibet lex naturalis, ut bono communi exigente apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioqui validi. Cfr. *Suárez*, De legibus, *l.* 5, *c.* 19, *n.* 1; *Van Gestel, n.* 66; *Laymann*, De legibus, *c.* 16. Vide infra, *de justitia et jure, tract. praeamb.*

Quaer. 4.° *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia contemnitur ipsa auctoritas, ex qua leges vim obtinent.

Resp. 2.° *Neg.*, si contemptus respiciat tantum materiam ut levem *in se*, aut si peccans legem transgreditur ex incuria, ira, aut alia ejusmodi causa. Ratio est, quia tunc non ipsa auctoritas contemni videtur. *S. Alph., n.* 142.

171. — Quaer. 5.° *An obliget in conscientia applicatio legis seu sententia, quae fundatur in falsa* facti *praesumptione?*

Resp. 1.° *Neg.*, si applicatio legis fundetur tantum in praesumptione *facti* particularis, culpae, fraudis, vel damnificationis. Ratio est, quia si deficit factum, eo ipso deficit totum obligationis fundamentum. Hinc si condemneris ad pecuniam solvendam, pro damnis quae ab asino tuo illata falso existimentur, non obligaris ad solvendum, nisi *per accidens*, v. gr. ratione scandali; sed tunc potes te compensare, etiam post latam sententiam. *S. Alph., lib.* 4, *n.* 215; *Suárez, Roncaglia, et alii communiter.*

Resp. 2.° Si lex fundetur in praesumptione *periculi universalis*, culpae, fraudum, etc..., ejus applicatio semper obligat in conscien-

tia, etiam seclusa omni culpa; quia bonum commune requirit, ut omnes stabiliter obligentur; secus mala non impedirentur efficaciter; et alioqui lex intendit praecavere periculum hallucinationis, necnon reddere homines cautiores. Hinc teneris ad solvendam mulctam, ad quam condemnaris pro damno vere illato ab animali tuo, etsi damnum illud absque tua theologica culpa evenerit. *S. Alph.*, *n.* 100. — *V. dicenda in tract. De restit., ubi de injusto damnificatore.*

ARTICULUS II

DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS

172. **Principia.**— I. Ad satisfaciendum obligationi cuilibet, requiritur intentio faciendi id quod praeceptum est, si lex sit *affirmativa*, v. gr. lex auditionem missae die festo praecipiens.—Ratio est, quia secus actus non ponitur modo humano.

Minime vero, si *negativa* sit, ut lex prohibens diebus festis opera servilia. — Ratio est, quia lex negativa non plus intendit, quam operis omissionem. *Ita omnes.*

II. Non tamen requiritur intentio implendi praeceptum, seu agendi ex motivo formalis obedientiae.—Quia legislator praecipit tantum operis positionem, vel omissionem. *S. Alph.*, *n.* 163, *Sánchez, et alii communiter.*

III. Non requiritur ut lex impleatur ex motivo charitatis nec in statu gratiae, nisi praecipiatur ipse charitatis actus vel status gratiae, ut in sumptione Eucharistiae. — Ratio est, quia opus praecipitur, non vero motivum, nisi forte et hoc exprimatur. Constat etiam ex propositione 16 *Baji* a Pio V damnata, quae sic se habet: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.*

IV. Non requiritur intentio implendi finem praecepti, nisi finis ille praecise *per se* praecipiatur. — Quia ordinarie legislator finem non praecipit, nec praecipere intendit, sed solam actus positionem. Hinc axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto. S. Thomas*, 1, 2, *q.* 100, *art.* 9, etc., *et alii.*

173. **Resolves:** — 1.° Satisfacit qui audit missam ignorans illam hac die esse praeceptam, vel cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere, cum proposito aliam missam audiendi. *S. Alph.*, *n.* 163.

2.° Non vero satisfacit qui opus voti vel juramenti ponit intendendo *expresse* non satisfacere; ratio est, quia ex promittentis voluntate pendet, ut talis obligatio maneat. *S. Alph., ibid.*—Contrarium tamen tenent *Sánchez, Salmanticenses* et alii.

3.° Non satisfacit, qui omnino coactus sacro interest; talis enim actus ob defectum voluntatis non est humanus, cum desit, ut supponimus, intentio requisita. Secus, si metu tantum quis in-

ducatur, ut v. gr. famulus, metu domini; puer, metu magistri, etc.; modo sufficienter attendant.

174. **Quaesita.**—Quaer. **1.°** *An satisfaciat obligationi legis, qui in ea implenda peccat?*

Resp. Affirm., modo actus sit honestus *in se*, et tantum malus ex circumstantia *extrinseca*, ita ut substantia rei praeceptae ponatur. — Ratio est, quia praeceptum imperat solam actus substantiam, non autem modum. Hinc satisfacit, qui inter missam audiendam cogitationibus vanae gloriae vel luxuriae occupatur, vel qui audiens missam intentionem habet furandi. Non satisfit tamen praecepto confessionis vel communionis per confessionem vel communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus peccato inficitur (*can.* 861, 907). *S. Alph., n.* 162, *et alii communiter contra paucos.*

Quaer. 2.° *An diversa praecepta unico actu adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si praecepta haec diversa cadant in eamdem materiam ob idemque motivum, ut jejunium vigiliae incidens in quatuor Tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eamdem quidem, sed ob motivum diversum, ut jejunium ex poenitentia, et ex lege ecclesiastica debitum. *S. Alph., n.* 166.

175. — Quaer. 3.° *An diversa praecepta diversis actibus simul adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si actus isti sint sociabiles, id est si alter alterum non impedit; quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes inter audiendum sacrum recitare horas canonicas, vel exsolvere injunctam poenitentiam, etc. *S. Alph., n.* 166, *et alii communiter.*

Quaer. 4.° *Quid agendum in concursu duorum praeceptorum insociabilium?*

Resp. Servandum est majus prae minori, quod tunc obligare desinit. Praeceptum autem naturale praecepto mere positivo praevalet, divinum praeceptum praevalet humano, ecclesiasticum civili, etc.

Quaer. 5.° *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic v. gr. si non jejunasti die vigiliae, peccasti, sed a lege liberaris; quia onus est diei ipsi affixum.

Resp. **2.°** *Neg.*, si tempus non fuerit determinatum nisi ad sollicitandam, seu urgendam obligationem. Sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali legi non satisfecit (*can.* 859, § 4).

176. **Resolves:** — 1.° Si debeas 100 nummos Titio, tuque voveas restituere, uno actu satisfacis duabus obligationibus, scilicet justitiae et voti Item sacerdos beneficiatus vovens fideliter recitare horas, triplici obligationi unica recitatione satisfacit.

2.° Contra, si Cajo debeas 100 francos ex mutuo et 100 ex censu, non satisfacis solvendo semel 100, quia obligationes in diversam materiam cadunt. Similiter si ex voto et ex poenitentia a confessario imposita tenearis audire sacrum, non satisfacis utrique obligationi, si unico sacro dominica die intersis. *Voit, n.* 202; *S. Alph., n.* 166.

3.° Nec potes plures missas tibi a confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur; quia talis non praesumenda est intentio confessarii, nisi confessarius ad fructum sacrificii respexerit. *S. Alph.*, Hom. apost., de Poenitentia, *n.* 57.

4.° Qui tenetur audire missam singulis diebus ex poenitentia per unum mensem, satisfacit unicam audiendo die dominica; quia rationabiliter praesumitur, confessarium noluisse poenitentem obligare ad duas missas eodem die audiendas, nisi id expresserit. *Ita communiter. S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 31.—V. **Casus**, *n.* 99 *et seq.*

ARTICULUS III

DE CAUSIS A LEGE EXCUSANTIBUS

1.° De natura eorum quae excusant. — 2.° De appositione voluntaria causarum excusantium.

§ I. *De natura eorum quae excusant.*

177. — Causae excusantes sunt vel *eximentes*, vel *impedientes*. Priores eae sunt, quae totaliter subtrahunt a dominio legis, puta, si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores eae sunt quae subditum sub lege remanentem ab ejus impletione impediunt, seu excusant. Hae autem causae impedientes ad ignorantiam et impotentiam reducuntur.

Principia. — I. Causae *eximentes* totaliter liberant a legis obligatione. — Nemo enim praeceptum imponere potest homini non sibi subjecto. Porro ubi adest causa aliqua eximens, ille qui legi subjiciebatur, cessat esse eidem legi subditus aut ratione territorii, a quo abest, aut ratione privilegii. — Recole dicta supra *de peregrinis, n.* 160.

II. Ignorantia invincibilis ab observanda lege excusat, quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum. — Ignorantia autem vincibilis non excusat a culpa, cum potuerit aut possit seria diligentia deponi. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 43. — Recole dicta *de act. hum., n.* 66, *et de consc., n.* 94.

III. Impotentia physica semper ab observanda lege excusat, ut habet pervulgatum axioma: *Nemo ad impossibile tenetur.* Excusat itidem impotentia moralis, quia non censetur legislator obliga-

tionem urgere cum incommodo, quod juxta communem doctorum interpretationem pro gravi haberi possit. — Vid. sup. dicta, *n.* 169.

Hinc metus gravis, secluso damno societatis aut religionis, a lege humana excusat; quia lex humana non obligat cum gravi nocumento, ut dictum est supra, *n.* 169. Excusat etiam quandoque, etsi difficilius, a praecepto divino positivo, v. gr. ab integritate confessionis; imo et a praecepto naturali affirmativo, v. gr. servandi depositum cum vitae periculo. Nunquam tamen excusat a praecepto naturali negativo; quia hujus objectum est intrinsece malum. Nec dicas, licere furari in extrema necessitate; tunc enim furtum esse desinit. *S. Alph.*, *n.* 175; Hom. apost., *n.* 44.

178. — Quaer. *An teneatur ad partem qui ad totum est impotens?* *Resp. Affirm.*, quando materia legis est divisibilis, et in singulis partibus remanet ratio praecepti. Constat insuper ex prop. sequenti ab Innoc. XI damnata: *Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Excipe, si pars possibilis sit adeo tenuis, ut nullo modo ad finem praecepti conducat. *Ita communiter.*

Hinc **1.°** Qui non potest jejunare diebus quibus urget jejunium cum abstinentia, debet abstinere a carnibus, si possit. Item qui non potest omnibus diebus jejunare, tenetur diebus quibus potest sine gravi incommodo.

2.° Si quis carens breviario pauca ex horis memoriter sciat, non tenetur ea recitare; secus si partem notabilem, v. gr. vesperas vel completorium, memoria teneat.—Recte *S. Alph.*, *l.* 4, *n.* 134, dicit, sacerdotem infirmum, qui non valet totum officium legere, et dubitat, an possit legere partem, neque ad partem teneri, ne periculum anxietatis, aut detrimentum notabile sanitatis subeat.

3.° Qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur, quia nec finis, nec ratio voti obtineri potest. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 45.

§ II. *De appositione voluntaria causarum excusantium.*

179. — Causae excusantes a servanda lege apponi possunt vel *directe* vel *indirecte*, prout scilicet agentem movet aut finis sese legis obligationi subtrahendi, aut alia causa, praeviso tamen legis servandae impedimento.

Insuper ejusmodi causae possunt esse vel *proximae* vel *remotae*, prouti lex urgeat aut brevi, aut solum post notabile temporis intervallum.

Principia. — I. Licet semper apponere causas *eximentes*, et *probabilius etiam directe* et *proxime*.—Ratio est, quia cuique licet se subtrahere dominio legis, v. gr. petendo locum, ubi lex non viget. *S. Alph.*, *n.* 156. «Lex nempe, ut ait *Ballerini*, h. l., te obligat, ut

eam serves, quousque manes subditus; non vero te obligat, ut maneas subditus. Id ipsum dicendum, si quis privilegio se communiat, ne quapiam lege teneatur, v. gr. abstinentiae a carnibus, ad quam evadendam servitio alicujus nosocomii se addicit, aut accipit bullam Cruciatae.» *Confer tamen dicta n.* 160, *quaer.* 2.°, 3.° *et* 4."

II. Non licet autem *directe* apponere *impedientes* causas, sive proximas, sive etiam remotas. — Ratio, quia quousque legi quis subjacet, non potest velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio. *Reuter, n.* 198.

Attamen *P. Génicot, n.* 116, 5.°, cum *Tambur.*, Expl. Dec., *l.* 4, *c.* 2, et *Salm.*, De leg., *n.* 104, existimat probabilem sententiam quae docet licere apponere *directe* causas *remote* impedientes. «Nam, cum utatur jure suo, non apparet cur ejus intentio dicatur inhonesta magis quam intentio exeuntis a territorio animo vitandae legis particularis.»

III. Imo ne *indirecte* quidem causas *proxime impedientes* apponere licebit, nisi proportionata adsit aliunde necessitas. — Ratio est, quia lex *proxime* urgens ligat *proxime* voluntatem, et eam adstringit ad adhibenda media necessaria ne ipsa violetur, atque adeo ad impedimenta non injicienda.

IV. *Probabilius* autem licet, etiam sine ratione, *indirecte* apponere causas *remote impedientes*. — Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, ad omnia opera cum illa obligatione insociabilia derelinquenda, tempusque obligationis exspectandum adstringeretur. *Lacroix.* Cfr. etiam *Suárez*, De peccatis, *disp.* 3 *et* 4, *n.* 10.

Quando autem causa censenda sit impediens *proxime*, quando tantum *remote*, norma quapiam generali statui vix, aut ne vix quidem potest. Et *remote* quidem impediens fere haberi solet, quae tempus praecepti implendi aliquot dierum spatio praecedit; at prae oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris ac rei praeceptae gravitas, tum etiam prudentum judicium ac proborum praxis. V. *Sánchez*, in Decal., *lib.* 1, *cap.* 15, *n.* 4.

180. **Resolves**: — 1.° Peccat qui die jejunii sine justa causa laborem aliquem assumit, quo impotens ad jejunandum fiat; ratio, quia lex *proxime urgens* exposcit, ne sine justa causa obex illi implendae apponatur. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 20.

2.° Certum est autem, excommunicatos teneri ad absolutionem a censura quaerendam, ut praecepto divino communionis paschalis satisfacere possint. Ratio est, quia praecepta divina strictius urgent quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 21. Eadem ratione non potes, incepto jam tempore paschali, abire in locum, ubi communicare non poteris, quin prius ipsi praecepto satisfeceris. *Lacroix, n.* 791.

3.° Non peccat contra praeceptum audiendi sacrum, qui iter ingreditur praevidens fore, ut sequenti die dominica sacrum audire non possit. Non excusatur tamen, qui id faciat praecepto saltem moraliter jam urgente, nempe aut *eodem die festo* aut *una alterave ante hora*. Excipe nisi aliqua necessitas seu justa causa intercedat.

4.° Peccant sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, si id possint sine gravi incommodo. *Reuter, n.* 199. — V. **Casus**, *n.* 103 *et seq.*

CAPUT VI

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA

§ I. *De interpretatione legis.*

181. Definitio. — *Interpretatio* legis est genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.

Divisio. Est **1.°** *authentica*, vel *directiva:* authentica *jus facit.* Directiva *jus non facit*, sed ordinatur ad illud rite constituendum; et potest esse vel *usualis*, si fiat *moribus populi* consuetudinem perfectam nondum constituentibus, vel *doctrinalis*, si fiat scientia peritorum. Vide *Sanguineti*, Jur. eccles. inst., *n.* 88.

2.° *Stricta*, vel *lata*, prout fit stricte juxta naturalem verborum proprietatem, aut large juxta sensum benigniorem.

3.° *Simplex* seu *comprehensiva*, vel *extensiva. Comprehensiva* habetur cum sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit; *extensiva* vero, cum ultra id quod verba, proprie et secundum sensum communem accepta, denotant, aliquid concedit, prohibet, dispensat, etc.

Leges ecclesiasticas authentice interpretatur legislator ejusve successor, et is cui potestas interpretandi fuerit ab eodem commissa *(can.* 17, § 1).

Interpretatio authentica fieri potest *per modum legis*, et tunc eamdem vim habet ac ipsa lex; aut *per modum sententiae* judicialis *aut rescripti* in re particulari, et tunc vim legis non habet, et ligat tantum personas et afficit res pro quibus data est. *(can.* 17, § 2 et 3).

Quaesita. — Quaer. 1.° *An interpretatio authentica per modum legis egeat promulgatione?*

Resp. **1.°** *Neg.*, si sit *comprehensiva*, i. e. si verba tantum legis *in se certa* declaret, et tunc *retrotrahitur*, quasi data esset cum ipsa lege.

Resp. **2.°** *Affirm.*, si sit *extensiva*, i. e. si legem coarctet, vel extendat, aut dubiam explicet; *nec* tunc *retrotrahitur (can.* 17, § 2), sed vim habet tantum a promulgatione ipsius interpretationis, et finitis tribus mensibus.

QUAER. 2.° *An obligent leges ecclesiasticae dubiae, saltem si irritantes et inhabilitantes sint?*

Resp. 1.° *Neg.*, si dubiae sint *dubio juris.*

Resp. 2.° Si vero *dubio facti*, potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet *(can.* 15). Ideoque dispensare nequit si dubium sit an duo contrahere volentes matrimonium, sint frater et soror; aut an femina cum qua Titius contrahere vult sit filia defunctae ipsius Titii uxoris etc., quia in his vel non potest vel non solet Papa dispensare.

Regulae interpretationis.

I. Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum *propriam* verborum significationem *in textu* et *contextu* consideratam *(can.* 18).

II. Si tamen dubiae et obscurae manserint, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis *finem* et *circumstantias* et ad *mentem legislatoris* est recurrendum *(Ibid.).*

III. Leges *poenales* et *odiosae*, i. e. leges quae poenam statuant aut liberum exercitium limitent aut exceptionem a lege contineant, *stricte* sunt interpretandae *(can.* 19); lex vero *favorabilis* ampliam interpretationem poscit. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* Cfr. *S. Alph., n.* 200, *et alii omnes.*

IV. Si certa de re desit expressa dispositio legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in *similibus casibus;* a *generalibus juris principiis* cum aequitate canonica servatis; a *stylo et praxi Curiae* Romanae; a *communi* constantique *sententia doctorum (can.* 20).

QUAER. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?*

Resp. 1.° *Neg.*, quoad leges poenales. Nam «non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior» *(can.* 2219, § 3).

Resp. 2.° *Affirm.* in aliis, quoties alias accusari posset legislator injustitiae, vel imprudentiae. Hoc autem habetur in sequentibus: 1.° in *correlativis*, v. gr. inter sponsum et sponsam; hinc si sponsa liberatur a sponsalium obligatione ob longam sponsi absentiam, sponsus pariter ob sponsae absentiam liberatur; 2.° in *aequiparatis*, ut sunt electio et praesentatio ad beneficium; item ova et lacticinia quoad legem abstinentiae; 3.° *in connexis*, ut sunt diaconus et subdiaconus. Item in *contentis;* quocirca qui potest testari, etiam legata facere potest. *S. Alph., n.* 200.

§ II. *De epikeia* (Ἐπιείκεια).

182. — *Epikeia* est benigna, sed aequa legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, quamvis in verbis legis non exceptum, sese extendere non censetur, quippe illum legislator aut non praevidisse aut comprehendere non voluisse prudenter creditur. Ita v. gr. si lex prohibeat gestare arma noctu, gestare possum, si exire debeam et inimicum meum ad mortem me quaerentem sim offensurus.

QUAER. *An epikeia locum habeat, si superior facile interrogari possit?*

Resp. Affirm., si observantia legis detrimentum afferat; secus in aliis casibus. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 120, *art.* 1.

CAPUT VII

DE DISPENSATIONE LEGIS

183. — DEFINITIO. *Dispensatio* est relaxatio legis in casu speciali *(can.* 80).

DIVISIO. Dispensatio esse potest:

1.° *Licita*, vel *illicita*, prout fit justa de causa, vel non.

2.° *Valida*, vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

3.° *Absoluta*, vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adjecta aliqua conditione conceditur.

4.° *Subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario aliquid falsum asseritur.

Agendum 1.° de potestate dispensandi; 2.° de causis ad dispensandum requisitis; 3.° de cessatione dispensationis.

ARTICULUS I

DE POTESTATE DISPENSANDI

Principia. — I. Legislator dispensare potest 1.° in legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2.° in legibus praedecessorum suorum, quia pari cum iis gaudet potestate; 3.° in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso potestatem aut certe ipsi subordinatam illam habent. Cfr. *can.* 80.

II. Inferior non potest dispensare in legibus superioris sui, nisi ex potestate delegata, et in quantum ipsi delegatum est vel ab

ipso superiore, vel a jure, vel a consuetudine. — Ratio, quia inferior in legem sui superioris jurisdictionem non habet. *Ita omnes.*

184. Quaesita. — Quaer. 1.° *An Papa dispensare possit in lege divina?*

Resp. Potest dispensare ex justa causa in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in juramentis. In ceteris num ex gravissima causa vere dispensare possit, an tantum declarare jus divinum tunc cessare, *controvertitur.* In praxi parum refert. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 56. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 524.

Quaer. 2.° *An Ordinarii Papa inferiores, dispensare possint a legibus Ecclesiae generalibus?*

Resp. Neg., ne in casu quidem peculiari. Excipe: 1.° si haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa; 2.° si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet *(can.* 81). Vide infra, de facultate dispensandi quoad festa, jejunia, etc.

Quaer. 3.° *In quibus legibus dispensare possint Episcopi aliique locorum* **Ordinarii?**

Resp. a) In propriis legibus ac suorum praedecessorum; *b)* in legibus Concilii provincialis ac plenarii, sed tantum in casibus particularibus et justa de causa (*can.* 82 et 291).

Non vero in legibus specialiter latis a Romano Pontifice pro illo territorio, nisi in casibus in quibus etiam a legibus generalibus dispensare poterit, ut supra dictum est (*can.* 82).

Quaer. 4.° *Quid de facultatibus habitualibus quae in perpetuum vel ad tempus aut certum numerum casuum Ordinariis vel aliis concedi solent?*

Resp. 1.° Hujusmodi facultates haberi debent uti privilegia praeter jus (*can.* 66, § 1).

2.° Concessae Episcopo vel alii Ordinario, non cessant etiam si hic cesset a munere et eas exsequi coeperit, sed transeunt ad alios Ordinarios qui prioribus succedunt (*can.* 66, § 2). Unde concessae Episcopo transeunt ad Vicarium Capitularem, et huic concessae ad novum Episcopum. Concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali. Haec omnia intellige nisi industria personae electa fuerit (tunc enim huic personae tantum competunt) aut aliud expresse cautum sit (*Ibid.*).

3.° Concessa facultas secum fert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae (*can.* 66, § 3). Unde si quis vi hujus facultatis absolvitur ab excommunicatione ad effectum dispensationis obtinendae, manet nihilominus excommunicatus quoad alios omnes effectus.

QUAER. 5.° *An Episcopus dispensare possit cum* **perigrinis** *in votis, juramentis, et communibus Ecclesiae praeceptis?*

Resp. Affirm., eodem modo ac cum suis subditis. Cfr. *can.* 1313 et 1320.

185. — QUAER. 6.° *An* **parochi** *in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. Neg., nec in lege generali nec in lege peculiari, nisi haec potestas expresse eidem concessa sit (*can.* 83).

QUAER. 7.° *An qui potestatem habet dispensandi, dispensare possit cum semetipso?*

Resp. Affirm., per se, etenim nisi aliud ex rerum natura aut ex jure constet, potestatem jurisdictionis voluntariam seu non judicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum (*can.* 201, § 3).

QUAER. 8.° *An delegatus subdelegare possit?*

Resp. 1.° Potestas jurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive *etiam habitualiter*, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita (*can.* 199, § 2).

2.° Potestas delegata ad universitatem negotiorum ab eo qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest *in singulis casibus* subdelegari (*Ibid.*, § 3); non *habitualiter.*

3.° In aliis casibus potestas jurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta, sed articulum aliquem non jurisdictionalem etiam sine expressa commissione judices delegati possunt subdelegare (*Ibid.*, § 4).

4.° Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit (*Ibid.*, § 5).

ARTICULUS II

DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS

186. **Principia.**—I. *Ad liceitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur. — Ratio est, quia secus superior non erit fidelis dispensator, aut erit imprudens. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 97, *art.* 4.

Idcirco peccat et qui in tali casu dispensationem petit; inducit enim dispensatorem ad rem illicitam, atque adeo peccat eodem peccati genere in petendo, ac legislator in concedendo.

II. *Ad validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis*, si dispenset in sua aut in inferioris lege. — Ratio est, quia ille, qui potest ligare, etiam solvere potest. — Secus autem, si in lege sui superioris dispenset (*can.* 84, § 1), quia non accipit potestatem temere dispensandi. *Ita communiter.*

III. *Ad validitatem ex parte petentis* requiritur *generatim*, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quae

cadat in causam motivam. — Quia superior *generatim* non dispensat nisi sub tacita conditione, scilicet, *si preces veritate nitantur. S. Alphonsus, n.* 182. — Excipe dispensationes matrimoniales in gradibus minoribus quae a Papa concedantur, ut dicetur in *vol.* 2. Cfr. *can.* 40, 45, 1054.

187. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An peccet graviter superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. 1.° *Neg.* probabiliter *per se*, quoad legislatorem, quia praeciso scandalo vel aliorum damno, non apparet in hoc tanta inordinatio. *Ita communiter* cum *S. Alph., n.* 178, contra *alios.*

Resp. **2.°** *Affirm.*, quoad inferiorem, quia non est delegatus ad dispensandum nisi justa de causa (*can.* 84, § 1); atque adeo si aliter faciat, concessa sibi potestate abutitur. *S. Alph., n.* 180.

Quaer. 2.° *An licet uti dispensatione tacita vel praesumpta?*

Resp. ad 1.um *Affirm.*, modo ex aliquo signo prudenter colligi possit. *Ita communiter.*

Resp. ad 2.um *Neg.*, quia scire debet superior id, de quo agitur; attamen licentia facile praesumi potest, cum agitur de rebus minoris momenti, et est juxta, non vero contra legem. *S. Alph., n.* 187.

Quaer. **3.°** *An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio, an causa sufficiat?*

Resp. ad 1.um *Affirm.* (*can.*, 84, § 2). Ratio est, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae judicare, sed tantum rem sincere superiori exponere. *S. Alph., n.* 178.

Ad 2.um *Affirm.* pariter, quia secus onus superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem tum quoad petentes esset obnoxium. *S. Alph., ibid.*

Quaer. **4.°** *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?*

Resp. 1.° Non requiritur dispensatio in dubio *positivo*, seu cum probabile est, casum lege non comprehendi; nam leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent (*can.* 15).

2.° In dubio autem sive *positivo* sive *negativo*, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, *controvertitur.* Quidam enim contendunt, requiri dispensationem. Alii tamen melius negant (*S. Alph., n.* 192).

Quaer. **5.°** *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. Affirm., modo exsistat causa dispensandi, nec constet, in superiore omnino dispensandi animum defuisse (*can.* 103, § 2), alioquin autem quaevis alia absit nullitatis causa. *S. Alph., n.* 184.

188. — *N. B.* 1.° Valet dispensatio concessa a superiore, licet ab inferiore jam fuerit negata, nec hujus negationis mentio fiat.

2.° Gratia ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata, invalide ab alia Sacra Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi

coeptum fuit, salvo jure S. Poenitentiariae pro foro interno *(can.* 43); manetque poena nullitatis, etiamsi Pontifex, ignorans oratores jam ad unum Officium recursum habuisse, ad aliud negotium remitteret. Si adeatur idem superior vel idem Officium aut S. Congregatio, non requiritur mentio rei denegatae. Cfr. *Innoc. XII*, Const. *Ut occurratur*, 4 jun. 1692, necnon *Clem. XIII*, 15 april. 1759. — *Ferreres*, Curia Romana, *n.* 149 *seq.*, 353 et 581 *seq.*, vel in eph. *Razón y Fe*, *vol.* 23, *pag.* 514 *seq.* Pro antiqua disciplina vide *Zitelli*, De dispensat. matrim., *pag.* 70, *n.* 4; *Buccer.*, I. M., *n.* 1041; *Wernz*, l. c. 2.°, *n.* 654, 1.°, *n.* 154, I, in fine; *Santi*, I, *tit.* 31, *nn.* 55, 56; *Ball.-P.*, *vol.* 6, *n.* 950; *Lega*, De judiciis eccl., *l.* 1, *vol.* 2, *n.* 105.

3.° Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario *licite* petere potest, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam *licite* concedere nequit, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus *(can.* 44, § 1).

4.° Gratia a Vicario Generali denegata et postea, *nulla facta hujus denegationis mentione*, ab Episcopo impetrata, *invalida* est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit *valide*, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari *(can.* 44, § 2).

5.° Licet tamen ab Ordinario recurrere ad S. Sedem, nec memorata repulsa. *Zitelli*, l. c.; *Ball.-P.*, l. c.; *Buccer.*, l. c.; *Rosset*, De sacr. matr., *n.* 2546.

ARTICULUS III

DE INTERPRETATIONE ET CESSATIONE DISPENSATIONIS

189. — 1.° Dispensatio legis eam patitur interpretationem ac de rescriptis dicetur infra, canone 50 *(can.* 85). Idem intellige de facultate dispensandi ad certum casum concessa *(Ibid.)*.

2.° Dispensatio quae *tractum habet successivum* (v. gr. dispensatio a jejunio vel a recitatione Horarum canonicarum concessa ex causa infirmitatis), cessat: *a)* iisdem modis ac privilegium, necnon *b)* certa et totali cessatione causae motivae *(can.* 86), non autem si causa motiva (v. gr. infirmitas) adhuc ex parte permaneat.

3.° Dispensatio quae tractum *non habet successivum*, v. gr. dispensatio voti aut impedimenti aut inhabilitatis, semel exsecutioni mandata, nunquam cessat.

4.° Dispensatio omnino cessat accedente revocatione expressa superioris, quia obligatio vel excusatio a superioris voluntate pendet. Illicita tamen revocatio sine justa causa foret. — Non cessat autem ob revocationem inferioris sine justa causa, quia revocandi facultas in ejus arbitraria potestate non est. *S. Alph.*, *n.* 197; *Salm.*, *Roncaglia*, etc.

5.° Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio superioris, quia solus superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. *S. Alph., ibid., et alii communiter.*

190. — Quaer. *Quomodo canones Codicis interpretandi sunt relate ad disciplinam usque ad ipsum vigentem?*

Resp. ex *can.* 6: «Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque:

1.° *Leges quaelibet*, sive universales sive particulares, praescriptis hujus Codicis oppositae, *abroganlur*, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur; 2.° canones qui *jus vetus* **ex integro** referunt, ex *veteris juris auctoritate*, atque ideo ex receptis apud *probatos auctores* interpretationibus, sunt aestimandi; 3.° canones qui **ex parte** tantum cum *veteri jure* congruunt, qua congruunt, ex jure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia dijudicandi; 4.° *in dubio* num aliquod canonum praescriptum cum veteri jure discrepet, *a veteri jure non est recedendum;* 5.° quod *ad poenas* attinet, *quarum in Codice nulla fit mentio*, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam *abrogatae habeantur;* 6.° si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis *liturgicis libris* reperiatur, aut lex sit *juris divini* sive positivi sive naturalis.»

CAPUT VIII

DE CESSATIONE LEGIS ET PRAECEPTI

191. — Lex variis modis cessare potest.

1.° Per legitimam *abrogationem*, *derogationem*, *obrogationem*, prout omnino aut tantum ex parte aboletur; quemadmodum enim superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest.

Abrogatur legi cum ea omnino tollitur; derogatur, cum pars ei detrahitur; subrogatur, cum aliquid ei additur; obrogatur, cum alia lex fertur illi contraria. *Sanguineti, n.* 66.

2.° Per *cessationem causae motivae adaequatae*, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit.

3.° Per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam*, debitis vestitam conditionibus; tunc enim superioris consensus saltem legalis accedit. — *Ita communissime.*

Quaer. 1.° *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

Resp. Neg., nisi cesset *contrarie*, i. e. nisi servari sine gravi incommodo non possit; ratio, quia finis legis adaequatus respicit ea, quae communiter contingunt, non vero casus particulares; non ergo hi obstant, quominus finis legis atque adeo lex ipsa perseveret. Unde novus Codex: «Leges latae ad praecavendum *periculum generale* urgent etiamsi in casu peculiari periculum non adsit» (*can.* 21). Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. *Suárez, Laymann, et S. Alph., n.* 199.

Quaer. 2.° *An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?*

Resp. Neg., ob rationem modo allatam; insuper adde hallucinationis periculum. *Ita communiter. S. Alph., n.* 199. — Si vero cessaret *contrarie*, v. gr. quia nequit defendere religionem quin librum prohibitum legat, et adjuncta ejusmodi essent ut facultatem petere non posset, tunc licebit legere absque facultate. *Génicot*, I, *n.* 127. — V. **Casus**, *n.* 109 *et seq.*

Quaer 3.° *An et quatenus lex posterior abroget priori?*

Resp. Affirm. a) si expresse id dicat, aut *b*) sit illi directe contraria, aut *c*) ordinet de novo totam materiam prioris legis.

Sed lex generalis pontificia nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularum statutis, nisi aliter in ipsa caveatur expresse (*can.* 22).

Quaer. 4.° *Quid in dubio an lex fuerit revocata?*

Resp. In dubio cessatio legis praeexsistentis *non praesumitur*, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt, et his concilian-dae quantum fieri possit (*can.* 23).

Quaer. 5.° *Quandonam cessat* **praeceptum particulare?**

Resp. Per se cessat resoluto jure praecipientis *(can.* 24).

Excipe si impositum fuerit per *legitimum documentum* aut coram *duobus testibus;* tunc enim judicialiter urgere potest et pergit urgere etiam resoluto jure superioris *(Ibid.)*.

PARS SECUNDA

DE SPECIEBUS PRAECIPUIS LEGUM

Agendum 1.° de lege naturali et divina; 2.° de lege ecclesiastica et civili; 3.° de lege poenali et irritante; 4.° de lege non scripta, seu de consuetudine; 5.° de lege favorabili.

CAPUT I

DE LEGE NATURALI ET DIVINA

ARTICULUS I

DE LEGE NATURALI

192. — *Lex naturalis* est divina voluntas, naturali lumine manifestata, praecipiens ea quae ad rectum ordinem servandum sunt necessaria.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex aeterna naturae rationali per lumen naturale intimata, sive habitualiter per rectam rationem, sive actualiter per ejus dictamen.

Objectum legis naturalis est id omne, quod rationali naturae ita vel convenit, vel disconvenit ut ab ipsius naturae Conditore praecipi vel interdici necesse sit; omnia ea videlicet amplectitur, quae legi aeternae sunt conformia. — Hinc versatur lex naturalis 1.° circa prima morum principia, v. gr. *bonum est faciendum, malum est vitandum; alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis;* 2.° circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque praecepta Decalogi: 3.° circa conclusiones mediatas, vel magis remotas. Cfr. *supra, n.* 76.

193. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An objectum legis naturae interdum ignorari possit?*

Resp. 1.° Primaria morum principia a nemine ignorari possunt. — 2.° Item conclusiones proximae, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi vel raro, vel ad breve tempus *in rudibus* et *pueris. Ita communiter.* — 3.° Ignorari autem possunt et saepe ignorantur conclusiones remotae. Hinc circa eas tot controversiae inter doctores etiamnum agitantur. *S. Alph., n.* 170 *et seq.;* De consc., *n.* 8.

Quaer. **2.°** *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Neg., saltem quoad *desideria efficacia.* Ratio est, quia velle quod malum est formaliter, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur, et proinde est velle ipsi displicere. Difficile autem est ignorari malitiam actus, quo quis se Deo displicere noscit. *S. Alph.,* De consc., *n.* 9, etc.

Oppositum tamen alii censent probabiliter quoad desideria *inefficacia* et *conditionata. Ball.-P., vol.* 1, *n.* 158; *Génicot, n.* 131.

Quaer. 3.° *An lex naturalis sit mutabilis?*

Resp. Neg. Etenim cum id jubeat aut prohibeat, quod natura

sua bonum vel malum est, plane consequitur, non modo a creaturis, sed ne ab Auctore quidem naturae legem naturalem immutari posse.

Nec dicas, 1.° Deum pluries immutasse legem naturalem, v. gr. permittendo polygamiam patriarchis, furtum, divortium hebraeis, etc. Nam in praefatis exemplis non est mutata lex naturalis, sed tantum circumstantia materiae; unde factum est, ut id, quod per se recto ordini adversabatur, ob novas circumstantias jam non adversaretur.

Nec dicas, 2.° quasdam esse materias, quae mutationem subeant, v. gr. copulam carnalem, quae adversatur juri naturali inter solutos, non vero inter conjunctos legitimo matrimonio; nam jus naturale ideo prohibet copulam extra matrimonium, quod ejus finis legitimus tunc deficiat.

Aliqui tamen distinguunt legem naturalem *strictam*, seu omnino immutabilem, ut v. gr. quae prohibet blasphemiam, et aliam *latam*, quae mutatis circumstantiis potest mutari, uti v. gr. quae prohibet proximi occisionem. Ita *Voit*, *n.* 534. Alii autem hanc distinctionem rejiciunt. Quidquid sit, certum est distinctionem illam cadere saltem in materiam legis naturalis, quae subjicitur dominio Dei, et quae proinde pro variis circumstantiis mutari potest.

ARTICULUS II

DE LEGE DIVINA POSITIVA

194. — Lex divina positiva duplex est, scilicet vetus et nova.

I. Lex vetus, seu veteris Testamenti, continebat praecepta triplicis generis.

1.° *Moralia*, quae spectabant rectitudinem moralem, et id statuebant, quod lege naturali jam praescriptum erat. Talia sunt Decalogi praecepta.

2.° *Caeremonialia*, quae referebantur ad Dei cultum, et statuebant caeremonias et sacrificia.

3.° *Judicialia*, quae ad politicam et oeconomicam administrationem, seu ad rectam gubernationem populi pertinebant.

. Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote *posita donec veniret semen cui promiserat*, ut ait Apost., *Galat.*, III, 19. Sola igitur pars legis veteris, quae ad mores spectabat, in lege nova servata est et confirmata.

II. Lex nova seu evangelica, quae dicitur lex gratiae, vel libertatis, vel novum Testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet: 1.° *praecepta moralia* circa virtutes, praesertim theologicas; 2.° *praecepta caeremonialia* circa sacramenta et missae sacrificium; 3.° *mera consilia*, sed magno praemio digna.

Lex nova differt a lege veteri, praesertim in sequentibus: 1.° Vetus fuit umbra et figura; nova est lux et veritas. — 2.° Vetus lex timoris erat; nova vero lex gratiae et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet, et Deus per illam attingeret scopum, quem sibi praestiterat.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quibus nota est. Sic enim Christus, *Matth.*, XXVIII, 19-20: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc..., docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

CAPUT II

DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI

ARTICULUS I

DE LEGE ECCLESIASTICA

§ I. *De antiquo Corpore juris et de novo Codice.*

195. — *Lex ecclesiastica* dicitur, quae pro recta Ecclesiae gubernatione et aeterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.

Collectio variarum legum ecclesiasticarum jus canonicum constituit.

Corpus juris canonici, usque ad Codicis promulgationem per plura saecula vigentis, sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem: *Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinae, Extravagantes Joannis XXII,* et *Extravagantes communes.*

I Volumen continet decretum a Gratiano, monacho benedictino, collectum, et circa annum 1150 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium canonum.* Plures tamen sunt auctores asserentes, titulum a Gratiano huic volumini inditum fuisse «Decreta». *(Laurin,* Introd. in Corp. Jur. can., *p.* 1, *cap.* 2, § 15). Nunc jam diu «Decretum Gratiani» appellatur. — Opus distribuitur in tres partes, quarum prima, de personis ecclesiasticis tractat; secunda, de actionibus, seu de materia et forma judiciorum; et tertia, de rebus sacris.

Prima pars dividitur in centum et unam *distinctiones,* quae subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: cap. *Jejunium* 7, *dist.* 76; vel etiam *dist.* 76, *cap.* 7.

Secunda pars dividitur in triginta et sex *causas;* causae autem dividuntur in *quaestiones*, et quaestiones in capita. Citatur modo sequenti: *cap. Qui viderit* 13, *quaest.* 5, *causa* 32; vel *caus.* 32, *qu.* 5, *c.* 13. Causae XXXIII quaestio III, continet tract. de *Poenitentia* septem habentem *distinctiones,* quae in *canones* vel capita subdividuntur. Sic citari solet, v. gr. *cap. Mensuram* 86, *dist.* 1, *De Poenitentia,* vel *De Poenitentia, dist.* 1, *c.* 86.

Tertia pars constat quinque distinctionibus, quae in varia capita divi-

duntur. Citantur. *cap. Est unitas* 49, *dist.* 4: *De consecrat.*, vel *De consecrat., dist.* 4, *c.* 49. Haec enim pars de consecratione ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

II Volumen continet decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas, a *S. Raymundo de Pennafort,* Ordinis Praedicatorum, jussu Gregorii IX collectas et anno 1234 publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita; hoc autem modo citantur: *cap. Pervenit* 28, *De appellationibus*, vel *Decretal., lib.* 2, *tit.* 28, *c.* 28. Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur. — Primus liber tractat de *personis,* secundus de *judiciis,* tertius de *rebus,* quartus de *matrimonio,* quintus de *voenis.* Quae partitio hoc carmine memoratur: *Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.*

III Volumen continet librum Sextum, Clementinas et Extravagantes tum Joannis XXII, tum communes.

Sextus, vel liber sextus decretalium, sic appellatur, quia quinque libris decretalium Gregorii IX adjicitur, et decretales a Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII editas habet. Prodiit anno 1298 auctoritate Bonifacii VIII; dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto,* vel *apud Bonifacium.*

Clementinae, sic dictae a Clemente V, qui eas colligi jussit post Concilium Viennense, cui anno 1311 praefuit, sunt constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editae. Eas Joannes XXII promulgavit anno 1317 in quinque libris, qui non secus ac Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur *in Clementinis.*

Extravagantes Joannis XXII sunt constitutiones quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra corpus juris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: *Extrav. Joannis XXII, tit.* 4, *c.* 1.

Extravagantes communes, ita vocatae quia a Joanne XXII et a pluribus aliis pontificibus editae sunt, et ipsae in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis. Sic ordinarie citantur: *cap. Vas electionis, de haereticis; Extrav. communib.* seu *Extrav. comm., lib.* 5, *De haereticis, c.* 2.

Aliae, Conciliorum Constantiensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum, constitutiones, postea editae sunt; sed in corpus juris non fuerunt collectae.

N. B. 1.° Collectio legum dicitur authentica sensu strictò cum supremus legislator eam ita publici juris facit, ut singulae leges in ea contentae quoad partem dispositivam, *vi ipsius insertionis in tali collectione, vim legum universalium obtineant,* licet forte textus quidam inserti extra ipsam vel fuerint spurii, vel abrogati, vel valorem tantum legis particularis haberent. *Ferreres,* apud *Razón y Fe, vol.* 9, *pag.* 226, *n.* 5; *Wernz,* Jus Decretal., 1, *n.* 196, *pag.* 271; item *nn.* 235, 242, 247 et 250.

2.° Decretales Greg. IX, Sextus et Clementinae fuerunt collectiones authenticae. Extravagantes tum communes tum Joann. XXII, quamvis singulae constitutiones genuinae sint, non constituerunt collectionem authenticam. Nec *Decretum* collectio authentica dicenda unquam fuit. Igitur in Extravagantibus ac in Decreto, singuli textus eam vim retinebant, quam haberent si in ipsas non fuerint inserti. *Ferreres,* l. c., *pag.* 233, *nn.* 39-44; *Wernz,* l. c., *nn.* 235, 242, 247, 248; *Laurin,* Introd. in Corp. Jur. Can., § 548, § 588 *seq.*, § 127 *seq.*, § 143, § 152.

196. — Pius X, 19 martii 1904, dedit *Motum proprium* incipientem *Arduum sane,* pro codificatione universi juris canonici. Cfr. *Ferreres,* l. c., *pag.* 224 *seq.*

Die Pentecostes (27 maji) anni 1917 Benedictus XV per Consti-

tutionem *Providentissima Mater Ecclesia* novum Codicem promulgavit, qui vim obligandi habere non incipiet nisi a die Pentecostes (19 maji) anni 1918. Vi cujus omnes compilationes Corporis juris, aliaeque leges disciplinares Ecclesiae **Latinae** (exceptis liturgicis), non exclusis Tridentinis, abrogatae sunt (*can.* 1, 2).

Nihilominus: 1.° Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones (seu *concordata*) nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; eae idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis hujus Codicis praescriptis minime obstantibus (*can.* 3).

2.° Jura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi hujus Codicis canonibus expresse revocentur (*can.* 4).

§ II. *De Curia Romana.*

197. — 1.° Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet (*can.* 7).

2.° Congregationes, Tribunalia et Officia quae constituunt Curiam Romanam, noviter fuerunt ordinata per Const. Pii X *Sapienti consilio*, 29 jun. 1908, quam ordinationem confirmavit et ex parte perfecit ac correxit Codex canonicus. De Congregationibus igitur, Tribunalibus et Officiis doctrinam dabimus juxta praedictam Constitutionem et Codicem, qua potuerimus brevitate. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, comentario canónico e histórico sobre la Const. *Sapienti consilio;* vel etiam in eph. *Razón y Fe*, *vol.* 22 *seq.*

3.° In omnibus Congregationibus, Tribunalibus (excepta Rota) et Officiis, Cardinalis Praeses cum officialibus majoribus constituunt Congressum, qui expedit negotia faciliora nomine ipsius Congregationis, etc.; graviora vero ad plenam Congregationem reservantur. Cfr. Norm. Comm., *cap.* 1, 3.° et *Ferreres*, l. c., *nn.* 285 *seq.*, 334 *seq.*, 367 *seq.*, 393 *seq.*, 457 *seq.*, 506, 562 *seq.*

4.° Omnes Congregationes constituuntur ex *solis* Cardinalibus. — S. Officium praefectum habet R. Pontificem, et etiam S. C. Consistorialis necnon Congr. pro Ecclesia Orientali; reliquae unum e Cardinalibus.—In Congr. S. Off. et Consistor., secretarius est etiam Cardinalis, non autem in aliis Congregationibus. Omnes habent consultores, et nulla caret officialibus inferioribus. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 45, 258 *seq.*

5.° Unaquaque Congregatio habet *nunc* competentiam suam

privativam, sed nullam jam cumulativam cum aliis. Causas vident de materia sibi subjecta *in linea disciplinari;* sed omnes causae *contentiosae* ordinem judiciarium cum processu et probationibus requirentes, devolvuntur ad Rotam Romanam, salvo jure Congregationis S. Officii et Congregationis Sacrorum Rituum in causas sibi proprias (*can.* 259). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 149 *seq.*

6.° Controversiam, si qua exoriatur, de competentia inter Sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanae Curiae, dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit (*can.* 245).

198. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sunt Romanae Congregationes, et quaenam competentia singularum?*

Congregationes sunt sequentes:

1.° *Congregatio S. Oficii. a) Doctrinam fidei et morum* tutatur, ideoque ad ipsam pertinent ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis sacramentis doctrinam, eique soli manet judicium (etiam contentiosum) de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt, non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint (*can.* 247, § 2). Ad ipsam quoque spectat *b*) facultas ea cognoscendi et *concedendi* quae sive directe sive indirecte, in jure aut in facto, circa *privilegium Paulinum*, et impedimenta *disparitatis cultus* et *mixtae religionis* versantur; *c*) universa res de censura et prohibitione librorum; necnon *d*) quae jejunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt (*can.* 247, § 3, 4, 5). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *n.* 299 *seq.*

2.° *Congregatio Consistorialis. a*) Parat *agenda in Consistoriis*, et in locis Congr. de Prop. Fide non obnoxiis; novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituit; dioeceses jam constitutas dividit; Episcopos, Administratores apostolicos, Adjutores et Auxiliarios Episcoporum eligit; canonicos *processus* super eligendis indicit; ipsorum periclitatur doctrinam, salvis his quae pertinent ad S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis. Cfr. *Ferreres*, La Curia, *n.* 339 *seq.*

Pertinent etiam ad ipsam *b*) ea omnia quae ad singularum dioecesium constitutionem, conservationem et statum (modo Congregationi de Propaganda Fide subjectae non sint) universim referuntur, v. gr. vigilantia super obligationibus Ordinariorum; cognitio *relationum de statu dioecesium* (*can.* 248).

3.° *Congregatio de Sacramentis.* Ad ipsam spectat disciplina septem Sacramentorum, salvo jure tum Sancti Officii prout supra dictum est, tum etiam S. Rituum Congr. circa caeremonias servandas in sacramentis conficiendis, ministrandis aut recipiendis.

Itaque eidem tribuitur tum *a*) disciplina *matrimonii*, uti *dispen-*

sationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super matrimonio rato, separatio conjugum, legitimatio prolis; tum *b*) disciplina *aliorum Sacramentorum*, uti dispensationes ordinandis (1) concedendae (salvo jure Congr. de religiosis ad moderandam eorumdem ordinationem), dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, adservandae, Sacri litandi aliaque id genus. Cfr. infra, *vol.* 2, *n.* 876 *seq.*

c) Quaestiones quoque de inconsummatione matrimonii, de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes, dirimit, incolumi jure S. Officii. Potest tamen eas remittere ad Rotam Romanam vel ad tribunal competens. Cfr. *Ferreres*, La Curia, l. c., *n.* 376 *seq.* (*can.* 249).

4.° *Congregatio Concilii.* Huic spectat universa disciplina tum Cleri saecularis tum populi christiani. Quamobrem ipsius est *a*) curare ut christianae vitae praecepta serventur, cujus generis sunt jejunium (excepto eucharistico, quod ad Congr. de Sacram. pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune dispensandi ab his legibus fideles; *b*) moderari quae parochos et canonicos spectant; item quae confraternitates, pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica (et compositiones circa ipsa usurpata), arcas nummarias, tributa dioecesana, taxas Curiarum Episcopalium, aliaque hujusmodi, attingunt, vel *c*) quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. *d*) Eximit a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

e) Ad eamdem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem (extra territorium Congregationis de Prop. Fide) et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congr. speciali, pro Conciliorum revisione (*can.* 250). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, l. c., *n.* 430 *seq.*

5.° *Congregatio negotiis religiosorum Sodalium praeposita. a*) Judicium sibi exclusive vindicat de iis, quae ad *sodales religiosos* utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque *ad tertios ordines saeculares* (non ad confraternitates, quamvis erectae sint in domibus regularium), in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis, v. gr. cum Episcopis. *b*) Est tribu-

---

(1) His vero, qui jam sacerdotes sunt, dispensationes sive ab irregularitate *ex delicto* sive a titulo ordinationis concedere spectat ad S. C. Concilii (*S. C. Consist.*, 27 febr. 1909). Verum dispensationes ab irregularitate *ex defectu*, tam ordinandis quam sacerdotibus concedit S. C. de Sacramentis (S. C. Consistor., 28 nov. 1911).

nal competens in omnibus causis, quae *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive reo convento sive actore, salvo semper jure Congr. Sancti Officii et Cong. Concilii circa negotia ad ipsas spectantia.

c) Ipsi reservatur concessio dispensationum a jure communi pro sodalibus religiosis, excepto jejunio eucharistico pro Missa (*can.* 251). Cfr. *Ferreres*, La Curia, *n.* 468 *seq.*

6.° *Congregatio de Propaganda Fide.* Tota est in procuranda propagatione fidei per orbem terrarum. — Habet amplissimam jurisdictionem in regionibus sibi subjectis, ita ut quodammodo exerceat in ipsis jurisdictionem quae in aliis regionibus habent *omnes* aliae Congregationes. Referre tamen debet ad peculiares alias Congregationes quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

Sibi vindicat quidquid religiosos *qua missionarios*, sive uti singulos, sive simul sumptos, tangit (*can.* 252). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 523 *seq.*

7.° *Congregatio Rituum. a*) Liturgiam sacram Ecclesiae latinae et quae ad eam pertinent, definit et ordinat (non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cujusmodi sunt praecedentiae jura, aliqua id genus). *b*) Dispensationes de hac re, insignia et honoris privilegia concedit. *c*) Ea omnia exequi debet, quae ad *beatificationem et canonizationem* Sanctorum (etiam *causas contentiosas*), vel *d*) ad *Sacras Reliquias* quoquo modo referuntur (*can.* 253). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 648 *seq.*

8.° *Congregatio Caeremonialis.* Ad eam pertinet *a*) moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque pontificali servandarum, *b*) et sacrarum functionum, quas Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque *c*) cognoscere quaestiones de praecedentia tum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sedem mittunt (*can.* 254). *Ferreres*, l. c., *n.* 782 *seq.*

9.° *Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.* Ad eam spectat dioeceses constituere vel dividere, et ad vacantes dioeceses idoneos viros promovere, quoties hisce de rebus cum civilibus Guberniis agendum est. In ea etiam negotia incumbit, quae ejus examini subjiciuntur a Pontifice per Card. *Secretarium Status,* praesertim ex illis quae cum *legibus civilibus* conjunctum aliquid habent et ad concordata cum variis nationibus referuntur (*can.* 255). Cfr. *Ferrreres*, l. c., *n.* 794 *seq.*

10.° *Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum.* Vigilat super omnibus quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent, incolumi jure Congregationis de Prop. Fide. Eidem pariter commissa est moderatio studiorum in quibus versari debeant majora athenaea, seu quas vocant *Universitates*, seu Facultates, quae ab Ecclesiae

auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosis administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre (*can.* 256). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 805 *seq.*

11.° *Congregatio pro Ecclesia Orientali.* Huic Congregationi reservantur omnia cujusque generis negotia quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant. — Quare pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, incolumi tamen jure Congregationis S. Officii, ut supra dictum est. — Controversias dirimit via disciplinari; quas vero ordine judiciario dirimendas judicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit (*can.* 257).

199. — Quaer. 2.° *Quid de sacris Tribunalibus et Officiis?*

Resp. 1.° Tribunalia tria numerantur, scilicet:

1.° *Sacra Poenitentiaria.* Huic tribunali praeficitur Cardinalis Poenitentiarius Major. Ipsius jurisdictio coarctatur ad *forum internum*, etiam non sacramentale, pro quo gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 817 *seq.*, 842 *seq.*, et infra, vol. 2, *n.* 876. Circa modum practicum recurrendi ad S. Poenitentiariam cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 862 *seq.*

Praeterea ejus est judicare de iis omnibus quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo jure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt (*can.* 258, § 2).

2.° *Sacra Romana Rota.* Est Tribunal Collegiale constans certo Auditorum numero, cui praesidet Decanus, qui est primus inter pares. Per se est tribunal appellationis, ideoque generatim tantum videt causas post sententiam saltem primi gradus. Ad eam pertinent causae omnes contentiosae (tam civiles quam criminales) non majores, quae in Romana Curia aguntur, salvo tamen jure SS. Congregationum, prout superius dictum est (*can.* 259 1598-1605). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, l. c., *nn.* 165 *seq.*, 910 *seq.*

3.° *Signatura Apostolica.* Est supremum cassationis tribunal. Constat ex Cardinalibus, quorum unus est Praefectus. Videt de *exceptione suspicionis* contra aliquem Rotae Auditorem, ob quam ipse recusetur; de *violatione secreti*, ac *de damnis* ab Auditoribus illatis; eo quod actum nullum vel injustum in judicando posuerint; de *querela nullitatis* contra sententiam rotalem; de expostu-

latione pro *restitutione in integrum* adversus rotalem sententiam quae in rem judicatam transierit, etc. (*can.* 1603). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1006 *seq.*

Resp. 2.° Officium latiori significatione designat non modo Officia proprie dicta, verum etiam Congregationes et Tribunalia. Officia proprie dicta sunt sequentia:

1.° *Cancellaria Apostolica.* Huic praesidet unus ex Cardinalibus, qui Cancellarii (non autem Vice-Cancellarii ut ante Pium X, *can.* 260. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1100 *seq.*) nomen assumet.

Habet hoc unum: Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* (i. e. graviores Bullas) circa *beneficiorum consistorialium* provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis majoribus Ecclesiae negotiis conficiendis *(can.* 260). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1036 *seq.*, 1139 *seq.*

2.° *Dataria Apostolica.* Huic praeest unus ex Cardinalibus, qui Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinebit.

Ad ipsam hoc unum pertinet: cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad *beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata;* conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit *(can.* 261). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1181 *seq.*

3.° *Camera Apostolica.* Huic cura est atque administratio *bonorum ac jurium temporalium* S. Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei praeest Card. Camerarius *(can.* 262). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1226 *seq.*

4.° *Secretaria Status.* Supremus moderator est Cardinalis a *Secretis Status.* Versatur: 1.° in negotiis extraordinariis quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subjici debent; 2.° in ordinariis negotiis, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui praeposito sunt reservata; 3.° in expeditione Apostolicorum Brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur *(can.* 263). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1251 *seq.*

5.° *Secretariae brevium ad principes et epistolarum latinarum.* Duplex hoc Officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta S. Pontificis ab eodem illis commissa *(can.* 264). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1290 *seq.*

N. B. In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die XXV mensis martii, sed a Kalendis januariis. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1168 *seq.*

Pro Hispania: Nostra in Hispania habetur tribunal appellatum *Rota Nuntiaturae apostolicae matritensis*, quia ad normam Rotae

romanae institutum fuit per breve Clementis XIV, 26 martii 1771, instante Carolo III, qui die 28 octobris 1773 tulit regale decretum ad exsequendum breve Clementis XIV, ex quo die hoc tribunal instauratum fuit. Est tribunal supremum; sed causas non potest admittere nisi in recursu appellationis, scilicet in tertia instantia a sententiis suffraganeorum, in secunda vero a sententiis metropolitanorum. Sententia vim rei judicatae obtinet dum *tres* (1) sententiae conformes (computatis etiam sententiis tribunalium inferiorum) habeantur. Non tamen excluditur recursus ad Sedem Apostolicam. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 991 *seq.*; *Novis. Recopil.*, *leg.* 1 *et* 2, *tit.* 5, *lib.* 2; *Salazar-La Fuente*, Procedim., *vol.* 2, *pag.* 134 *seq.*; *Acta S. Sedis*, *vol.* 24, *pag.* 577 *seq.*

Pro America latina et **Ins. philipp**. Haec statuit Leo XIII, *Const.* Trans Oceanum, 18 aprilis 1897, numero XIV: «Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem (2) absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei judicatae obtineat, et exsecutioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem ejusdem provinciae appelletur (3), et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei judicatae habere volumus, is, qui postremo loco judicaverit, exsequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omisso medio, sive ante sive post sententias judicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam juris, in usu hujus privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1.° Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2.° ut in

---

(1) Cum ex nova disciplina per Codicem inducta duplex sententia conformis transeat in rem judicatam *(can.* 1902, 1.°), si haec disciplina valeret pro Hispania, non daretur locus appellationi ad Rotam nisi in secunda instantia a sententiis Metropolitani, vel in tertia, quando sententia Metropolitani non sit conformis cum sententia lata a suffraganeo in prima instantia, et unica vel, ad summum, duplici Rotae sententia, lis vim rei judicatae obtineret.

(2) Haec pars privilegii forte nunc reducetur ad jus commune, ita ut Metropolitanus eligat semel pro semper cum approbatione Sedis Apostolicae unum Ordinarium ad quem sit appellandum in causis coram Metropolitano pertractatis in prima instantia *(can.* 1594).

Per se hoc privilegium subsistit, quia Codex illi non derogat, ut patet ex *can* 4.

(3) Hoc privilegium est confirmatio illius concessi a Greg. XIII, Const. *Exposcit debitum*, 15 maji 1572, in qua clarius haec ultima pars exponitur: «Si vero illae duae, sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ab altero Metropolitano vel Episcopo, a quo prima lata fuit sententia, ad viciniorem ejusdem provinciae Episcopum appelletur...» *Bull. R. Taur.*, *vol.* 8, *pag.* 2, § 3.

singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3.° ut causae majores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4.° et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV, cujus initium «Dei miseratione», praestituta sunt (App. ad Conc. Plen. Amer. lat., *pag.* 613 et 614).

200. — Quaer. 3.° *Quid de bullis et brevibus?*

Resp. 1.° *Bullae* sunt quaedam Romanorum Pontificum constitutiones, quae graviora, ut plurimum, negotia respiciunt. *Bullae* dicuntur a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, quod inhaeret funiculo serico vel cannabis. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1151 *seq.*

Antea omnes Bullae expediebantur membranis subfuscis et crassioribus charactere *longobardico seu teutonico* exaratae in Cancellaria Apostolica. Nunc ex *motu proprio* Leonis XIII, die 29 dec. 1878, *character teutonicus (vulgo bollatico)* in litteris apostolicis *sublatus et abolitus* est, substituto *communi charactere latino super charta pergamena, ut in more est.* Item sigillum seu *numisma plumbeum cum adjectis cordulis servandum est tantum in apostolicis litteris collationum, erectionum et dismembrationum beneficiorum majorum nec non in aliis S. Sedis solemnibus actis.* Hae adhuc expediuntur per Cancellariam; Bullae vero beneficiorum non consistorialium expediuntur per Datariam. *In reliquis* subrogatur *impressio rubri coloris sigilli noviter conficiendi referentis imagines Apostolorum Petri et Pauli, inscriptione nominis regnantis Summi Pontificis circumducta.*

Bullae citantur vocabulis quibus incipiunt. *Bullaria* dicuntur bullarum collectiones.

2.° *Brevia* dicuntur quaedam R. Pontificum constitutiones pro negotiis ut plurimum levioribus.

Per *Secretariam Status* (communiter, cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 336, 421-423, 1254, 1266 *seq.*), et etiam per S. C. de Sacramentis (cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 420) quoad dispensationes matrimoniales, membranis albis atque subtilibus (nonnulla etiam in *charta* ordinaria, optimae tamen qualitatis), latino eoque nitido charactere conscriptae, expediuntur. Sigillum habent cerae rubrae, in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis, et ideo dicuntur expediri sub *annulo Piscatoris*. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1159 *seq.*

N. B. Ut facile bullas inter et brevia distinguas, haec nota: in brevibus praemittitur nomen Pontificis cum numero, v. gr. Pius PP. IX; in bullis nomini Pontificis numerus non additur, sed statim subjunguntur verba (Pius) *Episcopus, servus servorum Dei;* in brevibus data scribuntur secundum calendarium nunc receptum, v. gr. *die* 14 *octobris*, in bullis juxta calendarium romanorum, v. gr. *sexto Kalendas Martias*. Cfr. *Lega*, l. c., *n.* 241 *seq.*

201. — Quaer. 4.° *An et quatenus SS. Congregationibus ac Tribunalibus competat facultas* **authentice** *interpretandi* omnes *leges ecclesiasticas?*

Resp. 1.° Unicuique Congregationi (et *Sacrae Poenitentiariae)*

competit facultas interpretandi *authentice* omnes leges (non exclusis decretis Tridentinis) recipientes materiam propriae cujusque competentiae, salva Romani Pontificis approbatione. (S. C. Consist., 11 febr. 1911).

Resp. 2.° Id vero non competit Rotae Romanae nec Signaturae Apostolicae, quae tamen omnes ecclesiasticas leges possunt interpretari *juridice* in casibus particularibus, ita nempe ut jus faciant inter partes *(Ibid.)*. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 450, 1369 *seq.*

QUAER. 6.° *Utrum vim legis habeant SS. Congregationum declarationes et decreta?*

Resp. 2.° Omnium Congregationum decreta ejusdem sunt auctoritatis, et omnes obligant si fuerint *formaliter* generalia et legitime promulgata. Sunt enim leges legitime datae ac promulgatae vi potestatis acceptae a R. Pontifice. Vide *n.* 97, *q.* 3, et *Ferreres*, l. c., *n.* 1358 *seq.*

Resp. 2.° Quoad decreta particularia quae *interpretationem juris* continent. Haec imprimis obligant personas quibus data fuerint tanquam interpretationes *vere authenticae*.—Imo, quum ex Const. *Sapienti consilio* nihil jam grave et extraordinarium ab ipsis Congregationibus fieri possit nisi R. Pontifici fuerit ante significatum; omnesque ipsarum sententiae dandae sint aut cum approbatione Pontificis, aut vi specialium facultatum, videntur etiam haec decreta (etiamsi interpretationem extensivam contineant) alias personas obligare, modo ex objecto etiam ad eas referantur et fuerint legitime promulgata. Sunt namque interpretationes *authenticae* et legitime *promulgatae*. Vide *n.* 97, *q.* 3, et *Ferreres*, l. c., *n.* 1360 *seq.*

Promulgatione indigent ut obligent declarationes non modo extensivae vel restrictivae sed etiam comprehensivae, si jus fuerit objective dubium (*can.* 17, § 2). Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 1, *n.* 146.

Idem teneas quoad responsiones doctrinales S. Poenitentiariae.

N. B. Decisiones Rotae aut Signaturae Apostolicae quae ad controversias inter partes dirimendas in *forma judicii* proferuntur, tantum ipsas partes ligant, nec generatim extendendae sunt ad casus similes, nisi ex repetitis decisionibus judicialibus oriatur usus forensis in tribunalibus superioribus et inferioribus atque stylus Curiae, qui vim legis habeat. *Wernz*, l. c., *n.* 156, II; *Ferreres*, l. c., *n.* 1364 *seq.*

Proportione servata idem esto judicium quoad sententias latas a SS. Congregationibus in causis disciplinariter et oeconomice actis. *Ferreres*, l. c., *n.* 1366.

N. B. 1.° Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus

minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae hujusmodi opiniones a Sancta Sede *(ideoque etiam SS. Congregationum Rom.)* proscriptae vel prohibitae sunt (*can.* 1324).

2.° Omnibus *tanquam probabilem* licet sequi sententiam quam romanae Congregationes aut Tribunalia vel in praxi tenent, vel theoretice statuunt, vel exprimunt in responsionibus de quibus certo constat ab ipsis promanasse, quamvis promulgatae non fuerint. Tanta enim in omnibus casibus est SS. Congregationum auctoritas, ut privatorum quorumlibet sententiae sit praeferenda, nec deserenda unquam nisi ob gravissimas rationes.

202. — *Explicantur* **clausulae a SS. Congr. adhiberi solitae:**

Dilata: responsio differtur ut res maturiori examini subjiciatur; vel etiam ut removeatur.

Nihil: petitio non admittitur, utpote incongrua.

Lectum: postulatum admissum non fuit.

Reponatur, vel *non proposita:* petitio in archivio S. C. reponitur.

In decisis vel *in decretis:* standum esse datae resolutioni, et nova petitio removetur.

Affirm., vel *Neg.* et *amplius:* standum decisis, et petitio iterum non admittenda. Beneficium novae Audientiae in casu concedi nequit nisi a plenaria congregatione. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 282.

Non expedire: responsio negativa.

Ad mentem: aliquid solutioni addendum esse per modum interpretationis a secretario.

Gaudeat impetratis: gratia jam obtenta contentus sit orator, nec ultra ipsi aliquid novi concedatur.

Consulat probatos auctores: orator remittitur ad doctores.

Facto verbo cum Ssmo.: res deferenda S. Pontifici per secretarium, vel quia S. C. gratiae concedendae facultatem non habet, vel quia majorem solemnitatem exigit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1373 *seq.*; *Deshayes*, Memento juris ecclesiastici, *n.* 546; *Marc*, *t.* 2.°, *app.* 2; *Lega*, De judiciis eccl., *vol.* 2, *n.* 101 *seq.*, ubi plura alia reperies.

ARTICULUS II

DE LEGE CIVILI

203. — *Lex* seu *jus civile* est collectio legum vel decretorum principum temporalium, quibus ad bonum commune societas dirigitur.

Singulae nationes, seu communitates politicae proprias habent leges, quibus reguntur. Sed jus duplex praesertim distinguimus, scilicet, *romanum* seu antiquitus commune, et *hispanum*.

I. *Jus romanum.* — Jus romanum dicitur *commune,* quia vim fere ubique habuit ad nostra usque tempora. Magno autem in honore semper habitum est, tanquam exquisitum, *et quasi ratio scripta.*

Continetur in celeberrimo codice, seu corpore juris civilis, edito Justiniani jussu. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1.ª parte sunt *Institutiones Justiniani,* quae, quasi *rudimenta* et *elementa pro tironibus juris civilis,* quatuor libris continentur. Justinianus Imperator eas promulgavit die 21 nov. an. 533. Constituunt Collectionem authenticam. Dividuntur in quatuor libros, qui subdividuntur in titulos et paragraphos, et citari ita solent: § *Nuptiae,* I *de patr. pot.; vel* § I *Instit. de patria potestate;* vel I. I, 9, 1. Et legitur: paragrapho prima *Nuptiae,* Institutionum, de patria potestate; Inst. *lib.* I, *tit.* 9, paragrapho prima.

In 2.ª parte sunt *Pandectae.* Πανδέκται a πᾶν et δέχομαι (complector, comprehendo) quasi omnia complectentes scripta *juristica,* quae adhuc usui fore viderentur, vel *Digestum,* seu *Digesta,* quia doctrinam legalem certo ordine *digestam* haberent. Continent *sententias selectas jurisconsultorum,* quibus Justinianus vim legis tribuere voluit. Collectionem publicavit 6 dec. 533. Dividitur in tres partes et quinquaginta libros, qui iterum subdividuntur in *titulos* et *leges* vel *fragmenta.* Designari solet littera D. vel P. vel II., cujus ratio est clara; etiam litteris ff., quae ratio citandi valde notanda est, et videtur inducta per errorem e litt. D. justo plus protracta. Citari solent: D. (vel ff) de statu hominis, *I Libertas,* § *Servi;* et legitur: Digesti, titulo *de statu hominis,* libri *primi,* lege *Libertas,* paragrapho *Servi.* Nunc brevius citantur ita: D. lib. I, tit. V, lege (vel fragmento) 4, § 2, vel D. I. 5, 4, § 2.

In 3.ª parte est *Codex novus* seu *repetitae praelectionis. Repetita praelectio* hic idem significat ac secunda editio seu evulgatio, interprete ipso Justiniano, constitutione «*Cordi nobis*» d. d. 16 nov. an. 534, § 3, qua promulgavit Codicem. Reperitur in prooemio ipsius Codicis. Indicatur littera C. — Codex vetus ad nos non pervenit. Complectitur *principum constitutiones.* Dividitur in libros duodecim, qui subdivisi sunt in titulos; tituli autem in *leges* vel constitutiones. Citari solet apud antiquos: *L. Antistitem. C. Ne sanct. baptism. iteret.,* et legitur: Lege *Antistitem Codicis,* titulo *Ne sanctum baptisma iteretur.* Nunc brevius: L. I. C., 6. Lege prima Codicis, lib. I, tit. 6; adhuc brevius: C. I., 6, 1. Codicis, lib. I, tit. 6, lege I.

Tres priores collectiones authenticae sunt. Cfr. supra, *n.* 195, *N. B.* I.

In 4.ª parte continentur 168 Novellae, seu constitutiones posteriores, editae scilicet post Codicem. Non omnes sunt ipsius Justiniani, *neque haec collectio est authentica,* licet constitutiones sint genuinae. Novellae ordine numerico designantur, et dividuntur in praefationem, capita et epilogum. Designantur litt. *Nov.* vel *Auth.* (Authenticum, vel Authentica). Citari solent: Nov. (vel Auth.) de Monachis, § Illud igitur. Vel etiam: Nov. V, cap. I.

204. — II. *Jus hispanum.* — Jus civile hispanum in codice civili continetur; jus commercii itemque poenale in suo quoque codice invenitur *(Código de comercio, Código penal);* exstant aliae leges complectentes jus hypothecarum, processus, etc. Res singulae, in singulis codicibus contentae, in breves et claros articulos distribuuntur, numerisque arabicis indicantur, ideoque facillime inveniuntur. Jus civile generale est pro universa Hispania; attamen quoad plura adhuc viget jus *forale* in insulis Balearicis, Cathalaunia, Aragonia, Vasconia et Cantabria.

N. B. Quae hic diximus, fere communia etiam sunt juri civili **Lusitaniae** et uniuscujusque nationis **Latino-Americanae.**

CAPUT III

DE LEGE POENALI ET IRRITANTE

ARTICULUS I

DE LEGE POENALI

205. — Lex poenalis ea est, quae non obligat ad actum, vel ad omissionem, nisi sub poena temporali, id est ad acceptandam poenam ut justam.

Principia. — I. Nequit dari lex *pure poenalis*, ita ut nullo modo in conscientia obliget. — Quia omne praeceptum superioris aliquatenus obligare debet; secus enim non esset verum praeceptum. *Ita omnes.*

II. Potest autem dari lex *mere poenalis*, ad alterutrum in conscientia obligans, nempe vel ad legem implendam, vel ad poenam subeundam, si violata lex fuerit. — Ratio est, 1.° quia ad legis essentiam sufficit ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est ut obligatio actum vel omissionem determinate respiciat; 2.° quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris; legislator autem ad solam poenam obligare potest, si communi bono procurando sufficiat. *Ita communissime theologi cum S. Alph., n.* 145; *Suárez, Salmant.*, etc.

Quaestio vero an dentur aliquae leges mere poenales, minime potest speculative resolvi, cum dari possint alicubi, et non alibi. Soli igitur in sua regione aut natione docti et periti de hoc judicare valent. Contendunt autem non pauci theologi, esse mere poenales leges, quae respiciunt quaedam tributa. *De his dicemus in tract. de restitutione, versus finem.*

206. Quaesita. — Quaer. 1.° *Quomodo dignosci possint leges mere poenales?*

Resp. Tum ex legis materia ac verbis, tum ex aliis adjunctis, tum praecipue ex communi sensu doctorum, et persuasione praxique subditorum, praesertim timoratorum. Vid. supra, *n.* 169, II; et *Bucceroni*, Inst. Mor., I, *n.* 228. In dubio non sunt praesumendae mere poenales. *Palmieri*, in h. l.; *Génicot*, I, *n.* 140; *Lehmk.*, I, *n.* 208.

Quaer. 2.° *An ignorantia excuset a poena per legem lata?*

Resp. 1.° *Affirm.*, a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae, si ignorantia excuset a culpa, vel saltem a culpa gravi, idque in foro interno; imo etiam in externo, si pro foro externo talis ignorantia probetur (*can.* 2218, § 2). Ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit (*can.*

2202, § 2. Vide etiam *can.* 2229. Plura vide in *vol.* 2, ubi de Censuris.

QUAER. 3.° *An sint leges aliquae Ecclesiae mere poenales?*

Resp. Neg., si excipiantur regulae multorum ordinum religiosorum. Omnes enim poenae a jure canonico inflictae, culpam et plerumque gravem supponunt. Ratio est, quia leges poenales debent saltem esse obligatoriae disjunctive, seu saltem ad poenam subeundam; sed cum Ecclesia non utatur mediis ad coërcendum, quibus gaudent principes, necesse est ut semper in conscientia obliget. Nec dicas, Ecclesiam habere censuras ad poenam christianis infligendam; nam ex usu Ecclesiae censurae, praesertim excommunicationis, nonnisi in gravis culpae reos et in contumaces feruntur, quia censurae sunt poenae extraordinariae, quas Ecclesia, pia mater, nonnisi necessitate compulsa infligit. *Reuter, n.* 126. — — V. **Casus,** *n.* 125.

ARTICULUS II

DE LEGE IRRITANTE

207. — *Lex irritans* ea est, quae statuit aliquem actum a principio invalidum esse, vel judicis sententia invalidandum. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, aliae vero post sententiam tantum. Aliae sunt irritantes *absolute*, et aliae *conditionate*, si nimirum deficiant requisitae conditiones. Insuper aliae immediate irritant actum ipsum, ut impedimentum matrimonii ob clandestinitatem, et aliae mediate, personas ipsas inhabiles reddendo, ut impedimentum consanguinitatis.

Principia. — I. Omnis legislator leges irritantes condere potest. — Ratio, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanae propulsari satis nequirent. *Suárez.*

II. Leges, quae statuunt, actus rescindi posse, eos ante judicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet, et proinde ante ejusdem sententiam vim non sortiuntur.

III. Sententiae autem judicis irritantis standum est in iis omnibus, quae intrinsece ex irritatione nascuntur. — Quia auctoritati praecipienti obtemperandum est. *Suárez.*

208. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirm., si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges impedimenta matrimonii statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus civilibus. *Reuter, n.* 232.

QUAER. **2.°** *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

Resp. Neg. per se; unde novus Codex: «Nulla ignorantia legum ecclesiasticarum irritantium et inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur» *(can.* 16, § 1). Ratio est, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitae, nec tollit gravia incommoda, quae sequerentur, si lex in omni casu non irritaret.

Quaer. **3.°** *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?*

Resp. Affirm., nisi agatur de damno communi; ratio, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae, sed de bono communi; secus enim homines facilius sibi fingerent incommoda, et lex totum robur suum amitteret.

CAPUT IV

DE LEGE NON SCRIPTA SEU DE CONSUETUDINE

209. — Definitio. Consuetudo definiri solet: «Jus legale *non scriptum* diuturnis *moribus* populi christiani, *cum aliquo consensu* competentis legislatoris ecclesiastici, introductum.» *Wernz*, Jus Decretal., I, *n.* 187, I.

Divisio. Consuetudo *a*) alia est *secundum legem*, quae scilicet legem scriptam vel traditam usu et moribus *firmat* vel *interpretatur; b*) alia *praeter legem*, quae, deficiente lege, aliquem modum agendi tamquam obligatorium communitati imponit; *c*) alia *contra legem*, quae legem jam constitutam abrogat vel ei saltem derogat.

Consuetudo dicitur *praescripta*, si duravit tempus requisitum ad vim legis obtinendam; secus, dicitur *non praescripta.*

Principia. — I. Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis superioris ecclesiastici unice obtinet (*can.* 25).

II. Communitas, quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, potest consuetudinem inducere, quae vim legis obtineat (*can.* 26).

III. Consuetudo est optima legum interpres (*can.* 29).

Ergo *a*) consuetudo est lex, et *b*) vim legis obtinet unice a consensu competentis legislatoris.

210. Consectaria. — Inde plurima inferuntur consectaria. Etenim si consuetudo est lex, ergo 1.° debet esse *ordinatio rationis*, ideoque consuetudo debet esse *rationabilis*, ideoque vim legis obtinere nequit «consuetudo quae in jure reprobatur», talis enim consuetudo «non est rationabilis» (*can.* 28).

2.° Si est lex, debet repetere suam vim *ab eo qui curam com-*

munitatis habet ideoque a *consensu* competentis *legislatoris*. Non opus est ut adsit consensus expressus, quia jus supponit posse existere consuetudines legitime praescriptas, quas ignoret legislator. Ergo requiritur et sufficit *consensus legalis* in eo situs quod legislator lege generali antecedenter decernat ut consuetudines habentes determinata requisita obtineant vim legis. Cfr. *Wernz*, l. c., *n.* 188.

3.° Si consuetudo suam vim repetit *a consensu legislatoris*, qui in Codice canonico est ipse Papa, *a*) inde est quod possit derogare legibus ipsius legislatoris et inferiorum ejus, et hinc repetendum est quod consuetudo possit derogare legibus Papalibus et Conciliorum oecumenicorum, quod non possunt facere Episcopi nec Concilia provincialia, nec nationalia, nec plenaria.

b) Inde est etiam quod non possit, plus quam potest ipse legislator, ideoque nulla consuetudo potest aliquatenus derogare juri divino sive naturali sive positivo (*can.* 27).

c) Ego ubi desit hic consensus, consuetudo nullam vim habet: deest vero consensus legislatoris *a*) cum legislator eam reprobat, aut declarat irrationabilem; *b*) si non fuerit legitime praescripta per tempus statutum a legislatore.

4.° Si consuetudo habet vim legis, ergo consuetudini praeter legem aut contra legem derogari potest per aliam consuetudinem sibi contrariam, vel etiam per aliam legem competentis legislatoris.

5.° Consuetudo *facti*, quae est veluti materia legis, induci debet a populo i. e. a communitate vel a majore parte illius. Communitas debet esse capax saltem recipiendi legem ecclesiasticam specialem, uti est provincia ecclesiastica, dioecesis, ordo religiosus. Si enim communitas non est capax ut regatur legibus specialibus, nec poterit habere legem specialem inductam per consuetudinem.

Induci debet per actus repetitos qui sint frequentes, uniformes, liberi, i. e. non positi ex ignorantia aut metu.

211. — Quaer. 1.° *Per quantum tempus durare debet consuetudo ad praescribendum* **contra leges** *ecclesiasticas?*

Resp. Generatim requiruntur et sufficiunt *quadraginta anni.*

Sed contra legem ecclesiasticam quae *clausulam* contineat *futuras consuetudines prohibentem*, sola praescribere potest consuetudo *centenaria* aut immemorabilis (*can.* 27).

Quaer. 2.° *Quid requiritur ut inducatur consuetudo* **praeter legem** *quae vim legis habeat.*

Resp. Requiruntur *tres* conditiones: 1.ª ut *scienter* a communitate *cum animo se obligandi* servata sit; 2.ª ut sit *rationabilis;* 3.ª ut legitime per *annos quadraginta* sit *praescripta* (*can.* 28).

Ex defectu prioris conditionis non inducitur consuetudo vim legis habens quando communitas ideo actus ponit quia per erro-

rem putat se obligari ad eos ponendos. Sic in Hispania erat consuetudo non miscendi epulas diebus solius abstinentiae in quibus ex Cruciada licebat edere carnes, sed inducta erat ex errore quo putabatur a lege esse talem permixtionem interdictam, cum no esset, ideoque vim legis non habebat. Ita etiam ex errore inducta fuit consuetudo non utendi privilegio circa condimenta ex adipe in dioecesi Auriensi nisi ab habentibus Cruciatam, cum et aliis etiam liceret. Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 31, *pag.* 227 *seq.*

Quaer. 3.° *Quandonam consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?*

Resp. 1.° Si doctores in id consentiant; 2.° si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata; 3.° si superiores graviter reprehendant consuetudinum violatores. *S. Alph.*, *n.* 107.

Quaer. 4.° *Quid in dubio an consuetudo vim legis habeat?*

Resp. In dubio, facta inquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.* Haec autem inquisitio consistit in sensu hominum proborum indagando.

Quaer. 5.° *An lex revocet contrarias consuetudines centenarias aut immemorabiles?*

Resp. Neg., absque expressa earum mentione. Nec lex pontificia revocat consuetudines particulares absque expressa earum mentione (*can.* 30).

212. — Quaer. 6.° *Quid de clausula «nulla obstante consuetudine»?*

Resp. 1.° Haec clausula abrogat consuetudines contrarias jam exsistentes quae non sint *immemorabiles* aut centenariae, quia aliquid debet operari. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., III, *n.* 304.

Resp. 2.° Non tollit *immemorabilem* consuetudinem contrariam, nisi reprobetur ut irrationalis.

Resp. 3.° Quoad futuras; eas non irritat nisi reprobentur ut irrationales. Imo nec clausula «exclusa qualibet consuetudine in futurum» alium finem habet nisi excitare vigilantiam superiorum, ne consuetudo contraria invalescat. (Vide *De Luca*, l. c., *n.* 92).

Quaer. 7.° *Ant et quomodo Codex abroget consuetudines vigentes tempore suae promulgationis?*

Resp. 1.° Si expresse eas reprobet, habendae sunt uti corruptelae, ideoque abrogantur etsi fuerint immemorabiles, nec in posterum umquam praevalere poterunt (*can.* 5).

Resp. 2.° Reliquae, quae sint contrariae canonibus, suppressae haberi debent, nisi expresse Codex aliud caveat. Centenariae tamen et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis existiment eas prudenter submoveri non posse (*can.* 5).

N. B. Cum juxta Codices recentiores consuetudo nullam vim

habeat *legibus derogandi* (**hisp.-ph.**, 5, 6; **lusit.**, 9; **aeq.**, 2; **arg.**, 17; **chil.**, 2; **col.**, 8; **cost.**, 12; **guat.**, 6, 11; **mex.**, 8; **nic.**, 2; **per.**, 6; **Salv.**, 2; **ur.**, 9; **ven.**, 5), quae circa hoc hic dicta sunt valent in re canonica, non autem in materia civili, nisi forte in *Cathal.*, ubi viget jus *rom.* Si tamen maxima pars populi legem non observaret per longum tempus, posset quis prudenter censeri excusatus ab illius observatione; ratio enim et aequitas permittere non videntur, ut solus vel cum paucis legem communiter non observatam observare debeas. *Laymann.* De leg., *c.* 3, *n.* 3; *Ball.-P.*, I, *n.* 292; *Valenzuela*, *n.* 21. Deficiente tamen lege, consuetudo constituit jus suppletorium (**hisp.-ph.**, 6. Cr. etiam **hisp.**, 12, 485, 570, etc.).

CAPUT V

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Hunc titulum novi Codicis, cum etiam in Theologia morali utilis sit, hic addendum esse putavimus.

213. — Tempus computari debet juxta sequentes canones, nisi aliud expresse dicatur et salvis legibus liturgicis (*can.* 31).

Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, hebdomada 7 diebus. In jure nomine *mensis* venit spatium 30, *anni* vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario (*can.* 32, § 1, 2).

In supputandis *horis diei* standum est communi loci usui, v. gr. in publica horarum canonicarum recitatione. Attamen: 1.° in *privata* Missae celebratione, in *privata* horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in jejunii (etiam eucharistici) vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale (v. gr. meridianum de Greenwich pro Hispania), sive aliud extraordinarium (*can.* 33, § 1).

2.° Quoad tempus urgendi contractuum obligationes, servari debet praescriptum juris civilis in territorio vigentis, nisi aliter *expresse* in pactione conventum sit (*Ibid.*, § 2).

214. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quandonam menses et anni sumi debent prout sunt in calendario?*

Resp. 1.° Si mensis et annus designentur proprio nomine vel aequivalenter, ex. gr. *mense februario, anno proxime futuro*, sumuntur prout sunt in calendario (*can.* 34, § 1).

Resp. 2.° Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr. *suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses*, etc., tempus supputatur de

momento ad momentum; et si tempus *sit continuum*, ut in allato primo exemplo, mensis et anni sumuntur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365 (*Ibid.*, § 2). Unde qui suspensus sit per mensem a Missae celebratione, si eam celebravit 14 Februarii hora 7 matutina, poterit iterum jam celebrare Missam die 14 Martii hora 8.

Resp. 3.° Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadis, aut tandem pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur: 1.° Mensis et anni sumuntur prout sunt in calendario; 2.° si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, ex. gr. *duo vacationum menses a die 15 augusti*, primus dies ad explendam numerationem computetur, et tempus finiatur incipiente ultimo die ejusdem numeri.

Unde in casu si duo vacationum menses incipiunt die 15 Augusti, finem habebunt expleto die 14 octobris, seu incipiente die 15, ita ut hic dies 15 jam non sit dies vacationis sed servitii.

3.° Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex. gr. *decimus quartus aetatis annus*, *annus novitiatus*, *octiduum a vacatione sedis episcopalis*, *docendium ad appellandum*, etc., primus dies ne computetur, et tempus finiatur expleto ultimo die ejusdem numeri.

Unde si annus novitiatus incipiat die 14 junii, quacumque hora id fiat, anni 1918, finem non habebit nisi *expleto* eodem die 14 junii anni 1919, ideoque professio fieri non potest nisi die 15 jam incepto.

4.° Quod si mensis die ejusdem numeri careat, ex. gr. *unus mensis a die 30 januarii*, tunc pro diverso casu tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis; nempe finem habebit *incipiente* die 28 februarii (vel 29 in anno bisextili), si terminus *a quo* coincidat cum initio diei; *finito eodem* die, si terminus a quo non coincidat cum initio diei.

Unde si quis in anno bisextili novitiatum incipiat die 29 februarii, anno sequenti, professionem facere poterit expleto die 28 februarii, seu, quod idem est, incepto 1 martii.

5.° Si agatur de actibus ejusdem generis statis seu fixis temporibus renovandis, ex. gr. *triennium ad professionem perpetuam post temporariam*, *triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandum*, etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eundem diem poni potest (§ 3).

Unde qui ingressus est novitiatum 14 junii, primam professionem fecit die 15, v. gr. hora 8, renovatio annualis vel triennalis *per se* fieri potest anno vel triennio sequenti, eodem die 15 junii quacumque hora, i. e. ante horam 8, vel hora 8, vel post horam 8.

QUAER. 2.° *Quid sit tempus continuum, quid vero tempus utile?*

Resp. 1.° Quod nullam patitur interruptionem.

Resp. 2.° Quod pro exercitio aut prosecutione sui juris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat (*can.* 35).

Unde si pro dicenda una Missa tempus *utile* assignetur unus mensis, et intra id tempus occurrat triduum hebdomadae majoris, hi tres dies non computantur.

CAPUT VI

DE RESCRIPTIS

Cum doctrina de rescriptis practicum usum habeat praesertim dum agitur de dispensationibus matrimonialibus, visum est aliqua hic attingere.

215.— Definitio. Rescriptum est responsum Principis, i. e. Romani Pontificis aut aliorum Ordinariorum, scripto datum ad alicujus preces vel consultationem aut relationem. *Wernz*, I, *n.* 149; *Sanguineti*, *n.* 102.

Divisio. Rescripta dividuntur: 1.° in *rescripta gratiae*, quae favorem continent non connexum cum contentione judiciali, v. gr. indulgentias; et *rescripta justitiae*, quae favorem continent ordinatum ad contentionem judicialem, v. gr. delegationem judicis. 2.° in rescripta *secundum jus*, in quibus urgetur exsequutio juris, ut ordinarie fit in rescriptis justitiae; et rescripta *praeter jus* aut *contra jus*, in quibus aut aliquid conceditur a jure non definitum, v. gr. indulgentiae, aut conceditur id quod est contra jus, v. gr. dispensationes matrimoniales, ut solet accidere in rescriptis gratiae.

216. Quaesita.—Quaer. 1.° *Quinam et pro quibus possint obtinere rescripta?*

Resp. 1.° Quicumque expresse non prohibetur (*can.* 36, § 1).

Resp. 2.° Impetrare ea quis potest non modo pro se sed etiam pro alio etiam *praeter ejus assensum*, et licet hic possit concessa gratia non uti; rescriptum tamen valet ante ejusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat (*can.* 37).

Resp. 3.° Excommunicati, suspensi et interdicti, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nequeunt gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio fiat respective de excommunicatione, suspensione aut interdicto (*can.* 36, 2265, § 2, 2275, *n.* 3, 2283).

Quaer. 2.° *An adimpletio conditionis appositae in rescripto sit essentialis pro hujus validitate?*

Resp. Affirm., si exprimatur *per* particulas *si, dummodo* vel aliam ejusdem significationis (*can.* 39); secus, *negative.*

In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: *Si preces veritate nitantur* (*can.* 40).

Quaer. 3.° *Quando rescripta suum sortiantur effectum?*

Resp. A momento quo datae sunt litterae, si exsecutorem non exigant; *secus*, a momento exsecutionis (*can.* 38). Preces veritate niti debent respective tempore quo suum sortiri debent effectum (*can.* 41).

Quaer. 4.° *An* **reticentia veri** *seu subreptio, aut* **expositio falsi** *seu obreptio obstent validitati rescripti?*

Resp. 1.° *Neg.*, dummodo expressa fuerint, quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda (*can.* 42, § 1).

Resp. 2.° Etiam *neg.*, dummodo saltem *unica causa* proposita vel ex pluribus propositis *una saltem motiva* vera sit (*can.* 42, § 2).

Imo si in rescripto apponitur clausula: *Motu-proprio*, valebit hoc etsi *reticeatur veritas* alias necessario exprimenda; non tamen *si falsa causa finalis* eaque *unica* proponatur (*can.* 45), nisi agatur de dispensatione matrimoniali ab impedimento minori, quae etiam in hoc casu valida erit (*can.* 1054).

N. B. Si in rescripto plures gratiae una simul concedantur, vitium obreptionis vel subreptionis in una parte tantum, aliam non infirmat (*can.* 42, § 3).

217. — Quaer. 5.° *Quodnam rescriptum sit praeferendum si contingat ut de una eademque re impetrentur duo rescripta inter se contraria?*

Resp. 1.° *Peculiare*, in iis quae peculiariter exprimuntur, *praevalet generali.*

2.° Si sint aeque peculiaria aut generalia, *prius tempore praevalet posteriori*, nisi in altero fiat expressa mentio de primo aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

3.° Quod si eodem die fuerint concessa, nec liqueat uter prior impetravit, utrumque irritum est, et si res ferat, rursus ad eum, qui rescripta dedit, recurrendum (*can.* 48).

Quaer. 6.° *Quomodo rescripta sint interpretanda?*

Resp. Secundum *propriam verborum significationem* et communem loquendi usum, *nec* debent *ad casus alios* praeter expressos extendi (*can.* 49).

Quaer. 7.° *Quid vero si sensus appareat dubius?*

Resp. Tunc generatim admittunt *latam* interpretationem. *Excipe* rescripta *a)* quae referuntur ad *lites*, vel *b)* laedunt jus tertii, vel *c)* adversantur legi in commodum privatorum, vel *d)* impetrata sint ad assecutionem *beneficii ecclesiastici* (*can.* 50): hae enim strictam recipiunt interpretationem.

Quaer. 8.° *An exsecutor exsecutionem denegare possit?*

Resp. 1.° *Neg.*, si ei committatur merum *exsecutionis* ministerium. *Excipe a*) si manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis nullum esse, aut *b*) in rescripto apponantur *conditiones* et exsecutori constet eas *non esse impletas*, aut *c*) qui rescriptum impetravit adeo, judicio exsecutoris, videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem facere debet rescribentem (*can.* 54, § 1).

Resp. 2.° *Affirm.*, si in rescripto *concessio* gratiae exsecutori omnino committatur: tunc enim ad eum pertinet pro suo *prudenti* arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare (*Ibid.*, § 2).

218. — Quaer. 9.° *Quomodo procedere debeat* **exsecutor?**

Resp. 1.° Nequit *valide* procedere ad exsecutionem antequam *litteras* receperit earumque *authenticitatem* et *integritatem* recognoverit. *Excipe si* praevia earumdem notitia ad eum fuerit auctoritate *Sanctae Sedis* transmissa (*can.* 53).

2.° Procedere debet ad normam mandati quae in rescripto ipsi datur; quod si conditiones essentiales ac formam substantialem non servaverit, invalida est exsecutio (*can.* 55).

3.° *Decretum exsecutionis* rescriptorum, quae forum *externum* respiciunt *scripto* est proferendum (*can.* 56). *Attamen* exsecutio *verbis* facta erit *valida.*

4.° Quod si in rescriptorum exsecutione quomodolibet erraverit, poterit iterum eadem exsecutioni mandare (*can.* 59, § 1).

Quaer. 10. *An exsecutor rescriptorum possit alium sibi* **substituere?**

Resp. Affirm., nisi id expresse prohibeatur (*can.* 57, § 1).

Excipe si electa fuerit industria personae: tunc enim non licet alteri committere nisi actus praeparatorios seu *ordinarios* (*can.* 57, § 2).

Imo (nisi electa fuerit industria personae) rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab *exsecutoris successore* in dignitate vel officio (*can.* 58).

219. — Quaer. 11. *Quomodo* **cessent** *rescripta?*

Resp. Rescripta cessant *a*) sive *ex natura rei* (v. gr. morte impetrantis, si rescripta contineant privilegium personale); *b*) sive *elapso tempore* in ipsis assignato; *c*) sive per *revocationem* expressam vel tacitam (v. gr. per rescriptum vere ac legitime contrarium priori) Apostolicae Sedis (*can.* 60 § 1).

Non vero *cessant a*) per vacationem Sedis Apostolicae aut dioecesis rescripta ejusdem Sedis Apostolicae aut Ordinarii, nisi aliud ex additis clausulis appareat aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit (*can.* 61); nec *b*) per legem

contrariam, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis (*can.* 60, § 2).

N. B. 1.° Rescripta *a*) etiam *Motu proprio* concessa personae de *jure communi inhabili* ad consequendam gratiam de qua agitur; itemque *b*) edita contra legitimam *consuetudinem* vel *statutum peculiare* alicujus loci, vel contra *jus alteri* jam *quaesitum*, **non sustinentur**, *nisi* expressa *derogatoria* clausula rescripto opponatur (*can.* 46).

2.° Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo judicio Ordinarii nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio (*can.* 47).

3.° Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet *Ordinario impetrantis praesentari*, cum *a*) id in eisdem litteris praecipitur, aut *b*) agitur de rebus publicis, aut *c*) opportet comprobare conditiones quasdam (*can.* 51).

4.° Rescripta, *quorum praesentationi nullum est definitum tempus*, possunt exsecutori exhiberi quandocumque, modo absit fraus et dolus (*can.* 52).

5.° Si rescriptum continet non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, servari debent etiam canones de privilegiis vel dispensationibus (*can.* 62).

CAPUT VII

DE PRIVILEGIIS

220. — Definitio. Privilegium objective sumptum est «Lex privata specialem favorem concedens contra vel praeter jus commune». Subjective spectatum est «Jus speciale permanens concessum in gratiam a superiore contra vel praeter jus commune». *Wernz*, I, *n.* 158. Unde privilegium gaudere debet quadam perpetuitate, ex quo differt a dispensationibus ad actum transeuntem, a facultatibus temporaneis, etc.

Quare, ex *can.* 70, «Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum.»

Divisio: Privilegium esse potest: 1.° *contra* vel *praeter* jus commune.

2.° *Favorabile* vel *odiosum:* prout concedat merum favorem sine incommodo alterius; vel tertiae personae praejudicium afferat.

3.° *Personale*, *locale*, aut *reale:* prout immediate concedatur personae, loco aut alicui rei.

4.° *Directe* alicui concessum, aut per *communicationem* cum alio cui directe concessum est. Communicatio esse potest in forma aeque principali aut in forma accessoria.

5.° Concessum *motu proprio* aut *ad preces* sive instantiam *alterius.*

Principium. Nemo cogitur uti privilegio, in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio (*can.* 69). Oriri potest obligatio illo utendi, v. gr. ex charitate.

221. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quomodo* **acquiri** *possunt privilegia?*

Resp. Tripliciter, scilicet: per *directam concessionem* competentis auctoritatis, per *communicationem*, et per legitimam *consuetudinem* aut *praescriptionem* (*can.* 63).

QUAER. 2.° *Quaenam privilegia censentur concessa per* **communicationem** *etiam si haec fiat in forma aeque principali?*

Resp. Ea tantum *a*) quae *directo, perpetuo* et *absque speciali relatione ad certum locum aut rem* aut *personam* concessa fuerant primo privilegiario; *b*) habita etiam ratione *capacitatis subjecti*, cui fit communicatio (*can.* 64).

QUAER. 3.° *An privilegia obtenta per communicationem augeantur, imminuantur vel amittantur, si augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario?*

Resp. Affirm., si acquirantur per communicationem in forma *accessoria.*

Neg., si in forma *aeque principali* acquisita fuerint (*can.* 65).

QUAER. 4.° *Quomodo privilegia sint* **interpretanda?**

Resp. 1.° *Ex ejus tenore;* nec licet illa extendere aut restringere (*can.* 67).

Resp. 2.° Si vero sensus sit dubius, tum interpretantur sicut supra (*n.* 217, *q.* 6.° et 7.°) dictum est de rescriptis (*can.* 50), *ita tamen* ut privilegiarius aliquam videatur gratiam consequutus ex privilegio (*can.* 68).

QUAER. 5.° *An valeant privilegia a Sancta Sede concessa* **vivae vocis oraculo?**

Resp. Affirm., sed nemo potest cujusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime tunc demonstret (*can.* 79).

222. — QUAER. 6.° *Quomodo* **cessent** *privilegia?*

Resp. 1.° Per legitimam *revocationem* ipsius concedentis vel ejus superioris competentis seu successoris, ut patet.

2.° Per *renuntiationem* a competenti superiore acceptatam (*can.* 72, § 1).

3.° *Si* rerum adjuncta temporis progressu sic immutantur, ut judicio superioris *noxia evaserint* aut ejus *usus fiat illicitus* (*can.* 77).

4.° Resoluto jure concedentis, si data sint ad ejusdem beneplacitum (*can.* 73).

5.° Privilegium personale personam sequitur et cum ipsa extinguitur (*can.* 74).

6.° Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum; localia tamen, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt (*can.* 75).

7.° Cessant etiam elapso tempore aut expleto numero casuum pro quibus privilegium fuit concessum (*can.* 77).

Quaer. 7.° *An per* **legem generalem** *directo contrariam censeantur revocata privilegia?*

Resp. Affirm , si privilegia in Codice sint contenta; non vero cetera, nisi expressa eorumdem fiat mentio, aut lex lata sit a superiore concedentis privilegium (*can.* 60, 71).

Quaer. 8.° *Quid si revocatio fiat per actum peculiarem superioris?*

Resp. Tunc privilegium revocatur, sed perdurat usque dum revocatio privilegiario significetur (*can.* 60, 71).

223. — Quaer. 9.° *An quis possit* **renuntiare** *privilegio?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si agatur de privilegio in favorem ipsius tantum (*can.* 72, § 2).

Resp. 2.° Si vero privilegium sit concessum alicui communitati, dignitati aut loco, personae privatae renuntiare eidem non possunt. Imo nec ipsa communitas, si agatur *a)* de privilegio concesso per modum legis **aut** *b*) cujus renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praejudicium (*can.* 72, § 3, 4).

Quaer. 10. *An privilegia quae* **in gravamen aliorum** *cedunt amittantur per usum contrarium aut per liberum non usum?*

Resp. Neg., nisi accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio. A fortiori non amittuntur per non usum aut usum contrarium privilegia **mere favorabilia** (*can.* 76).

Quaer. 11. *An peregrini possint gaudere privilegiis locorum quae peragrant, etsi sint contra legem communem?*

Resp. Affirm. Constat ex consuetudine generali.

N. B. 1.° Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii (*can.* 63, § 2).

2.° Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur, de quo abusu Ordinarius monere debet Sanctam Sedem, si privilegium ab ipsa fuerit concessum (*can.* 78).

FINIS TRACTATUS DE LEGIBUS

TRACTATUS
De peccatis

Agendum 1.° de peccatis in genere; 2.° in specie.

PARS PRIMA

DE PECCATIS IN GENERE, SEU DE NATURA, GRAVITATE ET DISTINCTIONE PECCATORUM

CAPUT I

DE NATURA PECCATI

224. — Definitio. *Peccatum* communiter definitur: Libera transgressio legis divinae, id est, cujuslibet legis in conscientia obligantis. *S. Alph., lib.* 5, *n.* 1. — Vel «est voluntarius recessus a lege Dei.» *Ita S. Thom.*, 1, 2, *q.* 72, *art.* 1. — Vel «est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam». *S. Aug., l.* 22, contra Faustum, *c.* 27.

Divisio. Peccatum multipliciter distinguitur, scilicet:

1.° *Actuale*, vel *habituale*, prout vel est ipsa actio aut omissio legi contraria, vel status peccati nondum deleti.

2.° *Mortale*, vel *veniale*, prout vel solvit amicitiam divinam, vel est levis tantum Dei offensa, quae veniam facile consequi potest.

3.° Peccatum *commissionis*, vel *omissionis*, prout fit positione actus prohibiti, aut omissione actus praecepti.

4.° Peccata contra *Deum*, *proximum*, et *seipsum*, prout officia violant vel Deo, vel proximo, vel sibi debita.

5.° Peccata *malitiae*, vel *ignorantiae*, vel *infirmitatis*, prout vel ex mera malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel ex mera fragilitate committuntur.

Peccatum dicitur *formale*, quando lex *libere et scienter* violatur. Dicitur autem *materiale*, quando transgressio legis est prorsus involuntaria.

Nihil dicimus de peccato originali, cujus tractatio ad theologiam speculativam pertinet.

225. **Principia.** — I. Ad peccatum formale, praeter malitiam objectivam actus, requiritur advertentia mentis et consensus voluntatis. — Ac 1.° quidem requiritur advertentia mentis ad malitiam, quia malitia peccati non potest esse objectum voluntatis, nisi ope intellectus aliquo modo cognoscatur: *ignoti* enim *nulla cupido;* 2.° requiritur consensus ex parte voluntatis: peccatum enim voluntate perficitur, juxta illud *Matth.*, XV, 19: *De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria*, etc. — *Recole dicta de act. human., n.* 54 *et seq.*

II. Ad peccatum actuale requiritur necessario advertentia actualis. — Repugnat enim hominem peccare, quin aliquo modo vel hic et nunc, vel in causa, saltem *in confuso*, ad peccatum advertat. *Nihil* enim *volitum, quin fuerit praecognitum. Ita communiter cum S. Alph., lib.* 5, *n.* 4; *Suárez*, etc. Igitur ad actuale *in se* requiritur actualis advertentia *hic et nunc;* ad actuale in causa, requiritur ut aliquando quis ad causam actu adverterit.

Contradicunt quidem aliqui, asserendo, sufficere ad peccatum advertentiam *virtualem*, seu *interpretativam*, quae in eo consistat, quod homo *debeat* et *possit* advertere, quamvis *actualiter* non advertat. *Ita Collet, Concina*, etc. — Sed haec sententia omnino rejicienda est. Etenim nihil potest esse volitum, nisi eo modo et tempore quo est cognitum: effectus enim causae voluntariae non sunt determinate voluntarii, nisi quando determinate cognoscuntur. Peccatum, igitur, absque ulla actuali cognitione commissum mere materiale est. Nec dicant, illud esse forsitan voluntarium *in causa;* nam si fuit vere voluntarium in causa, tunc necessario affuit aliqua cognitio, ac proinde tunc peccatum patratum fuit.

226. **Resolves:** — 1.° Ignorantia vincibilis circa praeceptum aliquod est peccatum, et in re gravi potest esse grave, si negligentia notabilis fuerit; ratio, quia omnis lex obligat primo ad sui notitiam, et proinde violatur praeceptum non solum per actum ipsi oppositum, sed etiam per voluntariam ejus ignorantiam.

2.° Actus mali eam habent malitiam, quae apprehenditur. Unde si incidat cognitio de malitia tali, seu taliter specifica, haec vere per actum voluntatis contrahitur. — *Ita communiter.*

3.° Si quod peccatum praevisum in causa fuerit, et dein cum advertentia actu a priori formaliter distincto ponatur, duplex habebitur peccatum, nempe 1.° in causa voluntaria, 2.° in se ipso.

4.° Si ignorantia, culpabilis in principio, invincibilis evadat, actus malus non est peccatum in se, sed ratio peccati a sola causa repetenda est. Porro invincibilis evadet, si nulla amplius de negligentia praeterita, aut de actuali ignorantia cogitatio subeat, quia tunc deficit potestas proxima et expedita ad ignorantiam depel-

lendam. Evadit etiam invincibilis ignorantia, si suboriens de ea dubium depelli non possit.

5.° Obcaecati et consuetudinarii, quamvis ob defectum clarioris tunc cognitionis, forte peccent quandoque minus graviter in actu quam alii, non tamen excusantur; quia status ejusmodi, ubi nulla est emendationis cura, est illis voluntarius et culpabilis.

6.° Ceterum aegre admittenda est inadvertentia perfecta in consuetudinariis, quia saltem *in confuso* peccati malitiam advertunt. Si quando tamen actus malos omnino inadvertenter ex consuetudine perpetrent, hi actus peccata quidem actualia dici nequeunt, quia hic et nunc non sunt voluntarii; verumtamen voluntarii sunt in causa, atque adeo semper ipsis imputantur, quia stricta obligatio pravae consuetudinis corrigendae semper urget. Id ipsum dicendum est de aliis peccatis, quae sunt voluntaria mere in causa; nimirum tunc reatus contrahitur, quum causa ponitur voluntarie; et cum totus reatus in causa resideat, eodem modo hic aderit, sive actus ejusmodi consequantur, sive non, et sive pauciori, sive majori numero iidem frequententur.

CAPUT II

DE GRAVITATE PECCATI, PRAESERTIM DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

227. — Definitiones. *Gravitas peccati* est *quantitas seu mensura* malitiae, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum, et proinde majori vel minori poena dignum.

Peccatum mortale est transgressio legis graviter obligantis, seu gravis offensa Dei, privans amicitia divina et gratia sanctificante, et peccatorem reddens aeterna poena dignum.

Peccatum veniale est transgressio legis leviter obligantis, seu levis offensa Dei, quae nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde ab aeterna beatitudine excludit.

Quaedam peccata sunt mortalia *ex toto genere suo*, quando eorum objectum seu materia, quaecumque ea demum sit, gravem semper continet inordinationem, ut in luxuria, blasphemia, perjurio, haeresi, etc., contingit. — Mortalia dicuntur *ex genere suo non toto*, quando eorum materia in eadem specie manens potest esse gravis, quamvis et levis esse possit, cujusmodi sunt peccata contra justitiam. — Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata, quae, spectata objecti materia seu natura, non admittunt gravem reatum, i. e. quae adversantur virtutibus vel legibus quae *per se* sub levi tantum obligant, ut est fidelitas; et ideo quousque maneant intra suam speciem, alia scilicet species non accedat ex genere suo mor-

talis, nequeunt mortalia esse. *S. Alph.*, *n.* 51. Cfr. infra, *nn.* 255-261.

His positis, sint sequentes propositiones:

PROPOSITIO I

Non omnia peccata sunt aequalia, sed sunt alia aliis graviora.

228. — *Prob.* 1.° ex Scriptura sacra. Jeremias, VII, 26, ait de israëlitis: *Pejus operati sunt, quam patres eorum.*—Sic Christus Pilato, Joann., XIX, 11: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

Prob. 2.° ex ratione. Dicendum, data proportione, de injuriis hominum in Deum, quod dicitur de injuriis filiorum in parentes, vel subditorum in principes; atqui istae sane inter se differunt *ratione gravitatis;* ergo etiam illae. — Insuper peccata sunt oppositio ad virtutes et praecepta; atqui sunt virtutes aliae aliis excellentiores et praecepta alia aliis graviora; ergo oppositio ad haec erit gravior, vel minus gravis. Aliunde etiam intentio prava deliquentis potest varios malitiae gradus admittere, ut patet. Ergo...

QUAER. *Undenam repetenda est major, minorve peccatorum gravitas?*

Resp. Repetenda est generatim: 1.° ex objecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturae rationali, vel legi repugnant; 2.° ex duratione actus mali, vel ex ejus intensitate; 3.° ex advertentia majori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo praestiti; 4.° ex praestantia virtutum vel praeceptorum quibus peccata opponuntur; 5.° ex variis modis quibus virtutes aut leges violantur.

PROPOSITIO II

Dantur peccata mortalia.

229. — *Prob.* 1.° ex Scriptura sacra. I Cor., VI, 9-10 *et seq.*, dicitur: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* — Et Rom., I, 23: *Qui talia agunt, digni sunt morte.* — Et I Joann., III, 14: *Qui non diligit, manet in morte.* — Adde innumera alia S. Scripturae testimonia, ex quibus luculenter constat, multos homines propter peccata sua a Deo fore rejiciendos et poenis aeternis cruciandos.

Prob. 2.° ex Ecclesiae auctoritate. Ecclesia enim docet dari peccata mortalia. Sic *Trid., sess.* 6, *can.* 27: *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.* — Item, *sess.* 14, *c.* 5, ait: *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia... in confessione recenseri.* Ergo dantur peccata mortalia.

PROPOSITIO III

Dantur peccata mere venialia.

230. — *Prob.* 1.° ex Scriptura sacra. Prov., XXIV, 16, dicitur: *Septies... cadet justus, et resurget.* Ergo qui cadit seu peccat dum justus est, non peccat mortaliter, siquidem non privatur justitia; ergo tantum venialiter. Ergo, etc. — Item Jacob., III, 2: *In multis... offendimus omnes;* atqui non peccamus omnes mortaliter, cum multi sint justi ante Deum, ut constat ex multis locis veteris et novi Testamenti, v. gr. ut dicitur de Zacharia et Elisabeth, Luc., I, 6; de S. Joseph, Matth., I, 19, etc. Ergo sunt justi non immunes a peccato; ergo dantur peccata venialia.

Prob. 2.° ex definitione Ecclesiae. In *Trid., loco supra citato,* dicitur: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, multis aliis remediis* (praeter sacram. Poenit.) *expiari possunt.* Constat etiam *ex propos.* 20 *Baji* a Pio V et aliis SS. Pontificibus damnata, quae sic sonat: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Prob. 3.° ex ratione. Etenim inter amicos dantur offensae leves, quae non solvunt amicitiam; ergo similiter erga Deum dari debent. Ergo...

231. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *In quo consistat differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale?*

Resp. Differentia inter peccatum mortale et veniale in hoc sita est, quod qui peccat mortaliter, a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat, atque in ea tanquam in fine suo quiescat; contra vero, qui peccat venialiter, non recedit a Deo, sed actus ponit ita inordinatos, ut nullatenus ad Deum tendere possint. *Ita communiter cum S. Thom.,* 1, 2, *q.* 72, *art.* 5.

QUAER. 2.° *Quaenam ad peccatum mortale requirantur?*

Resp. Tria necessario requiruntur, scilicet: 1.° materia gravis vel in objecto vel in circumstantiis; — 2.° advertentia plena ad malitiam gravem actus; — 3.° consensus plenus voluntatis in praevaricationem.

Itaque 1.° requiritur materia gravis; secus enim non distingueretur peccatum mortale a veniali, ratione materiae, quum materia levis per se non possit hominem dissolvere ab amicitia divina.

2.° Requiritur etiam plena advertentia, plenusque consensus, quia cum per peccatum mortale homo totaliter recedat a Deo, ut creaturis adhaereat, id fieri non potest, nisi peccator deliberate objectum peccati Deo praeferat, et sic suum finem ultimum in creatura constituat. Insuper a bonitate divina prorsus alienum est, hominem aeternae damnationi addicere sive propter transgressionem levem, sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium. *Ita omnes. S. Alph., nn.* 5, 6, 53.

Porro advertentia plena et sufficiens censetur, si cogitatio expressa, vel saltem *grave dubium de malitia mortali*, consensum vel actum peccaminosum praecedat. Et hoc quidem etiam unico instanti fieri potest per simplex judicium de malitia, quin mens per discursum pluries in seipsam speciali actu reflectat; attamen semper vera et plena mentis deliberatio, et objecto pravo plena adhaesio requiritur.

QUAER 3.° *Quaenam requirantur ad peccatum veniale?*

Resp. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus, quantumvis imperfectus: requiruntur ista quidem, quia hisce sublatis nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest; sufficiunt vero, quia illis positis mali cognitio et volitio, quae ad peccatum constituendum necessariae sunt, aliqua ratione habentur.

232. — QUAER. 4.° *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiae?*

Resp. Triplex regula assignatur.

1.ª *regula.* Recurrendum est *ad Scripturam sacram.* Quae enim sint gravia, vel quae levia, non humano sed divino sunt pensanda judicio, ait *S. Aug.*, Ench., *c.* 77. Porro ea sunt mortalia exsistimanda, quae in S. Scriptura declarantur digna morte, aut excludere a regno caelorum; vel quae enuntiantur cum particula *vae*, quae sane deformitatem vere gravem denotat. Sic Apost. de operibus carnis, Galat., v, 19-21, ait: *Quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* — Recole etiam longam seriem peccatorum mortalium, quae recenset Apost., I Cor., VI, 9-10, *ut supra, prop.* II.

II.ª *regula.* Recurrendum est *ad Ecclesiam*, seu ad definitionem SS. Pontificum, ad decreta conciliorum generalium, etc.; in quibus plura declarantur mortalia, vel tantum venialia. Ecclesia enim est columna veritatis, et proinde ab ejus doctrina est repetenda regula et mensura morum.

III.ª *regula.* Recurrendum est *ad SS. Patres, ad Ecclesiae doctores*, necnon ad communem theologorum doctrinam. Etenim SS. Patres et doctores fuerunt a Deo in medio Ecclesiae positi tanquam lucernae ardentes ad depellendas erroris tenebras, et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt, quam ceteri, Scripturae ac Patrum testimonia et Ecclesiae decreta interpretari, atque casus non definitos, cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, atque ex paritate vel similitudine opportunas deducere conclusiones. Quae igitur ab ipsis unanimiter tanquam mortalia habentur, ut talia aestimanda sunt; doctorum enim consensus indicium veritatis est.

233. — Deficientibus praemissis regulis, valde difficile est determinare, quandonam peccatum sit grave aut leve. Generatim autem gravia censentur:

1.° Omnia peccata, quae sunt directe contra Deum, vel aliquam ejus perfectionem. Item omnia peccata, quae vergunt in grave praejudicium generis humani, ut sunt variae luxuriae species.

2.° Omnia peccata, quae graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio jejunii, missae, confessionis annuae, communionis paschalis, etc.

3.° Omnia peccata quibus graviter laeditur proximus in bonis vitae, fortunae, famae, etc., ut homicidium, detractio proximo valde noxia, furtum notabile, etc.

Ceterum limites inter peccatum mortale et veniale saepe saepius nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris doctorum ea de re controversiis. Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo certo constet, ut recte notat *S. Alph.*, Syst. mor., *ad finem*, ubi etiam scribit: «Res admiratione digna est (inquit) videre, aliquos nullum reputare tutiorem modum salvas faciendi animas, quam eas per semitas asperiores ducere; sed non minus isti errant, quam alii qui conscientias per laxiorem ducunt viam. Non solum enim rationem Deo reddere tenemur de nimia indulgentia, verum etiam de nimia rigiditate, qua conscientiae illaqueantur, quod proprie est juxta S. Antoninum **aedificare ad gehennam.**» Deinde addit: «Idem validius affirmat Joannes Gerson dicens: Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt *certissimi* de re; nam per hujusmodi assertiones rigidas et nimis strictas nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. Lib. de vita spirituali.» *S. Alph.*, *lib.* 1, *n.* 89. Cfr. etiam *lib.* 6, *nn.* 604, 605.

234. — Quaer. 5.° *Quomodo peccatum ex genere suo mortale, fiat veniale, et vice versa?*

Resp. 1.° Peccatum *ex genere suo* mortale, fieri potest veniale quadruplici modo, ratione scilicet 1.° parvitatis materiae;—2.° imperfectae advertentiae;—3.° imperfecti consensus; 4.° conscientiae erroneae. *Ita S. Thom.*, 1, 2. *q.* 88, *art.* 1 *et* 2; *S. Alph.*, *n.* 54.

Resp. 2.° Peccatum autem *ex genere suo* veniale, fieri potest mortale, 1.° ratione conscientiae erroneae;—2.° ratione scandali;—3.° ratione pravi finis graviter mali;—4.° ratione contemptus *formalis* legis, seu auctoritatis praecipientis; — 5.° ratione pravi affectus in rem alioqui leviter malam, adeo ut vel praeceptum graviter obligans transgredi quis sit paratus; — 6.° ratione periculi seu occasionis proximae in peccatum mortale labendi.—*Ita omnes.*

235.— Quaer. **6.°** *An graviter peccaret qui sola mortalia vitare vellet et de omittendis venialibus minime curaret?*

Resp. Neg. probabilius per se, etiam si propositum haberet committendi omnia venialia (*S. Alph., lib.* 4, *n.* 12). Ratio est, quia animus ita comparatus non inducit *proximum* peccandi graviter periculum. — At in praxi difficilis res est, et valde ardua, cum facilitas venialiter peccandi sit causa, cur anima paulatim debilitetur, et facilius gravibus tentationibus demum vincatur, juxta illud Eccli., XIX, 1: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Raro tamen aut nunquam peccatur mortaliter ob ejusmodi periculum, quia non est occasio proxima, sed remota. *Suárez.* De relig., *tr.* 8, *l.* 1, *c.* 4, *n.* 18; *Card. de Lugo*, De Poenit., *disp.* 15, *n.* 49.

QUAER. 7.° *An sit peccatum grave, periculo labendi probabiliter in mortale semet sine causa exponere?*

Resp. Affirm., si agatur de occasione proxima peccati, ut res per se patet; secus vero in aliis casibus. *Sánchez*, in Decal., *lib.* 1, *cap.* 8, *n.* 1.

236. — QUAER. **8.°** *An peccet graviter, qui sine causa sufficienti ponit actionem, ex qua turpes motus passurus sit?*

Resp. Non peccat graviter, si actio non sit per se graviter influens in pravos effectus, modo eos non intendat, et absit periculum *proximum* consentiendi in pravam delectationem. Secus, si actio *per se* graviter in motus influat, ut sunt graves culpae in genere luxuriae. *S. Alph.. lib.* 3, *nn.* 482-484, ubi de pollutione haec scribit: «Sententia communior et probabilior docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae... Ratio, cur causa debeat esse per se mortalis, est, quia cum pollutio in casu non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa. Ratio autem, cur debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est, quia, si causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitare ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit. Hinc infertur non esse nisi venialem pollutionem, quae oritur... ex levi aspectu aut curiosa lectione venialiter turpi.»

QUAER. 9.° *An peccet graviter, qui deliberat de consensu rei graviter illicitae praestando, si tandem non consentiat?*

Resp. Solutio quaestionis pendet e qualitate deliberationis. Si enim haec imperfecta sit, nempe si non sit nisi quaedam haesitatio, seu resistentiae omissio ex torpore, pigritia, aut negligentia, peccatum veniale non excedet. *Lacroix, n.* 226. — Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale, quia voluntas paratam se ostendit ad Deum peccato postponendum. *Lacroix, l.* 1, *cap.* 8, *n.* 16.

QUAER. 10. *An peccata venialia multiplicata peccatum mortale efficere possint?*

Resp. Peccata venialia quantumvis multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis, nunquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. Quandoque

tamen ratione materiae coalescentis ad mortale deveniunt, ut v. gr. in materia justitiae accidit.

237. **Resolves:** — 1.° In praxi, ad distinguendum peccatum veniale a mortali, sedulo attendendum est: 1.° ad naturam actus; 2.° ad ejus gravitatem ex parte objecti, finis, et circumstantiarum; 3.° ad gradum deliberationis, malitiae, infirmitatis et ignorantiae.

2.° Ubi clarum non est, aliquod peccatum esse mortale, non debet esse praeceps confessarius in judicando illud esse reapse grave, tum objective tum subjective; quia in dubio pro minima parte standum est; vel saltem res est divino judicio relinquenda. *S. Alph.*, *n.* 52; *S. Thom.*, *S. Antoninus*, *etc.*

3.° In dubio de perfecto consensu, judicabis in favorem poenitentis, 1.° si sit timoratae conscientiae et habitualiter paratus sit mori potius quam Deum offendere; 2.° si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit; 3.° si nesciat, an vigilans vel dormiens, an sui plane compos quidpiam mali fecerit aut voluerit. *Elbel*, *n.* 578; *S. Alph.*, *lib.* 6, *n.* 476.

4.° Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam adhibeat, qua poenitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum praesertim, quae plena cum advertentia committuntur, removeat. Quippe qui nihil prorsus satagit vitare venialia, paulatim in mortale aliquod prolabi demum solet. — V. **Casus**, *n.* 144 *et seq.*; *Roncaglia*, *c.* 1.

CAPUT III

DE DISTINCTIONE PECCATORUM

Agendum 1.° de distinctione specifica; 2.° de distinctione numerica.

ARTICULUS I

DE DISTINCTIONE SPECIFICA

Distinctio *specifica* peccati oritur ex *speciali malitia*, seu ex diversa *deformitate*, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt. Malitia enim peccatorum varia est pro diversitate objectorum, ad quae se convertit peccator. Sic homicidium, furtum, luxuria specie differunt.

238. **Regulae.** — I.ª *regula.* Desumitur distinctio specifica peccatorum ex *oppositione ad diversas* virtutes, necnon ex *deformitate* moraliter *diversa contra eamdem* virtutem.

Ratio 1.ª patet, quia singulae virtutes habent suam bonitatem

specialem, et omnino distinctam, ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahunt. Sic negatio veritatis revelatae, desperatio, odium Dei inter se specie differunt. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, scilicet fidei, spei, et charitati.

Ratio 2.ª est, quia ubi malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, eidem repugnat speciali modo, et novam classem deformitatis constituit. Est autem moraliter diversa haec malitia, quando *a) opponitur officiis moraliter diversis ejusdem virtutis*, vel *b) modo disparato et opposito* hanc virtutem laedit. Sic *a)* homicidium, furtum, detractio specie inter se differunt, licet eidem virtuti, justitiae scilicet, adversentur. Quare? quia opponuntur diversis officiis ejus virtutis, quae jubet ut nemo laedatur sive in bonis vitae, sive in bonis fortunae, sive in bonis famae. Similiter *b)* praesumptio et desperatio specie differunt, quia altera per excessum, per defectum altera, spei opponuntur. *S. Alph.*, *n.* 31.

239. — II.ª *regula.* Specifica peccatorum distinctio desumitur etiam ex violatione praeceptorum *moraliter* diversorum. — Peccatum enim est legis, seu praecepti transgressio; ergo ubi praecepta *specie morali* inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita differre specie debent. Sic omissio missae die festo, omissio jejunii praecepti, omissio confessionis annuae vel communionis paschalis, specie inter se differunt. Dicuntur autem praecepta moraliter diversa, quoties *diversum* habent *objectum*, ut sunt jejunium, auditio missae, abstinentia a carnibus; vel quoties *motivum* praecepti est diversum, licet objectum idem sit. Sic duplex peccatum specie diversum patrat, qui in Quadragesima omittit jejunium, ad quod aliunde ratione poenitentiae sacramentalis tenetur. Contra vero, furtum est unicum peccatum, licet divina et humana lege prohibeatur, quia eadem est ratio prohibitionis. *S. Alph.*, *l.* 5, *n.* 33.

Aliqui addunt tertiam regulam, scilicet, peccata specie differre quando versantur circa *objecta formaliter diversa.* Quae regula potest dici omnium primaria et fundamentalis, juxta illud Angelici Doctoris (1, 2, *q.* 72, *art.* 1, *ad* 2): «Peccata magis distinguuntur specie secundum *objecta*, quam secundum opposita; quamvis etiamsi distinguantur secundum oppositas virtutes in idem rediret: virtutes enim distinguuntur *specie* secundum objecta.» Hinc sequentes versiculi:

> Virtus, praeceptum, diversa objecta, modusque
> Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

240. **Resolves:** — 1.° Quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea conjugata; quia violat quatuor virtutes diversas, nempe, castitatem, religionem, pietatem et justitiam.

2.° Tripliciter peccat, qui occidit sacerdotem vel religiosum in ecclesia; quia violat justitiam occidendo, et religionem duplici modo specifice diverso, violando, scilicet, personam sacram et locum sacrum.

3.° Non committit peccata specie nec numero diversa, qui omittit missam die dominica, in quam aliud festum de praecepto incidit, v. gr. B. M. Assumptio; nec qui violat jejunium vigiliae aut quatuor Temporum in Quadragesima incidentium, quia praecepta illa non sunt formaliter diversa; habent enim idem objectum idemque motivum.

4.° E contrario tria peccata specie diversa patrat unico actu, qui omittit jejunium, ad quod eadem die obligatur ex praecepto Ecclesiae, ex voto, et ex poenitentia sacramentali; idcirco in confessione triplicis hujus obligationis violatio aperiri debet.

5.° Specie differunt haeresis et omissio actus fidei, qui ex praecepto fieri debeat; item desperatio et omissio actus spei; vel odium Dei et omissio actus amoris debiti; atque ita pleraque commissionis et omissionis peccata, quorum unum repugnat praecepto affirmativo, alterum negativo.

6.° Specie differunt detractio, judicium temerarium, et contumelia, quia modo diverso justitiam laedunt. Furta vero specie non differunt ob diversa bona fortunae surrepta, quia haec cum referantur ad idem commercium, eumdemque usum hominum, moraliter unum quid reputantur.

7.° Specie differt violatio jejunii per esum carnis et per multiplicem refectionem, quia praeceptum virtualiter duplex violatur, quatenus scilicet cibi qualitatem et quantitatem praescribit.

ARTICULUS II

DE DISTINCTIONE NUMERICA

241. — Hac in re difficultas tota habetur vel quando plures actus aliquo modo uniuntur *moraliter*, v. gr. per unum finem; vel quando unicus actus attingit simul plura objecta.

Regulae. — I.ª *regula.* Numerica peccatorum distinctio sumitur *ex diversitate objectorum totalium* seu *moraliter diversorum. — Ita communiter cum S. Alph., n.* 45.

Ratio assertionis evidens est. Ubi enim sunt objecta *formaliter* ac moraliter *totalia*, ac ab aliis distincta, ibi plures etiam sunt actus voluntatis distincti, in se terminati et completi, et proinde plures malitiae distinctae, et consequenter plura peccata.

Porro objectum *totale* illud dicitur, quod ab aliis objectis omnino distinguitur, et in se completur, ita ut per se solum efficiat *totum morale*, et proinde non sit pars alterius, nec ad aliud ex na-

tura sua referatur. Sic in homicidio unicum habetur objectum *totale*, licet homicida varios actus praevios praemiserit, v. gr. quaerendo arma, struendo insidias, aut pluries percutiendo; quia omnes isti actus praevii ut partes actus principalis habendi sunt, et ad hunc ordinantur. Si vero homicida primum intenderit tantum percussionem, et postea, mutata voluntate, occiderit, duplex erit objectum *totale*, quia uterque voluntatis actus objectum suum *totale* habet.

242. — II.ª *regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur etiam *ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. S. Alph., n.* 36, *et alii communissime.*

Etenim quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, singuli evadunt in se completi, neque actus sequens potest dici continuatio praecedentis. Sic qui pluribus vicibus moraliter interruptis alium percutit, vel furatur, tot peccata committit, quot sunt percussiones, vel furta; quia tot actus diversos haec constituunt.

Actus autem voluntatis triplici modo interrumpuntur, scilicet, 1.° *Per retractationem*, seu revocationem expressam voluntatis, quia haec impedit quominus actus posterior cum priore conjungatur, v. gr. si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat. — 2.° *Per cessationem voluntariam ab actu*, seu per mentis applicationem ad diversum objectum, v. gr. si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud redeat. — **3.°** *Per moram involuntariam sat notabilem* ratione habita ad actus naturam, ita ut judicio prudentium actus voluntatis cessare censeatur.

243. — Quaenam autem mora censetur sufficiens ad actuum multiplicitatem? Traduntur communiter sequentes regulae:

1.° Actus *mere interni*, qui nullum ordinem inter se habent, complentur statim ac interrumpuntur, et proinde toties multiplicantur, quoties interrumpuntur. Ratio, quia reapse totidem sunt actus voluntatis completi et distincti. Et sane tales actus moraliter non continuantur, cum unus ab alio non pendeat; neque in unum coalescunt, cum nihil in se habeant, per quod sibi invicem uniantur. Hinc poenitens debet in confessione exprimere, si possit, quot vicibus internae tentationi adhaeserit; quod si nequeat, dicat *circiter*, vel saltem an valde frequenter. decurrente die, consensum dederit. — *Regulariter*, inquit *Lugo* (De Poenit., *disp.* 16, *n.* 570), «ultra duas vel tres horas non videtur perseverare *moraliter* eadem voluntas mere interna». Tamen si actus interni ex eodem passionis impetu procedant, aut unus ab alio pendeat, unum peccatum constituunt. *Ball P., vol.* 1, *n.* 615 *seq.*; *Lugo*, l. c., *n.* 565. Nec omittendum illas interruptiones debere esse *morales*, nec satis esse quod sint physicae: «sic unum foret peccatum, si quis de rebus turpibus cum delectatione cogitans, pauca verba cum transeunte misceret et statim ad turpia volvenda rediret; duplex peccatum,

si ad eadem rediret post longam collocutionem quae mentem prorsus a turpibus avocasset». *Génicot*, I, *n.* 164, reg. I. Cfr. etiam *Lugo*, l. c., *n.* 569. Intellige, nisi huic collocutioni indulgendo, statuerit turpem postea resumere cogitationem. Tunc enim resumptio posterioris, a priori cogitatione penderet.

2.° Actus interni *cum proposito externam actionem ponendi*, multiplicantur toties quoties pravum propositum formaliter innovatur, ita scilicet ut posterius moraliter censeri nequeat continuatio prioris. Ratio est, quia tunc novus voluntatis actus formaliter distinctus intercedit. Si vero propositum non renovetur, non fit novum peccatum, quia tunc prior actus voluntatis in ipso effectu, vel in opere externo, si inchoatum hoc sit, perseverare censetur. Idem autem propositum majori vel minori tempore perdurat, pro varia intensitate necnon pro variis circumstantiis personarum, aetatis, sexus, indolis, etc. *S. Alph.*, *n.* 39. — Ita per interruptionem unius horae facile poterit censeri interruptum propositum legendi librum pravum; sed forte per menses integros unicus moraliter non interruptus actus sit, quo quis perdite amans mulierem toto illo tempore semper quaerat modum quo illa potiatur, media excogitans, occasiones exspectans, etc. *Ball.-P.*, *nn.* 657 et 662.

3.° Actus *externi*, seu *externe consummati*, multiplicantur toties quoties objectum est disparatum, vel in se terminatum; non autem multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt veluti partes actus principalioris, seu quando ad finem unicum tendunt. Ratio, quia tunc unum quid morale efficiunt, quod non completur, nisi consummato actu principaliter intento. Sic qui furtum patrare statuerit, unicum committit peccatum, licet per plures dies de eo cogitaverit, propositum pravum saepius renovaverit, ad hoc viam susceperit, tempus opportunum quaesierit, etc.; prior quippe voluntatis actus in illo ipso effectu vel opere externo perseverare virtualiter censetur. *S. Alph.*, *lib.* 5, *n.* 4.

244. **Resolves ex dictis**: — 1.° Unicum peccatum committit, qui intendens fornicationem, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur; ratio, quia omnes illi actus praevii ad actum consummatum natura sua ordinantur. Si vero ab initio voluisset tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perfecerit, duplex erit peccatum, adeoque non satis erit si copulam confiteatur. *S. Alph.*, *n.* 43.

2.° Unicum facit peccatum sacerdos, qui integrum officium vult una die omittere, quia singulae horae ordinantur ad complendum unum officium. Duo autem peccata faceret, qui prius voluisset tantum omittere matutinum, et postea nollet reliquas horas recitare, quia duplex foret plane distinctus actus malae voluntatis.

3.° Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. gr. pluries se vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione; pluries inimicum percutit, vel ei plurima mala imprecatur, etc.; ratio, quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illae variae moraliter uniuntur. — *Ita communiter. S. Alph., n.* 50.

4.° Unicum peccatum facit, qui plures simul fidei articulos negat, quia unicum est fidei motivum; proinde aeque infidelis est qui unum articulum, ac qui omnes negat. *Ita communiter.* — Item *probabiliter* unicum facit peccatum, qui eodem actu duodecim apostolos blasphemat; quia omnes blasphemiae in sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. *S. Alph., n.* 47.

5.° Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniae furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit; quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur. E contrario plura patrat peccata, qui pluribus vicibus ex eadem pecuniae massa furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta objectum in se totale efficiunt.

6.° Plura peccata facit, qui cum eadem pluries successive fornicatur; quaelibet enim fornicatio in se terminatur, seu objectum totale constituit. *S. Alph., n.* 46.

7.° Plura peccata committit, qui jejunium praescriptum per plures dies omittere statuit *et propositum exsequitur;* nam licet illae omissiones oriantur ex una eademque voluntate, adhuc sunt plura peccata confitenda ut distincta, quia inter se nullam habent unitatem. *Lugo,* De Poenit., *d.* 16, *n.* 539; *S. Alph., n.* 46.

8.° Utrum vero unum vel plura peccata dicenda sint, quando objecta materialiter et physice numero distincta ad unum actum referuntur, atque adeo utrum horum objectorum numerum necesse sit in confessione exprimere, *controvertitur.* Alii cum *Suár., Filliucc., Lugo,* unum esse peccatum dicunt; alii vero cum *S. Alph.,* plura esse peccata volunt. Sua utrique sententiae probabilitas favet. Hinc probabiliter unicum facit peccatum, qui unico actu plures feminas desiderat (et propositum exsecutioni non mandat), plures homines occidere intendit, vel rapit crumenam ad plures socios pertinentem. Quo in casu, juxta *Lugonem,* De Poenit., *d.* 16, *n.* 141, et *Génicot, n.* 168, significanda est aliquo modo pluralitas, dicendo v. gr. *occidi plures homines,* quia secus confessarius intelligeret occisionem hominis unius, et consequenter veluti taceretur peccatum quod factum est, et aliud intelligeretur. Sed *ad summum* induceret leve mendacium, quin tamen obstaret validitati confessionis, si quis, postquam *unico actu* voluit plures homines occidere, et *unico actu* revera occiderit, ita se accusaret: *commisi peccatum homicidii.* Vide dicenda in 2 *vol.,* ubi de integritate

confessionis, punct. 111; et ipsum *Lugonem*, *d.* 16, *n.* 47; *Génicot*, *vol.* 2, *n.* 288.

245. Quaesita. — Quaer. 1.° *An explicanda sint in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

Resp. Alii affirmant, etiamsi media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum, etc. Ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illae, licet indifferentes sint *in se*, malae tamen ex fine malo evadunt. *Alii* vero *negant probabiliter*, nisi media ista in se mala sint, et tunc indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, aut verba obscena ad sollicitandum adhibita.

Imo nec *improbabilis* videtur sententia *aliorum* qui tenent nec media esse explicanda, quamvis mala in se sint et specie diversa. Sic qui mulierem ex desiderio fornicationis turpiter alloquatur et tangat, fornicationem autem consummare nequeat, sufficit ut se accuset hoc modo: fornicationem committere volui, sed adhibitis quibusdam mediis, eam perficere non potui. *Génicot*, *n.* 167. Vide etiam *Lugo*, De Poenit., *n.* 566; *Van der Velden-Piat*, *vol.* 1, *n.* 58, *pag.* 150, *nota* 2; *D'Annibale*, I, *n.* 287, *nota* 15; *Noldin*, De princip., *n.* 288, 1, *d.* Confer dicta *n.* 244, 1.°

246. — Quaer. **2.°** *An plura peccata faciat, qui unico actu pluribus detrahit, vel coram pluribus?*

Resp. ad 1.um *Controvertitur*, et duplex datur sententia probabilis, ut dictum est supra, *resol.* 8.°

Resp. ad 2.um *Controvertitur. Probabiliter* unicum tantum facit peccatum; quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans: jus enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Proinde probabiliter nulla est obligatio explicandi in confessione numerum personarum, coram quibus aliquis detraxerit, sed sufficit dicere: *detraxi coram pluribus. S. Alph. (ut probabile)*, *n.* 49; *Lugo*, *Azor*, etc., contra *Lacroix*, et alios. — Videtur etiam sufficere si ita se accuset: «detraxi *graviter*, vel *leviter*», nam quod detractio sit coram pluribus est mera circumstantia aggravans. *Lugo*, *n.* 141; *Ball.-P.*, *vol.* 1, *n.* 641. Vide dicta *n.* 244, 8.°

Quaer. 3.° *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

Resp. 1.° *Affirm.*, *per se*, si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversae, v. gr. infamiam et mortem; quia desiderium speciem sumit ab objecto desiderato, ut infra dicetur, *n.* 167. *S. Alph.*, *n.* 50, et clarius, Hom. apost., *n.* 65, *et alii communiter contra aliquos.*

Resp. 2.° *Neg. per accidens*, quia scilicet haec mala diversa fere apprehenduntur sub generali mali ratione, ut media ad perni-

ciem; quod fieri solet quando imprecationes ex impetu irae procedunt. *S. Alph., ibid.*

247. — QUAER. 4.° *An plura faciat peccata qui diu differt restitutionem?*

Resp. Neg., si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi, quia mala voluntas *per modum continui* cum re injuste retenta perseverat. Attamen si injustus possessor per notabile tempus restitutionis faciendae fuerit oblitus, et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum committet, quia mala ejus voluntas moraliter interrupta censetur. *S. Alph., n.* 40, *et alii communiter* contra *alios*, qui dicunt, injustum rei alienae possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit. — V. **Casus**, *n.* 150 *et seq.*

PARS SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE

Agendum 1.° de peccatis internis; 2.° de peccatis capitalibus.

CAPUT I

DE PECCATIS INTERNIS

248. — Triplex eorum classis distinguitur, scilicet:

1.° *Delectatio morosa*, seu *libera complacentia* in re mala per imaginationem exhibita ut praesente, *sine desiderio.*

2.° *Gaudium*, seu deliberata complacentia vel quaedam approbatio rei malae praeteritae, seu operis mali peracti sive a se, sive ab alio.

3.° *Desiderium*, seu actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur *efficax*, si adsit intentio seu absolutum propositum id exsequendi; secus inefficax vocatur, quando scilicet adest voluntas ita conditionata ut ad opus transiret, nisi quid aliud obsisteret. *S. Alph., n.* 15.

Quaenam autem sit horum malitia, et quaenam species, his paucis teneto:

I. *Desiderium etiam inefficax* est vere peccatum, et induit species tum objecti tum circumstantiarum.

Ac 1.° est *vere peccatum.* Constat enim ex praecepto: *Non concupisces*, quod generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cujuslibet pravi affectus. Insuper omne rei prohibitae desiderium rectae rationi repugnat, turpe enim et inhonestum est

desiderare, nempe sibi id exsequendum aut absolute aut conditionate proponere, quod exsequi non licet.

2.° *Induit speciem objecti sui.* Quodlibet enim desiderium, etiam inefficax, in objectum suum tendit, uti exsecutioni mandandum, et proinde est volitio *malitiae specialis* istius objecti, adeoque ejus specificam malitiam contrahit. Constat etiam ex verbis Christi, Matth., v, 28: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Moechari autem in Scriptura ubique pro adulterio intelligitur. Ergo...

3.° *Induit etiam speciem circumstantiarum objecti.* Nam desiderium, cum tendat in objectum, illud attingit uti est in se cum suis circumstantiis. Ergo totam malitiam etiam circumstantiarum contrahit. Unde in confessione v. gr. desiderii fornicandi, declarandae sunt circumstantiae consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis, aut voti castitatis, quae personam desideratum afficiant. *S. Alph., n.* 12.

249. — II. *Gaudium* itidem est peccatum, et quidem ejusdem speciei ac mala actio circa quam versatur, induitque pariter species circumstantiarum ipsi adnexarum, nod secus ac ipsum desiderium. —Ratio, quia *gaudium*, ut supra diximus, est mali praeteriti approbatio; haec igitur actum peccaminosum amplectitur, qualis in se exstitit, suis nempe circumstantiis vestitum. Ergo etiam harum totam malitiam induit.

Hinc qui in peccatorum praateritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet objectum hujus complacentiae, atque circumstantias speciem mutantes, perinde ac si denuo opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est *jactantia* de peccato commisso, *displicentia* de malo non patrato, necnon *tristitia* de bono peracto: quod intellige de bono quod stricta obligatione praestandum erat, vel saltem de casu in quo nulla sit justa causa talem tristitiam cohonestans. Cfr. *Sánchez*, in Decal., *l.* 4, *c.* 12, *n.* 2.

250. — III. *Delectatio morosa* 1.° est certum peccatum; 2.° certo etiam variat gravitatem et speciem pro varietate objectorum menti exhibitorum.

Ratio primi est, quia naturae rationali et legi divinae repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectae rationi dissentaneum est, et Deo displicet. Insuper delectatio deliberata de objecto malo affectum in illud arguit; atqui affectus in objectum malum est affectus malus, ut patet. Ergo... Hinc Osee, IX, 10: *Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt.* Et Prov., XV, 26: *Abominatio Domini cogitationes malae.* Ergo... Adverte tamen quod: «Aliud est delectari de re cogitata v. gr. fornicatione, ita ut formalis ratio delectandi ex ipsa re sit, cogitatio vero sit tantum conditio proponens et applicans rem cogitatam; aliud vero est delectari de cogitatione

v. gr. fornicationis, ita ut formalis ratio delectandi sit ex ipsa cogitatione... Nos hic loquimur de delectatione *quae capitur ex re ipsa.* Cum enim cogitatio rei malae per se mala non sit, sed interdum bona, velut si de rebus turpibus cogites docendi vel monendi causa, interdum autem venialiter mala, ut si ex curiositate de eisdem cogites; sequitur delectationem quoque de ejusmodi cogitatione tanquam objecto, per se malam non esse, sed interdum bonam, interdum venialiter malam.» Ita *Laymann, lib.* 1, *tr.* 3, *c.* 6, *n.* 2. Cfr. etiam *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 74, *art.* 8.

Ratio secundi est, quia quisquis delectatur de objecto in se malo, illud approbat, eique affectu suo adhaeret. Ergo quo gradu ac specie objectum sit malum, eodem plane erit mala ejusdem delectatio. Ergo... *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 74, *art.* 8; *S. Alph.*, *n.* 15.

251. Quaesita. — Quaer. 1.° *An delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum, ut desiderium et gaudium?*

Resp. Controvertitur. *Neg.*, *probabiliter*, nisi circa ipsas circumstantias *formaliter* versetur. Ratio est, quia simplex delectatio non tendit in objectum ut ponendum, sed in eo quiescit ut repraesentato per intellectum. Porro intellectus abstrahit ab aliis objecti proprietatibus, praeter illam quae delectationem movet. *Lugo*, *Laymann*, *Reuter*, *Bonacina*, etc., contra alios, qui contendunt simplicem delectationem omnes objecti species induere, sicut ipsum desiderium. Utramque sententiam probabilem dicit *S. Alph.*, *lib.* 5, *n.* 15. Vide etiam *Lugo*, De Poenit., *d.* 16, *n.* 365 *seq.*; *Ball.-P.*, *n.* 575 *seq.*

252. — Quaer. 2.° *An liceat desiderare malum sub conditione, si licitum sit?*

Resp. Dist. *Affirm.*, *per se*, si conditio apposita totam rei malitiam tollat; ratio, quia talis affectus nullam involvit inordinationem neque in se neque in objecto, a quo per conditionem malitia omnino excluditur. *Neg.* vero in alia hypothesi; ratio, quia talis affectus tendit in objectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab objecto etiam ut repraesentato, et proinde tota malitia objecti in actum voluntatis refundatur. Et quidem sunt quaedam objecta, circa quae conditio utcumque apposita malitiam tollere nequit. Etenim quae intrinsece mala sunt, mutari nequeunt, et proinde inutiliter conditio apponeretur, siquidem talia optare per se foret desiderare ut lex et ordo naturae immutaretur. *S. Alph.*, *n.* 27, et Hom. apost., *n.* 50.

Attamen *probabiliter* a peccato gravi excusandus ille est, qui tali desiderio nollet certe, ut id, quod malum esset intrinsece, fieret licitum, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet. (*S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.*, cum aliis). Ceterum nemo non videt, quam periculosa sint hujusmodi desideria, etiamsi apposita

conditio totam malitiam auferret, praesertim in prohibitis jure naturali, licitis tamen in aliquo casu vel statu, v. gr. occiderem inimicum, si Deus mandaret; uxorem acciperem, si non essem sacerdos aut voto ligatus, libens nuberem Cajae, nisi haberem uxorem: quae desideria Cajetanus (*v. cogitationis peccata*) merito appellat tentationes fatuas et diabolicas; quippe, quamvis licitum sit ejusmodi desiderium, illicita tamen est praesens de illo objecto delectatio, quae in re venerea facile cum desiderio conjuncta reperietur. Imo generatim, quamvis non semper, dissuadenda sunt etiam alia desideria conditionata circa res solo jure positivo prohibitas, quia *ut plurimum* otiosa sunt, et *aliquando* affectu aliquo inordinato laborare possunt. — «Aliquando tamen nec inordinata ejusmodi desideria esse possunt, si nimirum sint de objecto bono, v. gr. si, idonea apposita conditione, conjugatus desideria foveret de sacris ministeriis obeundis, et communione calicis fruenda, vel religiosus paupertatis voto obstrictus, de elargiendis eleemosynis, exstruendis nosocomiis, ornandis templis, etc., aut clericus de inimicis Ecclesiae justo praelio perdendis», etc. *Ball.*, h. l.

253. — QUAER. 3.° *An liceat delectari de omissione inculpabili alicujus praecepti ex oblivione relicti?*

Resp. Neg., si gaudium referatur ad omissionem prout est objective mala. *Affirm.*, vero, si tantum ad voluptatem vel commodum secundum se honestum referatur. *Suárez*, De pecc., *d.* 5, *sect.* 7, *n.* 15; *Lugo*, De Poenit., *d.* 16, *n.* 389, etc., contra *alios*, qui negant absque distinctione. Idem tene de quovis actu secundum se malo, quem tamen quis sine culpa, ex inadvertentia scilicet, vel in somno, etc., praestiterit, nempe «licitum non esse gaudere de actu praeterito *secundum se* et *propter ejus voluptatem;* licitum tamen esse gaudere de *bono effectu inde sequuto*, atque adeo de illo actu tantum *ut causa fuit talis effectus*». *Suárez*, l. c.

254. **Resolves:** — 1.° Si poenitens se accuset de aliqua prava cogitatione, interrogandus est, an cognoverit esse peccatum; et si respondeat, se eam detestatum fuisse statim ac cognovit turpem esse, judicandus est omnino a peccato immunis. — Si respondeat, se habuisse per aliquod tempus aliquam confusam cognitionem malitiae, eique adhaesisse, sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem, tunc facile quidem a gravi peccato excusandus est, sed non a veniali. Quod si nesciat se expedire ab iis interrogationibus, ordinarie praesumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse in eo plenum consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratae sit conscientiae. *Saettler.*

2.° Quamvis aliud sit delectari de re mala, aliud vero delectari de modo, v. gr. industrio, quo res mala peracta fuerit (quod sane carere culpa per se potest); attamen confessarius facile suspicari debet de morosa delectatione in iis, qui libenter audiunt turpia,

licet haec narrari non videantur nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum; et profecto si sermo de actionibus honestis, utut ingeniosius peractis, haberetur, plerumque multo minorem delectationem perciperent. Idem dicito de iis, qui avide libros minus honestos lectitant, si alias in pravam delectationem soleant consentire.

3.° Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter praecepta, quatenus est molesta tantum, seu *in sensu diviso* legis, v. gr. de molestia jejunii. *S. Alph.*

4.° Non licet delectari de re ipsa mala in se spectata, quia objectum delectationis est semper malum. Licet tamen delectari de bono effectu qui inde provenit, *dummodo ordo charitatis non violetur*. Hinc damnata est sequens propositio sub *n.* 15, ab Innoc. XI: *Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

5.° Caute confessarius agere cum iis debet, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim hujusmodi delectationes non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur. Idem timendum est de eo qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex ejus infortunio, v. gr. ex gravi infirmitate, jactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, praesertim si inimicitiam cum eo antea gerebat. Confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem poenitentis prudenter introspicere non negligat. *S. Alph.*, *n.* 20. — V. **Casus**, *n.* 150 *et seq.*

CAPUT II

DE PECCATIS CAPITALIBUS

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita, seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum: 1.° Superbia; — 2.° Avaritia; — 3.° Luxuria; — 4.° Invidia; — 5.° Ira; — 6.° Acedia; — 7.° Gula.

Pauca de singulis.

I. *De superbia.*

255. — *Superbia* est amor inordinatus propriae excellentiae.

Distinguitur superbia *perfecta*, seu in suo genere completa et consummata, et superbia *imperfecta*.—Perfecta quidem dicitur,

quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis superioris obtemperandi. Haec autem, eo ipso peccatum mortale semper in se includit. — In ceteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum inducere solet, nisi accedat injuria gravis proximi, v. gr. si graviter contemnatur, etc. *S. Alph.*, *n.* 66.

Filiae superbiae sunt: ambitio, vana gloria, praesumptio, jactantia, ostentatio et hypocrisis.

Remedia sunt: consideratio propriae infirmitatis, vanitatis gloriae humanae, et humilitatis Christi.

II. *De avaritia.*

256. — *Avaritia* est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opponitur justitiae vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodibit, nempe quoties ad injustitiam gravem erga proximum impellet.—Si posterius, *per se* venialia tantum pariet. Ceterum nimius erga res terrenas affectus, in alia peccata etiam gravia propellere potest, imo et solet.

Filiae avaritiae sunt: durities cordis erga miseros, inquietudo animi, seu sollicitudo inordinata de terrenis, perfidia, dolus, etc...

Remedia: consideratio vanitatis terrenarum rerum, turpitudinis, infelicitatis et periculorum hujus vitii. *S. Alph.*, *n.* 69.

III. *De luxuria.*

257. — *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereae. Luxuria gravis est ex toto genere suo; sed hoc intelligendum est si delectatio venerae sit in se *deliberata*, et *directe*, vel etiam *indirecte*, quaesita, modo intenta sit, aut voluntarie admissa; si vero deliberatio et volitio versetur *tantum* circa delectationis hujusmodi *causam*, potest ex aliqua circumstantia evadere levis, ut in nonnullis tactibus, lectionibus et similibus minus periculosis. Atque omnis etiam culpae reatus aberit, si justa adsit causa actus illos ponendi.

Filiae: caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, fidei languor, imo et amissio, etc.

Remedia: oratio frequens et humilis, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, sacramentorum frequentatio. Vid. *S. Alph.*, *n.* 71.

IV. *De invidia.*

258. — *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus aestimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum. Ad eam revo-

catur gaudium de alterius malo, quod boni proprii augmentum censeatur. Est autem directe contra charitatem, et ex genere suo gravis. Differt *a*) ab *odio*, quod tristatur de bono proximi *absolute*, invidia *respective*, quatenus est boni proprii diminutivum; *b)* ab *aemulatione*, quae non tristatur eo quod proximus bonum habeat, sed quia nos illo caremus, ideoque bonum simile nobis acquirere contendimus.

Filiae: detractio, calumnia, susurratio, contumelia, etc.

Remedia: consideratio malorum ex invidia provenientium, officia charitatis erga proximum, oratio frequens, humilitatis exercitium. Vid. *S. Alph.*, *n.* 72.

V. *De ira.*

259. — *Ira* dupliciter considerari potest: primo modo, quatenus est *passio* quaedam appetitus sensitivi, et sic definitur «appetitus vindictae». «Ideo secundum *passionem* absolute consideratam non importatur ratio meriti vel demeriti, laudis vel vituperii: secundum tamen quod est regulata ratione, potest habere rationem meritorii et laudabilis; et e contrario secundum quod non est regulata ratione, potest habere rationem demeriti vel vituperabilis.» (*S. Thom.*, 2, 2, *q.* 158, *art.* 2). Cum autem possit vindicta et bene et male appeti, ita potest quis male vel laudabiliter irasci. (*Ibid.*) Quare «appetere vindictam propter vitiorum correptionem et bonum justitiae conservandum, laudabile est: et in hoc potest tendere appetitus sensitivus, in quantum movetur a ratione». (*Ibid.*, *art.* 1, *ad* 3). Et in hoc sensu dicitur «quod passio irae utilis est, sicut et omnes alii motus appetitus sensitivi, ad hoc quod homo promptius exsequatur id quod ratio dictat» (*Ibid.*, *art.* 8, *ad* 2), et quod «defectus irae vitiosus est» (*Ibid.*, *in corpore*). Quod vitium appellari poterit indiscreta patientia, vel stolida indulgentia, qua crimina foveri solent.

Alio modo consideratur prout est vitium, et tunc definitur: «inordinatus appetitus vindictae».

Quae inordinatio haberi potest vel *a*) *quoad objectum vindictae*, «puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem» (*Ibid.*, *art.* 2), «et sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati et justitiae» (*art.* 3); vel *b*) *quoad «modum irascendi*, utpote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa irae; et sic ira secundum se *non habet ex suo genere rationem peccati mortalis*». (*Ibid.*)

Filiae: indignatio, rancor, clamor, convicia, blasphemiae, etc.

Remedia: consideratio malorum irae, et mansuetudinis Christi. Vid. *S. Alph.*, *n.* 80 *et seq.*

VI. *De acedia.*

260. — *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia.

Strictius vero est torpor mentis, ac debilitas voluntatis, ex quibus profluit fastidium rerum spiritualium, ob laborem et molestiam ipsis adjunctam. Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, *gravis* habenda est; si secus, *levis* est aestimanda. *Ita communiter.*

Alio etiam sensu magis particulari acedia est tristitia et taedium de divina amicitia, eo quod *per virtutum laboriosa exercitia servari debeat*, et sic amicitiam illam quis non curat. «Unde secundum suum genus acedia» (hoc ultimo sensu) «est peccatum mortale.» *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 35, *art.* 3; *Bussembaum*, l. c.; *S. Alph.*, *lib.* 5, *n.* 84; *Bucc.*, 343.

Filiae: torpor, evagatio mentis, nausea in oratione, etc.

Remedia: consideratio laborum Christi, mercedis aeternae, et periculorum acediae, pia lectio, frequens confessio, etc.

Quaer. *Unde oriatur in homine obligatio laborandi?*

Resp. Oritur *a*) ex obligatione quaerendi sibi modo honesto ea quae necessaria sunt ad conservationem vitae, *b*) ex obligatione vitandi otium, quod solet esse origo omnium malorum. Si quis igitur habeat unde honeste sustentetur, etiam ex aliena liberalitate, et aliunde satis occuparetur quamvis in re aliis ac sibi inutili, non peccabit contra hoc praeceptum. Cfr. *Noldin*, De praeceptis, *n.* 68; *Génicot, vol.* 1, *n.* 365. — **Casus**, *n.* 183 *a.*

VII. *De gula.*

261. — *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus.

Quinque praecipue modis vitium committitur: 1.° Si edas ante tempus; 2.° si nimis exquisita; 3.° si plus aequo; 4.° si voraciter; 5.° si majori industria praeparata. Haec in sequenti versu continentur:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati, aut si quem ad officia ineptum reddat. Peccat qui manducat aut bibit usque ad satietatem ob solam voluptatem, ut constat ex prop. 8.ª ab Innoc. XI damnata; attamen per se veniale non excedit. *Ita communiter.*

Filiae gulae sunt: ebrietas, de qua mox fusius, hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium, et immunditia cujuslibet generis.

Remedia: considerare pessimos gulae effectus quoad corpus et animam; mortificare carnem, praesertim in refectione corporis; recordari frequenter de morte, seu de corruptione corporis mox futura. Vid. *S. Alph.*, *n.* 74.

APPENDIX

DE EBRIETATE

262. — *Ebrietas* est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem. *Ita communiter. S. Alph., n.* 75.

Ebrietas perfecta, nempe usque ad rationis privationem pertingens, peccatum grave est *per se.* — Constat 1.° ex ratione; voluntarie enim se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, *saltem sine gravi causa et ob voluptatem,* graviter naturae rationali repugnat. Homo enim sic ad brutorum statum se dejicit, Deique imaginem in se deturpat. *S. Alph., n.* 75, *et alii communissime.*

Constat 2.° ex Scriptura sacra, I Cor., VI, 10: *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* — Et Isaiae, V, 11: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam...* Porro particula *vae* in Scriptura sacra gravissimum denotat malum.

Probabilius autem, *per se,* peccatum veniale tantum est, si ebrietas sit imperfecta. *Ita communiter.* — Imo *S. Alph.,* l. c., ait: *Certum est apud omnes, quod ad hoc ut ebrietas sit peccatum mortale, requiritur ut sit perfecta, nempe quae omnino privet usu rationis.*

263. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sint signa ebrietatis perfectae?*

Resp. Perhibentur sequentia, scilicet: 1.° nescire distinguere bonum a malo; 2.° non recordari de dictis aut factis in ebrietate; 3.° agere omnino insolita, quae scilicet nunquam alias sana mente agi solent..., etc. — Non autem sunt signa certa, haesitatio linguae, titubatio pedum, visus objectorum duplicium, aut in gyrum se vertentium. *S. Alph., n.* 78.

QUAER. 2.° *An liceat se inebriare ad morbum depellendum?*

Resp. Affirm., probabilius, si ebrietas non sequatur nisi velut effectus medii per se liciti, v. gr. si copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum arcendum. Constat ex dictis De act. hum., *n.* 60; *S. Alph., n.* 76, *et alii communiter.* — Unde *S. Thom.,* 2, 2, *q.* 150, *art.* 2, *ad* 3, scribit: «Cum aliquis multum... bibit secundum consilium medicinae... non est reputandus superfluus... potus.»

QUAER. 3.° *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam?*

Resp. Controvertitur. Negat *S. Alph., cum aliis,* quia ebrietas directe intenderetur, et bonus effectus ex malo sequeretur. Affirmat vero *Busemb., cum fere communi recentiorum,* quia privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi causa non videtur quid intrinsece malum. Concinit *S. Thom.,* 2, 2, *q.* 150, *art.* 2. Et reapse sicut

adhibetur in tali casu opium aut aether, ita etiam vinum adhiberi posset. Et consequenter, per se, etiam licebit sensus sopire ope ebrietatis ad magnos dolores leniendos. Ceterum vix quaestio ejusmodi ad praxim nunc facit, cum alia media faciliora in eum finem suppetant. Non tamen licebit moribundum inebriare ut sine doloris conscientia decedat. Est enim tunc usus rationis maxime necessarius. *Ball.-P.*, *n.* 724; *Lehmkuhl*, I, *n.* 743; *Génicot*, I, *n.* 185. Licebit etiam quandoque ad depellendam tristitiam vel melancholiam bibere usque ad hilaritatem *tantum*. *Lacroix*, *l.* 5, *n.* 324.

264. — Quaer. 4.° *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo majori avertatur?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si ebrietas sit ipsi materialis tantum; quia malum materiale permitti potest gravi de causa. *Ita communiter*, contra *Collet*, *Concina*, etc.

Resp. 2.° *Negant communius*, si ebrietas sit formalis; quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* — Attamen *S. Alph.*, *n.* 77, oppositam sententiam ut probabilem admittit cum pluribus aliis, «quia licitum est inducere alium ad minus malum, ut impediatur a majori». Nam quando aliquis a majori malo patrando nullo alio pacto deterreri potest, suadere minus malum habet rationem boni. Cfr. dicenda infra, De scandalo in genere, *n.* 321, *q.* 5.° Vide etiam *Génicot*, Casus I, De ebrietate; *Aertnys*, *l.* 1, *n.* 254.

Quaer. 5.° *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate perfecta et voluntaria facta?*

Resp. 1.° *Neg.*, si praevisa non fuerint, ne *in confuso* quidem, quia quaecumque praevisa non fuerint, prorsus involuntaria sunt habenda.

Resp. 2.° *Affirm.*, ob rationem oppositam, si praevisa fuerint, saltem quoad mala operis, sive commissionis, sive omissionis.

Dixi *saltem quoad mala operis*, nam quoad mala oris seu verba aut etiam facta mere contumeliosa, *probabiliter* non sunt imputabilia, si contra homines proferantur; quippe nullam contumeliam ex communi aestimatione inferre censentur. Secus tamen si in Deum proferantur, ut blasphemiae, etc..., quia haec intrinsece mala sunt, et proinde in contumeliam honoris divini vergunt; alioquin autem, utpote praevisa, in ipsa causa voluntaria sunt. *S. Alph.*, *n.* 78, qui tamen contrariam sententiam improbabilem dicere non audet. Attamen nec ipsi nec Ballerinio *probabilis* apparet; nititur enim falso supposito, scilicet, in ebrietate verbis non respondere mentis conceptus.

265. **Resolves:** — 1.° Peccant graviter, qui diu noctuque potantes, scienter ebrietatis periculo se exponunt. Item qui alios jussu consiliove inducunt ad ebrietatem, vel qui ad aequales haustus provocant, cum praeviso ebrietatis periculo.

2.° Peccant graviter, qui per experientiam scientes se inebriari

in his vel illis consortiis, nihilominus in iisdem versantur. Item qui inter bibendum, ad periculum ebrietatis advertentes, adhuc bibere pergunt.

3.° Peccant etiam graviter, qui adeo bibunt, ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus et ratione destituantur, quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

4.° Nec excusantur a peccato gravi, qui praetextu patrii moris, aut boni affectus, vel urbanitatis, convivas urgent et quasi necessitant ad bibendum usque ad ebrietatis periculum; secus autem, si tantum liberalior potus offeratur et saepius propinetur, in moderata tamen quantitate.

5.° Non peccant graviter *per se*, qui adeo validi, vinoque assueti sunt, ut numquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum timeri merito possit. — V. **Casus**, *n.* 176 *et seq.*

6.° Non sunt imputabilia mala patrata in ebrietate perfecta et involuntaria (*can.* 2201, § 3).

7.° E contra mala perpetrata in ebrietate apposite quaesita ad praedicta mala perpetranda vel excusanda, sunt plene imputabilia (*Ibid.*)

FINIS TRACTATUS DE PECCATIS

TRACTATUS

De virtutibus

266. — *Virtus* est habitus agendi honeste seu juxta rectum ordinem.

Virtutes variae speciei distinguuntur, scilicet:

1.° *Naturales*, vel *supernaturales*, prout viribus naturalibus, vel supernaturalis gratiae auxilio acquiruntur et conservantur.

2.° *Infusae*, vel *acquisitae*, prout a Deo ipso in cor infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur.

3.° *Theologicae*, vel *morales*, prout Deum immediate respiciunt, vel pro objecto immediato naturalem honestatem actionis habent. Inde facile deducitur, virtutes theologicas moralibus esse perfectiores.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas ceterae reducuntur, scilicet, *prudentia*, *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*. Cum de virtutibus moralibus in tota fere theologia morali sermo sit, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe de *fide*, *spe* et *charitate*.

CAPUT I

DE FIDE

267. — *Fides*, in genere, est assensus propter auctoritatem loquentis. Pressius ad rem nostram, *fides*, in quantum est virtus, definitur: Habitus supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis (et ab Ecclesia propositis, si de fide catholica sit sermo), propter auctoritatem Dei revelantis. In quantum vero est actus, dicitur assensus firmissimus rebus a Deo revelatis, propter Dei revelantis auctoritatem, praestitus. *S. Alph.*, *n.* 2.

Fides est 1.° *habitualis*, vel *actualis*, prout est habitus vel actus.

2.° *Explicita*, vel *implicita*, ratione objecti, prout hoc in se est expressum et evolutum, aut tantum in alio contentum. Sic v. gr. si dicas: Credo in SS. Trinitatem, elicis actum fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas: Credo omnia quae docet Ecclesia

esse credenda, elicis actum fidei implicitum in singula dogmata revelata.

3.° *Formalis*, vel *virtualis*, prout fides vel est actualiter elicita, vel in mente perseverans, inadvertenter vi sua in actiones influit.

4.° *Formata* seu *viva*, vel *informis* seu *mortua*, prout conjungitur, vel non, cum operibus charitatis.

Peccata fidei opposita sunt 1.° *infidelitas*, seu carentia fidei in hominibus non baptizatis; 2.° *haeresis*, seu error pertinax in baptizato contra veritatem fidei ab Ecclesia propositam.

Agendum praecipue 1.° de necessitate, 2.° de objecto fidei.

ARTICULUS I

DE NECESSITATE FIDEI

I. *Quoad actum internum.*

268. — I. *Actus internus fidei* omnibus adultis ad justificationem necessarius est *necessitate medii*. — Constat ex epist. ad Hebr., XI, 6, ubi Apostolus dicit: *Side fide... impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. — Et ex *Conc. Trid., sess.* 6, *c.* 6.

II. Necessarius est etiam *necessitate praecepti* quandoque in vita. — Constat ex Scriptura sacra. Dicitur enim in epist. I Joann., III, 23: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi*. Item ex variis propositionibus damnatis ab Alexand. VII et Innoc. XI.

269. **Quaesita**. — QUAER. **1.°** *Quandonam urgeat praeceptum fidei eliciendae?*

Resp. 1.° — Urget *per se:* 1.° post usum rationis completum, ad incipiendam vitam christianam; 2.° item quando infideli adulto fidei nostrae veritas sufficienter proposita est; 3.° in articulo mortis, juxta quosdam, ad proximius tendendum ad Deum; 4.° saepius in vita, juxta plures saltem semel in anno (sed neque de tali obligatione annua certo constat), et juxta nonnullos singulis mensibus. Ceterum sufficienter hoc praeceptum adimpletur exercendo alios actus religionis. *S. Alph., n*, 7; Hom. apost., *n.* 13; *Noldin*, De praeceptis, *n.* 14, 2, *b.*

Resp. 2.° Urget *per accidens:* 1.° urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequeat; 2.° quando adimplendum est praeceptum, quod fidem requirit, v. gr. confessionis. Sed tunc sufficit actus *virtualis* et *implicitus* circa illum articulum, qui dirigit praecepti implementum, v. gr. circa praesentiam Christi in Eucharistia, si ad communicandum accedas; 3.° post lapsum in haeresim, aut fidem negatam. — *Ita omnes.*

Quaer. 2.° *An actus expliciti requirantur ad praeceptum fidei adimplendum?*

Resp. In illis, qui veritates fide tenendas jam didicerunt et crediderunt, generatim sufficiunt actus impliciti. Hinc praecepto satisfacit, qui devote audit missam, adorat crucifixum, orat, crucis signum format, sacramenta recipit, etc. *Ita communiter. S. Alph., ibid.*

II. *Quoad actum externum.*

270. — I. Datur praeceptum *negativum* prohibens veram fidem negare, falsamve profiteri. — Negare enim fidem est Deum ipsum negare. Hinc Christus, Matth., x, 33, ait: *Qui... negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.*

II. Datur etiam praeceptum *affirmativum*, obligans aliquando ad fidem etiam cum vitae periculo confitendam. — Christi enim honor aliquando exigit, ut fideles ad ipsum confitendum etiam vitam spernant. Constat ex verbis Christi ipsius, Matth., x, 32: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Et Luc., ix, 26: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Item Apost., Rom., x, 10: *Corde... creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

III. «Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, injuriam Dei vel scandalum proximi» (*can.* 1325, § 1).— Ratio est, quia id exigit charitas, quam Deo vel proximo debemus. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 3, *art.* 2; *S. Alph.*, *n.* 11.

271. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An liceat quandoque dissimulare fidem?*

Resp. 1.° Nunquam licet *simulare falsam*, quia perinde id esset ac veram exterius negare, quod intrinsece malum est. — Aperte autem hoc constat ex verbis Christi modo relatis.

Resp. 2.° Licet ex gravi causa dissimulare seu occultare fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget praeceptum fidei confitendae. *S. Alph.*, *nn.* 10, 12; et *alii communiter.*

Quaer. **2.°** *An interrogatus de fide possit uti verbis ambiguis?*

Resp. 1.° *Neg.*, quando tergiversatio vel silentium aequivalet negationi, aut erubescentiae seu formidini, quae in iis adjunctis necessario honori Dei, vel utilitati proximi detrahunt. Tunc enim locum habent conditiones in *princip.* III expositae. Confirmatur id ex constanti Ecclesiae praxi, et communi Patrum doctrina. — Insuper quoad publicam potestatem interrogantem, constat ex propositione damnata ab Innoc. XI, sub *n.* 18, quae ejusmodi est: *Si a*

potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. S. Alph., n. 13. — Unde apparet *per se* non licere interrogato a potestate publica tacere aut uti verbis ambiguis; nisi forte in casu in quo taciturnitas, pro confessione fidei habeatur a praesentibus (*Lemk.*, I, *n.* 293), aut nisi lex aperte statuat nulli potestati publicae licere, ut se in civium conscientiam ingerat. *Génicot*, I, *n.* 197.

Resp. 2.° *Affirm.*, quando nullum praesentibus creatur scandalum, ac nulla apparet fidei negatio, aut formido aut erubescentia; quia tunc nulla adest obligatio fidem confitendi. *S. Alph., ibid.*

272. — Quaer. 3.° *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si sint vestes et signa propria alicujus *regionis*, licet regio haec tota sit infidelis; quia haec ad religionem *per se* non referuntur.

Resp. 2.° Si vero sint vestes et signa *religionis*, subdistinguendum est: *probabilius* adhuc *affirmo*, si fiat gravi de causa, et vestes non sint tantum distinctivae sectae a secta: quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam, ut accidit in vestibus quibus utuntur ministri falsi cultus. — Secus autem, si vestes aut signa sint unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta, quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur. *Salm., tract.* 21, *c.* 2, *n.* 1, 10.

Neque liciti sunt *nutus* quibus significetur fidei negatio vel falsae sectae professio. Non tamen putat *Génicot* (I, *n.* 197) hoc esse extendendum ad signa quibus francomurarii se invicem agnoscere solent: quia non videntur aequivalere hujus sectae professioni, sed medium esse ut a sectae sociis amice tractentur.

273. **Resolves:** — 1.° Graviter quis peccat contra fidem, etsi externe tantum genua flectat coram idolo, aliave signa religionis falsae exhibeat, v. gr. frequentando coenam haereticam, etc.

2.° Non peccat contra fidem, qui templa haereticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat, seclusis tamen scandalo, perversionis periculo, aut lege haec interdicente. *S Alph., n.* 16.

3.° Non peccat contra fidem, qui per loca haereticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die abstinentiae, ne catholicus agnoscatur; quia hoc per se non est signum haereseos; secus autem, si carnes manducaret, etiam metu mortis ad id in odium fidei impulsus.

4.° Non peccat contra fidem, qui fugit tempore persecutionis; imo generatim fuga est aliquo modo praecepta, ut patet ex verbis Christi, Matth., x, 23: *Quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc vero praesertim valet, si cujuspiam salus ad utilitatem fidelium sit necessaria, aut quispiam lapsum timeat. — V. **Casus**, *n.* 182 *et seq.*

ARTICULUS II

DE OBJECTO FIDEI

274.—Objectum *formale* fidei, seu ratio propter quam creditur, est auctoritas Dei loquentis, utpote infinita tum sapientia tum veracitate praediti. *Ita communius.*

Objectum vero *materiale*, de quo hic tantum agitur, constat ex rebus cognoscendis et credendis. Hinc agendum de sciendis et credendis tum necessitate medii, tum necessitate praecepti.

«*Fide divina* et *catholica* ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia *sive* solemni judicio *sive* ordinario et universali magisterio *tamquam divinitus revelata* credenda proponuntur.

Solemne hujusmodi judicium pronuntiare proprium est tum *oecumenici Concilii* tum *Romani Pontificis* ex cathedra loquentis.

Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur nisi id manifeste constiterit» (*can.* 1323, § 1-3).

§ I. *De necessario sciendis et credendis «necessitate medii».*

275. — Certum est, duo scienda et credenda esse necessitate medii: 1.° quod Deus sit: *Credere... oportet accedentem ad Deum quia est.* Hebr., XI, 6. — 2.° Quod sit remunerator: *Credere... oportet... quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Ibid.* — An vero alia sint credenda explicite de necessitate medii ad salutem, controvertitur; hinc de iis.

276. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An requiratur fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis de necessitate medii?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I.ª SENTENTIA omnino affirmat. Ratio est:

1.° *Quoad Incarnationem*, quia non datur salus nisi per Christum; medium ergo illud necessario *explicite* cognoscendum et credendum est.

2.° *Quoad SS. Trinitatem*, quia fides hujus mysterii est fundamentum salutis nostrae; nam baptismus, qui est sacramentum fidei, conferri debet *in nomine Patris*, etc... Porro quod est salutis fundamentum, debet esse objectum primarium fidei, et proinde *secundum se et explicite* credendum. Ita *Collet*, Decal., *c.* 1, *art.* 1; *Antoine*, *c.* 1. — Hanc sententiam probabiliorem videri, dicit *S. Alph.*, *n.* 2.

II.ª SENTENTIA, quae videtur probabilior, negat. Ratio est, quia ante Christum sufficiebat fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post ejus adventum sufficere debet. Christus enim non dicendus est media mutasse, nisi id constet. Ita *Suárez*, *disp.* 12,

sect. 4; *Lugo*, De fide, *disp.* 12, *n.* 91, qui hanc sententiam vocat *probabiliorem* communem recentiorum, et, ut videtur, etiam S. Thomae, *p.* 3, *q.* 69, *art.* 4, *ad* 2.—Neque obstat propositio damnata ab Innoc. XI, sub. *n.* 64, quae sic se habet: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. Ch.*; non obstat, inquam; merito enim damnari potuit ratione primae partis, in qua asseritur absolutionis capax homo, quantumvis generatim laboret ignorantia mysteriorum fidei.

Quaer. 2.° *An possit absolvi, qui ea ignorat, quae sunt certo de necessitate medii?*

Resp. Neg. Nec licite, nec valide. Ita omnes. Ratio est, quia ille ob defectum medii simpliciter necessarii incapax est justificationis; ergo etiam incapax est absolutionis. Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum *remuneratorem* credat.

277. — Quaer. 3.° *An possit absolvi, ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis?*

Resp. 1.° Non potest *licite* extra *casum necessitatis*, v. gr. periculum mortis; ratio, quia confessarius hunc absolvens sacramentum periculo nullitatis exponit, ut patet ex quaesit. 1.° praec. — Hinc confessarius debet poenitentem vel prius instruere, vel dimittere, donec sufficienter sit instructus. *S. Alph.*, *n.* 3. — Sed bene nota haec verba S. Leonardi, quae refert S. Alphonsus (*in Prax. confess.*): «Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est, breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis, obligando tamen eos, ut in posterum perfecte instrui se faciant circa cetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti.»

Resp. 2.° *Probabilius* potest absolvi *valide*, si versatur in ignorantia invincibili. Ratio deducitur ex dictis in II.ª sententia *quaesiti primi*. Cfr. *S. Alph.*, *l.* 2, *n.* 2.

§ II. *De necessario sciendis et credendis «necessitate praecepti».*

Haec sunt symbolum apostolorum, Decalogus, praecepta Ecclesiae, sacramenta, oratio dominica.—Symbolum requiritur ad recte credendum, cetera ad recte agendum.

PUNCTUM I

De sciendis ad recte credendum, seu de symbolo apostolorum.

278. — Dogma triplex, in symbolo contentum, credendum est, nempe 1.° de Deo, 2.° de Christo, 3.° de Ecclesia.

I. De Deo quatuor tibi scienda et credenda sunt, scilicet quod sit 1.° Unus seu unicus in essentia. — 2.° Trinus in personis aequalibus et realiter inter se distinctis. — 3.° Prima omnium causa seu conditor omnium creaturarum. — 4.° Remunerator et vindex actionum nostrarum saltem in alia vita.

II. De Christo sex explicite scito et credito, nempe quod sit 1.° Filius Dei naturalis, et ideo verus Deus. — 2.° De Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptus et natus. — 3.° Pro nobis passus et mortuus. — 4.° A mortuis propria virtute redivivus. — 5.° In caelum ascendens, et rex gloriae in aeternum futurus. — 6.° Rediturus ad homines in fine saeculorum judicandos.

III. De Ecclesia tria haec scire et credere debes, scil. quod sit 1.° Unica in terris sub uno capite visibili. — 2.° Gubernata et conservata Spiritus Sancti assistentia. — 3.° Infallibilis in rebus fidei et morum, et ab omnibus audienda. Hoc tamen ultimum, licet certum et de fide, in symbolo explicite non continetur.

Explicatio brevis singulorum symboli articulorum.

279. — I Art. — «Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.» — 1.° *Credo in Deum,* id est, credo Deum exsistentem unum in essentia et trinum in personis... Deum finem ultimum... Credo Deo loquenti. — 2.° *Patrem,* primam personam SS. Trinitatis et omnium rerum principium. — 3.° *Omnipotentem,* principale ejus attributum, in sequentibus verbis etiam inclusum. — 4.° *Creatorem caeli et terrae;* id est, omnium rerum quae extra Deum exsistunt.

II Art. — «Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.» — 1.° *In Jesum Christum,* eodem modo et eodem sensu ac credo in Patrem. — 2.° *Filium ejus unicum;* creditur explicite Christum esse Filium Dei naturalem... secundam personam SS. Trinitatis... et proinde Deum. 3.° *Dominum nostrum;* credendum, Christum esse omnium Dominum.

III Art. — «Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.» — 1.° *Conceptus est de Spiritu Sancto;* explicite credendum Christum, ut hominem, conceptum praeter ordinem naturae esse Spiritus Sancti operatione. — 2.° *Natus ex Maria Virgine;* explicite credenda nativitas ex Maria, virgine *ante partum* et *in partu.*

280. — IV Art. — «Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.» — 1.° *Passus;* passio Christi explicite credenda est *sub gravi.* — 2.° *Sub Pontio Pilato;* circumstantia haec ad fidem explicite tenendam non pertinet. *Ita omnes.* — 3.° *Crucifixus;* probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda; sic enim Apost., I Cor., I, 23: *Praedicamus Christum crucifixum.* — 4.° *Mortuus;* mors Christi explicite credenda est. I Cor., XV, 3: *Tradidi vobis imprimis... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris.* — 5.° *Sepultus;* sepultura Christi explicite credenda est; sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. — *Ita circa haec omnia Lugo, disp.* 12, *n.* 21.

V Art. — «Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.» — 1.° *Descendit ad inferos;* probabilius hoc non est explicite credendum sub gravi, imo nec sub levi, juxta *Suárez,* quia a fidelibus non facile intelligitur. Sed contradicit *Lugo, ibid.* — 2.° *Resurrexit a mortuis;* sub gravi explicite credendum, quia est religionis fundamentum. — 3.° *Tertia die;* illa temporis circumstantia non est explicite credenda. — *Ita communiter.*

VI Art. — «Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.» — 1.° *Ascendit ad caelos;* secundum humanitatem explicite et sub gravi credendum. — 2.° *Sedet ad dexteram Dei Patris;* probabiliter juxta plures hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant esse credendum explicite quoad honorem, potestatem

dominiumque supremum. *Ita Suárez.* — 3.° *Omnipotentis;* idem ac in *art.* 1. Significatur etiam indirecte potestas Christi, qui ad dexteram Dei omnipotentis sedet.

281. — VII Art. — «Inde venturus est judicare vivos et mortuos.» — 1.° *Inde venturus est judicare;* explicite credendum, iterum Christum venturum ad homines judicandos. — 2.° *Vivos et mortuos,* id est, omnes homines mortuos ab origine mundi, et vivos qui in ultima conflagratione morientur. — *Ita communius.* Sed haec verba *vivos et mortuos,* juxta *Lugo,* non sunt explicite credenda, ob varietatem explicationum.

VIII Art. — «Credo in Spiritum Sanctum.» — 1.° *Credo,* eodem modo ac in Patrem et Filium, ut supra. — 2.° *In Spiritum Sanctum;* credendum explicite, quod sit tertia persona SSmae. Trinitatis, aequalis Patri et Filio, et proinde Deus. — 3.° Processio a Patre Filioque non est credenda explicite necessitate praecepti a singulis fidelibus, etsi de fide sit. Multa enim de fide non ab omnibus sciri debent. — *Lugo, Suárez, et alii communiter.*

IX Art. — «Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem.» — 1.° *Ecclesiam;* credendum explicite quod sit una vera Ecclesia, etc., ut supra. — 2.° *Sanctam;* sufficit scire et credere esse sanctam ob caput, doctrinam, sacramenta sua, et sanctos canonizatos, quia de ceteris diversi diverse sentiunt. — 3.° *Catholicam;* sufficit obedientiam ipsi in persona capitis sui visibilis profiteri. — 4.° *Communionem sanctorum;* an credenda explicite, et quoad aliquam communicationem orationum tantum; an tantum implicite, in unitatem Ecclesiae; an sub gravi vel sub levi; non conveniunt doctores. Quidquid sit, in praxi omnes videntur sufficienter illam cognoscere, cum saepe dicant: *Ora pro me,* sanctosque frequenter invocent.

X Art. — «Remissionem peccatorum.» — 1.° Credendum explicite quod Deus remittat peccata omnibus rite dispositis. — 2.° Item potestatem peccata remittendi in Ecclesia esse. — 3.° Credendum pariter explicite, nullam extra Ecclesiam esse peccatorum remissionem pro iis qui *scienter* extra illam esse volunt.

XI Art. — «Carnis resurrectionem.» — 1.° *Resurrectionem;* explicite credenda omnium mortuorum resurrectio. — 2.° *Carnis;* non vero hominis, ut ostendatur solum corpus corrumpi, dum anima remanet incorruptibilis et immortalis.

XII Art. — «Vitam aeternam.» — 1.° Explicite credenda de necessitate medii beatitudo aeterna justorum. — 2.° Poena aeterna damnatorum, quam indirecte profitemur credendo vitam aeternam justis concedendam.

PUNCTUM II

De sciendis ad recte agendum.

I. *De praeceptis Decalogi et Ecclesiae.*

282. — I. Praecepta Decalogi:

1.° *Certo* notitia Decalogi explicita ex praecepto omnibus fidelibus necessaria est. *Ita omnes.*

2.° *Etiam* Decalogus credendus est explicite, quia praecepta Decalogi sunt revelata, ut ab omnibus serventur; porro quod revelatum est, *fide divina* est credendum; et quod revelatum est ad dirigendos actus singulorum, est ab omnibus explicite sciendum. Ergo... Contradicunt tamen plures, quia alio modo ac per revelationem, ejusmodi praecepta nosci possunt.

3.° Non necessario memoriter et ordine solito scienda sunt praecepta, quamvis ad hoc fideles hortandi sint.

283. — II. Praecepta Ecclesiae:

1.° Non sunt credenda fide divina, quia a Deo non sunt revelata, saltem quatenus praecepta sunt Ecclesiae. Illud tantum credendum est, quod Ecclesia leges ac praecepta ferendi jus ex auctoritate divina habeat.

2.° Debent sciri ab omnibus praecipua Ecclesiae praecepta, quorum observatio ad omnes fideles pertinet; nempe praeceptum festa colendi missamque in iis audiendi, praeceptum confessionis annuae, communionis paschalis, jejunii et abstinentiae, quae suo loco explicabuntur.

Ad obligationem praecepta noscendi revocatur etiam, quod singuli officia proprii status seu conditionis nosse necessario debent.

II. *De sacramentis.*

284. — Omnes scire et credere debent explicite:

1.° *Baptismum*, et ejus efficaciam et necessitatem absolutam ad salutem consequendam.

2.° *Poenitentiam*, et ejus efficaciam ad peccatorum remissionem obtinendam.

3.° *Eucharistiam*, et in ea realem Christi, veri Dei et hominis, praesentiam. Item juxta communem sententiam explicite credendum est, quod Christus sit totus in singulis speciebus; et probabilius etiam quod in sacrificium offeratur, quum omnes debeant missae sacrificio assistere. Probabilius vero non est explicite credenda transubstantiatio. *Ita communiter. Lugo*, De fide, *disp.* 13, *sect.* 5, *n.* 121.

4.° *Cetera sacramenta*, quando proxime recipienda sunt. Necessarium vero juxta communem sententiam non est illa nosse et intelligere, quae non sunt recipienda.

III. *De oratione dominica.*

285. — 1.° *Sub gravi* tenentur omnes illam scire quoad substantiam, id est, scire Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animae tum corporis, tum etiam gratias ad animae mala effugienda. — Creditur in ea Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans.

2.° Omnes tenentur, saltem *sub levi*, ad illam aliquando recitandam, ut habet communis sententia cum *Lugo*, *disp.* 13, *sect.* 5, *n.* 133; *Suárez*, *disp.* 13, *sect.* 4, *n.* 12.

3.° Probabiliter obligatio memoriter eam tenendi non urget

sub gravi. Ita *Lugo, ibid.; Suárez, ibid.; Busemb., apud S. Alph., n.* 3, *contra* nonnullos, qui gravem obligationem eruunt ex verbis Christi: *Sic orabitis.* Sed verba illa intelligi possunt de ejusdem orationis substantia.

Orationi dominicae ex usu Ecclesiae praxique fidelium fere adjungitur salutatio angelica, quae, etsi non ex obligatione, ex decentia tamen scienda et recitanda est ob patrocinium B. V. et cultum ipsi debitum.

ARTICULUS III

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

Duplex distinguitur fidei adversum vitium, scilicet: 1.° infidelitas, 2.° haeresis, cui adjungitur apostasia.

§ I. *De infidelitate.*

286. — Definitio. *Infidelitas*, generatim sumpta, est carentia fidei in homine non baptizato. Infideles enim dicuntur illi, qui habitum fidei per baptismum non susceperunt.

Divisio. Triplex distinguitur infidelitas, scilicet positiva, negativa et privativa.

1.° Infidelitas *positiva*, seu *formalis*, est carentia fidei in eo, cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit.

2.° Infidelitas *negativa*, seu *materialis*, est carentia fidei in eo, qui nunquam de vera religione quidquam audivit, vel si quid audivit, bona fide putavit non esse attendendum.

3.° Infidelitas *privativa* est carentia fidei, in eo, qui sibi notitiam fidei, data occasione, culpabiliter comparare negligit, cum aliquam ejus notionem acceperit sufficientem ad hoc ut teneatur ad inquirendum, quamvis non ad statim credendum.

Praecipuae species infidelitatis sunt: *Paganismus, judaismus, mahumetismus*, et aliae sectae, quibus adjungi possunt *deismus, atheismus, pantheismus* et *rationalismus*, qui nostris temporibus tam late grassantur.

287. Principia. — I. *Infidelitas positiva*, seu *formalis*, est gravissimum peccatum. — Ratio est, quia continet gravem injuriam et contemptum primae veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis. Infidelitatis autem *privativae* reatus dimetiendus est a majori vel minori negligentia in inquirendo. Ut haec negligentia sit gravis, requiritur prudens dubium de errore sectae in qua quis versatur.

II. *Infidelitas* autem *negativa*, seu pure *materialis*, in se non est peccatum, sed tantum poena peccati. — Ratio est, quia non potest

esse peccatum, ubi est ignorantia invincibilis. Insuper constat ex damnatione propositionis 68.ae *Baji*, a Pio V et Gregorio XIII proscriptae, quae sic jacet: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* — Miserrimi tamen sunt infideles etiam negativi, cum a via salutis longe aberrent. Quod vero iis praeclusa non sit via, quae per *flaminis baptismum* patet, egregie innuit *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 89, *art.* 6.

III. Ritus infidelium a principibus christianis nunquam *approbari* aut *foveri* possunt; eos tamen aliquando *tolerare* licet, quando per eorum prohibitionem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. — Facilius autem tolerantur judaei, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiae provenit, nempe fidei nostrae testimonium.

288. — QUAER. *An infideles opera bona facere possint in statu infidelitatis?*

Resp. 1.° *Affirm.*, quoad opera naturaliter honesta. Constat 1.° ex Scriptura sacra, Rom., II, 14: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* — 2.° Ex variis propositionibus damnatis, scil., ex prop. 25.ª *Baji*, a Pio V proscripta: *Omnia opera infidelium sunt peccata;* et ex 8.ª confixa ab Alexandro VIII: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Ratio damnationis est, quia non est peccatum, ubi non est violatio legis, nec finis vitiosus; porro multa infidelium opera ejusmodi esse possunt; ergo, etc.

Resp. 2.° *Affirm.*, etiam quoad supernaturalis ordinis opera, fidei formali praevia, quae infideles divina adjuti gratia peragunt.

§ II. *De haeresi.*

289. — DEFINITIO. *Haeresis proprie sumpta*, est error voluntarius ac pertinax contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui fidem recepit. *Lato sensu*, est error, etiam involuntarius, contra aliquam fidei veritatem.

Haereticus est qui post susceptum baptismum, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis *denegat* aut de ea *dubitat*. *Apostata*, qui post susceptum baptismum a fide christiana totaliter recedit. *Schismaticus*, qui post susceptum baptismum subesse renuit Summo Pontifici **aut** cum membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusat (*can.* 1325, § 2).

DIVISIO. Distinguitur haeresis:

1.° *Formalis*, quae est haeresis proprie dicta, seu in stricto sensu; vel *materialis*, qua quis adhaeret errori sine pertinacia.

2.° *Interna*, vel *externa seu manifestata*, aut pure *externa*, prout *interne*, aut *externe* tantum, aut utroque modo, quo in casu *mixta* appellari solet, habetur.

3.° *Occulta*, vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

Apostasia, ut eruitur ex dictis, est totalis defectio *a fide christiana*, quam quis antea professus est. Sensu minus stricto vocatur etiam apostasia, defectio *a fide catholica*, transeundo ad sectam haereticam. Peccatum apostasiae specie non differt a peccato infidelitatis, vel haereseos. De ea igitur, sicut de haeresi formali statuendum.

290. **Principia.**—I. *Haeresis formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. — Ratio est: 1.° Quia virtus fidei, utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum unum est ex gravissimis. 2.° Fides est fundamentum justitiae, sine qua *impossibile est placere Deo* (Hebr., XI, 6); ergo haeresis, expellendo fidem, privat hominem omni justitia. 3.° Quia haeresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis, et sic est directe et immediate contra Deum.

II. *Haeresis pure materialis* vacat omni culpa. — Ratio patet ex ejus definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo, etc.

291. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sint signa haeresis materialis et formalis?*

Resp. ad primum. Censendus haereticus materialis tantum: 1.° Qui paratus est se submittere judicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit. — 2.° Qui de vera fide nihil cognovit, et de sua religione nunquam dubitavit. — 3.° Qui dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit.

Resp. ad secundum. Haereticus formalis reputandus est: 1.° Qui dubitat, nec vult ulterius inquirere. — 2.° Qui avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis, ut suae sectae adhaereat, animo ita comparato ut, etiamsi *veritas* menti affulgeat, statutum habeat in falsa secta sua perseverare. Si vero ignorantiam ideo affectat, quia non auderet alioquin se auctoritati Ecclesiae opponere, quamvis gravissime peccet contra fidem, non erit haereticus *formalis*, cum desit pertinacia. Cfr. *Lugo*, De fide, *disp.* 30, *n.* 197 *seq.* — 3.° Qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae.

QUAER. 2.° *An sit haereticus formalis qui dubitat de aliquo fidei articulo?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia ille qui dubitat, deliberate suspendit assensum intellectus circa veritatem, quam scit esse a Deo revelatam, seu judicat esse incertum, quod Deus jubet credere ut certum; ergo deficit a fide, negando summam Dei veracitatem, et Ecclesiae infallibilitatem. — Aliud dicendum esset si dubitaret tantum an quidpiam sit revelatum; quamvis peccare posset contra praeceptum fidei, negligendo inquirere veritatem.

QUAER. 3.° *An sit haereticus formalis qui fidem externe tantum negat?*

Resp. Neg. Nullo enim modo est haereticus, quia in eo non est assensus pertinax contra fidem, et proinde in foro conscientiae haereticorum poenas non incurrit, quamvis graviter peccet contra praeceptum fidei.

* QUAER. 4.° *Quid de liberalismo dicendum sit?*

Resp. Liberalismus *doctrinalis* est systema politico-religiosum, quod plenam independentiam Status ab Ecclesia, vel religione, profitetur. Damnatum hoc systema habetur a Pio IX, Enc. *Quanta cura*, 8 dec. 1864. Cfr. etiam Leo XIII, Enc. *Libertas*, 20 jun. 1888.

Igitur: 1.° Qui praecipua liberalismi capita, vel horum aliquod, pertinaciter admittit, haereticus est; saepe tamen ab haeresi propter ignorantiam excusabitur, licet haec non semel culpabilis sit.

2.° Qui liberales vocantur, vel liberalismi partibus politicis favent, non statim ut haeretici damnandi sunt. Videndum est an in doctrina errent, vel in agendi tantum ratione sint damnandi cooperationis peccato. Cfr. *art.* 19, 20, 40, 65, etc. *Syllab. De electionibus dicetur n.* 485.

* § III. *De communicatione cum haereticis ac infidelibus.*

292. — I. Triplex esse potest communicatio cum haereticis ac infidelibus: *a*) in rebus *mere civilibus*, v. gr. contractus ineundo, cum eis negotiando; *b*) in rebus *sacris*, v. gr. cum eis orando, et *c*) in rebus *mixtis*, v. gr. eorum funeribus interveniendo.

II. Communicatio cum hujusmodi hominibus generatim prohibetur *jure naturae*, propter periculum *a*) ne religio catholica detrimentum capiat, *b*) ne quis propriae fidei naufragium faciat, vel *c*) ne alii scandalum subeant. Cfr. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 10, *art.* 9, 6.

III. Communicare in rebus *mere civilibus*, hodie licet, modo triplex illud periculum absit. — Ratio est, quia non videtur prohibitum nisi solo jure *naturali*, nam tunc cum civibus communicamus, non cum haereticis, etc., ut ait *Card. D'Annibale*, I, *n.* 110.

IV. *a*) In *rebus sacris* cum haereticis communicare, per se illicitum est, atque AB ECCLESIA PROHIBITUM, non modo in iis quae haeresim continent, ut planum est, verum etiam in iis quae ritu catholico administrantur. Adest enim, etiam in iis postremis, *periculum religionis*, i. e., *species adhaesionis* damnatae sectae, et generatim *indifferentismum* fovet haec communicatio, *scandalum* praebet et *periculum* affert *perversionis*. *b*) Si vero haec incommoda absint aliquando, tunc manet sola prohibitio ecclesiastica, quae non obligat in casu quo plus incommodi quam commodi habeat. *c*) Facilius admitti potest ut haeretici nobiscum, i. e., in nostris communicent, minus enim habet periculi, quam ut nos cum illis.

d) Strictius adhuc prohibetur communicare in sacris cum *infidelibus;* qui enim haec faceret, praeter alia incommoda, fere semper poneret partem cultus superstitiosi, quod intrinsece malum est. *D'Annibale*, l. c.; *Génicot*, I, *n.* 198 *seq.* Unde in Codice: Non est licitum fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum (*can.* 1258, § 1).

V. Communicatio *in mixtis*, etiam jure naturali et canonico prohibita est: licebit tantum ex gravi causa, remoto triplici illo periculo, et quatenus mere civile officium exhibeat. Quare statuitur in Codice: Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit (*can.* 1258, § 2).

VI. Catholici sine venia Sanctae Sedis, aut saltem Ordinarii si casus urgeat, abstinere debent a disputationibus seu conferentiis, praesertim publicis, cum acatholicis (*can.* 1325, § 3).

293. **Resolutiones** *SS. CC.* — Hinc ratio petenda sequentium SS. CC. resolutionum:

1.ª Non licet catholicis latinis concedere vel permittere ut in eorum ecclesiis missam celebrent presbyteri graeci ritus schismatici et haeretici (*S. Off.*, 10 maji 1753, *ad* 1). Nec accedere ad missas et alia divina officia in ecclesiis schismaticorum (5 dec. 1668), quamvis nihil contra fidem et ritum catholicum in dictis officiis habeatur, et careant catholici sacerdote proprio (7 aug. 1704).

2.ª Si in eadem ecclesia habeantur capellae et altaria *separata*, quorum aliqua *tantum* catholicis, alia schismaticis inserviant, tunc, deficiente alia ecclesia, promiscuus ecclesiae usus *tolerari* poterit (1 dec. 1757).

3.ª Non licet in catholicis processionibus haereticos admittere deferentes lumina, nec eorum filiis permittendum est ut ministrent, nec ut cantent in divinis officiis (20 nov. 1850; 7 jul. 1864, ad 2).

4.ª Cum in femineo conservatorio catholico tres puellae protestantes uti *externae*, i. e., in semiconvictorio admissae fuerint, interrogata Congr. S. Off., an licite recipiantur hujusmodi puellae, respondit: «Tres alumnas receptas tolerari posse, modo absit quodvis perversionis periculum catholicarum alumnarum; qua de re sedulo a moderatricibus advigilandum. Quoad ceteras, pro internis, negative. Pro externis, recurrant in singulis casibus, semper exceptis apostatarum filiabus» (6 dec. 1899). Tamen hoc decretum censendum videtur particulare (*Il Monitore*, XII, *pag.* 86, *n.* 21). Anno 1866, 11 junii, permisit ut puellae schismaticae admitterentur internae, et etiam ut simul cum catholicis assisterent missae aliisque sacris functionibus. Item 1907, *Coll. P. F.*, *n.* 1679.

5.ª Non licet pueris, qui in publicis scholis educantur, ecclesias schismaticorum jussu gubernii adire, ibique interesse sacris functionibus, participando acatholicis ritibus. Quod si non omnes adesse jubeantur, sed pars tantum, nomine omnium et a ceteris electa, non licet hanc electionem facere (*S. Off.*, 26 april. 1894).

6.ª Non peccant jurantes in manibus sacerdotis schismatici, si minister schismaticus assistat juramento praesentia mere passiva et politica, sine stola aliisque signis ministerii (1 april. 1857).

7.ª Cum *patrini* in *matrimonio* nihil agant aut dicant quod vetitae participationis signum referre judicetur, si nullum pertimescendum sit scandalum, permitti poterit catholicis ista *praesentia mere materialis* in matrimonio haereticorum (*Instructio S. Off.*, 8 jun. 1859). At catholicis non licet, nec per se nec per alios, fungi officio *patrini in baptismo vel confirmatione* qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur (*S. Off.*, 30 jun. et 7 jul. 1864, ad 4: *Coll. P. F.*, *n.* 1257, *et* 1871, *n.* 1). Neque haeretici vel schismatici *patrini* esse possunt *in baptismo* vel *confirmatione* catholicorum (*Ibid.* 1871, *n.* 1), quamvis catholice baptizandus sit filius parentum mixtae religionis, qui desponsati tantum sint coram haeretico ministro (*S. Off.*, 27 jun. 1900).

8.ª Licitum est ex necessitate legis civilis ministrum acatholicum adire, ad *matrimonium* dumtaxat *civile* contrahendum, dummodo hic uti minister politicus, non vero ut minister sacris addictus adsistat, i. e., non ut matrimonium ejusdem auctoritate religiosa interposita validum consistat (*S. C. de P. F.*).

9.ª Cum Eucharistiae sacramentum defertur ad infirmum a presbytero graeco schismatico, catholicus *si non possit* evitare delationem Sacramenti, illud adoret sed non prosequatur deferentem, nec ingrediatur ecclesiam graecorum.

10.ª Licet in mortis periculo, deficiente catholico sacerdote, absolutionem petere ab haeretico vel schismatico, modo absit scandalum et perversionis periculum, et probabiliter credatur sacerdotem administraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiae (*S. Off.*, 7 jul. 1864, ad 6).

11.ª In *funeribus* catholicorum tolerari possunt haeretici vel schismatici, quatenus meram praesentiam materialem exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis (*Instr. S. Off.*, 8 jun. 1859). Idem quoad catholicos in funeribus haereticorum respondit (7 jul. 1364, ad 1), modo adsit causa gravis (1871, *n.* 2).

12.ª Graviter peccant fideles, qui choreis aliisque solatiis intersunt, quae a membris societatis massonicae, uti talibus, haberi solent. Cfr. *Litt. S. C. de Prop. Fide*, 15 jul. 1876 (*Coll. P. F.*, 1862).

13.ª Nullo pacto permitti potest, ut massones, in forma officiali, id est a secta deputati, s. sacrificio missae aliisque officiis

ecclesiasticis interveniant. Interdicendum quoque est ne clerus jussioni seu desiderio massonum pareat, pro celebrandis missis seu officiis ecclesiasticis, uti a massonibus indictis seu postulatis, seu uti talibus in invitationibus ac in publicis ephemeridibus enuntiatis. *Instr. S. Off.*, 5 jul. 1878 (*Coll. P. F.*, *n.* 1863); C. P. **Amer. L.**, *n.* 174; C. **Manil.**, *n.* 191.

Decreta *Conciliorum.* Huc spectant etiam sequentia decreta aliquorum Concilior. Prov., et C. P. **Amer. L.**, et C. **Manil.**

a) «Sciant fideles nostri nullo pacto ipsis licere una cum haereticis actus religiosos, quibus fidei participatio, seu communio in sacris habetur, elicere; atque omnino vetari concionibus, quae in eorum coetibus haberi solent, interesse, aut eorum cultui quasi simul cum illis agendo assistere.» *Conc. Prov. Vallisolet.*, *an.* 1887, *p.* 1, *tit.* 6, § 2, *n.* 3; C. P. **Amer. L** , *n.* 146; C. **Manil.**, *n.* 162.

b) »Excepto casu urgentis necessitatis, impediat parochus, ne obstetrices acatholicae catholicis feminis parientibus inserviant. Sedulo invigilet, ne privati praeceptores, *absque Episcopi permissione*, catholicos simul cum acatholicis pueris ad eamdem scholam, multoque minus ad eumdem convictum admittant.» *Conc. Prov. Venet.*, *an.* 1859, *p.* 1, *cap.* 6; C. P. **Amer. L.**, *n.* 147, et **Manil.**, *n.* 163.

c) «Curam maxime gerant patresfamilias, ne suos patiantur famulari apud talem herum, qui fidem vel mores adoritur, aut religionis cultum, vel etiam praeceptorum Ecclesiae observantiam impedit.» *Conc. Prov. Vallisolet.*, *an.* 1887, *p.* 1, *tit.* 6, § 2, *n.* 9; C. P. **Amer. L.**, l. c.; C. **Manil.**, l. c.

d) «Si quando habeatur legitima causa praestandi famulatum heris haereticis vel a religione alienis, tunc expresse cautum sit oportet juri plenaeque libertati religionem catholicam exercendi et omnia peragendi quae ab Ecclesia praecipiuntur; secus omnino dimittatur servitium, quod sine animae periculo praestari non potest.» Cfr. *Conc. Prov. Smyrnen.*, *an.* 1869, *sect.* 4, *cap.* 2; C. P. **Amer. L.**, l. c.; **Manil.**, l. c.

Vide plura de haeresi in tract. de censuris.

Cfr. *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 199 *seq.*

CAPUT II

DE SPE

294. — *Spes* est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia, ex Dei promissione, exspectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Objectum *materiale* spei primarium est tum beatitudo objectiva

sive ipse Deus, juxta illud Gen., XV, 1: *Ego sum merces tua magna nimis;* tum beatitudo formalis sive possessio Dei. Objectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria, ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi, etc.; imo et alia beneficia etiam temporalia, quae a Dei bonitate exspectamus; quippe et ista promissa a Domino fuerunt (*Luc.*, XII, 31).

Objectum autem *formale* spei est bonitas et fidelitas Dei cum ejusdem omnipotentia conjuncta.

Actus autem in spe inclusi, sunt desiderium beatitudinis aeternae, firma fiducia ad illam perveniendi, et erectus animus contra occurrentes difficultates.

Peccata vero spei opposita, sunt *desperatio* et *praesumptio.* Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem, et media ad eam assequendam necessaria. — Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendae sine mediis a Deo ordinatis.

295. Principia. — I. Spes in adultis requiritur de *necessitate medii* ad justificationem. — Homo enim ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat; hoc autem sine spe fieri non potest. Constat etiam ex *Conc. Trid., sess.* 6, *c.* 6.

II. Spes necessaria est etiam *necessitate praecepti.* — Siquidem datur verum praeceptum eliciendi actus spei aliquoties in vita. Constat ex propositione 1.ª ab Alexandro VII damnata, quae sic sonat: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* «Ceterum, monent communiter DD., quoad hujus praecepti sufficientem exsecutionem nullum anxietatibus locum esse dandum. Quippe cum ad illud implendum, sicut et de fide dictum est, sufficiat *spes virtualis*, et haec passim exerceatur; hinc vix suspicio esse potest, fideles huic obligationi deesse. Si qui vero illi desunt, cum fere sine advertentia id faciant, res eodem recidit.» *Ball.*, h. l.

296. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *Quot modis committatur peccatum praesumptionis?*

Resp Praecipue 1.° si praesumas, vitam aeternam propriis viribus obtinere; 2.° si eam exspectes sine labore, ex sola Dei misericordia. *S. Alph., n.* 21.

QUAER. 2.° *An possit dari materiae parvitas in peccatis contra spem?*

Resp. 1.° *Affirm.*, quoad praesumptionem, etsi gravis sit ex genere suo.

Resp. 2.° *Dist.*, quoad desperationem: *Neg.*, si sit perfecta et proprie dicta; *secus*, si sit imperfecta, ut saepe in tristitia et impatientia accidit.

297. — Quaer. 3.° *An sit peccatum contra spem, cupere perpetuo in hoc mundo vivere, aut e contrario ex taedio mortem exoptare?*

Resp. ad primum: Affirm., quia qui illud cupit, sistit in vita temporali, tanquam in fine ultimo. *Ita communiter. S. Alph., n.* 20.

Resp. ad secundum: 1.° Non est contra spem *per se*, quia non est recedere a fine ultimo; 2.° nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinae Providentiae.

Quaer. **4.°** *An sit praesumptio committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel commissum* accusatur?

Resp. Neg., quia poenitens facilius peccat non ex facilitate veniae obtinendae, sed ex minori difficultate confitendi, quamvis haec sit prava dispositio. Esset autem peccatum praesumptionis si quis ideo facilius peccaret, aut in peccatis perseveraret, quod tam facile remittantur plura peccata, quam unicum (*S. Alph., n.* 51), i. e. si spes veniae esset motivum inducens ad peccandum; non autem si haec spes concomitanter tantum se haberet. Cfr. *Suárez*, De spe, *disp.* 2, *sect.* 3, *n.* 2; *Ball.-P., vol.* 2, *n.* 127 *seq.*; *Noldin*, De praec., *n.* 51: imo peccare *cum* spe veniae et proposito citius poenitendi denotat «voluntatem minus firmatam ad peccandum.» *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 21, *art.* 2, *ad* 3. — **Casus**, *n.* 205.

298. — Quaer. 5.° *Quaenam sint remedia desperationis?*

Resp. Praecipua sunt sequentia: 1.° consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei; — 2.° frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt; — 3.° meditatio parabolarum sancti Evangelii, praesertim *ovis perditae*; — 4.° devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; — 5.° fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.

299. **Regulae practicae.** — *Prima.* Dispiciat confessarius ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrue remedia pro diversa causa applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certae damnationis. Remote vero, 1.° ex *acedia*, qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; 2.° ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quae mentem a caelestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3.° ex *melancholia*, quae inclinat ad tristitiam, et avertit a fiducia quae gaudium animi generare solet; 4.° ex *scrupulis*, quibus anima dejicitur et opprimitur.

Secunda. Poenitentes desperationi dediti a confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi, juxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. — Alio enim modo dirigendi sunt qui *ex malitia*, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio qui *ex pusillanimitate*, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

Tertia. Non statim prima fronte judicandi sunt velut desperatione abstracti poenitentes, qui se tales exhibent, praesertim si christiane vivant. — Inveniuntur enim animae etiam devotae, quae tentationibus desperationis prope continuis exagitantur; nec facile credendum est eas peccasse, praesertim graviter, quamvis putent se illis consensum praebuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est. *Elbel*, etc.

CAPUT III

DE CHARITATE

300. — *Charitas* est virtus, qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum, et proximum propter Deum. — Charitas est omnium virtutum praestantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc I Cor., XIII, 13: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria haec; major autem horum est charitas.*

Objectum *formale* charitatis est bonitas divina, *materiale* vero primarium Deus, secundarium proximus. *S. Alph., n.* 22 *et seq.*

Distinguitur 1.° Amor erga Deum *intensive* vel *appretiative* summus; 2.° Amor *benevolentiae*, qui proprium bonum amati respicit; *amor amicitiae*, qui est amor benevolentiae mutuus, *et amor concupiscentiae*, qui intendit primario bonum proprium amantis.

Agendum 1.° de amore erga Deum; 2.° de amore erga proximum.

ARTICULUS I

DE AMORE ERGA DEUM

1.° Datur praeceptum speciale diligendi Deum super omnia, tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum etiam opere externo. — Constat ex verbis Christi, Matth., XXII, 37 et 38: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est maximum et primum mandatum.*

2.° Praeceptum hoc, prout affirmativum, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut patet ex lege naturali, non autem necessario *intensive*, quia essentia charitatis in gradibus non consistit. Igitur «non cadit sub charitatis praeceptum gradus intentionis seu fervoris in diligendo; sufficit enim ut Deus re ipsa bonis omnibus praeferatur, ut habet communis DD. sententia.» *Ball.*, h. l.

301. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An teneamur ad agendum semper ex motivo charitatis?*

Resp. Neg., juxta dicta De act. hum., *n.* 88. Siquidem etiam actus aliarum virtutum sunt boni et meritorii. Constat etiam ex propositione 8.ª ab Alexandro VIII damnata.

Quaer. **2.°** *Quandonam urgeat praeceptum charitatis?*

Resp. Obligat tum *per se*, tum *per accidens*. Recole dicta superius De praecepto fidei, *n.* 269. Constat etiam ex propositionibus 5.ª et 6.ª ab Innoc. XI damnatis, quarum prior sic jacet: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Posterior vero: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.* — S. Alphonso arridet sententia eorum, qui actum charitatis semel in mense requirunt. (Hom. apost., *n.* 12). Sed hujus opinionis nullum est solidum fundamentum. Praeterea addit *Suárez*, De act. hum., *d.* 6, *sect.* 1, *n.* 12, quod «puer veniens ad usum rationis non tenetur statim in primo usu rationis Deum in se ipso diligere, sed in his quae ipsi occurrunt bene moraliter se gerere, et hoc ipso virtualiter censetur converti in Deum».

Quaer. 3.° *An satisfiat praecepto charitatis per attritionem in susceptione sacramenti Poenitentiae?*

Resp. Neg., quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui, et proinde in ea deest motivum principale charitatis.

302. **Resolves:** — 1.° Praecepto charitatis facile satisfaciunt fideles qui pie vivunt, quia saepius actus charitatis eliciunt gaudendo de perfectionibus divinis, optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant, atque ejus mandata observent, orando devote ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat ejus voluntas, vitando peccatum, quia ipsi displicet, etc.

2.° Fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitae christianae studeant, et voluntatem gravia peccata vitandi retineant. *Suadendum* tamen ipsis est, ut saepe explicitos charitatis actus eliciant in vita, ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratior sit ad similes actus in morte facile eliciendos.

3.° Satisfacit praecepto charitatis, qui peccato gravi inquinatus, et copia confessarii destitutus, elicit actum perfectae contritionis, etiamsi hic actus esset aliunde necessarius, v. gr. ad celebrandam missam. Ratio est, quia praeceptum charitatis simul cum alio praecepto bene impleri potest, et in ejusmodi adjunctis locum habet id, quod superius diximus, praeceptum charitatis interdum obligare per accidens. *Elbel*, etc.

ARTICULUS II

DE AMORE ERGA PROXIMUM

Agendum 1.° de praecepto amoris erga proximum in se; 2.° de operibus charitatis ex illo implendis; 3.° de vitiis charitati erga proximum oppositis.

§ I. *De praecepto amoris erga proximum in se.*

1.° Erga omnes in genere; 2.° erga inimicos in particulari.

PUNCTUM I

De praecepto charitatis erga omnes in genere.

303. **Principia.** — I. Datur praeceptum diligendi *proximum* vero et interno affectu.—Constat: 1.° ex lege naturali, quia etiam in proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet *bonitas* Dei participata; omnes enim homines sunt Dei creaturae, ad ejus imaginem conditi, atque amicitiae Dei et aeternae beatitudinis capaces; ergo sicut Deum amare, ita et proximum diligere propter Deum debemus. — 2.° Constat ex Scriptura sacra, Matth., XXII, 39: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* — 3.° Constat etiam ex damnatione propositionis 10.ae ab Innoc. XI, quae sic jacet: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.* Cfr. prop. seq. 11.am

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic praecepto, quoad actum internum, orando pro proximo, vel recitando orationem dominicam. Quoad actus vero externos satisfacit, proximi necessitatibus sive temporalibus, sive spiritualibus, succurrendo, juxta regulas infra statuendas.

II. Ordo aliquis charitatis servandus est in proximi dilectione. — Ratio est, quia et personae diligendae, sunt magis vel minus *perfectae*, aut magis vel minus nobis *conjunctae;* et bona ipsis desideranda vel procuranda, magis vel minus *necessaria* sunt.

Item diversae sunt necessitates, in quibus proximo succurrendum est. Necessitas enim sive temporalis, sive spiritualis, triplex distinguitur, scilicet:

1.° *Extrema*, cum periculum aeternae damnationis aut mortis, alteriusve mali morti fere aequalis ita proximo instat, ut hic moraliter loquendo *sine alterius auxilio* illud evadere non possit.

2.° *Gravis*, cum quis magnum patitur periculum salutis animae, aut vitae corporis, alteriusve gravis mali, quod *sine magna difficultate* effugere nequit.

3.° *Communis* seu *mediocris*, in qua quis sibi providere potest

sine magna difficultate. In hac versantur quoad ordinem spiritualem vulgares peccatores, qui si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali eam patiuntur generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non nimis molesta ac misera est. *S. Alph., n.* 27; Hom. apost., *n.* 18.

Regulae speciales ordinis charitatis.

304. — *Prima regula.* Quisque tenetur seipsum magis diligere *simpliciter* et *absolute*, quam proximum.—Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est, quam alius quilibet. Id clarum est insuper ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum quam proximum; unde vulgare axioma: *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.* — Haec regula valet cum cetera sint paria, et in bonis, quae nobis comparare aut conservare *tenemur*. Nam si haec obligatio desit, proximum nobis praeferre non solum licet, sed ad virtutem pertinet.

Secunda regula. Debemus tamen succurrere proximo, nostris etiam commodis posthabitis, ordine sequenti:

1.° In *extrema necessitate spirituali, per se*, succurrendum est proximo, etiam cum periculo vitae; quia vita proximi aeterna bonum est excellentius vita nostra temporali. *S. Alph., n.* 27. — Ut tamen adsit talis obligatio, requiritur: *a*) ut sit spes *moraliter certa* salvandi proximum; *b*) ut *nullus alius* sit qui *possit* et *velit* id praestare; *c*) ut non periclitetur salus plurium aliorum, ex morte ob talem causam subeunda. Cfr. *Noldin*, l. c., *n.* 78.

2.° In *extrema necessitate temporali*, succurrendum est proximo *ordinarie* cum magno quidem incommodo, non tamen cum maximo.—Ratio est, quia ex una parte vita proximi est bonum excellentius aliquo nostro bono; et ex alia parte, cum amor sui praecedat ordine, nemo obligatur ad tantum incommodum pro aliis subeundum. *S. Alph., n.* 31. Vide infra, *n.* 212, *q.* 3.

3.° In *gravi necessitate utriusque ordinis*, nemo tenetur proximo succurrere cum gravi suo incommodo, secluso tamen justitiae, pietatis vel officii titulo. Ex dictis enim sequitur, nos teneri ad opem aliquam praestandam, non tamen cum gravi proprii boni jactura. *S. Alph., ibid.*

4.° In *communi necessitate utriusque ordinis*, succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum; non enim potest esse nisi levis obligatio charitatis, quando proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari. Hoc enim impossibile est, et si fieri posset, jam non leve incommodum foret. *S. Alph., n.* 22.

Tertia regula. Quoad diversas personas, *a*) ea dilectione quam comitatur *gaudium de bono ab aliis possesso*, et consequenter *honor* et *reverentia*, ii magis diligendi sunt, qui meliores sunt, teste *S. Thom.* (2, 2, *q.* 26, *art.* 7-9), ob eamdemque rationem parentes magis quam filii et uxor, magisque benefactores, quam ii quibus benefacimus. — Ratio, quia majorem illi cum Deo, communi omnium parente ac benefactore, similitudinem gerunt. *Laymann*, *l.* 2, *tr.* 3, *c.* 3, *n.* 5, *coroll.* 5.

b) Ea vero dilectione qua *desideramus alteri bonum nondum possessum, et quam comitatur misericordia et beneficentia*, ii magis diligendi sunt, qui nobis conjunctiores exsistunt, quoad ea bona in quibus conjunctio vel amicitia fundetur. Unde si cetera sunt paria, quisque opitulari debet: 1.° *uxori*, cum qua est veluti una caro; 2.° *filiis*, quibus naturali jure plus tenentur parentes providere quam parentibus filii (2 Cor., XII); 3.° *parentibus*, et magis patri quam matri, quia ille excellentiorem principii rationem habet (*S. Thom.*, 2, 2, *q.* 26, *art.* 10); imo in casu *extremae necessitatis*, parentes omnibus, etiam filiis et uxori, praeferendi sunt: cum enim illi nobis exsistendi causa fuerint, postulat aequitas ut in extrema necessitate eos ab interitu liberando tantumdem rependamus (*S. Thom.*, *ibid.*, *art.* 9, et 11 *ad* 2); 4.° fratribus et sororibus; 5.° aliis consanguineis et affinibus. *Laymann*, l. c., *coroll.* 5 *et* 6; *S. Alph.*, *n.* 27; *Aertnys*, *l.* 2, *n.* 44.

305. Resolves: — **1.°** In pari ordine bonorum, parique necessitate et causa, *possumus* nosmetipsos magis diligere, quam proximum. Ratio est, quia dilectio sui est regula dilectionis proximi, juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Regula autem prior est, et potior quam regulatum. (*S. Thom.*, l. c., *art.* 4). Non tamen semper *tenemur*, sed licet etiam in hoc casu sacrificiis se submittere ad succurrendum proximo (praesertim in bonis quae nobis curare ex praecepto non debemus): sic pauper pauperi, etiam in minori necessitate constituto, per eleemosynam succurrere potest; licet ingressum in religionem differre ob alterius spiritualem utilitatem, vel etiam temporalem; licetque etiam succurrere proximo peste laboranti, etiam cum aeque certo vitae periculo. Vide resolv. 5.°, et infra, *n.* 489, resolv. 1.° Cfr. *Laymann*, l. c., *coroll.* 4 et 8; *Ball.-P.*, II, *n.* 858; *Berardi*, Praxis, I, *n.* 183.

2.° Peccat contra charitatem erga seipsum, graviter vel leviter pro rei gravitate, qui debitam animae vel corporis curam negligit. Verum haec peccata generatim in confessione accusari non solent, quia vel levia sunt, vel satis explicantur per accusationem aliorum peccatorum. Cfr. *Lugo*, De Poenit., *d.* 7, *n.* 242, et *d.* 15, *n.* 56. — Licet tamen se privare bonis spiritualibus non necessariis, ad bonum sive temporale, sive spirituale proximi, v. gr. omittere auditionem missae die feriali, etc. Imo potest quis majora bona

spiritualia non necessaria optare et procurare proximo quam sibi, secluso eorum contemptu.

3.° Nemo tenetur cum periculo vitae aut bonorum extrahere alios a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per sacramentum Poenitentiae aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitae versentur; secus autem, *per se*, si judicetur, difficulter eos posse actum contritionis elicere, eo quod in angustiis mortis mente ad alia distractos sopor letalis praeripiat, antequam de animae salute quidpiam cogitent. «Potior et facile etiam extrema urgere poterit necessitas, quando periculum impendet deceptionis, quae non pendet a sola eorum voluntate qui decipiuntur, v. gr. si haeresis magister alicubi errores suos diffundat, etc. Hinc si qui sint, qui diebus hisce nostris prudenti, ut ajunt, silentii oeconomia utantur, ne malorum odium subeant, isti sane hujus obligationis obliti penitus videntur.» *Ball.*, h. l.

4.° Non *licet* tibi subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, quando lapsus tuus appareat quodammodo *certus;* secus, si periculum istud fieri possit remotum, ita ut merito confidas non te lapsurum esse. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 14.

5.° *Probabilius* in iis, quae necessaria sunt vitae, sibi praeferre licet aequalem aut inferiorem, imo est actus heroicus charitatis, modo ob Deum fiat. Excipe, si ille, qui se exponit, necessarius sit reipublicae aut familiae suae. *Ita Suárez, Laymann*, etc... contra *alios.*

306. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An sit contra charitatem optare sibi mortem ob vitae infortunia?*

Resp. 1.° *Neg.*, si fiat ex desiderio vitae melioris, seu aeternae felicitatis, ut perspicuum est.

Resp. 2.° *Affirm.*, si fiat ex taedio vitae, vel ex animi dejectione. Non tamen peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta fiat, ut ipsa morte durior aestimetur. *S. Alph.*, *n.* 30. — Secus, si fiat levi quavis de causa, etsi non graviter peccetur, nisi quis vellet divinae Providentiae ordini contraire.

Quaer. 2.° *An sit contra charitatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere ob bonnm finem?*

Resp. 1.° *Neg.*, si debitus ordo charitatis servetur, id est, si fiat ob majus bonum, vel ob minus malum. Hinc id licitum est: 1.° ob bonum spirituale proximi ipsius; 2.° ob bonum commune, vel spirituale, vel temporale; 3.° ob bonum etiam plurium, multo majoris momenti, v. gr. familiae, communitatis, etc. *S. Alph.*, *n.* 30. — Ceterum talia desideria in perfectiora commutari facile et utiliter possunt.

Resp. **2.°** *Affirm.*, quando charitatis ordo pervertitur. Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti, ex eo quod injuste ab eo male tractetur, nec filiae suae, quia ob deformitatem vel pauper-

tatem nubere nequit. Constat ex damnatione propositionum 13.ae et 14.ae ab Innocentio XI. *S. Alph., n.* 30. — Quod intellige de matre quae id desideret ad vitandam molestiam propriam. Si enim agatur de molestia filiae, cum *melior sit mors quam vita amara*, ut ait Scriptura (Eccli., XXX, 17), et filia sibi, et filiae mater mortem optare posse videntur.

PUNCTUM II

De praecepto charitatis erga inimicos in particulari.

307. — «Inimicus intelligitur, qui immerito laeserit, vel odio prosequatur. Laesio autem, modo *meram offensam* importat, quando nempe per molestiam voluntati alterius illatam, citra tamen alicujus juris violationem, animus illius irritatur, et merito ad displicentiam, indignationem, iramque provocatur; modo importat etiam *injuriam*, quando scilicet agitur non solum contra voluntatem, sed etiam contra jus alterius. Per *meram offensam* charitas, per *injuriam* justitia violatur.

»Insuper injuria vel nullum damnum infert, uti v. gr. si nemine alio praesente cuipiam contumeliam dicas, vel detrimentum affert in bonis aut personae aut fortunae. In primo casu debetur satisfactio saltem ex justitia vindicativa, et in foro externo datur ipsi actio injuriarum; in altero debetur laeso etiam restitutio, adeo ut in foro externo detur ipsi tum actio civilis ad suum recuperandum, tum actio criminalis ad vindicandum scelus.

»Et haec quidem sedulo et accurate distinguenda sunt, ne confessarius indiscrete tamquam necessarium plus aliquid a poenitente exigat quam praeceptum charitatis erga inimicos re ipsa postulat.» *Ball.*, h. c.

Datur praeceptum etiam inimicos diligendi. Constat ex verbis Christi, Matth., V, 44: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Et ibid., VI, 15: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* — Hoc praeceptum non specialem dicit dilectionem erga inimicos, sed unice importat, *ut aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat*, ut inquit *S. Thom.* (2, 2, *q.* 25, *art.* 8).

Signa dilectionis alia sunt *communia*, alia *specialia. Communia* appellantur quae aliis debentur ratione generalis charitatis, et sunt diversa prouti diversa conjunctionis ratione quidam inter se devinciuntur; hinc alia sunt signa communia, v. gr. inter fratres, alia inter condiscipulos, alia inter concives, etc. *Specialia* signa, quae a *S. Thom.* (3, *dist.* 30, *q.* 1, *art.* 2, ad 1) dicuntur *beneficia amicabilia*, particulariter exhibentur aliquibus personis ratione cujusdam conjunctionis seu amicitiae, quae non est ad omnes ejusdem alioquin conditionis; haec signa non ex debito, sed ex libe-

ralitate procedunt; contra vero, communia dilectionis signa ex debito procedunt, quod conditionis seu status necessarium est consectarium.

308. Regulae. — *Prima.* Debentur, *per se*, inimicis eadem signa dilectionis, quae aliis ejusdem status praestari solent; quia eorum denegatio esset actus vindictae et manifestatio odii, quod charitati adversatur.

Dixi *per se*, quia quandoque adest rationabilis causa ad tempus ea denegandi, v. gr. ratione debitae correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici, etc..., item ob expressionem justi doloris ex injuria concepti, etc.

Secunda. Non debentur, *per se*, inimicis signa specialia dilectionis, v. gr. eos aegrotos visitare, moestos consolari, hospitio vel convivio recipere, seclusa ratione scandali, etc. Dixi *per se*, quia per accidens, ratione status, aut conditionis et officii, haec signa dilectionis possent esse communia, et tunc ab ipsis inimicum excludere non liceret.

Tertia. Non modo offensa inimico condonanda ita est, ut injustae vindictae desiderium abjiciatur, et communia dilectionis signa non negentur; sed veniam petenti, et congruam injuriae, si qua intercessit, satisfactionem exhibenti, particularia quoque specialis dilectionis signa quaedam, si quae prius dari solebant, generatim loquendo non sunt omnino abnuenda, quamvis nemo teneatur amicitiam conservare cum eo, quem defuisse amicitiae officio expertus est. *S. Thom.*, 3, *dist.* 30, *q.* 1, *art.* 2, *ad* 5; *et S. Antoninus*, *part.* 2, *tit.* 2, *cap.* 2, § 6.

309. **Quaesita.** — Quaer. **1.°** *An liceat poenam publicam optare inimico, imo et eam expetere?*

Resp. Affirm., *per se*, si absit omnis vindictae affectus: sed in praxi hoc periculosum est, et hallucinationi facile obnoxium, ut advertit *S. Alph.*, *n.* 29. — Unde *S. Thom.* ait (2, 2, *q.* 108, *art.* 1): «*Si ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, est omnino illicitum... Si vero intentio... feratur principaliter in aliquod bonum ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus et quietem aliorum et ad justitiae conservationem et Dei honorem, potest vindicatio esse licita*, etc.»

Quaer. 2.° *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp. 1.° Qui alium offendit, debet prior, *per se*, media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis aequitas.

2.° Si offensio sit mutua et aequalis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inaequalis, praeeat qui gravius offendit. Ceterum absolutae regulae assignari nequeunt, sed circumstantiae spectandae sunt. *Ita communiter.*

Quaer. 3.° *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. Neg., per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita. Secus tamen dicendum est, si adjuncta status, conditionis, aliave similia postulent, ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel agatur de subdito erga superiorem suum. *S. Alph., n.* 28; *Sporer*, etc.

Quaer. 4.° *An offensor a laeso veniam petere debeat?*

Resp. Affirm., per se, nisi aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, v. gr. varia officia et beneficia praestando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniae petitio videatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare. Sed alia non desunt media offensum placandi. *Ita communiter. Lacroix, lib.* 2, *n.* 189; *Tambur.*, etc.

Quaer. **5.°** *An debeas aliqua signa dilectionis offensori veniam non petenti?*

Resp. Quidam affirmant cum *S. Alph.;* alii vero negant cum *S. Antonino* (Summa, *p.* 2, *tit.* 8, *c.* 2, § 6), juxta quem, si injuriator non exhibeat condignam satisfactionem, non teneris ei loqui; et *S. Thoma*, qui dicit (3, *dist.* 30, *q.* 1, *art.* 2, *ad* 5): «*Quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est.*»

310. Resolves: — 1.° Non licet inimicos ab orationibus excludere, v. gr. ab oratione dominica, imo speciatim pro ipsis orandum esset, si *unicum hoc medium* offenso suppeteret ad odium restinguendum; quod tamen vix unquam continget.

2.° Non licet inimicos excludere a communibus eleemosynis, *resalutatione*, responsione, expositarum mercium venditione, quia haec sunt signa communia dilectionis. *Ita communiter.* — Id intellige, re per se spectata, juxta dicta superius, *n.* 308. Salutatio non *debetur* nisi conjunctis, et anticipata vix debetur nisi quibusdam personis dignitate praecellentibus: ejus omissio generatim non excedit veniale.

3.° Peccant, qui inimicum reconciliari volentem declinant, eo praesertim advertente et graviter sentiente, aut invitati ire cum eo recusant, nisi tamen metu rixarum, aut novi rancoris, vel alia justa causa excusentur. Item qui veniam recusant, vel satisfactionem convenientem non acceptant, aut majorem aequo exigunt, vel qui rem in judicium deferunt ex odio et vindicta; item qui inimico in necessitate non subveniunt, aut grave ejusdem damnum non impediunt, cum facile possint, et a fortiori, qui de illius malo laetantur.

4.° Non sunt absolvendi, *saltem ordinarie*, qui quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, nisi id recordationi et horrori injuriae ignosci possit. A fortiori qui asserunt, ne verbum quidem se illi unquam dicturos esse; isti enim animi

prave dispositi suspicionem merito injiciunt. Dixi *saltem ordinarie*, quia haec supponunt offensum, dum quaedam offensori officia recusat, grave aliquod huic malum inferre aut exoptare. Nam si hoc absit, et nulla alia *gravia* incommoda ex officiis illis offensori negatis timeri queant, nulla absolutionem negandi necessitate confessarius adstringitur.

5.° Non statim arguendi sunt de peccato, praesertim gravi, poenitentes, qui de odio se accusant, saepe enim confundunt odium *proprie dictum* seu *inimicitiae* cum odio *abominationis* seu *qualitatis*, aut *defectus*, vel etiam aliqua tantum animi aversione naturali et invencibili laborant. Cavendum tamen est, ne abominatio *qualitatis*, *indolis*, etc., ad personae odium paulatim sese extendat. *S. Alph.*, *n.* 30; *Voit*, *n.* 703.

§ II. *De operibus misericordiae.*

Opera misericordiae alia sunt corporalia, uti cibum pauperi praestare, nudos operire, etc., et alia spiritualia, ut peccantes corrigere, ignorantes docere, moestos consolari, etc. Speciatim de duabus tantum dicemus: 1.° de eleemosyna; 2.° de correctione fraterna, prout ad praeceptum charitatis referuntur.

PUNCTUM I

De eleemosyna.

311. — *Dico:* Datur vere praeceptum eleemosynam indigentibus erogandi. — Constat 1.° ex lege naturali, scilicet ex lege generali charitatis, qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam. Recole supra De charitate, *n.* 304. — Constat 2.° ex Scriptura sacra. Sic enim Eccli., IV, 1: *Eleemosynam pauperis ne defraudes;* et Matth., XXV, 41-42: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum*, etc.

Regulae. — I. *In extrema necessitate*, proximo succurrendum est etiam ex bonis *statui necessariis;* sic enim exigit rectus charitatis ordo, quum vita proximi praevalere debeat bono nostro longe inferiori. — Probabiliter sufficit ut detur mutuum, praesertim si qui tali necessitate nunc premitur, bona alibi, vel in spe probabili, habeat. *Ball.-P.*, II, *n.* 202.

II. — *In gravi necessitate*, juxta aliquos, propter eamdem rationem, succurrendum est proximo ex *bonis aliquo modo statui necessariis*, seu cum modico sui status detrimento. Sed juxta alios, probabiliter, ei succurrendum est tantum ex bonis, quae *statui* seu decentiae *superflua* sunt. — Utrum vero haec obligatio succurrendi proximo ex superfluis statui in gravi necessitate, quae ad extre-

mam non vergat, sub gravi urgeat, *non satis constat.* Cfr. *D'Annibale, n.* 84, *nota* 8

En quae in h. l. sapienter adnotat *P. Ball.*: «Necessaria *statui* seu *decentiae* distinguenda sunt ab iis, quae sunt necessaria *vitae.* Ita *S. Thomas* (4, *dist.* 15, *q.* 2, *art.* 4, *q.* 1): *Dicitur nobis necessarium aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest aliquis esse vel vivere. Alio modo dicitur nobis necessarium, quo indigemus ad honeste vivendum vel decenter secundum statum nostrum*, v. gr. more nobilium.

»Et haec distinctio locum habet tum *quoad se*, tum quoad illos, quorum cura cuipiam incumbat. Ita *S. Thom.* (*l. c.*): *Utroque autem dictorum modorum potest aliquid esse alicui necessarium dupliciter, vel ratione sui ipsius..., vel ratione eorum, quorum curam gerere debet.* Abs re ergo quidam ad necessitatem merae decentiae referunt ea, quae ad alendos et educandos liberos sint necessaria; quin et sustentatio ancillae, quae aut infantes custodiat aut infirmis advigilet, perperam ad meram decentiam revocaretur.

Porro cum superfluum dicatur, quod non est necessarium, proinde etiam superfluum dupliciter dicitur: uno modo quod sit superfluum statui, nempe quo etiam subtracto decentiae status nihil deperit; alio modo quod non sit necessarium vitae, licet necessarium videatur decentiae statui. Et ex hoc *superfluo* urget obligatio succurrendi proximo in extrema necessitate, non autem ex vitae necessariis. Ut enim habet *S. Thomas* (*l. c.*): *Illud sine quo non potest esse vel vivere aliquis vel ipse vel illi, quorum curam habet, non debet in eleemosynam expendi.*»

III. *In communi necessitate*, licet nulla sit obligatio dandi eleemosynam hic aut alteri in particulari; attamen ex communi DD. sententia *a peccato* excusari non posset, qui bona etiam *statui superflua* habens, nullam unquam eleemosynam largiri vellet.

312. Quaesita. — QUAER. 1.° *An sub gravi obliget praeceptum eleemosynae?*

Resp. 1.° *Affirm.*, in extrema necessitate. *Ita omnes.*

Resp. 2.° Etiam *affirm.*, in necessitate gravi, quae mox in extremam verti possit. Secus de peccato gravi non constat, cum res apud DD. controversiae subjiciatur. Et quamvis *S. Alphonsus, lib.* 2, *n.* 32, adhaereat sententiae quae tenet praeceptum eleemosynae obligare sub *gravi*, etiam in *communi* necessitate, tamen non rejicit sententiam Laymanni, scilicet quod confessarius diviti, qui nullam eleemosynam dare velit in communibus necessitatibus, *non facile absolutionem negare debet, cum de hac obligatione, qualis sit, doctores non consentiant.* Cfr. *Laymann, l.* 2, *tr.* 3, *c.* 6, *n.* 5; *Ball.-P.*, II, *n.* 206. «Quia est nimis difficile judicare, cui et quantum sub mortali teneamur dare; quia incertum est, per quid necessaria a superfluis distingui possint; et quae et quanta necessitas in paupere re-

quiratur; quantum etiam unicuique ad naturam et statum sit necessarium; et an vera sit, an simulata pauperis necessitas; et an sint alii divites, qui velint illis succurrere; multaque alia incerta sunt, ob quorum ignorantiam non sunt facile damnandi.» Ita *Medina* apud *Sánchez* (Consil., *l.* I, *c.* 5, *dub.* 5, *n.* 37).

Quaer. 2.° *Quaenam bona censeantur statui necessaria?*

Resp. Ea sunt, quae requiruntur ad famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pro conditione pompam, etc. — *Ita communiter. S. Alph., ibid.*

Quaer. 3.° *Quaenam quantitas bonorum sit pauperibus danda?*

Resp. 1.° In necessitate *extrema*, vel ita gravi, ut extrema facile evadere possit, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii, qui ipsi subvenire velint. Nemo tamen tenetur *magnam* pecuniae summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii ei procuranda. (*S. Alph.*, *n.* 31). Unde quamvis tenearis ad succurrendum etiam ex bonis statui necessariis, non tamen eo usque teneris, ut a statu *decidere* debeas. *Palaus*, *tr.* 6, *disp.* 2, *punct.* 2, *n.* 6.

Resp. 2.° In necessitate *communi*, quantitas determinata assignari nequit. *Probabilius* tamen sufficere videtur erogare *quinquagesimam* partem eorum, quae statui supersunt. *Ita communius. S. Alph.*, *n.* 32, et in Hom. apost., *n.* 19.—Quidam tamen *vigesimam* aut etiam *decimam* partem esse pauperibus erogandam contendunt. Sic *Concina*, etc.

Quaer. 4.° *Quinam debeant, aut possint eleemosynam facere?*

Resp. 1.° Illi soli generatim, qui sunt veri domini et bonorum suorum administratores. *Potest tamen eleemosyna fieri ex alienis, quando proximus est* in extrema *vel quasi extrema necessitate, et aliunde succurri non potest;* sed cavendum est 1.° ut haec sint superflua vitae alterius, 2.° ne sit ea quantitas, ad quam nemo, etiam in extrema alterius necessitate, largiendam tenetur.

Resp. 2.° *Uxor* tamen eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest, juxta morem conditionis suae; non autem extraordinarias, sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum scilicet dominium simul administrationemque habet et fructus percipit. *S. Alph.*, *n.* 33.

Resp. 3.° *Filii* nihil dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus. Excipe nisi bona habeant propria, aut ex patris consensu aut alio titulo libertati ipsorum permissa. *Famuli* vero nihil sive consensu expresso, vel lacito, aut prudenter praesumpto, dominorum suorum. *S. Alph.*, *ibid.*

313. **Resolves**:—1.° Peccant divites qui pauperes semper dure a se repellunt, et reservant omnia superflua ad statum altiorem

acquirendum. Nam alioqui tam modica eleemosyna, quae superius recensita est, honestum ascensum ad statum superiorem impedire non potest.

2.° Ab eleemosynis excludendi non sunt alienigenae aut infideles, qui in necessitate versentur, servato tamen recto charitatis ordine, et nisi justa de causa obtinuerit alicubi mos vel statutum pauperes peregrinos a civitatibus arcendi, ut scilicet a suis civibus alantur.

3.° Nulla tamen est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus, quia non sunt vere pauperes; imo illicitum id foret, utpote illis nocivum.

4.° Tenentur medici, advocati, etc., operam pauperibus gratis impendere, quia sunt in vera necessitate, nec ab aliis adjuvari possunt. *S. Thom.*, 2, 2, *quaest.* 71, *art.* 1.

5.° Non eximuntur a praecepto eleemosynae qui degunt in civitatibus, ubi prohibetur eleemosynae petitio, quia non desunt alia media praecepto satisfaciendi, v. gr. erogando pecuniam collectoribus in ecclesiis, etc., vel parochis aut aliis curae indigentium praepositis. Si vero pauperes alantur publicis stipendiis, «quisquis solvit tributa jam aliquid in eum finem tribuit, quod ad implendum eleemosynae praeceptum conferre plus minusve potest». *Ball.*, h. l. Ubi autem urget praeceptum succurrendi proximo in extrema necessitate, non est exspectanda pauperis petitio. **Casus**, *n.* 219 *seq.*

PUNCTUM II

De correctione fraterna.

Correctio fraterna est admonitio, qua quis ex charitate alium a peccato revocare conatur.

314. Principia. — I. Datur verum praeceptum fraternae correctionis. — Constat 1.° ex lege naturali charitatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur. — 2.° Ex Scriptura sacra: Eccli., XIX, 14: *Corripe proximum... ne forte iteret;* et Matth., XVIII, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

II. Ad obligationem strictam hujus praecepti requiritur: 1.° Ut certo constet de peccato proximi. Et hoc sine ulla inquisitione, quae ad *solos* superiores spectat, non ad privatos, ne odia et dissensiones gignantur. *Génicot*, I, *n.* 219, II. — 2.° Ut affulgeat spes aliqua, imo major probabilitas emendationis. — 3.° Ut non sit alius aeque idoneus, qui correpturus credatur. — 4.° Ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis. — 5.° Ut necessaria judicetur ad delinquentis emendationem, nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua se emendaturum. *S. Alph.*, *n.* 38 *et seq.*, *aliique communiter.*

315. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An sub gravi obliget praeceptum fraternae correctionis?*

Resp. Affirm., per se, si adsint requisitae conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne ipse inde leve patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam esse vere profuturam. — *Leviter* tamen peccat, qui ex pusillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripiendum. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 33, *art.* 2; *S. Alph.*, *n.* 37.

QUAER. 2.° *An praeceptum correctionis locum habeat, ubi quis ex ignorantia peccat?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si agatur de ignorantia vincibili, quia haec non excusat a peccato, *juxta dicta n.* 67.

Resp. 2.° Si vero ignorantia sit invincibilis, non tam agitur de fraterna correctione quam de *commonitione*, qua proximus de veritate docetur; siquidem correctio est admonitio fratris de emendatione delictorum. Porro in casu charitas multipliciter impellere potest, nempe 1.° ob damnum tertii; 2.° ob damnum ipsiusmet ignorantis; 3.° ob scandalum; 4.° ob Dei honorem; 5.° ob religionis irreverentiam. Quod si nullum damum, aut incommodum sequeretur, nulla fere aderit obligatio faciendi admonitionem, nisi quoad eos qui ex officio suo alios docere debent, inter quos est etiam confessarius. Docendi autem sunt tum quia ignorantia est malum ipsius ignorantis, tum quia alia incommoda profluere inde possunt et solent.

Addunt generatim, etsi fructus non speretur, et ignorantia sit invincibilis, tamen monitionem adhuc fieri debere, si agatur de necessariis *necessitate medii*, vel de iis quae *publicum scandalum* praebent, ne scilicet alii putent id licere, quod non corrigitur. — *Scavini.*

316. — QUAER. 3.° *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

Resp. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiae aliud suadeant. — Hinc 1.° corripe secreto: *Corripe eum inter te et ipsum solum.* 2.° Coram testibus, si prior admonitio non sufficiat: *Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos.* 3.° Rem deferas ad superiorem: *Dic Ecclesiae* (Matth., XVIII, 15 *et seq.*)

Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet: — 1.° si peccatum sit publicum vel mox publicandum; — 2.° si sit graviter alteri noxium; — 3.° si secreta admonitio non judicetur profutura; — 4.° si praestet rem statim superiori manifestare; — 5.° si delinquens cessit juri suo, ut fit in variis ordinibus religiosis. Cujus renuntiationis effectus est ut denuntiatio evangelica, omissa *correptione fraterna*, REGULARITER fieri possit. Ergo non est necesse ut attendas an adsint speciales rationes hic explicatae 1.°-4.°, ad

omittendam monitionem. Semper praesumuntur adesse, nisi contrarium *certo constet*. Quia etiam iis in ordinibus «*si certo constet*, fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus vel damni ipsi aut alteri, non licet denuntiare patri vel praelato, nisi frater *expresse in istam* denuntiationem consentiat». *Busembaum*, *l.* 2, *tr.* 3, *cap.* 2, *dub.* 4, *resolv.* 2. Nec obstat cessio juris, quamvis extenderetur ad hunc casum in quo denuntiatio est inutilis. Ad summum cessaret obligatio *justitiae* non denuntiandi hujusmodi peccatum, non autem cessaret obligatio *charitatis*, nisi forte adsint alii fines honesti. *Suárez*, De Inst. Soc. Jesu, *lib.* X, *c.* 9, *nn.* 11, 17, *c.* 10, *n.* 12; *Lugo*, Cons. mor., *lib.* 4, *dub.* 46; *Ball.-P.*, II, *n.* 234; *Génicot*, I, *n.* 220, 4.°—Et addit Busembaum: «Si superior immediatus a se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus ipsi vel alteri vel communitati immineat, videtur peccare manifestando superiori mediato delictum», l. c., *resol.* 3; *S. Alph.*, *n.* 40, etc.

317. **Resolves:** — **1.°** Correctio fraterna cum vera etiam quoad modum charitate facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter aequales, et reverentialis erga superiores. Et monet *S. Thomas* (2, 2, *q.* 33. *art.* 2, *ad* 3), quod «*fraterna correptio omitti potest... meritorie, quando ex charitate aliquis correctionem omittit. Dicit enim Augustinus in I.* De Civ. Dei: *Si propterea quisque objurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel iisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur... non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis*».

2.° Privati inter se raro ad correctionem tenentur, *saltem sub gravi*, nisi sint familiariter inter se conjuncti; quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur, rarius adhuc erga superiores propter ineptitudinem.

3.° Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correptionem accipientes fiant deteriores.

4.° Scrupulosi ordinarie excusantur a fraternae correctionis officio, quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent et ad causas excusantes attendere non valent.

5.° Praelati, episcopi, pastores, magistratus, tenentur, etiam cum magno incommodo, impedire peccata tum publica, tum occulta subditorum suorum, quia ex justitia ad procurandum tuendumque bonum commune obligantur.

6.° Tenentur ex officio superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata, non admodum tamen de certa quapiam persona, nisi ad hoc illos peculiaris aliqua ratio permoveat. Nec facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus

fidem statim illis praebere, quia interdum isti specie boni communis seipsos quaerunt.

7.° In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc., plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem aut per se, aut per alium; nec possunt absolvi sodales aut convictores in ejusmodi denuntiationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Si vero tantum timeretur damnum unius vel alterius, non esset urgenda talis obligatio cum gravi incommodo denuntiantis, quod frequenter adest. Item de jure naturali denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi videntur. *Ita communiter.*

Hic recte notat *Ballerinius* quod «sedulo distinguenda est denuntiatio, quae *evangelica* dicitur ab altera, quae *judicialis* appellatur. Prior, quae fraternae correptionis propria est, fit superiori ut *patri*, et per se primo tendit ad bonum denuntiandi. Altera vero fit superiori tanquam *judici*, ut ex cognita causa procedat, et tendit ad bonum aliorum, praesertim commune vel ipsius denuntiantis. Porro ubi denuntiatio superiori fiat mere ut *patri*, nullatenus ipse potest ut *judex* procedere.

De hoc *S. Thomas* (*quodlib.* XI, *art.* 13): *Si ego scio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare praelato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per praelatum, et praelatus nihilominus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi; et tunc non dicit Ecclesiae, quia non dicit ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad correptionem proximi et emendationem.*

§ III. *De vitiis charitati erga proximum oppositis.*

Praecipua sunt odium, invidia, rixae, scandalum, et cooperatio peccatis alienis.

De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis jam actum sit alio loco, vel in quinto Decalogi praecepto sit dicendum.

PUNCTUM I

De scandalo.

SECTIO I

De scandalo in genere.

318. — Definitio. *Scandalum* est dictum vel factum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae spiritualis.

Divisio. — Distinguitur scandalum *directum* vel *indirectum*, prout actio mala alterius vel intenditur, vel quamvis non intendatur, tamen praevidetur saltem in confuso.

Scandalum directum dicitur etiam *diabolicum*, quando intenditur proprie ruina spiritualis proximi. Si vero non intenditur spiritualis ruina alterius, sed solum propriae voluntatis satisfactio, dicitur *simpliciter directum*.

Theologi communiter distinguunt scandalum *activum* et *passivum*. Scandalum *activum* illud est, cui convenit data definitio. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis proximi, atque improprie vocatur scandalum, cum melius dici debeat effectus scandali.

Scandalum autem potest esse *activum* seu *datum*, quin sit *passivum* seu *acceptum;* quia poni potest actio apta per se ad scandalum, quin subsequatur effectus. Et vice versa potest esse *acceptum*, quin sit *datum;* tunc autem scandalum non proprie tribuendum est actioni proximi, sed potius ignorantiae, imaginationi, aut etiam malitiae illius qui scandalum patitur, vel sine fundamento admittit. Hoc autem dicitur scandalum *pusillorum*, si ex infirmitate vel ignorantia proximi suscipiatur; vocatur vero *pharisaicum*, si ex mera subjecti malitia proveniat. *S. Alph.*, *n.* 43.

319. Principia. — I. Scandalum, etiam indirectum, est non solum peccatum grave ex genere suo, sed peccatum malitiae specificae contra charitatem, maximum et horrendum, cum in gehennam detrudat animas a Christo redemptas. — Propterea exclamat Christus Dominus, Matth., XVIII, 7: *Vae mundo a scandalis... Vae homini illi per quem scandalum venit.* Non tamen peccatum scandali *semper mortale est.*

II. Scandalum *pusillorum* seu infirmorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, omissione tum operis indifferentis, tum etiam operis boni non praecepti. — Ratio, quia ex charitate ruinam pusillorum impedire tenemur quum facile possumus, v. gr. abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo, etc.

III. Scandalum *pharisaicum*, seu *malitiosum*, saltem *ordinarie*, nec omissione operis boni, nec omissione operis etiam indifferentis, mali speciem non habentis, est necessario vitandum. — Ratio, quia tale scandalum oritur a sola malitia illius, qui scandalum accipit; propterea non est ullo pacto *datum*, sed pure *acceptum*. Dicitur saltem *ordinarie*, quia ut ait Suárez (De charit., *d.* 10, *sect.* 3, *n.* 9), sicut cura de bono proximi potest obligare ad bonum faciendum, ita etiam aliquando ad intermittendum; quo in casu nullo bono spirituali privaretur homo, nam illa omissio ex amore spirituali proximi erit magis meritoria quam ipsum opus bonum.

320. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An praecepta sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

Resp. 1.° *Neg.*, quoad praecepta juris naturalis *negativa*, quia haec semper et pro semper obligant, atque opera illis contraria sunt intrinsece mala. *Affirmativa* autem, quae non obligant pro

semper, omittere interdum licet, imo et opus est, v. gr. praeceptum corrigendi peccatores, si gravior inde ruina timenda sit; at potius dicendum est, tunc ipsam legem cessare. *S. Alph., n.* 51.

Resp. **2.°** Quoad praecepta positiva humana *controvertitur.* 1.ª *Sententia probabilis affirmat,* secluso incommodo gravi, quia praeceptum vitandi scandalum proximi, utpote naturale, positivis praeceptis praeferendum est. Hinc mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad missam praeceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum, si spes adsit ut deinde scandalum cesset; non tamen pluries, ob grave incommodum quod inde consequeretur. *S. Alph., ibid.; Suárez, Laymann,* etc. — Alii tamen, non minus probabiliter, *negant* quemquam teneri ad talem omissionem, licet concedant posse semel aut iterum omittere, propter probabilitatem oppositae sententiae. Quare tria notanda veniunt: 1.° quaestionem hic fieri *tantum* pro casu quo scandalum in persona aliqua *particulari* timeatur, non vero quando adsit tantum *timor generalis* ne forte quis scandalizetur; 2.° hanc obligationem raro contingere, ut notat Suárez, l. c., *n.* 10; 3.° confessarium hanc obligationem urgere non posse, cum res sit dubia. *Ball.* — Vid. *S. Alph., ibid.*

Quaer. 2.° *An bona temporalia tenearis dimittere ad scandalum evitandum?*

Resp. Neg., ordinarie loquendo, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc non teneris solvere pretium aequo majus operario vel rhedario, licet praevideas illum secus esse blasphematurum; incommodum enim illud, licet leve in se, saepius occurrere potest, et sic grave faciliter evadit; quin imo saepius id esse posset incitamentum ad blasphemandum. *S. Alph., n.* 52. — «Quare nec parochus tenetur dimittere quae sibi debentur jure stolae, ad praecavendas nimirum obtrectationes; grave enim non sibi modo, sed et successoribus incommodum inde contingeret; cum pauperibus autem magis expediet, ut eos, a quibus suum jus repetit, eleemosynis deinde adjuvet.» *Ball.*, h. l.

Quaer. **3.°** *An in scandalo detur non solum peccatum contra charitatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?*

Resp. 1.° *Affirm.*, quoad scandalum *directum* (sive formale sit, sive non formale). Quaelibet enim virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam. *Ita fere omnes.*

Resp. 2.° Quidam affirmant etiam quoad scandalum *indirectum. Ita S. Alph., l.* 2, *tr.* 3, *n.* 45. — Melius tamen alii negant cum *Lugo,* De Poenit., *d.* 16, *n.* 159. Ratio est, quia, ut ait ipse Lugo, l. c., *n.* 161, quamvis quaelibet virtus possit obligare me ut eam amplectar, et ut *non intendam et non procurem ut alii eam violent;* sed non me

obligat ut *impediam* ejus violationem ab aliis, et ad hunc finem abstineam ab iis peccatis ex quibus, praeter meam intentionem, talis violatio forte sequatur. Ita etiam *Bucceroni*, I, *n.* 424; *Génicot*, I, *n.* 232, II.

321. — Quaer. 4.° *An peccans cum complice declarare debeat in confessione circumstantiam sollicitationis?*

Resp. probabilius neg., quia, accedente alterius consensu, sollicitatio non est nisi circumstantia mere *aggravans;* neque minus complex per consensum fit scandali reus; proinde peccatum scandali sufficienter accusatur confitendo peccatum cum aliis commissum. *S. Alph.*, *n.* 46; *Lugo.* — Affirmant tamen, *probabiliter*, *Salm.* et alii, qui ajunt, actionem inducendi ad peccandum esse peccatum distinctum et speciale.

Quaer. **5.°** *An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato?*

Resp. Affirm., *probabilius*, cum *S. Alph.*, *n.* 57. Quidam tamen limitant, si minus malum contineatur aliquo modo in majori, ut percussio in homicidio, etc.; quae tamen limitatio *S. Alphonso* necessaria non videtur. Cum S. Alphonso sentiunt *Bucc.*, I, *n.* 428; *Génicot*, I, *n.* 234, VIII; *Berardi*, Praxis, I, *nn.* 259 et 389; *Aertnys*, *l.* 1, *n.* 254. Hoc enim consilium formaliter eo tendit ut impediatur majus peccatum. Ergo bonum suadet. Cfr. dicta supra, *n.* 264, *q.* 4.°

Quaer. 6.° *An liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur?*

Resp. Affirm., quia permittere non est inducere, et adest ratio sufficens peccatum permittendi. Hinc a peccato sunt excusandi *per se:* 1.° parentes et domini, qui filios vel famulos peccare sinunt, ut opportunum eos corrigendi locum inveniant; — 2.° custodes agrorum, vinearum, etc..., qui se abscondunt ut damnificantes capiant, et ab eis poenam exigant. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 58; *Laymann*, etc.

322. — Quaer. 7.° *An liceat etiam occasionem peccati apponere?*

Resp. Controvertitur. — Affirm., *probabilius*, quia peccans non inducitur in peccatum, sicut non inducitur usurarius, a quo mutuum petitur; ponitur enim actus indifferens cum ratione sufficienti. Hinc *probabiliter* non peccat dominus qui de industria clavem relinquit appositam arcae, in qua pecunia reconditur, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur. *S. Alph.*, *n.* 58; *Laymann*, *Collet*, contra quosdam idcirco negantes, quasi hoc perinde sit ac positive concurrere ad peccatum, ejus periculum expresse creando et ad illud inducendo.

Quaer. **8.°** *Quid de fidelium communicatione cum judaeis?*

Resp. Tum ad tuendam christianae religionis dignitatem, tum ad vitandum quodcumque perversionis periculum, statutum est ab Ecclesia, 1.° ne christiani cum judaeis habitent; 2.° ne eorum con-

viviis intersint; 3.° ne iisdem famulentur; 4.° ne eorum azymis vescantur; 5.° ne mulieres christianae lactent judaeorum infantes tam in illorum, quam in sua ipsarum domo; 6.° ne medicos aut chirurgos judaeos, vel pharmaca ab iis praeparata, adhibeant; 7.° ne judaeis officia publica committant. *Lib. V. Decret., tit.* 6, *cc.* 5, 8, 13, 16, *causa* 28, *q.* 1, *c.* 13, *ex sexta Synodo, et c.* 14, *ex Conc. agathensi, c.* 40; *Pius IV*, constit. *Cum enim; S. Congr. Inquisit.*, die 15 mart. 1612; *et S. Alph., n.* 18.

Attamen excluso quocumque perversionis periculo, probabiliter non est letale, imo nulla est culpa, si id ex rationabili causa fiat. *S. Alph., l.* 2, *n.* 18. — V. **Casus**, *n.* 226 *et seq.*

SECTIO II

De scandalo in particulari.

1.° Circa luxuriam; 2.° circa pravos libros; 3.° circa choreas; 4.° circa spectacula.

I. *Circa luxuriam.*

323. — Gravissimum scandalum est ea facere, repraesentare, aut prae se ferre, quae ad libidinem notabiliter provocant; quia nullum venenum subtilius animae propinari potest.

Hinc gravissimi scandali rei sunt: — 1.° qui turpia in comoediis aliisve coetibus repraesentant; — 2.° qui cantilenas aut carmina turpia componunt vel canunt; — 3.° qui statuas aut imagines obscenas faciunt vel exponunt; — 4.° qui discipulos sibi commissos pravis exemplis seducunt. *S. Alph., n.* 56.

Quaesita. — Quaer. **1.°** *An peccet graviter femina nudo pectore incedens?*

Resp. Affirm., si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiae minuit, quum assueta minus phantasiam excitent. *S. Alph., n.* 55. — Quaenam denudatio dicenda sit immoderata, non facile definiri potest, cum haec scribat Card. *Cajetanus* (Summ., *v. Ornatus*): «Qualitas (inordinata) ornatus communiter peccatum inducit *veniale*, si indecens est ac minus castus, *ut ornatus mulierum monstrantium media ubera*. Verumtamem ubi consuetus est jam mos, sine peccato videtur.» — Feminae tamen hunc morem introducentes facile *gravem* contrahent reatum, de quo tamen nullus est damnandus nisi de gravi peccato *certo* constet. Cfr. *S. Alph.*, l. c.

Quaer. **2.°** *An graviter peccet mulier ornatum gerens superfluum aut vultum pingens?*

Resp. ad 1.um *Neg.*, *per se*, quia ornatus non *graviter* ex natura sua ad libidinem provocat, quin etiam ad status decorem saepe exigitur. Unde ornatus *moderatus* actus virtutis est, et licet etiam mulieribus aliquid ornamenti superaddere ut placeant viris, vel quos habent (qua in re etiam per defectum peccari potest), vel quos debent habere.

Resp. ad 2.um *Neg.*, itidem; id enim *per se* venialem labem minime excedit, si ob vanam gloriolam captandam fiat; omni vero peccato carebit, si justa causa interveniat, v. gr. defectus naturalis tegendus, etc.

Quaer. 3.° *An graviter peccet mulier viriles vestes induens?*

Resp. Neg., *per se;* id enim, si justam ob causam fiat, omni culpa carere potest; si ob levitatem vel jocum, veniale non excedit, praeciso tamen scandalo, aut libidinis periculo. *S. Alph.*, *n.* 52.

Quaer. 4.° *An graviter peccent ii, qui larvati seu personati incedunt?*

Resp. Neg., *per se*, modo scilicet eos congressus non adeant, in quibus proxima plerumque peccandi occasio occurrit.

324. — Quaer. 5.° *An liceat meretricibus vel concubinariis famulari?*

Resp. ad 1.um *Neg.*, tum ob scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. Si qui vero casus excipiendi fortasse forent, hi ex personarum adjunctis, vel necessitatis gradu dijudicandi erunt.

Resp. ad 2.um Permitti quidem potest, si domi non servetur concubina. Secus vero difficiliter, ob grave seductionis periculum, nisi tamen graves vigeant rationes ejusmodi domino inserviendi, vel nisi famuli famulaeque pietate vel annis provectiores existimentur. Paucis: quaestionis hujus solutio vix tradi potest, sed ex variis rerum adjunctis petenda est. — *Ita communiter*, contra *Concina*, qui nullam admittit exceptionem.

Quaer. 6.° *An liceat puellae accipere munuscula ab illo, a quo, praeter matrimonii finem, requiritur et amatur?*

Resp. Neg., ordinarie, quia munera mutuum amorem maxime excitant ac fovent; fere autem ejusmodi amores aut pravo fine aut certe periculo non carent. Hinc quoad fieri potest, imperandum puellae, ut ejusmodi munuscula restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis comburenda tradat. *S. Alph.*, *n.* 16; *Lacroix*, *l.* 2, *n.* 264.

II. *Circa pravos libros.*

Ex omni scandalorum genere nullum magis exsecrandum est, quam quod ex impiis et obscenis libris procreatur. Haec est diabolica inventio, omnium efficacissima ad animas turmatim in gehennae barathrum detrudendas. Haec est pestis omnium maxi-

me dira et immanis, quae non unam tantum regionem aut aetatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris complet stragibus. Quis autem dicere posset horrenda mala, quae religioni et moribus ex pravis libris, velut ex letali fonte, exorta sunt, et quidem usque ad finem mundi propaganda atque multiplicanda?

Satagant igitur et animo mactent ministri Dei, concionatores scilicet et confessarii, ut totis viribus huic torrenti iniquitatis se opponant, et pereuntes animas e faucibus infernalis abyssi eripiant.

Nunquam igitur permittenda est lectio, impressio et divulgatio librorum omnino fidei et moribus adversantium.

325. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An typis committi possint libri, qui partim boni, partim sint mali?*

Resp. Neg., generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; secus tamen, si periculum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et hoc compensari magna utilitate ex iis capienda videatur. Typographi vero sedulo a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis praesertim superioribus, exquirant, quid in dubiis agendum sit.

Quaer. 2.° *An pravi libri interdum vendi possint?*

Resp. Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet scilicet emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis, qui hujusmodi libros utiliter legere possunt, v. gr. ad eos confutandos, etc. *Excipe* libros prorsus obscenos, qui radicitus sunt exstirpandi. — Cfr. dicenda *n.* 337 et 823.

Quaer. 3.° *Quid de donatione ac locatione pravorum librorum?*

Resp. Idem generatim dicendum, proportione servata, ac de eorum venditione, quia omnia haec corruptelarum plena sunt. *Gousset, l.* 1, *n.* 392. Vide infra, *n.* 813, III.

Quaer. 4.° *An ejusmodi libri domino reddi possint?*

Resp. Neg., nisi prudens timor cujuspiam gravis incommodi aliter suadeat. Hoc ex principiis, quae tradidimus, sua sponte defluit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia, aliaque ejusmodi a domino pertimescas. Levis contristatio, vel etiam timor dissolvendae amicitiae non censeretur sane ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi.

Quaer. **5.°** *Quid de subscriptione ephemeridibus data, vel de articulis et nuntiis in ipsis inserendis?*

Resp. 1.° *Subscriptio* ephemeridibus pravis data, cooperationem importat. A peccato tamen per se excusabitur qui eas tuta conscientia legere potest (cum jus ad finem det etiam jus ad media necessaria), nisi forte obstet ratio scandali e nomine subscribentis, v. gr. religiosi, vel sacerdotis.

Resp. 2.° Item computandi sunt inter cooperatores qui talibus

ephemeridibus *articulos* mittunt inserendos, vel *nuntia* de rebus emendis seu vendendis. Prima cooperatio vix unquam licebit, nisi articulos mittas ad errores confutandos; altera facilius excusabitur accedente qualibet justa causa. Vid. infra, *n.* 804 *seq.* et *Génicot*, I, *n.* 240.

En quae sapientissime traduntur a PP. C. P. **Amer. L.**:

«N. 132. Pestifera autem pravarum ephemeridum diffusio totis viribus devitari debet, quia quotidiana experientia constat fidei vigorem ac christianos mores facillime labefactari in iis qui ab eorum lectione non abstinent. Illicita igitur prorsus est quaelibet cooperatio in hujusmodi ephemeridibus conscribendis, et per subnotationem seu *associationes*, ut vocant, vel aliter, propria pecunia sustinendis: neque facile admittenda est ratio passim adducta necessitatis, videlicet negotia publica diverso e fonte sciendi, et praesumptuosa affirmatio carentiae periculi, deductae ex firmitate principiorum catholicorum in lectore. Qui enim amat periculum, in illo peribit...» Ita etiam C. **Manil.**, *n.* 147.

«N. 133. Non sufficit scripta prava rejicere, sed necesse prorsus est scripta scriptis concursu non impari opponere. Quapropter, apte et salutariter fiet, si suae propriaeque ephemerides, veluti pro aris focisque propugnantes, unicuique sint regioni, eo modo institutae, ut nulla in re a judicio Episcoporum abscedant, sed recte studioseque cum eorum conveniant prudentia et voluntate.» (*Leo XIII*, Epist. *In ipso supremi pontificatus*, 3 martii 1891). C. **Manil.**, 148.

N. B. 1.° Quum prohibitos libros non modo legere sed et *retinere* interdictum sit, hinc associationi (*circulo*, *casino*) in cujus bibliotheca sunt libri aut diaria graviter prava seu prohibita, *per se* non licet nomen dare nisi sub spe bibliothecam expurgandi. Cfr. *Piat*, Com. in Cons. *Apostolicae Sedis* in exc. 2 primae seriei; *S. Poenit.*, 8 apr. 1898: Analecta eccles., *vol.* 6, *pag.* 418. Vide dicenda infra, *nn.* 337, *q.* 5.°, *et* 341.

2.° Quae hucusque dicta sunt generatim ad jus naturale spectant; quae autem ab Ecclesia sunt statuta circa prohibitionem librorum dicemus infra, *n.* 804 *seq.*

III. *De choreis* (1).

326. — *Choreae* vel saltationes, prout vulgo fiunt, periculi et scandali plenae sunt, innumerasque animas diaboli laqueis irre-

---

(1) Cum in foederatis Americae septentrionalis Statibus usus inceperat catholicas familias convocandi ad choreas quae per multas noctis horas cum conviviis aliisque solatiis protrahi consueverant, ut catholici se mutuo cognoscerent et amoris charitatisque vinculis intimius unirentur, simulque ut subsidia pro hoc

tiunt; et in hoc ludendi genus unanimiter invehuntur sancti Patres. Attamen choreae non aeque omnes idem malum aut periculum perferunt.

Principia. — I. Choreae, *per se*, etiam inter diversi sexus personas, non sunt illicitae, si fiant honesto modo, id est, remoto omni tactu, gestu, aut actu impudico. — Ratio est, quia choreae per se indifferentes sunt, nec ulla lege prohibentur. *Ita communiter. S. Alph., l.* 3, *n.* 429.

II. Choreae inhonestae ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantuum, possunt esse graviter illicitae, ut patet. — Inter illas autem a multis recensentur saltationes recentiores, quae hispanice dicuntur *el walz*, *la mazurka*, *el galop*, *la polka*, *el schotisch*, et *la americana* vel *habanera*, in quibus periculum augeri videtur eodem ordine quo hic recensentur.

Periculum ex duplici praesertim capite oritur, nempe ex corporum viri et feminae intima conjunctione, et ex eo quod ambo saltantes veluti deperditi in saltantium turba, et sibi solis relicti, majorem libertatem habeant verba minus casta proferendi, quum omnia adjuncta incitamentum praebere videantur: et quo saltantes invicem familiariores sunt, eo periculosiores evadunt hujusmodi saltationes.

Saltationes vero quae hispanice appellantur *de cuadro* (v. gr. *rigodón*, *lanceros*, *minuete*, etc.), utrumque periculum satis removent, cum minimam conjunctionem corporum admittant, et aliunde exigant non solum magnam attentionem, ut juxta artem saltatio procedat, sed etiam concursum plurium saltantium, ad figuras, ut ajunt, perficiendas (*combinación de las figuras*). Ita *viri docti simul ac pii.* — At confessarii erit judicare de particularibus casibus ex modo, circumstantiis, gravitate motivi, etc.

III. In praxi generatim choreae quaelibet inter personas diversi sexus impediendae sunt, quantum fieri potest; quia prout haberi solent, plerumque periculosae sunt.—Hinc parochi et confessarii subditos et poenitentes ab illis, quantum fieri potest, avertere debent. *Ita còmmuniter* nostrae aetatis doctores, et animarum directores.

327. **Resolves:** — 1.° Qui ita infirmi sunt, ut grave peccandi periculum subeant in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent; nisi forte aliquando quaedam necessitas urgeat, et saltem probabiliter absit consensus periculum.

---

illove pio opere necessaria compararentur, ita ut praesiderent non raro ipsi ecclesiarum rectores vel parochi, S. C. Consistorialis, probante Benedicto XV, decrevit «sacerdotes quoslibet sive saeculares sive regulares aliosque clericos prorsus prohiberi, quominus memoratas choreas *promoveant et foveant*, etiamsi in piorum operum levamen et subsidium, vel ad alium quemlibet pium finem; et insuper clericos omnes vetari, quominus hisce choreis *intersint*, si forte a laicis viris promoveantur» (*Acta*, VII, *pag.* 147, 148).

2.° Modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate, vel ex status sui decentia, sine probabili peccandi periculo, nullum est peccatum; quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quae sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, decenter saltando, puellae matrimonio destinatae, quae a choreis in domo paterna, vel apud vicinos aut cognatos ductis, abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

3.° Imo interesse choreis honestis, etiam absque necessitate, secluso tamen periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus etiam in choreis inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum imminet. Hi autem, quamvis a saltationibus dissuadendi sint, tamen imprudenter ab illis promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigeretur. *Bouvier.*

328. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An haberi tanquam licitae possint choreae cum larvis?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Experientia enim constat, hujusmodi ludos illecebras esse ad libidinem, et causam efficacem impudicitiae. Attende tamen ad varias circumstantias, et ad rationem majoris vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest.

Quaer. 2.° *An possint absolvi qui nolunt promittere, se choreas derelicturos?*

Resp. 1.° *Neg.*, si illis sit occasio peccandi *proxima*, et indiscriminatim choreis *etiam inhonestis* interesse velint. Impossibile enim est generatim, quempiam saepe versari in istis consortiis levissimae et corruptissimae juventutis utriusque sexus, et impura contagione non infici. *Ita communiter.*

Resp. 2.° *Affirm.*, generatim, si tantum choreis *honestis* intersint, v. gr. si quando auctoritate publica celebrantur, vel in nuptiis cognatorum aut amicorum, vel etiam die festo patroni loci: in hujusmodi casibus, qui impediri nequeunt, confessarius prudenter dissimulabit; neque enim hac de causa poenitentes a sacramentis removendi sunt. *Ita Bouvier*, De VI praecept., *c.* 4, *art.* 3, *et alii.*

Quaer. 3.° *An possint facile absolvi qui interdum ducunt choreas inter cognatos et amicos?*

Resp. Affirm., saltem generatim loquendo, si choreae fiant adstantibus piis parentibus, aut aliis, qui aetate et moribus sint conspicui. Tales enim ludi non videntur per se graviter periculosi; et aliunde vix aut ne vix quidem impediri possunt, praesertim cum nullam mali speciem prae se ferant. Excipe, nisi alicui etiam ibi proxima adsit peccandi occasio.

Quaer. 4.° *An vel quaenam sit culpa apprehendere manum mulieris in choreis?*

Resp. Si aprehendatur leviter de more in choreis honestis, nulla est *per se* culpa aut ad summum venialis est, quia in hoc generatim nullum vel leve periculum libidinis adest. Ita *S. Alph., cum aliis, l.* 4, *n.* 429.

Si autem affectu pravo manus mulieris apprehenderetur aut perstringeretur, culpa levis aut gravis foret pro affectus pravitate, aut etiam pro minori majorive periculo consensus in peccatum.

329. — Quaer. 5.° *An publice in praedicatione choreas reprehendere expediat?*

Resp. Neg., generatim, in iis locis ubi sunt in usu, et reputantur quid indifferens; quia concionator nihil proficeret, et saltantes a concionibus simul et a sacramentis averteret. Expedit igitur, ut concionatores, praesertim parochi, agant *indirecte* tantum in choreas, et *directe* in peccata, quae in eis committi solent. Caveant autem, ne imprudenter notis infamiae afficiant tum saltantes, tum alios ad choreas concurrentes, nec minitentur, tales tempore paschali ad sacram mensam non fore admittendos. — V. **Casus**, *n.* 223 *et seq.*

IV. *De spectaculis.*

330. — De spectaculis, seu ludis, quae per mimos sive per histriones repraesentari solent, idem fere dicendum erit ac de choreis. Quare haec pauca subjicere sufficiat.

Principia.—I. Spectacula *per se* non sunt mala, nec proinde illicita; nulli enim legi, nec naturali, nec positivae, sive divinae, sive humanae adversantur.—Unde si res turpes in eis non repraesentarentur, et aliunde abessent circumstantiae libidini fomentum praebentes, nullatenus reprobanda forent. *Ita communiter. S. Thom.*, 2, 2, *q.* 168, *art.* 3.

II. Spectacula, in quibus repraesentantur res notabiliter turpes, vel in quibus apparent personae diversi sexus habitu notabiliter indecenti, generatim loquendo graviter illicita sunt, quia tam actoribus quam spectatoribus noxia sunt.

Hodie hujusmodi licentia adeo frequens est, ut professio scenicae artis corporum prostitutionem publicam fere constituat. Ita *Dr. Blanc*, La sífilis plaga social, *pag.* 30.

Attamen cum illicitum generatim non sit, justa et proportionata exstante causa, alicui se periculo exponere, praesertim si salutaribus praesidiis quis, uti par est, se communiat, idcirco excusari possunt tum milites qui adesse tenentur ad invigilandum, tum servi qui gravem indignationem dominorum paterentur, si adesse renuerent, etc. *Scavini.*

331. **Resolves**:—1.° Non peccat mortaliter, qui praeciso scandalo interest comoediae non graviter turpi, nisi forte experientia

sciat, se hujusmodi ludis vehementer ad libidinem cum proximo consensus periculo commoveri, adeo ut spectaculum sit ipsi proxima peccandi occasio. *S. Alph.*, De VI praec., *n.* 472.

2.° Si in comoediis repraesentarentur res notabiliter turpes, aut turpi modo, mortale quidem esset illas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus, veniale autem ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem (*S. Alph., ibid.*), quod facile aderit in adolescentibus, vel in aliis parum timoratae conscientiae, et nisi adsit scandalum; quod plane adesset, si comoediis turpibus interessent clerici et religiosi, uti advertit *Bened. XIV, S. Alph.*, Hom. apost.. *tract.* 9, *n.* 10.

3.° Merito *Holzmann* et *Lacroix*, propter scandalum aliorum damnant de mortali tum eos, qui pecunia aut plausu cooperantur ad comoedias notabiliter turpes; tum eos quoque, qui eas impedire tenentur, et cum commode possint, non impediunt; *a fortiori* autem eos, qui illas repraesentant. *S. Alph., in op. magno.*

PUNCTUM II

De cooperatione.

SECTIO I

De cooperatione in genere.

332. Definitio. — *Cooperatio* in genere est concursus cum alio principaliter agente. — Prout autem charitati adversari potest, est participatio quaedam ad actionem pravam alterius; charitas enim exigit ut aliorum peccata impediamus, atque adeo ne opera nostra ad peccandum alios coadjuvemus.

Divisio. — Distinguitur cooperatio:

1.° *Immediata*, vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexionem aliquam habentes.

2.° *Proxima*, vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius cum prava alterius actione connectitur.

3.° *Positiva*, vel *negativa*, prout cooperans vel ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. gr. eum adjuvando, vel omittit actum debitum, v. gr., si non obstet, cum obstare deberet.

4.° *Formalis*, quae concurrit ad malam voluntatem alterius, i. e., quae ea intentione sive explicita, sive etiam *implicita* (nempe opus ponendo *suapte natura* ad pravam actionem ordinatum) praestatur, ut principaliter agens pravum suum finem assequatur: et nequit esse absque peccato; vel *materialis*, quae concurrit tantum

ad malam actionem alterius sine ulla intentione cooperandi ad peccatum. Cfr. *Marc, n.* 517; *Lehmk., n.* 646.

Datur etiam cooperatio *directa* vel *indirecta*, *physica* vel *moralis*, ut dictum est ubi de voluntario in se et in causa. De act. hum., *nn.* 56 *et* 58.

Cooperatio fit praecipue novem modis, scilicet jubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum praebendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Hinc versiculi:

> Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
> Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Vide dicenda in *tractatu de justitia*.

Principia. — I. Certum est, nunquam licere cooperationem formalem, cum haec moraliter influat in peccatum alterius, et proinde sit illius causa moralis. *S. Alph., n.* 63.

II. Res, quae nullum alium usum nisi pravum habere possunt, uti sunt v. gr. involucra organi masculini, uterus membranaceus et alia hujusmodi ad copulam onanisticam, medicinae unice inservientes ad spermatozoida occidenda (cfr. *vol.* 2, ubi De onanismo in particulari) et alia similia nunquam licet sub ullo pretextu nec conficere nec vendere, nec earum usum aliis consulere, quia hoc esset *formaliter* cooperari peccato aliorum.

III. Cooperatio materialis licita est, dummodo actio sit per se bona vel saltem indifferens, adsitque causa justa et proportionata ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus ad peccati exsecutionem. — Ratio est, quia cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad peccatum exsequendum, non teneris nisi ex charitate illud impedire; et cum charitas non obliget cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa non peccas; neque enim peccatum illius provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia ipsius qui tua actione abutitur. *S. Alph., ibid.* — *Vid. dicta n.* 60.

IV. Eo major requiritur ratio ad cooperandum, quo propinquior et major est cooperatio, — quo probabilior et pejor est effectus secuturus, — quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, — quo magis peccatum justitiae vel charitati repugnat.

333. Resolves: — 1.° Nunquam peti potest, quod sine peccato concedi nequit, ut violatio obligationis alicujus, v. gr. a notario aliquid officio suo oppositum. Intellige quando malitia se tenet ex parte actus, non autem si mere ex parte agentis, uti patet *ex resolv.* 3.°

2.° Non licet obscena pingere, nisi quid ejusmodi pingere necesse sit, v. gr. ad scientiae anatomicae aut obstetriciae praesi-

dium; nec licet furi terga servare, quia est influere in pravam furis voluntatem. *S. Alph., n.* 571.

3.° Licet petere mutuum ab usurario, sacramenta ab indigno ministro, juramentum ab eo qui forte pejeraturus est, modo adsit justa causa. *S. Alph., nn.* 77, 79.

4.° Non licet advocare ministrum acatholicum ut ab eo infirmus acatholicus *religionis auxilia et solatia* accipiat; sed oportet in casu passive se habere. *S. Off.*, 15 mart. 1848. Vide **Casus**, *n.* 202.

Aliquando tamen ob *gravem* causam licebit dicere ministro haeretico: «talis infirmus vult te alloqui». *Villada*, Casus, II, *cas.* 3, *nn.* 33 *et* 37; *Lehmk.*, I, *n.* 652; *Génicot*, I, *n.* 201, V.

SECTIO II

De cooperatione in particulari.

Sicilicet praecipue 1.° quoad famulos; 2.° quoad operarios; 3.° quoad mercatores; 4.° quoad caupones.

Ex principiis supra positis colligi plerumque potest, quandonam famuli et alii peccatis dominorum, sociorum, aut aliorum cooperari possint, vel non. Plura tamen dubia ad majorem rerum perspicuitatem solvenda sunt. Hinc

I. *Quoad famulos.*

334. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An possit famulus,* metu mortis *aut mutilationis, subjicere humeros hero ad fornicandum ascendenti?*

Resp. Affirm., probabilius, quia non ponit actionem intrinsece malam. (*S. Alph., nn.* 66, 68). Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si quid aliud ejusmodi timeat. (*Scavini*). Idem resolve in similibus.

Quaer. 2.° *An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?*

Resp. Communius affirmant, modo adsit alius, qui, non aperiente ipso, aperiat. *S. Alph., n.* 66. — Haec circumstantia enim cooperationem satis remotam facit.

Plures tamen contendunt, nunquam licere ostium meretrici aperire, et innituntur propositione sequenti 51, ab Innoc. XI damnata: *Famulus qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* — Sed haec verba *aperiendo januam* intelligi manifesto debent de aperienda per vim aliena domo, ut ex contextu patet. Praeterea damnabilis est haec propositio, quae cooperationem le-

vissima etiam de causa permittebat, scilicet ne famulus etiam *torvis oculis* aspiceretur.

In civitatibus, in quibus, vitandi majoris mali causa, permissum est usurarios vel meretrices degere, licet domum hisce locare, maxime si alii conductores desint, aut illis alias aedes conducere facile sit; nisi tamen meretrices graviter noceant vicinis honestis, vel ob situm domicilii majorem ansam ad peccandum praebeant. *S. Alph., n.* 70.

335. Quaer. 3.° *An possit famulus ratione famulatus sternere equum domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?*

Resp. Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici. Sed juxta S. Alph., *probabilius*, nisi grave damnum immineat, non permittendum ipsi foret comitari herum ad locum, ubi peccatum est patrandum, quia propior est cooperatio. *S. Alph., n.* 64, et in Retract., *n.* 10. — Sánchez vero et Salmanticenses existimant sufficere in casu rationem famulatus, etiam sine gravi metu, nisi herus, non comitante famulo, peccatum vitaret. *Sánchez*, Dec., *lib.* 1, *cap.* 7, *n.* 32; *Salm., tr.* 21, *c.* 8, *n.* 72. — In hac ultima hypothesi non liceret sine causa valde gravi. Supponimus hic, sicut in omnibus his quaesitis, famulo de prava domini intentione moraliter certo constare.

Unde nec licet famulo sine causa valde gravi herum ad peccandum comitari, si hic animosior ex comitatu redderetur, ut habet *S. Alph., n.* 54. — Excusandus autem est famulus, quoties non est certus de pravo animo domini sui. *Vogler, etc.*

Quaer. 4.° *An liceat famulo dona meretrici deferre?*

Resp. Neg., saltem sine causa valde gravi, quia cum haec munera apta sint ad libidinem fovendam, cooperatio proxima est. *Ita communiter.* Imo hoc intrinsece malum reputat *S. Alph., n.* 65, quia per se turpem amorem fovent. — Sed probabilius contradicit *Viva* cum *aliis*, et sententia excusans hos famulos ob gravem metum, est vere probabilis; idem dic in *quaer.* 5.° — *Ball.-P.*, II, *n.* 291; *Sporer*, De V praec., *c.* 1, *n.* 99; *Génicot*, I, *n.* 243; *Bucceroni*, I, *n.* 441.

Quaer. 5.° *An liceat famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre?*

Resp. Neg., nisi adsit ratio valde gravis. Imo juxta *S. Alph., n.* 68, nunquam licet, etiam posita gravissima causa, quia (ut ait) hoc intrinsece malum est. — Oppositum tamen docet *Vogler* cum aliis. — Ceterum famulus non tenetur inquirere, quid in litteris contineatur.

Porro quae de famulis dicta sunt, fere aliis inferioribus, aut subditis, v. gr., filiis, uxoribus, etc..., applicanda sunt.

II. *Quoad operarios.*

336. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An liceat operariis theatra aedificare, ornare*, etc...?

Resp. 1.° Quoad aedificationem videtur generatim licere, etsi gravis alia ratio desit; ratio, quia licitum est principibus spectacula permittere.

Resp. 2.° Quoad ornamenta et alias actiones ab operariis praestandas pariter licitum videtur, si haec in se honesta sint, quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa.

QUAER. **2.°** *An liceat operariis aedificare templa haereticorum?*

Resp. 1.° *Neg.*, absolute, si hoc postuletur ab haereticis in odium religionis, *vel* si agatur de aedificando templo iis in locis in quibus nondum exstant haereticorum templa. Hoc enim in casu regulariter *graviter* peccant architecti, conductores, opificum domini qui curam et operam suscipiunt ad exstruendum et ornandum aliquod templum haereticorum; facilius excusari a peccato possunt opifices subalterni, modo absit scandalum, nec in contemptum religionis agant. Cfr. Instr. *Card. Vic.* ad paroch. *Urbis*, an. 1878, *n.* 6; *Lehmk.*, I, *n.* 658 cum nota; *Génicot*, I, *n.* 237. «Idem fere valere videtur de *solis aedibus* francomurariorum, etc.», ait *Lehmk.*, l. c.

Resp. 2.° *Affirm.*, in alia hypothesi, quando gravis causa urgeat, secluso tamen scandalo et quovis religionis contemptu. Quod intellige etiam de *templis mahumetanorum*. (*S. C. de P. F.*, 21 nov. 1837; 26 sept. 1840: *Coll. de P. F.*, *nn.* 1733, 1734).

N. B. 1.° Quae diximus de templis aedificandis applicanda sunt *cooperationi* quae detur *per pecuniam* ad hujusmodi templa sive exstruenda sive reficienda. 2.° Excusari generatim a peccato videntur deputati qui suffragantur subsidiis sive pro templis sive etiam pro cultu haereticorum cum quibus permixti vivunt, si id faciant ad majora mala cavenda, et non ut haeresi faveant. Si enim debita servetur proportio, vix aliud faciunt quam haereticorum pecuniam per vectigalia obtentam ipsis haereticis transmittere. *Génicot*, l. c.

337. QUAER. **3.°** *An liceat idolorum templa aedificare, aut eorum fabricae cooperari?*

Resp. Neg. Imo quum id fere semper habeatur ut factum protestativum falsi cultus, nec metu mortis licitum esse videtur. (*S. Inq.*, 8 jan. 1851, et 7 dec. 1626: *Coll. de P. F.*, *n.* 1748).

Attamen christianis qui permixtim cum infidelibus vivunt, quique edicto regis coguntur aedificare idolorum templa, licitum est *ex gravi causa et remoto scandalo* pacisci cum paganis quod ipsi facient in oppido aliquam specialem partem operum publicorum et licitorum, modo pagani pro omnibus tractent negotia supersti-

tionum cum *mandarinis*, christianos non prodant nec inquietent, sed liberos relinquant a rebus superstitionis peragendis. Requiritur ut christiani hanc libertatem tantum intendant, *minime vero ut pagani loco ipsorum superstitiosa peragant. S. C. de P. F.*, 21 jul. 1841: *Coll de P. F., n.* 1735.

Quaer. 4.° *An liceat conficere statuas falsorum deorum?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si haec non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, aedificiorum, etc.

Resp. 2.° *Neg.* omnino, si sint pagano tradendae..., etc. — *S. Alph., n.* 69.

338. — Quaer. 5.° *An liceat captivis christianis ex gravi metu remigare in triremibus infidelium contra catholicos?*

Resp. Affirm.; nam non faciunt quid intrinsece malum, nec christianis proxime perniciosum; aliunde ex gravissima causa ad remigandum impelluntur, ut patet. *S. Alph., n.* 73, etc.

Quaer. 6.° *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?*

Resp. 1.° Generatim non videtur licitum esse immediate cooperari impressioni talium librorum, v. gr. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, etc..., quia hoc intrinsece quidpiam materialiter malum est. Attamen, in casu gravissimi detrimenti, ad breve tempus tale praestari posse judicat *Laymann*, De charitate, *c.* 13, *n.* 4, ductus ea ratione quod talis cooperatio non videtur per se mala. (*Ibid.*)

Resp. 2.° Licet autem gravi de causa cooperari mediate, seu remote, v. gr. atramentum vel chartam praeparare, aut libros impressos ordinare. — *Ita communiter.*

Quia vero multoties operarii vix scient an opus bonum sit vel pravum, melius videtur distinguendum, inter officinas in quibus fere nihil nisi prorsus malum editur, et illas in quibus res non ita aperte malae, vel partim bonae et partim malae excuduntur. Primas tenentur proximi cooperatores per se sub gravi deserere: tamen ex gravissima causa possent ad breve tempus manere, ut diximus in R. 1.°; alteras vero cum gravi damno deserere nec ipsi proximi cooperatores teneri videntur. *Villada*, Casus, I, *cas.* 5, *nn.* 2, 3, 20 *seq.*; *Génicot*, I, *n.* 240, 4.°, a.

Proximis cooperatoribus aequiparandi sunt publice (v. gr. per vias) libros vel ephemerides vendentes. Cfr. cit. Instr. *Card. Vic.* ad Parochos *Urbis;* sed nota illam non ubique vim retinere, cum adjuncta non sint eadem.

III. *Quoad mercatores.*

339. **Regulae.** — *Prima.* Licet vendere res indifferentes, aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris; quia malum non est praesumendum.

Secunda. Non licet vendere res indifferentes, quando *certo* cognoscitur emptorem illis male usurum esse, nisi denegari absque gravi incommodo non possint.

Tertia. Non licet vendere res, quae ex institutione sua vel usu sint destinatae ad malum, nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset. *Vogler, n.* 315..., etc.

Resolves: — 1.° Licet artificibus vel mercatoribus vendere aleas, gladios, fucos..., etc., etsi plurimi his abutantur, quia haec non ordinantur per se ad peccatum, imo saepe bono usui inserviunt, nec simpliciter impediri possunt. *S. Alph., n.* 71, *et in* Retr., *n.* 14.

2.° Licet vendere ornamenta honesta puellae, quibus illa est abusura, si secus venditor grave damnum sit passurus, *vel* si ab aliis puella aeque emeret; quia illa venditio est quid indifferens et remote se habens ad peccatum; aliunde si vendens peccaret, ideo esset quia non impediret peccatum proximi; atqui non tenetur impedire cum gravi suo incommodo, neque cum impedire non potest, quia alius esset qui venderet. Ergo... *S. Alph., n.* 71.—Vide *Sánchez*, De praeceptis Decalog., *l.* 1, *c.* 7, *n.* 12, ubi scite advertit, solutionem harum quaestionum ex consideratione multarum circumstantiarum pendere.

3.° Licet vendere carnes diebus abstinentiae et tempore Quadragesimae, quia venditor de rationibus ementium judicare nequit, nec pertinet ad ipsum de illis inquirere. *Lacroix, n.* 258.

4.° Non licet vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. gr. ad confectionem colorum, medicinae, etc...; quia maxima sequeretur pernicies generis humani, si hoc promiscue liceret. *Vogler, n.* 316.

IV. *Quoad caupones.*

340. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An liceat cauponibus dare vinum iis, qui praevidentur se inebriaturi?*

Resp. Non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum gravis alicujus damni, v. gr. saevitiarum, rixarum, etc..., quia charitas non obligat, ut alterum a peccato avertamus cum gravi incommodo. Item ad praecavendas blasphemias, quae sunt graviora mala. *S. Alph., n.* 69; *Billuart*, De scandalo, *art.* 6.

Quaer. 2.° *An liceat cauponibus dare carnes diebus prohibitis?*

Resp. 1.° Non licet proprio motu sine ratione sufficienti, seu nisi metus damni gravis urgeat.

2.° Licet vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum religionis; ratio, quia difficilius esset inquirere de rationibus cujusque petentis. *Bouvier*, De praec. Ecclesiae, *c.* 3, *art.* 5; *Gousset, n.* 303.

3.° Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis et illicitis struere; quia cum constet plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere, quid velint. *Gousset, ibid.*

341. — QUAER. 3.° *Quomodo agendum cum cauponibus, qui choreas in aedibus admittunt, ut plures alliciant hospites?*

Resp. Generatim ab hoc avertendi sunt, in quantum fieri potest; quia choreae, praesertim quae in cauponis habentur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem praebent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandae sunt circumstantiae et modus ordinarius, quo istae choreae fiunt.

QUAER. 4.° *An liceat dominis hospitiorum, quae vulgo* CAFÉS *dicuntur, quaevis folia publica hospitibus legenda proponere?*

Resp. 1.° Non possunt admittere ea, quae evidenter et ordinarie sunt religioni aut bonis moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant.

Resp. **2.°** Possunt admittere ea omnia, quae de rebus mere politicis tractant, nisi ipsa de rebus politicis tractatio bonis moribus adversetur. Nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod eo quod interdum aliquid minus rectum, ratione habita fidei, contineat, modo generatim religioni non adversetur.

FINIS TRACTATUS DE VIRTUTIBUS

TRACTATUS
De praeceptis Decalogi

Sicut Symbolum epitome est credendorum, ita Decalogus agendorum. Comprehendit enim decem praecepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quae naturalis lex praescribit, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, cetera ad proximum referuntur.

DE I. DECALOGI PRAECEPTO

Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos. Exodi, xx, 2-3.

Hoc praeceptum, qua affirmativum, praescribit imprimis actus religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuitur; qua negativum, prohibet vitia religioni opposita.

CAPUT I

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS

Actus praecipui religionis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, juramentum, et sanctificatio quorumdam dierum... De tribus ultimis dicetur *in* 2.° et 3.° *praecepto.* De sacrificio, in *tract.* De Eucharistia. Hic agitur tantum de adoratione et oratione.

ARTICULUS I

DE ADORATIONE

342. — *Adoratio latius* sumpta est cultus alicui exhibitus ob ejus dignitatem, seu est actus, quo quis propriam subjectionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiae. — Sic dicuntur aliquo modo adorari principes et alii in dignitate constituti; item qui ab aliis specialiter diliguntur.

Adoratio vero *strictius* sumpta est honor Deo exhibitus propter summam ejus excellentiam supremumque dominium.

Hinc distinguitur cultus: 1.° *latriae*, qui Deo debetur, i. e. Sanctissimae Trinitati, singulis ejusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus (*can.* 1255, § 1).

2.° *hyperduliae*, qui B. Mariae Virgini (*Ibid.*).

3.° *duliae*, qui angelis et aliis sanctis (*Ibid.*).

Cultus latriae Deo debetur 1.° de jure naturali ob summam ejus majestatem, ac supremum in creaturas dominium; 2.° de jure divino positivo, ut evincitur ex innumeris Sanctae Scripturae textibus, v. gr. Matth., IV, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Cultus potest esse etiam *directus*, vel *relativus*, prout vel Deo ipsi aut sanctis defertur, vel imaginibus aut iis, quae cum illis specialem habent relationem. Unde in canone 1255, § 2: «Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur.»

Potest esse etiam *publicus*, vel *privatus*. Dicitur *publicus* «si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, sanctis ac beatis tantum exhibendos». Secus dicitur *privatus* (*can.* 1256).

Adnotanda de cultu et reliquiis sanctorum.

«Bonum atque utile est Dei servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed prae ceteris, filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi» prosequi debent (*can.* 1276).

343. — Homines qui e vita cesserunt cum sanctitatis fama, cultu *publico* honorari nequeunt (ex vigenti disciplina) nisi in album sanctorum vel beatorum a Summo Pontifice adnumerati fuerint (*can.* 1277, § 1). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 669 *seq.*; 687 *seq.* Sancti coli possunt ubique et quovis actu cultus duliae; beati vero non possunt, nisi in loco et modo, quem Romanus Pontifex concesserit (*can.* 1277, § 2). — Itaque non licet ecclesias aut altaria erigere in honorem sanctorum non canonizatorum, vel saltem non beatificatorum; nec licet eorum reliquias sive imagines publice venerandas exponere, vel in processionibus circumferre. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 697, 698. Licet tamen has imagines vel reliquias asservare privatim, eas reverenter osculari, etc.; quia talis cultus est omnino privatus.

Non possunt apponi aureolae, seu radii imaginibus defunctorum. licet communiter habeantur ut sancti, nisi ab Ecclesia beatificati fuerint; itemque nec lampades ad eorum sepulcra appendere licet. Cfr. *Ferreres*, l. c. — V. **Casus**, *n.* 447.

«Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores

consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni.» S. R. C., 14 aug. 1894, conf. a Leone XIII, 27 ejusdem mensis et anni: *D. auth. n.* 3825.

344. Quaesita. — Quaer. 1.° *Ubinam reliquiae asservari possint?*

Resp. 1.° Reliquiae *insignes* (1) sanctorum vel beatorum nequeunt in aedibus atque oratoriis privatis adservari, sine expressa Ordinarii loci licentia.

Resp. 2.° Reliquiae *non insignes* debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt (*can.* 1282).

Quaer. 2.° *Quaenam reliquiae in ecclesiis publice honorari possunt?*

Resp. Publico culto eae solae reliquiae in ecclesiis, quamquam exemptis, honorari possunt, quas *genuinas* esse constet *authentico* documento S. R. E. *Cardinalis*, vel *Ordinarii loci* (non sufficit Vicarii Generalis, sine mandato speciali), vel *alterius* viri ecclesiastici, cui *facultas authenticandi* indulto apostolico concessa (*can.* 1283).

Quaer. 3.° *Ubinam reliquiae beatorum exponi possunt?*

Resp. Beatorum reliquiae, sine peculiari indulto, *in processionibus* circumferri non possunt, neque *exponi* in ecclesiis nisi ubi eorum officium et missa celebratur ex Sedis Apostolicae concessione (*can.* 1287, § 3).

Quaer. 4.° *Quomodo reliquiae sunt exponendae?*

Resp. Exponi debent in capsis clausae et obsignatae seu thecis. Reliquia tamen SSmae. Crucis exponi semper debet in theca propria et separata, in qua nullae aliae sint reliquiae (*can.* 1287, § 1 et 2).

Quaer. 5.° *Quid si authenticitatis documenta amissa sint sive propter civiles perturbationes, vel ob aliam causam?*

Resp. 1.° Tunc publicae venerationi exponi nequeunt nisi praecedat judicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali (*can.* 1285, § 1) 2.° Quod si agatur de reliquiis quae jam ab antiquo in veneratione sunt, in eadem veneratione retineri debent, nisi in aliquo peculiari casu *certis* argumentis constet eas falsas vel suppositias esse (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Insignes sanctorum vel beatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva (*can.* 1281, § 2).

345. Resolves: — 1.° Non licet *vendere* sacras reliquias (*can.* 1289).

2.° Imo *a*) *insignes* reliquiae aut imagines *pretiosae* itemque *b*) aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia *magna populi veneratione* honorentur, nequeunt valide *alienari* neque in aliam ecclesiam *perpetuo* transferri sine Apostolicae Sedis permissu (*can.* 1281, § 1).

3.° Rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilare debent ne sacrae reliquiae ullo modo *profanentur*, neve hominum incuria *pereant*, vel minus decenter *custodiantur* (*can.* 1289, § 2).

4.° Non licet maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis quaestiones agitari de authenticitate sacrarum reliquiarum *ex meris* conjecturis, ex solis *probabilibus* argumentis (*can.* 1286).

De imaginibus sacris.

346. Non licet ponere vel ponendam curare ullam *insolitam* imaginem in ecclesiis, etiam exemptis, vel aliis locis sacris, nisi ab Ordinario *loci* sit approbata (*can.* 1279, § 1). Ordinarius non potest approbare imagines publicae venerationi exponendas quae, *in forma et modo repraesentandi*, cum probato Ecclesiae usu non congruant (*Ibid.*, § 2); nec illas quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant **aut** rudibus periculosi errores vel falsi dogmatis occasionem praebeant (*Ibid.*, § 3).

Quaesita. — Quaer. 1.° *Cui competit benedicere imagines, publicae venerationi exponendas?*

Resp. Ordinario, qui tamen potest hanc facultatem cuilibet sacerdoti committere (*Ibid.*, § 4). Unde si imagines exponendae sint *in ecclesiis regularium exemptorum*, ab eorum Ordinario, non ab Ordinario loci erunt benedicendae.

Quaer. 2.° *Quid requiritur ut imagines vetustate, arte, aut cultu praestantes*, **restaurari** *possint?*

Resp. Etsi restauratio videatur necessaria, haec fieri non potest nisi licentia *in scriptis* obtineatur *ab Ordinario;* qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulere debet (*can.* 1280). Ordinarium intellige ut in quaer. praecedenti.

ARTICULUS II

DE ORATIONE

347. — Definitio. *Oratio latius* sumpta, est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animae affectus in Deum et in supernaturalia. Sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 83, *art.* 1; *S. Alph., in princ. hujus tract.*

Divisio. Est 1.° *mentalis*, vel *vocalis*, prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus etiam ore exprimuntur;—2.° *privata*, vel *publica*. Oratio publica est ea quae ab Ecclesia instituta est et fit ejus nomine a persona ad id ab Ecclesia deputata; privata vero illa est quae fit nomine et auctoritate propria cujusque fidelis. Aliquando tamen vocatur publica oratio quae fit in loco publico, v. gr. in ecclesia vel publico oratorio, maxime si fiat a multis ita ut ab omnibus percipi possit; quo in sensu recitatio officii divini facta a sacerdote extra chorum, privata dici solet. Cfr. *Wernz*, l. c., III, *n.* 557; *Noldin*, l. c., *nn.* 140, 136.

Principia. — I. Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate *praecepti*, imo probabilius necessitate *medii*.—**1.°** Evincitur ex innumeris sanctae Scripturae locis, v. gr. Marc., XIV, 38: *Vigilate et orate.* — Luc., XVIII, 1: *Oportet semper orare et non deficere:* ratio praecepti desumitur tum ex obligatione Deum colendi, tum ex propria hominis indigentia. — 2.° Quia oratio est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas: *Petite et accipietis.* Joann., XVI, 24. — *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 1.

II. Praeceptum orandi obligat *frequenter*, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanae imbecillitati impossibile est. — Verba igitur, *Oportet semper orare*, ex communi doctorum interpretatione significant, frequenter orandum esse tempore oportuno, et nunquam cessandum ex taedio, torpore, animi dejectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

III. Oratio *debitis* praedita *conditionibus* efficaciam habet *infallibilem* ex Christi promissione. Luc., XI, 10: *Omnis qui petit, accipit*, etc. — Joann., XVI, 23: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Conditiones autem requisitae sunt, ut fiat 1.° pie, devote et attente; — 2.° cum perseverantia; — 3.° cum humilitate et fiducia; — 4.° de rebus necessariis vel utilibus.

Temporalia non debent postulari nisi cum conditione, saltem implicita, nempe quatenus ad animae salutem conferre possunt.

348. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *Quandonam urgeat praeceptum orationis?*

Resp. 1.° Urget *per se* frequenter, ita ut non possit omitti per notabile tempus sine peccato: ex communi sententia tempus *mensis unius* notabile reputatur. *Suárez*, *Lessius*, etc. — Rigidiores dicunt sufficere hebdomadam ad gravem culpam. Laxiores vero annum integrum requirunt. Ceterum confessarius, ut habent doctores, magis sollicitus esse debet in inculcanda orandi frequenter necessitate, quam in determinanda gravi omissae orationis culpa.

Resp. 2.° Urget *per accidens:* 1.° in gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non possit; 2.° in manifesto mortis periculo;

3.° in publicis calamitatibus; 4.° quoties aliud praeceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. gr., si sacramenta sint recipienda; 5.° quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

349. — QUAER. 2.° *An peccet qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

Resp. Neg., praecise *per se*, si interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla lex est, quae determinatas preces singulis diebus et certis horis praecipiat. Quidam tamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiae et acediae culpam.

Ceterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas saepius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, aliove modo, et sic orationis praecepto aliquando deerunt; tum quia ob pericula, quae quotidie occurrunt, neglecta oratione, in plura peccata labentur.

QUAER. 3.° *Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?*

Resp. Per se peccat venialiter, quoties sine justa ratione voluntarie distrahitur; idque valet, etiamsi oratio fiat absque obligatione, quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. *Elbel, n.* 419.

350. — QUAER. 4.° *Pro quibus sit orandum?*

Resp. 1.° Pro nobismetipsis (juxta 1.am charitatis regulam); 2.° pro omnibus hominibus viatoribus, etiam infidelibus; 3.° pro animabus in purgatorio detentis. Eruitur 1.° ex lege generali charitatis; 2.° ex verbis S. Pauli (I Tim., II, 1-2): *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus*, etc...: nec excipiendi sunt inimici, ut patet ex verbis Christi (Matth., V, 44): *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* «Huic muneri pro omnibus orandi facit satis, qui licet inter orandum nullam aliorum memoriam adhibeat, tamen in precibus, quae non pro se tantum funduntur, cujusmodi sunt *oratio dominica, salutatio angelica*, etc., neminem positive excludit.» *Ball.*, h. l.

QUAER. 5.° *Quosnam praeter Deum orare possumus?*

Resp. Beatam Virg. Mariam, ut mediatricem nostram; angelos ut custodes hominum; omnes sanctos et amicos Dei, aut intercessores nostros apud Ipsum. Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et juxta *Less.*, *Bellarm.*, *Bonac.*, *Elbel...*, idem probabilius dicendum est de animabus in purgatorio detentis.

Invocatio autem sanctorum est de consilio, non vero de praecepto, cum *Trid.*, *sess.* 25, dicat tantum *esse bonum et utile eos invocare.* Valde tamen salutis suae incuriosus videbitur ille, qui nunquam B. V. Mariam invocet, quandoquidem peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta est.

CAPUT II

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS

Vitia religioni opposita sunt: 1.° superstitio, per excessum; 2.° irreligiositas, per defectum.

ARTICULUS I

DE SUPERSTITIONE

Superstitio est vitium religioni oppositum per *excessum*, non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia vel vero Deo exhibetur cultus eo modo quo non debet, vel creaturae cultus soli Deo debitus. — Ita communiter ex *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 92, *art.* 1. Per *defectum* vero religioni opponitur *irreligiositas*, de qua in art. seq.

Cultus superstitiosus vero Deo exhibitus potest esse *falsus*, ut si quis proponat colendas falsas reliquias, et *per se* est graviter illicitus; vel *superfluus*, ut si quis ex importuna devotione orationes in missa multiplicet, et *per se* veniale tantum peccatum continet.

Species superstitionis, quibus creaturae cultus soli Deo debitus exhibetur, sequentibus §§ continentur.

§ I. *De idololatria.*

351. – *Idololatria* est actio, qua cultus soli Deo debitus creaturae tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed quovis honoris signo, quo quis creaturae tanquam Deo se submittere intendit, v. gr. genuflexione. *S. Alph.*, *n.* 12.

Idololatria duplex distinguitur, scilicet: 1.° *Materialis* sive *simulata*, cum quis sine affectu interno, ex gravi metu, cultum idolo exhibet. Diceretur etiam materialis, si procederet ex errore invincibili, v. gr., si quis falso putans hostiam esse consecratam, eam adoraret. In 1.° casu esset peccatum mortale; in 2.° nullum, ut patet.

2.° *Formalis et propria*, quae fit 1.° adorando creaturam, *falso judicans* eam esse Deum; et haec dicitur *perfecta;* 2.° exhibendo cultum daemoni vel alteri creaturae quasi Deo, non ex *errore*, sed aut ex odio in Deum, aut saltem ex animo aliquid a tali creatura obtinendi, et haec appellatur *imperfecta.* Utraque gravem Deo irrogat injuriam. *S. Alph.*, *n.* 13.

§ II. *De vana observantia.*

352.— *Vana observantia* est superstitio, quae media nec proportionata, nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Triplicis est generis, scilicet: 1.° Ars *notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine labore. 2.° Ars *sanitatum*, seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris. 3.° Observantia *eventuum*, qua conjicitur ex consideratione alicujus eventus fortuiti quid faustum vel infaustum futurum sit. *S. Alph.*, *n.* 14.

Principia. — I. Vana observantia est peccatum *grave*, quia honorem divinum creaturae tribuit, dum ab ea exspectat, quod a solo Deo exspectandum est; et quia pacto explicito vel implicito cum daemone nititur. *Veniale* tamen saepe esse potest ex imperfectione actus, ex simplicitate, ex ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit praesertim inter rudes in observantia eventuum. *S. Alph.*, *n.* 15.

II. Vana observantia dignoscitur praesertim. 1.° ex insufficientia causae ad effectum naturaliter producendum; 2.° ex adjunctione vanae vel falsae circumstantiae quasi necessario requisitae; 3.° ex infallibilitate, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus. *S. Alph.*, *n.* 16.

III. In dubio num effectus proveniant a causa naturali an a daemone, tribui possunt viribus naturae; et proinde licitum est illos procurare, quia non constat rem esse malam; consulto tamen praemittitur protestatio contra quemlibet daemonis interventum.—In dubio autem an effectus a daemone vel a Deo producantur, si certo constet eos a causa naturali provenire non posse, daemoni tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus, necne. *S. Alph.*, *n.* 20; *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 96, *art.* 1, *et alii communiter.*

353. **Resolves:** — 1.° Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucum vel oratianum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos... etc. *S. Alph.*, *n.* 17.

2.° Item qui gestant quasdam orationes ad *S. Birgittam* aut alias preces, effectum omnino *infallibilem* ex ipsis exspectantes. —Non tamen vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut reliquias sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse. *S. Alph.*, *ibid.*

3.° Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam fau-

stos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas exinde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas... etc. *S. Alph., ibid.*

4.° Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, caedendis arboribus aptiora, etc..., nec res sacras, aut verba S. Scripturae gestare ad honorem Dei vel sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia, quae devotionem augere possunt, modo *vis infallibilis* ipsis non tribuatur. *S. Alph., ibid.*

5.° Nec ullatenus superstitiosum, quinimo valde religiosum ac pium est recitare preces novendiales, aut toties preces iterare in cultum Domini nostri, vel B. Virginis, alicujusve sancti, modo vis *infallibilis* tali numero, certae diei, aut fixo tempori non adnectatur. *S. Alph., ibid.* — V. **Casus**, *n.* 253.

§ III. *De divinatione.*

354. — Definitio. *Divinatio* est inquisitio occultorum *ope daemonis.*

Divisio. Est 1.° *expressa*, si fiat per invocationem expressam daemonis; 2.° *tacita*, si illa invocatio sit tantum in mediis improportionatis.

Varia distinguuntur divinationis genera, cujusmodi sunt praesertim: 1.° astrologia judiciaria ex astris; — 2.° augurium ex garritu avium; — 3.° auspicium ex earum volatu; — 4.° aruspicium ex visceribus animalium; — 5.° chiromantia ex lineis manus; — 6.° geomantia ex signis in terra; — 7.° omen in fortuito casu; — 8.° necromantia ex invocatione mortui; — 9.° oniromantia ex somniis; — 10.° sortilegium ex sortibus; — 11.° oraculum ex idolis; — 12.° vaticinium ex vatibus aut chartis. *S. Alph., nn.* 5, 6.

355. **Principia**. — I. Divinationi tribuendum est quidquid occulti cognoscitur alio modo quam per revelationem, aut per media naturalia; non enim aliud datur medium res occultas investigandi. — In dubio autem utrum cognitio ex mediis naturalibus oriatur, necne, num a bono an a malo spiritu, applicandae sunt regulae supra de vana observantia expositae.

II. Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, ne per ignorantiam quidem; patet enim pactum cum daemone esse quid gravissime illicitum.

Constat aperte ex Scriptura sacra. Sic enim Deut., xviii, 10-12: *Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia haec abominatur Dominus.* — Et Levit., xx, 6: *Anima quae declinaverit ad magos, et*

fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam de medio populi sui.

III. Divinatio autem tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam, vel ob defectum fidei certae. *S. Alph., n.* 7; *Voit, n.* 416.

356. **Resolves:** — 1.° Non vacat culpa gravi qui utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum daemone commercium intendere; agit enim contra suam protestationem, et daemonem implicite invocat, cum nec Deus, nec angeli talibus se immisceant. Secus tamen in dubio, an effectus habeatur a causa naturali, ut de vana observantia dictum est. *S. Alph., n.* 8; *Lacroix, Bonacina,* etc. .

2.° Distinguendi sunt sedulo effectus naturales a liberis: priores enim saepe conjici possunt, uti v. gr. ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu conjicitur tempestas, pluvia vel caeli serenitas, etc.: experientia enim constat, inter haec naturalem adesse connexionem; secus vero de posterioribus dicendum.

3.° Indoles aut animi status interdum aliquo modo ex colore vultus vel aliis signis externis conjici potest, etsi in praxi plerumque a talibus conjecturis sit abstinendum ob judicii temerarii periculum; actus vero liberi, sive praeteriti sive futuri, nunquam certo cognosci possunt.

4.° Peccant graviter, qui de fortuna seu vita sua futura a vatibus inquirunt (hispane *hacerse decir la buenaventura, hacerse echar las cartas*), nisi ex simplicitate, joco aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant. *S. Alph., n.* 10; *Sánchez,* etc.— Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt. *Ita Reuter, n.* 43.

357. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An aliquando licitus sit usus sortium?*

Resp. 1.° Sortes *divisoriae*, quibus discernitur, quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis, vel rebus distribuendis, certo licitae sunt, siquidem omni prorsus superstitione vacant.

Resp. 2.° Sortes *consultoriae*, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitae, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de *gravi negotio,* in quo *aliud consilium desit.* Ratio est, quia ex ordinaria providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes, vel superiores ecclesiasticos recurrendum est.

Resp. 3.° Sortes *divinatoriae*, quibus rei occultae manifestatio inquiritur, v. gr. ex jactu taxillorum, etc., sunt semper graviter illicitae, utpote tacitam saltem daemonis invocationem continentes. Hujusmodi superstitio proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniunt. *S. Alph., n.* 10.

358. — Quaer. 2.° *An liceat futura ex somniis conjicere?*

Resp. Neg. ordinarie, quia somnia fere ex causis naturalibus proveniunt, v. gr. ex humorum commotione, etc... Aliunde somnia a Deo immissa rarissima sunt, et conjunguntur signis, per quae a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint. *S. Alph., n.* 9; *Tamburinius, etc.*

Quaer. 3.° *An licitus sit usus virgae divinatoriae?*

Resp. 1.° Certo est damnandus, quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem ejus, qui eam manu premit, nec movetur in conspectu alterius rei non quaesitae, licet ejusdem sit naturae. Nulla enim est proportio inter rem naturalem et hominis intentionem. Hinc graviter peccant, qui virga utuntur ad furem quaerendum, vel ad lapidem agri limitem detegendum. *S. Alph., n.* 8.

Resp. 2.° Non videtur certo damnandus usus virgae ad detegendas aquas vel metalla, si virga super haec in omni casu aeque moveatur, sive quaerantur sive non quaerantur, maxime si fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse possit, excludaturque omnis animus superstitiosus. *Ita communiter recentiores.* — **V. Casus**, *n.* 263 *et seq.*

§ IV. *De magia et maleficio.*

359. — I. *Magia late* sumpta, seu magia *naturalis* aut *artificialis*, quae magia *alba* vocatur, est ars faciendi mira saltem apparenter per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo daemonis ministerio.

Magia *stricte* dicta, est ars mira faciendi, quae licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius daemonis explicite vel implicite invocati fieri possunt.

II. *Maleficium* est ars nocendi cum daemonis interventu. Duplex distinguitur, scilicet *amatorium* et *veneficum*. Maleficium *amatorium*, seu *philtrum*, est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur. Maleficium *veneficum* est praecise ars proximo nocendi ope daemonis, idque variis modis, v. gr. morbis, hebetudine, etc. *S. Alph., n.* 23.

Maleficium vulgo vocatur *sortilegium*, quia per illud sors mala injicitur iis, contra quos vindicta, per operationem diabolicam, exercetur. Hinc in jure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagae *sortiarii* et *sortiariae* vocantur.

360. **Resolves**: — 1.° Magia non differt a vana observantia, nisi quod ejus effectus sint magis miri, v. gr. immutatio corporum, etc... *Specie* autem morali *nec* a vana observantia *differt*, nec a divinatione; quia parvi refert, utrum a daemone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur.

2.° Maleficium autem *differt specie* ab aliis superstitionibus, quia praeter peccatum religioni oppositum, damnum proximi superaddit.

3.° Maleficium *amatorium* non inducit necessario ad patrandum luxuriae peccatum; quia non tollit libertatem, sed ad libidinem tantummodo vehementer excitat erga aliquam personam determinatam, phantasiam immutando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo. *Reuter.* — *S. Alph., n.* 23.

Quaer. *An peti possit a mago, ut maleficium tollat?*

Resp. Neg., nisi rationabiliter praesumi possit, illud mediis naturalibus auferendum esse. *Ita communiter theologi. S. Alph., nn.* 24 *et* 25.

Magi et malefici incurrunt excommunicationem speciali modo reservatam, si accedit *haeresis formalis* (*can.* 2314); et id facile evenit, quando v. gr. miscent res sacras, diabolum ceu Deum adorant, vel consulunt de iis, quae solus Deus nosse potest, etc. — In veteri Testamento malefici morte plectebantur. Exod., xxii, 18: *Maleficos non patieris vivere.*

Porro parochi, concionatores et catechistae cavere sedulo debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegiis et superstitionibus vulgo incognitis; sed brevem habeant sermonem tantum de iis quae in illa regione nota sunt, ne ea edoceant potius quam ab iis avertant.

Hodie, teste *Berardi* (Praxis, I, *n.* 458), vera maleficia rarissima sunt. Unde confessarius non facile ea credat; et suadeat media naturalia adhibere, et preces ut a Deo remedium calamitatum, quae frequenter maleficiis perperam adscribuntur, obtineant. Nec sinat alium tanquam maleficum facile traduci: qua in re graviter peccari aliquando posse, nemo est qui non videat.

* APPENDIX I

DE MAGNETISMO ANIMALI ET HYPNOTISMO

361. — Magnetismi animalis inventor perhibetur Antonius *Mesmer*, medicus germanus, qui novos quaerens curandi modos, putavit se mirum invenisse remedium variorum morborum in fluxu quodam subtilissimo generatim ex animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili, quem ideo magnetismum animalem nuncupavit. Alii aliis nominibus hujusmodi fluidum designarunt.

Nomine *hypnotismi* (a graeco ὕπνος, somnus) significatur ars vel modus excitandi hypnosim, i. e. statum quemdam (communiter somnolentiae, vel somno simillimum) in quo receptivitas sug-

gestiva ita augetur, ut hypnotizatus repraesentationes atque affectiones, quae sibi ab hypnotizante verbo proponuntur, veluti objectivas habeat, actionesque ab eo imperatas exsequatur. Cfr. *Coconnier, O. P.*, El hipnotismo franco (*versión española*, Toledo, 1898, *pag.* 246).

Hypnotismi parens appellatur *Faria* lusitanus (1814), sed nomen hypnotismi impositum est ab anglo *Braid* (1843).

Plures sunt qui pro una eademque re habent magnetismum et hypnotismum. *Ita Gury, hic; D'Annibale; Arcelin*, Revue des questions scientifiques, *vol.* 48, *pag.* 145; *Il Monitore*, *v.* 7, *p.* 2, *pag.* 130; quibus accedere videtur *Mir* (*Joann.*), El milagro, *l.* 3, *c.* 12, *art.* 1. Alii hypnotismum omnino distinguendum a magnetismo dicunt. *Ita P. Coconnier; S. Herrero*, El hipnotismo y la sugestión, *pag.* 41.

362. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quomodo inducitur hypnosis?*

Resp. Modus hypnosim inducendi multiplex est. *a*) Primus et praecipuus, ad quem reliqui reduci posse videntur, est *suggestio* ex qua somnus persuadetur, somni idea excitata per verba, gestus, etc.

Aliquando sola jussio vel quaedam insinuatio sufficit ad hypnosim adducendam.

b) Inducitur etiam hypnosis excitando in sensibus *vividam impressionem* et consequentem defatigationem, v. gr. ostenso splendenti objecto in quod acie oculorum totoque mentis conatu hypnotizandus intendat.

c) Solet etiam induci ope palpationum, gestuum et attrectationum (*pases*), etiam fixo oculorum obtutu in hypnotizandum, etc. Cfr. *Antonelli*, Medicina pastoralis, I, *n.* 245.

Communissime ut quis, prima saltem vice, in hypnosim inducatur, requiritur consensus ipsius.

Suggestio est actus quo hypnotizans hypnotizato vel hypnotizando, ideam rei, actionis aut affectionis alicujus suggerit vel communicat. Duplex distingui solet: altera qua hypnosis inducitur, altera vero qua homini jam hypnotizato tales ideae suggeri possunt, quae, sine reflexa conscientia, ad nutum agentis ab ipso hypnotizato retinentur et exsequutioni mandantur.

Quibusdam, iis praesertim qui pluries hypnotizati jam sunt, etiam in statu vigiliae suggestio haec secunda fieri potest. *Autosuggestio* habetur cum quis sibimetipsi suggestionem immittit. *Pesch*, S. J., Inst. Psych., II, *n.* 703.

Alii praeterea dicunt esse in corpore quasdam regiones quas *hypnogenas* appellant, quibus tactis vel pressis, hypnosis producitur vel temperatur. Alias vero *hypnofrenatrices* vocant, quia tangere vel premere eas sufficit ut hypnotizatus a somno suo statim revocetur. *Coconnier*, l. c., *p.* 9 *seq.*, *pag.* 63, etc. Cfr. etiam *Antonelli*, l. c.; *Arcelin*, l. c., *pag.* 146. Haec omnia ab aliis hypnotistis negantur.

363. — QUAER. 2.° *Quaenam sunt phaenomena hypnotismi?*

Resp. Sedulo pro re praesenti distinguamus oportet hypnotismum inferiorem, vulgarem seu elementarium, et hypnotismum superiorem, trascendentalem seu lucidum; vel simplicius: inter *hypnotismum* et *occultismum*.

Vulgaris hypnotismi phaenomena. Primum locum inter phaenomena hypnotismi tenet *suggestibilitas* aucta nimis (*Arcelin*, l. c., *pag.* 152), seu dependentia illa, qua hypnotizatus, sub imperio et pro lubitu hypnotizantis, repraesentationes, affectiones motionesque diversas suscipit et exsequitur.

Inde fit, ut pro vario istius imperio, pedem, manum aliudve membrum ille moveat, vel e contra immotum rigidumque servet; surgat pariter vel sedeat, eat, redeat, rideat, ploret, etc.; sensibilitatem sic amittat, ut vel acerbissimos dolores non percipiat (*anaesthesia* et *analgesia*), aut e contra magnopere ipsius sensibilitas intendatur (*hyperaesthesia*). Hinc curationes quorumdam morborum, nervearum praesertim hystericarumve affectionum, quae tamen non raro post aliquod tempus iterum apparuerunt; hinc *hallucinationes positivae*, quibus hypnotizatus, suggerente hypnotizatore, sentire sibi videtur quae non sunt, ut calorem, frigus, etc.; videre quae coram non adsunt; hinc etiam *hallucinationes negativae*, ita ut res praesentes et ante oculos apertos positas non videat, non audiat quae magno strepitu circum ipsum peraguntur, etc.

Rarius evenire videntur, nec nisi in personis valde aptis, vel hypnosi jam assuetis: 1.° *Suggestiones posthypnoticae* (*sugestiones a plazo*), quibus quasi impellente nescio qua vi, hypnotizatus tempore vigiliae et eo ipso tempore quod ipsi indicatum fuerat ab hypnotizatore, v. gr. post annum, experitur impulsum efficiendi id quod ab hypnotizatore, durante hypnosi, praeceptum fuit, idque exsequitur, quamquam post somnum rei sibi imperatae fuerit oblitus. 2.° *Duplicitas personae* seu apparens personalitatis immutatio; dum sc. crisiacus (sic hypnotizatum vocant), puella v. gr., juxta hypnotizatoris suggestionem, nunc se vetulam reputat, nunc militem, vel sacerdotem, eorumque actiones imitari conatur. 3.° *Sanguinis vel humorum effusio* in corporis partibus ab hypnotizatore assignatis. Plura vide, si lubet, apud *Antonelli*, l. c., *n.* 249 *seq.*; *P. Urráburu*, Inst. Phil., VI, *n.* 304, *pag.* 1129 *et seq.*; *P. Joann. Mir*, El Milagro, *l.* 3, *cc.* 10 *et* 12; *D'Annibale*, II, *n.* 38 *et seq.*; *T. Pesch*, l. c., *n.* 702 *et seq.*; *Coconnier*, l. c., *praes. pag.* 380 *et seq.*; *Arcelin*, l. c.

Haec omnia phaenomena, certa esse quoad exsistentiam affirmat *Antonelli*, l. c., *n.* 256.

Superioris hypnotismi phaenomena, quae etiam *occultismum* et *somnambulismum lucidum* audiunt, talia sunt ut vires naturae notas superent; quae tamen in hypnotismo, saltem prout nunc a me-

dicis virisque scientificis exercetur, obtineri negant medici quamplurimi et hypnologi in arte hypnotizandi versatissimi. Cfr. *Mir* (*Joann.*), La Profecía, *lib.* 3, *cap.* 11.

En praecipua: clara cognitio rerum et scientiarum, quae ante hypnosim penitus ignorabantur; quo fit ut crisiacus, rudis licet atque ignarus, de rebus difficillimis acute sapienterque disserat, lingua loquatur sibi ante prorsus ignota; morborum, etiam occultissimorum sedem, indolem, remedia detegat; nec propriorum modo, sed etiam alienorum, imo et absentium quorum vestes ex. gr., vel capilli aliquot ipsi exhibentur. Item notitia eorum quae actu in remotissimis locis fiunt; futurorum etiam liberorum praedictio, cognitio secretorum alienarumque cogitationum, quin sensibili ullo signo manifestentur; vera sensuum transpositio, ita ut pede ex. gr., videat, audiat, olfaciat, etc.; effectus suggestionis mere internae, et similia. Nota tamen aliqua ex his phaenomenis a pluribus non improbabiliter viribus naturae tribui. Cfr. *Gury-Ferreres*, **Casus**, I, *n.* 275.

N. B. 1.° Phaenomena *hypnotismi* in plures status dividi solent, sed non omnibus eadem divisio placet. Alii enim *quinque* status distinguunt: 1 somnolentiae, 2 levis somni, 3 somni profundioris, 4 profundissimi, 5 somnambulismi. Alii *sex*, alii *novem* ponunt. Charcot *tria* stadia distinxit, sc. *a*) catalepsiae, *b*) lethargiae, *c*) somnambulismi. Vide *Antonelli*, l. c., *n.* 248; *T. Pesch*, l. c., *n.* 702; *Urráb.*, l. c.; *Arcelin*, l. c.

2.° Haec omnia phaenomena fieri videntur «secundum leges associationis automaticae, quibus affectiones psychicae inter se per cohaerentiam naturalem conjunctae sunt». *T. Pesch*, l. c., *n.* 703.

364. — Quaer. 3.° *Quaenam sint praecipuae sententiae circa hypnotismi naturam?*

Resp. In tres praecipuas abierunt sententias medici ac theologi.

I.ª Sententia illorum est qui, in omni casu, rejiciunt et exsecrantur hypnotismum tanquam opus diabolicum: miri enim illius effectus, ajunt, neque ex Deo repeti possunt (blasphemum namque esset dicere Deum, pro ludionum vel etiam impiorum hominum lubitu, tam mira patrare); neque ex natura, cujus vires, vel quoad rem ipsam, vel saltem quoad modum, certo superare videntur. *Sic P. Franco, Ballerini et alii.*

II.ª Sententia e contra tenet omnes hypnotismi effectus a naturalibus viribus procedere posse, multasque ad hoc confirmandum afferunt rationes, varias confingunt hypotheses. Hanc sententiam sequuntur plerique medici, vel quia supernaturalia negant, ac naturae viribus plus aequo fidunt, vel quia superiora illa phaenomena, ut diximus, nunquam in hodierno hypnotismo evenire affirmant.

III.ª Sententia mediam tenet viam, varia distinguens hypnotismi phaenomena, asseritque posse admitti probabiliter ut natu-

rales, effectus hypnotismi vulgaris seu inferioris, minime vero superioris seu occultismi. Hanc tenent plerique theologi, ut *Antonelli*, l. c., *n.* 298; *P. Coconnier*, *O. P.*; *PP. Castelein*, *Lehmkuhl*, *Génicot*, *Matharan*, *Joann. Mir*, *S. J.*, etc.

QUAER. 4.° *Quaenam ex iis sententiis praeferenda videatur?*

Resp. In hac quaestione, quae ardua quidem est et obscura, «sane, ut verbis utar Card. *D' Annibale* (II, *n.* 53, *not.* 19), ab extremis cavendum est, ne forte dum licita exagitas, etiam quoad illicita fidem amittas». Unde donec res magis clarescat, vel a S. Sede feratur judicium, nobis tertia sententia praeferenda videtur, ideoque sequentem statuimus thesim:

Phaenomena hypnotismi, prout ab occultismo distinguitur, causis naturalibus probabilius tribui posse videntur.

Ratio est, quia juxta communissimam PP. et TT. sententiam, naturalia censenda sunt ea quae non constat excedere naturae vires (*D' Annibale*, l. c.); quam rationem approbat *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 20. Cfr. dicta *de vana observantia*, *n.* 352, *pr.* III. Ergo, donec probetur illa phaenomena supernaturalia esse, ut naturalia in praxi haberi possunt. Atqui: 1.° hucusque demonstrata non est argumentis intrinsecis talis supernaturalitas; imo probabilius haec phaenomena naturalia videntur ex analogia cum aliis phaenomenis, quae in somnambulismo et in aliis circumstantiis omnino naturalibus accidere solent; 2.° gravissimi auctores ut plane naturalia illa phaenomena habent. Ergo... Plura vide apud *Antonelli*, l. c.; *P. Mir*, El Milagro, *l.* 3, *c.* 12, *art.* 2; *Urráburu*, VI, *n.* 311 *seq.*; *Coconnier*, l. c., *a pag.* 160 *seq.*, 249 *seq.*, 380 *seq.*; *T. Pesch*, l. c., *n.* 712.

Obj. Omnia phaenomena quae hypnotismo tribuuntur ab una eademque causa procedunt. Atqui plurima phaenomena, cum aperte praeternaturalia sint, certe procedunt a causa praeternaturali. Ergo omnia praeternaturali causae, i. e. daemoni, tribuenda sunt.

R. Neg. maj., quae nunquam ab adversariis hucusque sufficienter videtur probata.

P. M. Hypnotizans pro lubitu ab effectibus naturalibus ad supernaturales gradum facit. Ergo...

Resp. Nego antecedens, cum plures hypnotistae omnino negent sibi unquam contigisse effectum praeternaturalem, pariterque affirment ex ipso hypnotismo nunquam nisi phaenomena naturalia obtineri posse.

Igitur effectus praeternaturales, si veri sint, daemoni erunt tribuendi, vel quia hypnotista commercium fovet cum daemone, vel quia ipse daemon naturalibus se immiscet, ut facilius homines decipiat, miraculorum vim elidat, etc. Hodie haec praeternaturalia phaenomena non *hypnotismo* sed *occultismo* tribui solent, ut diximus. Cfr. *Pesch*, l. c., *n.* 699.

365. — QUAER. 5.° *An et quando licitus sit hypnotismus?*

Resp. 1.° Hypnotismi usus *illicitus est: a*) si ex eo quaerantur effectus certe *supernaturales* (sive quoad rem, sive quoad modum); *b*) si intendantur effectus *inhonesti;* vel *c*) si hypnosis inducatur per *media in se mala*, ut turpes tactus, etc.

Ratio: quoad *a*) facilis est ex dictis de vana observantia; quoad *b*) et *c*) res per se ipsa patet.

Resp. 2.° Vitatis iis (de quibus in resp. 1.°), hypnotismus 1.° adhuc erit *illicitus*, si adhibeatur, vel sine gravi causa, vel sine debitis cautelis; 2.° *licitus* vero, si gravis adsit causa et sufficientes cautelae non omittantur.

Ratio primi: quia hypnotismus, praesertim si ab imperito adhibeatur, pericula sanitatis secum non semel affert, neque adhuc est res satis explorata; ergo non potest quis sine gravi causa his periculis se committere: accedit quod in statu hypnosis, hypnotizans poterit abuti hypnotizato, gravissima illius secreta ab eo extorquere, facilius postea eum iterum in hypnosim inducere, propensiones quasdam post hypnosim etiam duraturas in eo excitare, morali quadam necessitate eum determinare ad quaedam appetenda, perpetranda, etc.; unde plurima pericula honoris, fortunarum, totiusque praeterea honestatis. Ergo praeter gravem causam requiruntur debitae cautelae. Cfr. *Lapponi*, Ipnotismo e spiritismo, *cap.* 7; *Antonelli*, l. c., *n.* 299; *T. Pesch*, l. c., *n.* 714.

Cautelae praecipuae sunt: 1.° ut hypnotizans sit vir probus atque in ea arte peritissimus; 2.° ut adstet fidus testis; 3.° ut non ultra in hypnosi procedatur, quam morbo depellendo sit necessarium; 4.° ut, stante dubio, praemittatur protestatio nullam velle haberi partem in factis supernaturalibus. Sed nota ipsos testes non semel sponte incidere in somnum hypnoticum eo quod videant alium hypnotizari. *Arcelin*, l. c., *pag.* 145.

Praeter has cautelas, requiritur etiam hypnotizandi consensus.

Graves causae esse possunt, juxta P. Génicot: «curatio morborum, quibus sanandis desit aliud medium prorsus innocuum, et progressus quarumdam scientiarum, puta medicinae vel psychologiae, his experimentis obtinendus. Praeterea censemus, hypnotismum licite adhiberi ad tollendas, vel saltem minuendas, quasdam malas propensiones quae, ob vehementiam suam, libertatem tollunt vel extenuant, puta propensionem ad suicidium, ad liquores inebriantes, etc. Etenim ita, non usus libertatis humanae, sed tantum *aliquod determinatum obstaculum* recto ejusdem exercitio officiens, tollitur, et quidem libere; siquidem supponimus hominem sponte se tradere hypnotizanti, ut bonum hunc effectum obtineat». Cfr. etiam *Coconnier*, l. c., *pag.* 270 *seq.*

Ratio secundae partis sequitur ex dictis tum hic, tum supra de vana observantia. Ex dictis *n.* 364, *quaer.* 4.° haec phaenomena pro-

babilius sunt naturalia, et in hac hypothesi procedit, ex terminis, haec secunda responsionis pars. Atqui, juxta S. Alph., l. c.: «Adhuc enim in dubio, an effectus proveniat a causa naturali, jam diximus, ex communissima doctorum sententia, superstitiosum non esse illum procurare, saltem protestatione praemissa». Ergo... (Cfr. dicta supra, *n.* 352, III). — Praeterea hujusmodi cautelis pericula removentur sive animae, sive corporis. Jam, temporanea illa propriae libertatis abdicatio, quae his cautelis valde restringitur, non multum differre videtur ab ea quae habetur in aegroto, qui ope chloroformii aut alterius anaesthesii in somnum conjicitur; quod tamen licere communiter admittitur.

Adde auctoritatem multorum gravissimorumque auctorum, qui aliquem saltem hypnotismi usum licitum existimant, ut *Gousset*, Th. M., I, *n.* 425; *D'Annibale*, Summ. Th. M., II, *n.* 53; *Bucceroni*, Cas. consc., *n.* 89; *Lehmkuhl*, I, *n.* 994, *not.*, et Casus, *n.* 213; *Génicot*, I, *n.* 275, et Casus, *pag.* 79-82; *Matharan*, *n.* 114; *Alberti*, Theol. past., *altera pars*, *n.* 78; *Mir*, El Milagro, *l.* 3, *c.* 12, *art.* 4; *T. Pesch*, l. c.; *Berardi*, Praxis, I, *nn.* 483, 484; *Coconnier*, l. c., *pag.* 249 *seq.*, *praes. pag.* 405 *seq.*; *Bertier*, *O. P.*, apud *Coconnier*, l. c., *pag.* 233; *Antonelli*, l. c., *nn.* 298, 299; *Lapponi*, Ipnotismo e spiritismo, *cap.* 7, *n.* 67; *Noldin*, De praeceptis, *n.* 738; *Arcelin*, in ephem. Revue des questions scientifiques, *ser.* 2, XVIII, *pag.* 494-518; *C. de Kyrwan*, ibid., *ser.* 3, III, *pag.* 640 *seq.* Vide etiam *Revue Néo-Scholastique*, *ann.* 2, *pag.* 110-111, necnon *El Criterio católico en las ciencias médicas*, IV, *pag.* 270, 275, 307, 311, 313, 339, 372, ibique dicta a doctoribus *Puig y Sais*, *Cirera*, *Blanc*, *Pujador*, etc. Consentire videtur *Palmieri* in 13.ª edit. romana *P. Gury*, *n.* 278. Cfr. etiam *Massana*, Cuestionario médico-teológico-filosófico, *p.* 3, *cap.* 7.

366. — His accedit nullum hucusque prodiisse Ecclesiae decretum quo hypnotismus universaliter prohibeatur; sed potius nostra sententia confirmari videtur ex nupero C. S. Off. responso, 26 jul. 1899, ad medicum quemdam qui interrogaverat, utrum sibi liceret participare in disputationibus, quae in quadam medicorum societate instituebantur de suggestionibus hypnoticis in cura infantium infirmorum adhibitis, atque in novis experimentis de eodem argumento faciendis. En S. C. responsum: «Quoad *experimenta jam facta*, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali, et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat. — Quoad *nova experimenta*, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.»

Alia quoque exstant S. Inq. et S. Poen. documenta, in quibus, ut legenti patebit, nunquam quilibet hypnotismi usus reprobatur,

sed *abusus* tantum condemnantur, effectus nempe supernaturales et turpes, qui ex eodem quandoque provenire, vel eidem se immiscere videntur. Confer eorum omnium praecipuum, litteras videlicet encyclicas S. Rom. Inquisit., 4 aug. 1856, ad omnes episcopos adversus magnetismi abusus. Cfr. **Casus**, *n.* 273 *seq.*

APPENDIX II

DE CONSULTATIONE SPIRITUUM, SEU DE SPIRITISMO

367. — Spiritismus vocatur ars vera vel falsa communicandi cum spiritibus defunctorum et eorum ope cognoscendi res occultas.

Haec communicatio haberi potest vel directe cum ipsis spiritibus, vel nonnisi interposita persona, quae *medium* vocari solet, et quae frequenter, etsi non semper, hypnosi subjicitur.

Medio significas id quod scire cupis de rebus omnino occultis, praesertim ad alteram vitam spectantibus. Ab eo interrogatur, te praesente et audiente, aliquis spiritus, quasi sit anima quaepiam, quae ex hac vita jam migraverit, v. gr. anima patris tui, matris, sororis, etc. Ex responsis, quae dantur, minime dubitare posses te vere cum defunctis carissimis colloquium habere. Isti enim plurima tibi referunt, et quidem tibi soli nota, aliis vero prorsus ignota; imo ipso eorum stylo responsa eduntur.

Spiritus non semper apparent. Quandoque responsa dant per *medium*, alias ea scribunt directe sive in tabula sive in papyro.

Multa ex his fictioni tribui debent; sed vix negari potest quandoque veram communicationem intercedere cum spiritibus, i. e. cum daemone, qui hisce consultationibus se immiscet ut evertat dogmata fidei nostrae inconcussa, praesertim poenarum gehennae aeternitatem. Nam defuncti de statu suo praesente interrogati respondent, se esse jam beatos, vel a poenis mox liberandos, licet in infernum demersos se non diffiteantur. Alias initio daemon propositum dissimulat, et responsa conformia fidei dare solet ut postea facilius decipiat.

368. — *Spiritismus est intrinsece malus, quia supponit commercium cum daemone sive explicite sive implicite.*

Prob. Nam illi spiritus cum quibus quis intendit colloqui et a quibus responsum obtinere vult nulli alii esse possunt quam ipsi daemones; nam neque angeli sancti neque animae beatae nec in purgatorio degentes his interrogationibus vanis ab ipso Deo prohibitis respondere possunt, nec Deus id permittet animabus damnatorum. Ergo remanet ut solus sit daemon.

Quod autem hujusmodi quaestiones vel interrogationes a Deo

reprobatae sint patet ex Scriptura (Deut., XVIII, 10-12): *Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia haec abominatur Dominus.*

Idipsum testatur universa traditio christiana hoc commercium daemoni tribuens.

Nec actus malitia mutaretur si quis diceret se nolle cum daemone commercium habere, sed cum angelis bonis et animis defunctorum, nam factis negaret quod verbis dicit, cum media poneret quae nonnisi ad commercium cum daemone inservire possunt, ut probatum est. Quod intrinsece malum est, non mutatur ex intentione agentis.

Imo non solum graviter illicitum est spiritus de occultis consulere et interrogare, sed etiam consultationi, licet mere passive, interesse, siquidem est peccatum cooperationis rei intrinsece malae. V. **Casus**, *n.* 277 *et seq.*; *Lehmkuhl*, *vol.* 1, *n.* 503; *Noldin*, De praeceptis, *n.* 169 *seq.*; *Génicot*, IV, *n.* 271.

369. — Quare sapientissime S. Officium decrevit die 24 apr. 1917 non licere per *medium*, ut vocant, vel sine *medio*, adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle (*Acta*, IX, *pag.* 268). Vide aliam similem declarationem ejusdem S. Officii diei 30 martii 1898 (*Acta S. Sedis*, *vol.* 30, *pag.* 701, 702). Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 48, *pag.* 368 *seq.*

ARTICULUS II

DE IRRELIGIOSITATE

Irreligiositas est irreverentia specialis, quae Deo, vel immediate in se, vel mediate in personis vel rebus sacris irrogatur. Praecipuae ejus species sunt tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et perjurium. De duobus ultimis in 2.° praecepto dicetur.

§ I. *De tentatione Dei.*

370. — *Tentatio Dei* est dictum vel factum, quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut alia perfectione praeditus. *Ita communis cum S. Thom.*, 2, 2, *q.* 97, *art.* 1.

Ex duplici autem vitio procedit, nimirum vel ex *infidelitate*, quando quis, dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam dicit

aut facit animo obtinendi a Deo perfectionis illius manifestationem, et haec vocatur a S. Thoma (l. c.) *expressa;* vel ex mera *praesumptione*, quando quis, nihil dubitans de Dei perfectionibus, absque necessitate vult aut divinae voluntatis manifestationem, aut speciale Dei auxilium obtinere per prodigia, et haec ab Angelico Doctore dicitur *interpretativa*. Alii aliter loquuntur. Vid. *Suárez*, De relig., *tr.* 3, *lib.* 1, *c.* 2, *n.* 9 *seq.*

Certum est tentationem Dei formalem *expressam* sensu explicato semper esse peccatum mortale contra religionem. Si autem sit *implicita* seu *interpretativa* solum, saepe ob ignorantiam, inadvertentiam, aut materiae parvitatem, venialis esse potest. — *S. Alph.*, *n.* 29, etc.

Resolves: — 1.° Graviter peccat contra religionem, qui innocentiam suam probari postulat duello, ferro candenti, etc., vel qui ad martyrium ultro se offert, nisi bona fide aut divina inspiratione excusetur.

Attamen licet a Deo petere miraculum sub conditione, *si ei placuerit*, quoties adsit causa gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem, sive (ut ait *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 97, *art.* 2), cum subsit justa necessitas, seu pia utilitas, et alia quae ad hoc concurrere debent, nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno.

2.° Item peccat graviter, qui absque justa causa periculo mortis se exponit, propterea quod divinum exspectat auxilium; si vero temere tantum agat, quin certo divinae Providentiae confidat, non peccat contra religionem, sed tantum contra quintum Decalogi praeceptum.

3.° Leviter tantum peccat qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis inordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo juvante, a tali morbo liberatum iri. *S. Alph.*, *n.* 30.

4.° Item peccat *per se* venialiter, qui *ex negligentia* imparatus accedit ad praedicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium.

§ II. *De sacrilegio.*

371. — *Sacrilegium* sensu lato dicitur quodlibet peccatum contra virtutem religionis. Hoc igitur sensu perjurium, blasphemia et idololatria, sacrilegia dici possunt. *Sensu* vero *stricto*, prout est *speciale peccatum*, est violatio, seu indigna tractatio rei sacrae. «Propria ergo malitia sacrilegii est, quae ex rei sacrae, *a Deo distinctae*, laesione seu violatione sumitur.» *Castropalao*, *tr.* 17, *d.* 2, *punct.* III, *initio*. Cfr. etiam *Ball.-P.*, II, *n.* 386 *seq.*

Triplex distinguitur sacrilegium stricte dictum, de quo tantum hic agimus: 1.° personale; 2.° locale; 3.° reale.

Principia. — I. Sacrum heic dicitur quidquid ad divinum cultum *publico ritu* ex institutione divina vel ecclesiastica deputatur, ideoque specialem reverentiam meretur. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 99, *art.* 3.

Hinc 1.° Personae *sacrae* sunt, quae cultui divino sunt deputatae per sacram tonsuram, aut per vota religiosa.

2.° Loca *sacra* sunt ea, quae divino cultui fideliumve sepulturae destinantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt (*can.* 1154); non vero sacella privata, quia haec non benedicuntur ritu praescripto in Rit. Rom. pro oratorio publico, sed vel non benedicuntur aut benedicuntur benedictione quam Rit. habet pro nova domo vel loco. S. R. C., 5 jun. 1899: D. auth., *n.* 4025, VI. Cfr. *Gasparri*, De Euch., 1, *n.* 216; *Ferreres*, Los oratorios, *n.* 277 *seq.*

3.° Res *sacrae* sunt eae, quae ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut sacramenta, vasa consecrata, reliquiae vel imagines sanctorum; item quae pertinent ad ornatum ecclesiae vel ministrorum; bona denique ecclesiastica etiam mobilia. *S. Thom.*, *ibid.*, etc.

II. Sacrilegium est peccatum mortale *ex genere suo*, quia excellentissimae virtuti, nempe *religioni*, adversatur, et plerumque materiam gravem respicit. — Leve tamen fieri potest ratione parvitatis materiae, vel imperfectionis actus. *S. Alph.*, *n.* 33, etc.

III. Sacrilegium specie differt, prout personam, locum aut rem sacram afficit; unde in confessione istae circumstantiae explicandae sunt. (*S. Alph.*, *n.* 34; *S. Thom.*, *ibid.*, etc.). Haec divisio omnino est ad normam sacrorum canonum, et ab omnibus admittitur, etiam ab iis qui theoreticam ejus probationem in dubium revocant. Cfr. *Suárez*, l. c., *lib.* 3, *c.* 1, *n.* 8.

Hae tres species, juxta *S. Thom.*, l. c., et *S. Alph.*, l. c., *infimae* sunt; unde in confessione ulterius non est distinguendum, v. gr. inter diversa sacrilegia personalia, et sic violatio sanctimonialis eam *verberando* non differt specie a violatione *per concubitum*.

372. Resolves:—1.° Sacrilegium *personale* committitur: 1.° inferendo manus violentas in clericum vel religiosum; 2.° luxuriose violando etiam solis tactibus, imo etiam sola luxuria interna, personas Deo dicatas per susceptionem ordinis sacri (saltem in Ecclesia latina), vel per vota publica in religione (vel congregatione religiosa) emissa (Cfr. infra, *n.* 404); 3.° personas ecclesiasticas contra *vigentes* canones subjiciendo judicio fori civilis.—Non erit autem sacrilegium detrahere de sacerdote, quia ejus tantum persona est sacra, non vero ipsius fama. *S. Alph.*, *n.* 35. De *privilegio canonis* necnon de *immunitate personali* dicetur *vol.* 2 ubi de excommunicatione.

2.° Sacrilegium *locale* committitur: 1.° peccatis omnibus quibus ecclesia *polluitur* de jure canonico, scilicet effusione sanguinis

et seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati aut infidelis in ecclesia; 2.° peccatis omnibus quae fiunt contra immunitatem et sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixae et similia; 3.° actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes (1), strepitus judiciorum, nisi gravis causa excuset. *S. Alph.*, *n.* 36.

3.° Sacrilegium *reale* committitur: 1.° indigna administratione aut susceptione sacramentorum; 2.° indigna tractatione sacrarum reliquiarum, imaginum, etc...; 3.° profanatione vasorum, instrumentorum et ornamentorum sacrorum; 4.° furto rei ad cultum divinum vel ad ecclesiam pertinentis; 5.° abusu Scripturae, v. gr. verba ejus detorquendo ad vana, etc.; 6.° vasorum sacrorum, corporalium, etc., incuria in iis, qui haec religiose curare debent. *S. Alph.*, *nn.* 40 *et* 48.

373. Quaesita. — Quaer. 1.° *An sit sacrilegium violatio personae voto privato castitatis ligatae?*

Resp. Controvertitur. I.ª Sententia *affirmat*, quia per quodlibet castitatis votum homo vere Deo consecratur. Propria enim voluntas ad actus proprios Deo consecrandos sufficit, aeque ac ad consecrationem publicam publica sufficiens est auctoritas. *Billuart.*, *diss.* 10; *S. Alph.*, *n.* 47, *ut probabilius.*

II.ª Sententia, *non minus probabilis*, *negat*, quia per votum privatum castitatis persona non fit sacra; ad aliquam enim personam consecrandam *publica Ecclesiae deputatio* requiritur. *Elbel*, *n.* 584.

Ceterum quisquis ligatus sit voto (etiam privato) castitatis, quoties hoc violet, certo duplex committit peccatum, alterum nempe contra castitatem, alterum vero contra religionem. *Lacroix*, *l.* 3, *n.* 55. Idem tene de eo qui cum tali persona luxuriose agat.

Quaer. 2.° *An omnia peccata luxuriae in ecclesia aut coemeterio commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1.° Peccata *mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro. *Ita communiter.* *S. Alph.*, *n.* 462. — Quod si habeantur ut sacrilegia, haec tamen circumstantia, utpote leviter culpabilis, non est necessario in confessione aperienda. Sacrilegium item erit desiderium peccandi in loco sacro habitum extra ipsum, non vero desiderium conceptum in loco sacro peccandi extra eumdem. *S. Alph.*, *n.* 462.

Resp. 2.° Quoad peccata *externa*, certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam,

---

(1) Pius X, per dec. S. C. Consist. 10 dec. 1912 quaslibet projectiones et cinematographicas repraesentationes in ecclesiis prohibuit (*Acta*, IV, 724).

fornicationem, etc. Ex jure canonico aperte patet. An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. gr. tactus graviter turpes, *controvertitur. Probabilius affirmat S. Alph., n.* 459; *Collet*, etc. — *Negant* autem, non *improbabiliter*, *Sánchez*, *Tamb.*, *Bonac.*, etc. Quod ita intelligendum videtur, scil. non esse *sacrilegium* saltem *grave*. Et nota *sacrilegium* locale committi per illicitam pollutionem occultam, licet talis *occulta* pollutio ecclesiam non polluat. Cfr. *n.* 528, 4.°

Quaer. 3.° *An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?*

Resp. 1.° Constat, esse sacrilegium omne furtum rei sacrae; et etiam rei non sacrae, commissae tamen loci sacri custodiae, ut patet ex jure can., *C. Quisquis*, 21, § 2, *causa* 17, *quaest.* 4, ubi legitur: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

Resp. 2.° Quoad res, quae casu aut per accidens in ecclesia reperiuntur, ut crumenae, horologium, etc..., controvertitur. — *Probabilius neg.* cum *Lug.*. *Azor.*, *Less.*, etc., contra *Laymann* et alios.

374. — Quaer. 4.° *An laesio quorumcumque bonorum ad clericos pertinentium sacrilegium constituat?*

Resp. Neg., sed tantum laesio bonorum, quae clerici possident non suo sed Ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt; quia haec tantum sacra sunt. *S. Alph., n.* 42, *et alii communiter.*

Quaer. **5.°** *An vasa et vestes* sacrae *converti possint in usum profanum?*

Resp. Affirm., si res totaliter ita immutetur, ut ad communem reducatur, v. gr. si calix igne aut ferro argenti massa fiat.

Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta sacerdotum ad usus profanos applicare. Cfr. tamen *Il Monitore*, *vol.* 24, *pag.* 425. Secus autem de iis, quae *non benedicuntur*, ut tapetes, candelabra. *S. Alph.*, *n.* 41.

N. B. Indumenta sacra lacera et usu trita quae instaurari nequeunt. in usus profanos converti nullo pacto Ecclesiae canones sinunt. Comburantur ergo, et cineres in sacrarium projiciantur. Si vero ratione antiquae artis christianae alicujus pretii reputentur, ad Episcopum deferantur, ut quid faciendum sit ipse decernat. *Conc. Plen.* **Amer. lat.**, *n.* 911; *Conc. Prov.* **Manil.**, *n.* 1092; *Vallisolet.*, *lib.* 5, *tit.* 3, *n.* 14.

Quaer. **6.°** *Quibusnam licitum sit vasa sacra tangere?*

Resp. Omnibus clericis, et iis qui eorum custodiam habent (*can.* 1306), v. gr. sacristae etiam saeculares laici, qui possunt etiam in sacristia calicem parare. Praeparatio calicis prohibita est intra missam. Cfr. *Il Monitore*, *vol.* 11, *pag.* 40, *n.* 11, *et pag.* 129, *n.* 28; *Wernz*, Jus Decretal., III, *n.* 503, *not.* 7.

Imo cum calix et patena non amittant consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae (*can.* 1305, § 2), hinc sequitur artifices inauratores posse tangere calicem consecratum.

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, cujusmodi sunt v. gr. *agnus Dei*, saltem ex hodierna consuetudine, reliquiae sanctorum, ornamenta sacra; exceptis iis quae sanctam Eucharistiam immediate tangunt.

§ III. *De simonia.*

375. — Definitio. *Simonia*, a Simone mago sic dicta, est «studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut spirituali adnexum». Dicitur *voluntas studiosa*, id est *deliberata*, quia sola ipsa interior voluntas paciscendi seu alium obligandi sufficit, quin requiratur pactum expressum ac mutuo consensu initum: sufficit igitur illud pactum ab uno tantum interius *inchoatum*.

Temporale est res pretio aestimabilis, aut quae commodum afferat temporale. (*D'Annibale*, III, *n.* 91). *Spirituale* vero quod ad salutem animae ordinatur, sive *formaliter*, ut gratia, sive *causaliter*, ut sacramenta, sive *effective*, quae scilicet a causa spirituali procedunt, ut absolutio a censuris. *Busembaum, lib.* 3, *tr.* 1, *cap.* 2, *dub.* 3, *art.* 1.

Pretium temporale triplicis generis distinguitur: 1.° *munus a manu*, seu retributio rei cujusvis temporalis pretio aestimabilis; 2.° *munus a lingua*, seu patrocinium, quo nomine veniunt laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendae in favorem conferentis rem spiritualem; 3.° *munus ab obsequio*, seu servitus quaelibet, aut officia alteri praestita, v. gr. famulatus aut simile officium quodlibet.

Triplex pariter est temporale spirituali adnexum: 1.° *antecedenter*, cui accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhaerens; 2.° *consequenter*, quod ex spirituali pendet, ut jus decimas percipiendi; 3.° *concomitanter*, ut labor in functionibus sacris. Hujusmodi autem labor adnexus est rei spirituali vel intrinsece vel extrinsece. Dicitur adnexus *intrinsece*, si a re ipsa non sit facile separabilis; secus adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio missae est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia, ad laborem extrinsece adnexum pertinent.

Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur (*can.* 728).

Divisio. Simonia alia est *juris divini*, cui convenit definitio data, estque intrinsece mala; est enim studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali *a*) *rem intrinsece* spiritualem, ex. gr. sacramenta, ecclesiasticam jurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc., vel *b*) rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr. beneficium ecclesiasticum, etc., aut *c*) ita ut res spiritualis sit objectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in calicis consecrati venditione (*can.* 727, § 1).

Alia *juris ecclesiastici*, in qua quis dat res *temporales* spirituali adnexas *pro temporalibus* spirituali adnexis, vel res *spirituales* pro *spiritualibus*, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur (*Ibid.*, § 2).

Posteriores haec commutationes simoniam continent, *quia* ab Ecclesia *ob motivum religionis* atque ob speciem vel pericula *simoniae* juris divini, omnino prohibitae sunt, licet intrinsece et antecedenter ad Ecclesiae prohibitionem absolute malae non sint. Cfr. *Reinfenstuel*, *lib.* 5, *p.* 1, *tit.* 3, *n.* 23; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 6, *n.* 341.

Utraque potest esse: 2.° *interna*, quae solo actu interno consummatur; et *externa*, quae in actum exteriorem prodit.

376. **Principia.** — I. Ad simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *formaliter*, sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali, et in ejus commutationem, ita ut fiat aequiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut justa compensatione habendi. — Ratio ex ipsa simoniae definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cujus temporale et vicissim spirituale tribuatur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva, nec proinde simonia foret.

Dixi 1.° *formaliter*, id est quod directe quis intendat loco temporalis et propter ejus aestimationem accipere spirituale.

Dixi 2.° *virtualiter*, quod nempe quis per temporale *proxime* et *immediate* obtinere velit spirituale, nec aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio unum cum alio commutandi. *Ita Suárez*, etc.

II. Non habetur simonia, quando temporale datur non *pro re spirituali*, sed ejus *occasione* ex justo titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito (*can.* 730), v. gr. stipendium pro missa, jura stolae. Postulat enim aequitas naturalis, ut honesta sustentatio concedatur iis, qui aliorum utilitati vacant. Hinc Christus, Luc., x, 7: *Dignus est operarius mercede sua.* — Et Apostolus, I Cor., ix, 13-14: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari partici-*

pant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.

Nihilominus pro administratione sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigere aut petere potest praeter oblationes legitime statutas et a Sede Apostolica probatas (*can.* 736, 1507).

III. Neque habetur simonia cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subjectum habeat adnexum aliquid spirituale, v. gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem (*can.* 730).

Ratio 3.ⁱ est, quia illud *consequenter* censetur spirituale, vel spirituali alligatum. Eruitur etiam ex speciali juris canonici dispositione.

IV. Simonia est peccatum gravissimum, reducitur enim ad speciem *sacrilegii realis*, cum per eam irreverenter res sacra pertractetur; et si sit juris divini et naturalis, *materiae parvitatem* non admittit. Si autem simonia sit juris ecclesiastici, potest in ea dari materiae parvitas, juxta *S. Alph., l.* 3, *n.* 50. — Ratio primi est, quia res spiritualis quaelibet ex comparatione cum re temporali, non sine magna injuria in ipsum Deum, vilipenditur. Constat etiam ex verbis S. Petri ad Simonem magum, Act., VIII, 20: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Ratio vero secundi desumitur ex eo quod per simoniam juris ecclesiastici non fit proprie injuria rei sacrae, sed tantum Ecclesiae praeceptum violatur. Vide *n.* 375.

377. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An sit simonia dare principaliter quidem temporale ob spirituale, sed non unice?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim quod adjicitur, quamtumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit. Constat etiam ex proposit. 45.ª ab Innoc. XI damnata. *S. Alph., n.* 54.

QUAER. 2.° *An sit simonia dare temporale ad sibi conciliandum superiorem intuitu beneficii obtinendi?*

Resp. Neg., si intentio primario sit dandi gratis temporale; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi. *S. Alph., n.* 51.

QUAER. 3.° *An sit simonia obire functiones sacras* principaliter *ob stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sua?*

Resp. ad 1.ᵘᵐ *Neg.*, saltem *probabilius*, quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacrae, sed tanquam debitum personae, quae in proximi gratiam occupatur. (*S. Alph., n.* 55; *Lacroix, n.* 62, *et alii communiter* contra aliquos). Idcirco si inordinata quaepiam affectio

intercedat (nam aberit omnis culpa, si indigentia aut alia honesta causa ad quaerenda hujusmodi stipendia impellat); non simoniae, sed avaritiae vitium erit.

Resp. ad 2.um *Affirm.*, si instructio tendat ad bonum spirituale aliorum, quia est res spiritualis, nisi tamen accipiatur titulo stipendii seu sustentationis. Secus vero, si instructio sit mere temporalis, v. gr. in tradenda explicatione sacrarum Litterarum aut theologiae. *S. Alph.*, *n.* 94. Cfr. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 100, *art.* 3, *ad* 3.

378. — QUAER. 4.° *An simonia sit pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficia, aut aliud bonum spirituale, v. gr. sacramenta,* etc.?

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia vexationis liberatio, quae sola directe intenditur, est quid temporale. — Hinc potes dare pecuniam inimico tuo, si conetur per fraudem impedire electores, ne tibi faveant. (*S. Alph.*, *n.* 101, *et alii communiter*). Imo in idipsum DD. consentiunt, etiamsi solis precibus impedire velit. — Non autem potes dare pecuniam iis, qui obesse vel prodesse possint eligendo vel praesentando ad beneficium; etenim offerre illis pecuniam ne obsint, idem foret ac offerre ut prosint, scilicet ut consensum non denegent. *S. Alph.*, *n.* 99. — Nec tibi licet pecuniam dare competitori tuo, ut desistat ad beneficium concurrere; quia tibi nulla est injusta vexatio redimenda, et viam directe ad beneficium per pecuniam tibi parares, quod simoniacum est. *Ita communior.*

QUAER. **5.°** *An simonia sit dare vel accipere aliquid pro ingressu in religionem?*

Resp. 1.° Certum est moniales posse et *debere* recipere dotem juxta modum legitime praescriptum (*can.* 547).

Resp. 2.° Nisi pro alimentis et habitu religioso in *constitutionibus* vel *expressa conventione* aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest (*can.* 570). Potest igitur aliquid exigi pro expensis postulatus et novitiatus, dummodo id vel statutum sit in constitutionibus, vel expresse conventum sit respective initio postulatus vel initio novitiatus.

379. — QUAER. 6.° *An simoniam committat sacerdos, qui spondet laico missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?*

Resp. Neg., per se, quia hac ratione res spiritualis non aequiparatur proprie temporali, sicut non aequiparatur quando missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur exsecutio rei spiritualis loco temporalis quae foret alioquin tradenda. Non enim peccat qui offert creditori 100 missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum 100 francorum; ergo a pari nec peccat, qui spondet missam pro exitu ludi, dum alter 20 asses exponit. *Ita Voit*, *n.* 506, contra alios.

— Ceterum ejusmodi ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est.

Quaer. **7.°** *An simoniam committat sacerdos, qui pro missa stipendium supra taxam consuetam aut ab Episcopo statutam exigit?*

Resp. Neg., nisi mente simoniaca agat; quia cum alium habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel justitiam plus aequo exigendo, minime vero contra religionem. Contradicunt tamen *Voit*, *n.* 497, et *Ball.-P.*, II, *n.* 485, cum *aliis*, quia (ajunt) tunc deest omnis justus titulus exigendi temporale.

Quaer. **8.°** *An sit simoniacum pactum privatim initum in permutatione beneficiorum ut unus solvat omnes expensas?*

Resp. Affirm. In permutationibus enim beneficiorum nullum pactum privatim inire licet nisi in ordine ad consensum Pontificis, vel Praelati qui possit illi auctoritatem dare. *Ita Suárez*, De relig., *tr.* 3, *lib.* 4, *cap.* 34, *n.* 19; *García*, De Benef., *p.* 11, *cap.* 3, *n.* 148; *Navarr.*, Consil., *lib.* 5, *cons.* 25, 30, 50, 51; *Palaus*, *tom.* 3, *tr.* 17, *disp.* 3, *p.* 16, *n.* 5; *Muniesa*, De personat. Tarrac., *n.* 173 *seq.*

Quaer. **9.°** *An Titius committat simoniam si se obliget ad solvendas patrono omnes expensas necessarias ad scripturam praesentationis?*

Resp. Neg., quia omnes illae expensae fiunt in ipsius Titii favorem.

N. B. 1.° Si beneficia permutanda in aequalia sint, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cujusque rei pretio aestimabilis (*can.* 1488, § 1).

2.° An et quatenus liceat clerico praesentato se obligare ad solvendas litis expensas super jure patronatus vide penes **Casus**, *nn.* 292 *a*, 292 *b*.

380. — Quaer. 10.° *Quaenam sunt poenae in simoniacos latae?*

Resp. Incurrunt ipso facto in **excommunicationem** *simpliciter* Apostolicae Sedi *reservatam:* 1.° quaestum facientes ex indulgentiis (*can.* 2327); 2.° committentes delictum simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis; qui praeterea *ipso facto* privati in perpetuum manent jure *eligendi*, *praesentandi*, *nominandi*, si quod habeant. Imo si clerici sint, suspendi debent (*can.* 2392).

381. Resolves: — 1.° Non committit simoniam, qui reliquias cum reliquiis permutat; quia sic non datur spirituale pro temporali. — Idem dicendum est de ceteris rebus sacris, si excipias beneficia, quorum permutatio ne propria auctoritate fiat, ab Ecclesia prohibitum est, ideoque si fieret esset simonia *juris ecclesiastici.*

2.° Non committit simoniam *juris divini*, qui vendit calicem consecratum, ceram benedictam, rosaria vel numismata, quibus adnexae sunt indulgentiae, vel sacras reliquias capsulis pretiosis

inclusas, vel alia similia; quia haec non venduntur ratione rei sacrae, sed ratione pretii rei temporali adnexi; secus tamen, si propter rem ipsam sacram majori pretio haec venderentur. Hujusmodi res hodie vendi posse videtur, modo non augeatur pretium propter consecrationem, benedictionem aut indulgentias; nam *can.* 1539, § 1, statuit: *In venditione aut permutatione rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur.* Ergo talis venditio non est simonia neque juris ecclesiastici.

3.° Non committit simoniam, qui pecuniam principi haeretico solvit, ne ab ingressu ecclesiae seu a coetibus religiosis catholicorum frequentandis impediatur; aut malevolo homini, ne ab ipso injuste diffametur et a beneficio, ad quod jus habet vel habere potest, arceatur. Ratio est, quia hoc modo non datur temporale pro jure spirituali, sed pro tollenda vel impedienda injuria, quae est quid temporale.

4.° Non sunt de simonia accusandi, qui gratis vel pro incompetenti mercede serviunt, ut hac *occasione* suam probitatem vel dexteritatem demonstrent *cum spe* aliquando obtinendi quodpiam beneficium; quia non exspectant illud spirituale velut pretium laborum suorum. *Elbel, n.* 618.

382. — 5.° Nec sunt simoniae culpabiles, qui ex gratitudine praestant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa. Sic non peccaret capellanus, qui servitia libentius tribueret Episcopo, a quo beneficium obtinuit, nec Episcopus qui clerico beneficium conferret in recognitionem obsequiorum; quia haec non praestantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est pro accepto obsequio se gratum exhibere. Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo gratitudinis lateat simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi beneficium pro temporali obsequio, vel vice versa.

6.° Esset autem simonia ministeria sacra obire praecise ob pretium percipiendum tanquam tale, v. gr. accipere pecuniam pro absolutione a peccatis, a censuris, vel pro dispensatione in voto, juramento, irregularitate, et impedimentis matrimonii; ratio, quia est actus spiritualis tum ratione principii seu potestatis spiritualis, tum ratione finis seu salutis animarum. Licite tamen accipitur pecunia occasione dispensationum, praesertim quando alia justa causa eas concedendi non adest, titulo scilicet commutationis seu eleemosynae, vel sustentationis onerum pontificatus, ad subveniendum Ecclesiae necessitatibus, v. gr. templorum, missionum, etc., ved ad alios píos usus, v. gr. ad pauperes sublevandos, ad nosocomia dotanda, ad expensas tribunalium, a quibus dispensationes conceduntur, etc.; stipendium enim congruum variis officialibus seu ministris ad causas expediendas adhibitis tribuendum

est. — Ceterum S. Sedes ipsa in brevibus statuit, quid pro variis dispensationibus tribuendum sit. — V. **Casus**, *n.* 285 *et seq.*

7.° Nec simoniae culpabiles sunt qui alteri beneficium conferunt propter amicitiam, vel consanguinitatem, vel ad ejus indigentiam sublevandam. Item nec qui adolescenti munera promittunt ut sacramenta frequentet, vel dotem puellae, si monasterium ingrediatur. Nulla enim intercedit permutatio rei spiritualis cum temporali.

8.° Simonia committitur tum a Praelato qui ad beneficium conferendum moveatur principaliter propter preces quibus periculum comminatur, tum a clerico qui pro beneficio obtinendo ad hujusmodi intercessiones recurrat. *Bened. XIV*, Inst. 12, *n.* 12; *Conc. Plen.* **Amer. Lat.**, *n.* 814.

383. **Quaesita**. — Quaer. 1.° *An valeat contractus simoniacus?*

Resp. Neg., sed est ipso jure irritus; et si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, etiam subsequens provisio viribus caret, licet a tertia persona, etiam inscio proviso, simonia commissa fuerit, dummodo hoc non fiat in fraudem contra eumdem provisum, aut ipso contradicente (*can.* 729).

Quaer. 2.° *An sit restituenda res sive spiritualis sive temporalis* (v. gr. pretium) *simoniace data et accepta?*

Resp. 1.° *Affirm.*, ante quamcumque judicis sententiam, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita. Item beneficium, officium, dignitas debet eodem modo dimitti (*can.* 729, 1.°)

Diximus si restitutionis est capax, quia quaedam, ut v. gr. sacra ordinatio simoniace accepta, restitui nequeunt.

Quaer. 3.° *An simoniace provisus de beneficio faciat fructus suos dum beneficium retinet?*

Resp. Neg., etiam si bona fide eos percipiat (v. gr. quia simonia ipso ignorante ab alio commissa est). Sed in hoc casu bonae fidei, potest judex aut Ordinarius pro sua prudentia fructus perceptos restituendos ex toto vel ex parte eidem condonare. (Cfr. *can.* 729, 2.°)

Quando fructus restituendi sint, restitui possunt *ecclesiae* in qua beneficium est constitutum (*S. Thom.*, 2, 2, *q.* 100, *art.* 6, *ad* 4), modo nullum commodum ex hoc obtineant qui simoniam commiserunt. Probabile etiam est posse restitui *pauperibus*, vel *successori* in beneficio, vel in pias causas erogari, vel etiam compositionem inire cum Pontifice. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 32. *art.* 7; *q.* 62, *art.* 5, *ad* 2; *S. Alph.*, *l.* 4, *n.* 116; *Buccer.*, *n.* 522, *vol.* 1.

DE II. DECALOGI PRAECEPTO

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod., XX, 7.

Hoc praecepto prohibetur quaelibet erga Deum irreverentia sive per vanam sanctissimi nominis ejus usurpationem, sive per blasphemiam, sive per juramentum aut votum vel illicitum vel violatum.

CAPUT I

DE VANA USURPATIONE NOMIMIS DEI ET BLASPHEMIA

ARTICULUS I

DE VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIONE

384. — Dicitur in vanum usurpari ss. Dei nomen, cum sine *rationabili causa*, aut sine *debita reverentia* assumitur. Hoc autem triplici praesertim modo fieri solet, scilicet:

1.° *Ex impatientia* seu *indignatione* in creaturas etiam inanimatas, aut in seipsum, v. gr., *Deus meus! Bone Deus! quam male res ista procedit! Deus meus! quam stultus ego!...* Vel hispane: *¡Dios mío! ¿es posible? Dios mío, dejadme en paz.*

2.° *Ex admiratione*, per modum exclamationis. Sic dicitur: *Jesus, Maria! O Deus! Deus meus!* (*¡Dios mío! ¡Gran Dios! ¡Oh buen Jesús!*)

3.° *Superflue*, plerumque ex mera formula, seu ex levitate vel ex quadam consuetudine. Sic dicitur: *Deus meus, utique ita est*, vel *non ita* (*Dios mío, sí. — Dios mío, no. — Dios mío ¿qué queréis?*)

385. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An vana usurpatio nominis Dei sit semper peccatum, vel quale?*

Resp. 1.° *Per se* peccatum est, quia laedit reverentiam divino nomini debitam. Constat insuper ex Eccli., XXIII, 10: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.*

Resp. **2.°** *Per se* peccatum est *veniale* tantum, quia reverentia illa non graviter laeditur. Mortale autem evadere potest ob contemptum formalem, aut iram gravem in Deum, quia tunc de ratione blasphemiae participare censetur.

Resp. 3.° Quamvis culpa saepe careant propter inadvertentiam, non tamen sunt excusandi, qui, absque ullo reverentiae sensu, ex consuetudine ss. Dei nomen semper in ore habent. *Bouvier*, De 2.° praec. — Contra vero, si usurpetur ss. Dei nomen cum debita

reverentia etiam in rebus indifferentibus, non modo aberit peccatum, sed ubi sic usurpetur per modum invocationis, erit opus bonum et meritorium. Ceterum facilius a peccato excusabuntur, qui per modum admirationis seu interjectionis ss. nomen Dei usurpant, quia tunc facilius abest irreverentia.

386. Quaer. 2.° *An sit peccatum usurpare inutiliter nomina sanctorum?*

Resp. Affirm. Quod enim dicitur de sanctissimo Dei nomine, idem, servata proportione, etiam de nominibus sanctorum dicendum est, ut constat ex citato loco Eccli., ubi additur: *Et nominibus sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vana usurpatione verborum sacrae Scripturae, quando irreverenter sumuntur.

Quaer. **3.°** *An sit peccatum usurpatio frequens et inutilis nominis daemonis?*

Resp. Neg., per se, et blasphemis remedium esse potest, aliquando sacris Dei sanctorumve nominibus exsecrabile diaboli nomen substituendo. Reprobanda tamen generatim est ut minus decens in ore christianorum, praesertim in sacerdotibus, qui ratione scandali interdum immunes ab aliqua culpa non sunt. *Busemb.*, apud *S. Alph.*, *n.* 131; *Bouvier*, etc. — Quidam autem asserunt esse veniale *per se. Ita Voit*, *n.* 514.

«Ad vanam *divini nominis ac sacrorum* usurpationem revocari debent hae formulae: *Per Deum! Per Christum!* quae ad formulam jurandi potius per se spectarent, vel *Corpus Dei*, *sanguis Dei*, *Christi*, *B. Virginis*, *S. Petri!* etc., sive ex impatientia, sive ex admiratione proferantur. De quibus *Escobar* (*lib.* 28, *n.* 570): «Nominare vel jurare per membra Christi honesta, scilicet per caput, corpus, et sanguinem, blasphemia erit, si per modum contemptus aut irrisionis proferatur... At si non per modum vituperii et convicii, sed ad magnam veritatis exaggerationem haec verba usurpentur, blasphema non erunt, et forte (nisi adsit scandalum) culpa carebunt; quia neque in substantia neque in modo dicendi Deo sunt injuriosa.» *Ita et Silvester*, *Valent.*, *et Sanch.*, qui alios (In Decal., *lib.* 2, *cap.* 32, *n.* 29) pro eadem doctrina allegat. Venialis autem erit culpa, et, ut ait Busembaum, inter *veniales gravis*, quando otiose et quodam veluti intercalari ea verba adhibentur, ob quamdam nimirum irreverentiam.» *Ball.*, h. l.

ARTICULUS II

DE BLASPHEMIA

387. — Definitio. *Blasphemia* est locutio contra Deum *per modum contumeliae.* — Fieri potest non tantum verbo explicito, sed

aliquo sensu etiam mente et opere. Si agatur tamen de reservatione aut de aliis poenis blasphemiae inflictis, sola oralis proprie intelligatur.

Divisio. Blasphemia in primis distinguitur:

1.° *Directa*, vel *indirecta*, prout Dei inhonoratio vel *directe* et formaliter a blasphemante intenditur, vel quamvis non intenta, dictis tamen aut gestis ejus aliqua Dei contumelia continetur.

2.° *Immediata*, vel *mediata*, prout Deum ipsum immediate afficit, vel mediate tantum, nempe sanctos, aut res sacras verbis inhonorando.

3.° *Haereticalis*, *imprecativa* et *mere probrosa*, prout haeresim, vel imprecationem, aut meram contumeliam continet.

Principia.—I. Blasphemia quaelibet formalis et deliberata, sive directa sit, sive indirecta, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale *ex toto genere suo.* — Ratio est, quia quaelibet contumelia in Deum est injuria gravis divinae majestati illata. — Hinc Lev., xxiv, 15-16: *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Hinc etiam *S. Hieronymus*, in Isai., *l.* 7, *c.* 18, ait: *Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum.* — Et ait *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 13, *art.* 3: *Omne peccatum comparatum blasphemiae levius est.* — Potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiae, aut perfecti consensus. Circumstantia *blasphemiae directae* non est necessario exprimenda in confessione; sed quando blasphemiae admiscetur *odium Dei*, *haeresis*, nova peccati species habetur.

II. Ad blasphemiam perfectam ratione actus, necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, cum scilicet quis ea, quae veram Dei contumeliam continent, etiam ex joco aut ira in creaturas, cum advertentia profert.— Ratio est, quia ex his sequitur gravis Dei inhonoratio, licet indirecta; gravis enim irreverentia in Deum committitur, cum verba ei contumeliosa ad jocum, vel ad iram exprimendam adhibentur. *Reuter*, De blasphemia, *n.* 442.

III. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quae ex communi apprehensione, vel usu patriae aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent; quae, licet per se blasphemiam non sonent, ex communi tamen apprehensione ut blasphematoria habentur. *Reuter, ibid.* (1).

---

(1) Blasphemia jure **hisp.** (*a.* 586, *n.* 2, et Cod. Poenal.) puniri potest eo quod sit contra religionem ac bonos mores; imo si contemptum ac irrisionem contineat, puniri potest tamquam *delictum* (Sent. Trib. Supr. 13 et 19 apr., 29 sept., 7 nov. 1885).

388. **Resolves:** — 1.° Blasphemia est, juxta quosdam, dicere: *Perdat te mors*, vel *sanguis Dei; perdant te sacramenta.* Verius tamen videntur verba mere imprecatoria. Blasphemia autem est spuere in caelum, infrendere dentibus in illud, dicere se velle aliquid agere, Deo invito, et similia.

2.° Blasphemia est dicere: *Deus mei est plane oblitus. Quare Deus me creavit?* — Excipe tamen, si haec proferantur modo loquendi humano ex levitate, vel ad ostendendum doloris vel taedii gravitatem, ut saepius fieri solet. Nunquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter ac serio dicant: — *Deus est injustus. — Deus injuste me tribulationibus gravat. — Injuste sinit malos esse felices in mundo. — Voit, n.* 419.

3.° Non peccant *graviter*, qui ira vel aliqua passione abrepti, verba blasphemiae proferunt non advertentes ad eorum significationem. Nec illi, qui ex inveterata consuetudine blasphemandi *jam retractata*, in ejusmodi verba indeliberate erumpunt.

4.° Non peccat graviter, qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat; v. gr. qui *hispanice* dicat: *me caso en D.; rediez*, aut *me caso en dos.* Haec enim rationem blasphemiae jam non amplius habent. *S. Alph., n.* 123. — «Imo studium detorquendi, mutilandi, et utcumque corrumpendi prolationem vocabulorum, quae aliter blasphemiam sonarent, ostendit blasphemiae detestationem. Et siquidem vulgus quando vehementi affectu, praesertim irae, percellitur, aegerrime temperat ab emphatica quapiam locutione, consultius sane ipsi suggeritur modus aliquis innoxius aestum illum significandi, quam silentium exigatur.» *Ita Ball.*, h. l.

389. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Disting. Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. gr. pluviae, ventis, ut a Deo imperatis vel addito verbo *Dei;* item maledicere creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, v. gr. animae nostrae, fidei catholicae, caelo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. Ita *communiter. S. Alph., n.* 128.

Quaer. 2.° *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. Affirm., quia sicut jurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum juramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur.

Praefecti prov. ac municipiorum (*Gobernadores y alcaldes*) blasphemiam multis pecuniariis coërcere possunt juxta a. 22 legis provinc. 29 aug. 1882, et a. 114 legis munic. 2 oct. 1872. Cfr. *Alcubilla*, V. *Blasfemia*, V. Gobierno de las Provincias; *López Peláez*, El derecho español, § 18, *pág.* 100.

S. Alph., *n.* 129.— Re ipsa tamen vix talis sensus animo haec proferentis occurrere solet.

390. — QUAER. 3.° *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Neg., nisi mens specifice feratur in animas purgatorii, quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo. *S. Alph.*, *n.* 130.

CAPUT II

DE JURAMENTO

391. — DEFINITIO. *Juramentum* est invocatio divini nominis in testem veritatis (*can.* 592, § 1).

DIVISIO. Distinguitur juramentum:

1.° *Assertorium*, vel *promissorium*, prout veritas tantum asseritur, aut promissio seu pactum confirmatur.

2.° *Solemne*, vel *simplex*, prout fit forma jure requisita, solemnibusve caeremoniis, aut iis seclusis.

3.° *Explicitum*, vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae in quibus attributa divina specialiter relucent.

Accedit etiam juramentum *imprecatorium*, quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem perjurii.

Omnia juramenta sunt *ejusdem speciei. Ita S. Alph.*, *n.* 142. Etenim imprecatorio non accedit malitia contra charitatem, quia non solet quis sibi aut suis tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum non facturum esse. *Ita communius.*

N. B. 1.° Laici in judicio jurant tactis Evangeliis, clerici vero propositis tantum Evangeliis et manu pectori admota. Cfr. *Buccer.*, *n.* 549.

In causis autem sollicitationis «quoties juramentum de secreto servando et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo deferendum sit, juramentum ipsum semper et ab omnibus, etiam sacerdotibus, *tactis ss. Dei Evangeliis*, *et non aliter*, praestandum erit». *S. Off.*, 6 aug. 1897, VIII.

2.° Si jurandum sit, ut in quibusdam regionibus haereticorum tacto codice biblico ab acatholicis edito, tunc illicitum erit juramentum, *a*) si codex, etsi incorruptus, proferatur in contemptum Bibliorum catholicorum, vel in haeresis protestationem: esset enim fidem negare vel erubescere; *b*) si adhibeatur codex juxta placita sectae corruptus: esset saltem communicatio in *sacris*. — In primo casu nunquam licebit; in altero vero, accedente *gravi causa*, et *protestatione* adhibita quod juratur tantum super eo codice quatenus verum Dei verbum continet, permitti poterit.

3.° Juramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum; et si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi justa causa obstet, vel legitime obligatio ejusdem cessaverit. — *Ita omnes*, et constat tum ex definitione *Conc. const., sess.* 8, contra *Wicleffum*, tum ex praxi universali Ecclesiae et populorum, necnon ex variis sacrae Scripturae locis. Deuter., VI, 13: *Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius jurabis. S. Alph., nn.* 133, 139 *et seq.*

ARTICULUS I

DE CONDITIONIBUS JURAMENTI.

I. *De requisitis ad essentiam juramenti.*

392. — Duo requiruntur ad juramentum, scilicet: 1.° *intentio jurandi*, saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest exsistere juramentum formale; 2.° *formula juratoria*, sive per Deum *explicite*, sive *implicite* per creaturas; quia cum Deus invocetur ut testis, necesse est, ut hoc in juramento exprimatur. *S. Alph., n.* 134.

393. **Resolves: — 1.°** Non valet juramentum promissorium *fictum*, seu mere externum, ob voluntatis, seu intentionis jurandi defectum. Peccat vero sic jurans; sed *probabilius*, *per se* loquendo, venialiter tantum, quia non est nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione. (*S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 17). Saepe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis. — Juramentum autem promissorium *sine intentione implendi promissa*, est semper peccatum grave; deest enim veritas. *S. Alph., lib.* 3, *n.* 172; *Sánchez*, Decal., *lib.* 3, *c.* 6, *nn.* 8-10.

2.° Non valet, *probabilius*, juramentum factum cum animo quidem jurandi, sed non se obligandi ex religione; quia hoc nugatorium est. Valet autem juramentum factum cum animo jurandi quidem, sed non se obligandi ex justitia aut fidelitate.

3.° Est juramentum dicere: *Juro per Deum, per sanctos, templum, crucem, altare, Evangelium, fidem catholicam, Ecclesiam, caelum, terram.* — Item dicere: *Deum attestor... Sit mihi testis Deus... Deum invoco ut testem.* Secus, si quis juraret per creaturas, in quibus non elucet *specialiter* divina bonitas aut potentia, v. gr. per barbam, etc... *S. Alph., nn.* 134, 138.

4.° Non est juramentum dicere: *Novit Deus... Coram Deo loquor*, etc..., si haec *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis.—Nec est juramentum dicere: *Est tam verum hoc, quam exsistit Deus...*,

quam ego exsisto..., quam sum in hoc loco..., fide boni viri..., per fidem sacerdotalem aut *per sanctam consecrationem, in fide* seu *fidem regis, principis, militis..., per fidem meam.., per conscientiam..., moriar...* vel *diabolus me perdat, nisi ita.* Imo nec est juramentum, juxta S. Alphonsum, dicere: *Juro,* vel *juro ita esse,* nisi praecesserit interrogatio de juramento praestando. *S. Alph., ibid., et alii multi.*

II. *De requisitis ad validitatem juramenti.*

394. — Juramentum praestari nequit, nisi in veritate, in judicio et in justitia; secus, nullam obligationem inducit (*can.* 1316, § 1).

I. Itaque requiritur *veritas,* id est conformitas assertionis cum intentione et cogitatione jurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In juramento assertorio veritas respicit exsistentiam *facti;* in promissorio exsistentiam *intentionis.*

Etenim notandum est in juramento *promissorio* includi etiam *assertorium,* quia Deus invocatur ut testis *praesentis intentionis* adimplendi promissa, et huic promissioni coram Deo, ut teste summa auctoritate praedito, factae, jurans ex virtute religionis stare debet. «Aliquis tamen posset jurare solum de proposito seu intentione praesenti, v. gr. juro, me nunc voluntatem habere Romam sequenti mense eundi, quod sane propositum sine perjurio dein quis frangeret. *Laymann, lib.* 4, *tr.* 3, *cap.* 4, *n.* 4.» *Ita Ball.,* h. l.

II. *Judicium,* id est, ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, nec sine necessitate aut gravi causa fiat.

III. *Justitia,* id est, ut juramentum sit de re justa, licita et honesta: sic contra justitiam juraret, qui juramento promissorio se obligaret ad damnum proximo injuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum. *S. Alph., n.* 144.—Item qui sub juramento assertorio manifestaret aliquid quod non licet ei revelare, vel se jactaret de malo a se commisso. Juxta sententiam, quam *S. Alph.* dicit probabiliorem, justitiae defectus in juramento assertorio generatim censetur culpa levis, quando quis se jactat de suo peccato, quia res jurata supponitur vera, et solum adest quaedam animi levitas; quando vero tali juramento detractio firmatur, *grave* erit. *S. Alph.,* l. c., *n.* 146.

395. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sit causa sufficiens ad juramentum?*

Resp. Quaecumque causa honesta alicujus ponderis, v. gr. pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus..., etc. *S. Alph.,* Hom. apost., *n.* 14.

QUAER. 2.° *An liceat jurare cum probabilitate veritatis?*

Resp. Requiritur, juxta *S. Alph., l.* 3, *n.* 148, *aliqua certitudo moralis*, sive quaedam probabilitas, quae ob defectum rationis probabilis in oppositum, ad quamdam certitudinem moralem pertingat.

QUAER. 3.° *An liceat jurare cum restrictione mentali?*

Resp. Neg., si sit *pure* mentalis; secus vero, si *late* mentalis sit, ex justa causa. Vide dicenda *de octavo praecepto, n.* 546 *et seq.* Vide etiam prop. 26.am et 27.am damnatas ab Innoc. XI.

QUAER. 4.° *An liceat praestare juramentum in publicae rei perturbationibus?*

Resp. Hoc plerumque a circumstantiis pendet. Perpende quid postulet justitia, aut bonum commune, et quaenam sint juramenti requisiti obligationes, utrum positivae an negativae.—Potissimum vero expedit consulere superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire, quid pro variis circumstantiis sit agendum. Generatim semper tolerari poterit juramentum ad normam illius probati a Pio VII: «Promitto et juro me cujuslibet generis conjurationi sive conventui sive seditioni contra actuale gubernium operam nunquam daturum, itemque eidem me subjectum fore atque obtemperaturum in iis omnibus, quae nec Dei nec Ecclesiae legibus adversentur.» Haec ultima protestatio, si gubernium sit legitimum, et dissidium non ferveat inter Statum et Ecclesiam, generatim jam subintelligitur in juramento a catholico praestito.

396. — QUAER. 5.° *Quale sit peccatum jurare sine veritate, judicio et justitia?*

Resp. ad 1.um Est mortale; quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem. Constat etiam ex prop. 24.a ab Innoc. XI damnata.

Resp. ad 2.um Veniale est *per se*, id est, secluso periculo pejerandi; quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. *Ita fere omnes, etiam rigidiores.*

Resp. ad 3.um Certo mortale est, si de re gravi agitur in juramento promissorio, ut patet. Secus vero *probabilius*, si res levis sit; quia non videtur inde gravis injuria in Deum redundare, cum non ut fidejussor peccati, sed ut testis propositi invocetur. — *Suárez*, qui dicit esse communem, *Collet*, *Antoine;* ut probabilem hanc sententiam habent *Bucceroni*, *n.* 554; *Génicot*, *n.* 303. Vide dicta supra, *n.* 394, III.

Inter juramenta prohibita referuntur ea, quae in societatibus occultis sive carbonariorum, sive liberorum muratorum (*masones*), emitti solent. Nullatenus enim licitum haberi potest juramentum, quod ejus auctores ne Ecclesiae quidem manifestari volunt.

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII

397. Principia.—I. Qui libere jurat, se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod tali jurejurando firmaverit (*can.* 1317, § 1). Unde omne juramentum promissorium de re licita et honesta, praeter obligationem justitiae, aut fidelitatis quae ex simplici promissione oritur, obligationem quoque religionis inducit, i. e. obligationem ex reverentia erga Deum, implendi promissa. (*Suárez, l.* 3, *c.* 16, *n.* 10, *seq.*). Unde homines «sancto quodam timore Dei, vindicis veritatis, a violanda promissione deterrentur». *Wernz*, III, *n.* 144. — Ratio est, quia promissio *per se* jam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur.

II. Obligatio juramenti promissorii sequitur naturam actus cui adjicitur. Quod si adjiciatur actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praejudicium boni publici vel salutis aeternae, nullam parit obligationem (*can.* 1318, § 2).

Ratio primi est, quia juramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet. Ratio secundi est, quia juramentum, utpote actus religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosae. Nec hujusmodi juramenta reviviscunt, etiamsi res esse otiosa aut illicita postea desinat, juxta juris antiqui reg. 18, in VI: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

III. Obligatio juramenti interpretanda insuper est juxta conditiones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quae sunt: 1.° si potuero sine gravi damno; 2.° si res non fuerit notabiliter mutata; 3.° si jura aut voluntas superioris non obstent; 4.° si alter fidem reciprocam servaverit; 5.° nisi alter de jure suo cedat. *S. Alph.*, *n.* 180.

IV. Obligatio juramenti stricte est interpretanda secundum jus et secundum intentionem jurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui juratur (*can.* 1321). Ratio primi est, quia jurans censetur se voluisse obligare quam minime potuit; ratio vero secundi, quia suus dolus vel fraus nemini prodesse debet.

398. Quaesita. — QUAER. 1.° *An detur parvitas materiae in transgressione juramenti promissorii?*

Resp. I.ª SENTENTIA *negat*, quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio jurata. In quacumque ergo materia gravis injuria infertur Deo, cujus testimonium in vanum a jurante invocatum est. — *Bonacina, Lessius, Toletus.*

II.ª SENTENTIA *affirmat*, quia in juramento promissorio Deus non proprie adducitur ut testis futurae exsecutionis rei promissae, sed actualis intentionis, et ut praebens auctoritatem obligationi, quae oritur ex promissione coram se facta, sicut princeps sua auctoritate firmiora facit sponsalia coram se contracta. Qui igitur non impleat, quod sincera mente promisit, non fecit Deum testem falsitatis, sed tantum *infideliter* agit in re promissa sub divina auctoritate. Atqui peccatum infidelitatis leve esse potest ob materiae levitatem, ut apparet in transgressione voti. Ergo etiam in materia juramenti promissorii. Nam quamvis irrogetur irreverentia auctoritati Dei, non est directa et formalis, sed indirecta, et minor quam in voti violatione, teste *S. Thoma*, 2, 2, *q.* 89, *art.* 8. Confer *Génicot*, *nn.* 304, 305; *Bucceroni*, *n.* 562; *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 75; *Noldin*, De praecept., *n.* 249; *D'Annibale*, II, *n.* 25. — *S. Alph.*, in Opere, *n.* 173, dicit utramque sententiam probabilem; sed in Hom. apost., *n.* 13, magis secundae sententiae adhaeret, et ait: *Si res promissa non sit gravis, infidelitas ad gravem culpam non pertingit.*

QUAER. 2.° *An obliget juramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

Resp. Neg., si error aut dolus versetur circa rei substantiam; secus vero, si adjuncta ejus accidentalia tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori, sed tantum *rescindibilis* (*can.* 103, § 2). *S. Alph.*, *n.* 175.—Sed nec obligare videtur in contractibus *gratuitis* quando error vel dolus versetur circa illas circumstantias, utut accidentales, quae si ab initio notae fuissent, a juramento et promissione deterruissent.

399. — QUAER. 3.° *An obliget juramentum promissorium per vim aut metum gravem extortum?*

Resp. Affirm., sed a superiore ecclesiastico relaxari potest (*can.* 1317, § 2).

QUAER. 4.° *An servari debeat juramentum quo quis renuntiat privato bono aut favori sibi a lege concesso?*

Resp. Affirm., dummodo nec vi nec dolo praestitum sit, nec aliunde vergat in dispendium salutis aeternae (*can.* 1317, § 3).

QUAER. 5.° *Quomodo cesset obligatio juramenti?*

Resp. a) Si *remittatur* ab eo in cujus commodum juramentum emissum fuerat; *b*) si res jurata substantialiter *mutetur*, vel, mutatis adjunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique *majus* bonum impediat; *c*) si deficiat *causa finalis* aut *conditio* sub qua forte juramentum datum sit; *d*) irritatione, dispensatione, commutatione, sicut de voto dicetur infra, *n.* 419 *seq.*

QUAER. 6.° *Quinam possunt juramenta dispensare, irritare*, etc.?

Resp. Qui irritare, dispensare, commutare possunt *votum* (vide infra, *n.* 414 *seq.*) eamdem potestatem eademque ratione habent

circa jusjurandum promissorium; sed si jusjurandi dispensatio vergat in praejudicium aliorum, qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest juramentum dispensare *propter* necessitatem vel utilitatem Ecclesiae (*can.* 1320).

400. **Resolves:** — 1.° Nunquam obligatur juramento, qui rem malam juravit: imo dupliciter peccat si juramentum adimpleat, nempe contra religionem, et contra virtutem, cui opponitur materia juramenti. *S. Alph.*, *n.* 176.

2.° Non obligatur juramento, qui promissionem prodigam jurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. *Ita Suárez, Salmant., et alii communiter* cum *S. Alph.*, qui hoc ut *probabilius* admittit, *n.* 185. — Tenetur tamen ad id in quo nulla appareret prodigalitas, si res promissa sit divisibilis.

3.° Non obligatur juramento, qui juratus promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat. *S. Alph.*, *n.* 180.

4.° Non peccat contra juramentum, qui urbanitatis causa juravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc..., si ab altero coactus prius sedeat, bibat, vel ingrediatur; quia plerumque ejusmodi juramentum nullum est ex defectu intentionis jurandi; vel, si valeat, ab altero relaxatur. *S. Alph.*, *n.* 180.

5.° Non peccat, qui secretum juratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia juramentum, ut diximus, sequitur naturam actus, cui adjungitur.

6.° Raro peccant parentes non adimplentes juramentum puniendi filios; quia plerumque juramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod delinquentes aut jam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt. *S. Alph.*, *n.* 180.

7.° Plerumque etiam mercatores non videntur ligari juramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia hujusmodi juramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum jurandi, aut certe quia juramento inest tacita conditio, *nisi aliter res melius cedere videantur.* — *Ita communius.* — Vid. **Casus**, *n.* 296 *et seq.*

APPENDIX

DE ADJURATIONE

401. — Definitio. *Adjuratio* est auctoritativa aut deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, vel sanctorum, aut rei sacrae, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

In eo igitur differt a juramento, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen ejus interponat ad rem exoptatam *efficacius* obtinendam ob reverentiam divinitati vel rebus sacris debitam.

Divisio. Adjuratio distinguitur:

1.° *Solemnis*, vel *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris, et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur, et ab omnibus fieri potest.

2.° *Deprecativa*, vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Haec posterior solis competit superioribus erga subditos, et exorcistis erga daemones. *S. Alph., app.*, De adjuratione, *n.* 1 (*post. n.* 193).

402. **Principia**. — I. Adjuratio solemnis, quae constat ritu et orationibus ab Ecclesia statutis, fierit nequit, nisi de licentia peculiari et expressa Ordinarii (*can.* 1151, § 1).

II. Adjuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus juramentum licitum aut prohibitum est; hinc quae de juramento dicta sunt, etiam adjurationi sunt applicanda.

III. Solae intellectuales creaturae, homines scilicet et daemones, *directe* adjurari possunt; *indirecte* etiam creaturae irrationales, ut sol, aqua, nubes, locustae, etc..., adjurando scilicet daemones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum, vel sanctos, ut iis, qui hujusmodi rebus utentur, assistant. *S. Alph., ibid., n.* 3.

Adjuratio autem contra daemones, fieri debet modo imperativo tantum, et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem. *S. Alph., n.* 5.

403. **Quaesita**. — Quaer. **1.°** *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

Resp. Neg., nisi postquam diligenti et prudenti investigatione constet exorciszandum esse revera a daemone obsessum (*can.* 1151, § 2). Plura vide in *vol.* 2, ubi de sacramentalibus.

Quaer. 2.° *De quibusnam rebus daemon interrogari possit?*

Resp. De omnibus generatim, quae ad ejus expulsionem conducunt, v. gr. de tempore et causa possessionis, de signo egressus, etc. *S. Alph., ibid.*

Quaer. 3.° *Quomodo peccet, qui daemonem de iis, quae ad rem non faciunt, curiose interrogat?*

Resp. Per se peccat graviter, si multos sermones inutiles cum daemone obsidente habeat; *a fortiori*, si cum ipso jocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat. *S. Alph., ibid.*

Quaer. **4.°** *Quaenam sint signa verae possessionis?*

Resp. Praecipua sunt: 1.° loqui idiomate quod prorsus ante tempus possessionis ignorabatur; 2.° occulta et distantia manife-

stare, quae naturaliter ab homine cognosci nequeunt; 3.° parere mandato mere interno sacerdotis, etc.; 4.° majorem apparere daemonis vexationem, aut majorem pacem, ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum, etc. Cfr. tamen dicta *n.* 363 *seq.* — V. **Casus**, *n.* 303.

Generatim non facile credendus est aliquis a daemone possideri; quia verae possessiones nostris temporibus rarae sunt, et pleraeque ex iis, quae perhibentur, falsae inveniuntur.

CAPUT III

DE VOTO

404. — Definitio. *Votum* est promissio deliberata ac libera Deo facta *de bono possibili* et *meliori* (*can.* 1307). Votum est actus latriae soli Deo debitus, et ex virtute religionis impleri debet. Quare dum vovemus quaedam sanctis, sensus est voveri ea Deo in honorem simul sanctorum; sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorumdem honorem. *S. Alph.*, *lib.* 3, *n.* 194; *Ball.*, h. l.

Divisio. Votum distinguitur:

1.° *Solemne*, vel *simplex*, prout vim habet inhabilem reddendi voventem actibus voto contrariis (si materia sit capax hujus inhabilitatis), aut talem vim non habet, sed reddit tantum *illicitos* hujusmodi actus.

2.° *Publicum*, aut *privatum*, prout nomine Ecclesiae a legitimo superiore ecclesiastico acceptatur, aut tali acceptatione caret (*can.* 1308, § 1). — Sic publica sunt vota emissa in *professione* religiosa, etiam simplici, non modo quae in religione stricte dicta emittitur, sed etiam in *religiosa* congregatione, quamvis a solo Episcopo sit approbata; item votum adnexum ordini sacro, etc. Privata vero sunt vota *devotionis*, quae a novitiis aliquando fiunt, necnon vota quae vel in *piis sodalitatibus*, vel libere a personis saecularibus nuncupantur, etc.

Publicum est *solemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus *simplex* (*can.* 1308, § 2).

3.° *Personale*, *reale*, vel *mixtum*, prout actio vel omissio voventis, aut res aliqua ab actione voventis separabilis, aut aliquid quod de utroque participat, promittitur (*can.* 1308, § 4).

4.° *Temporarium*, vel *perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

Votum *reservatum* dicitur illud cujus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest (*can.* 1308, § 3).

N. B. Omne votum solemne semper est publicum, at non e contra; item omne votum solemne est perpetuum, sed non e con-

tra. Cfr. *vol.* 2, ubi de statu religioso. Vide etiam *Ferreres*, Religiosas, *com.* IV, *n.* 1 *seq.*

Agendum 1.° de conditionibus ad votum requisitis; 2.° de obligatione voti; 3.° de ejus cessatione.

ARTICULUS I

DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS

Conditiones ad voti validitatem requisitae in ipsa voti definitione continentur, ac duae sunt praecipuae: 1.° intentio vera; 2.° materia apta.

§ I. *De intentione ad votum requisita.*

405. — Nisi jure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces (*can.* 1307, § 2).

Ad voti validitatem requiritur *vera* et *deliberata* intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens. — Votum enim est instar legis cujuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus quod assumit, sibimet imponit.

Hinc votum essentialiter differt a *proposito;* quia propositum, quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, neque rei propositae omissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. gr. propter inconstantiam, taedium aut negligentiam, quae per se peccatum veniale non excedunt. (*S. Alph.*, *nn.* 196-199). Ad voti validitatem non semper sufficit ea *deliberatio*, quae sufficit ad peccandum mortaliter; quamvis sufficiat ille *usus rationis*, qui ad peccandum mortaliter est sufficiens. Ad grave enim peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus; ad assumendam vero obligationem non sufficit generalis notio obligationis, nisi deliberantis menti obversentur illae circumstantiae, quae *ad prudentem deliberationem circa onus assumendum* considerandae sunt. *Ball-P.*, *vol.* 2, *n.* 605.

406. Quaesita.—Quaer. 1.° *An valeat votum factum cum ignorantia obligationis, aut inadvertentia ad obligationem jam cognitam?*

Resp. ad 1.um Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis, quam inducit, quia sine intentione sese obligandi nullum est votum.

Resp. ad 2.um Valet, si qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat; vel etiam si ille, qui vovet, etsi clare obligationem non cognoscat, eam tamen velit implicite, dum, v. gr., vult vovere hoc vel illud, prout ceteri vovere solent. Tenendum tamen generaliter est, non majorem induci obligationem praeter illam, quam quis velit

sibi imponere, atque apprehenderit. *S. Alph.*, *n.* 201; *Marc*, *n.* 625.— Ad votum sufficere potest promissio *implicita*. Ita quidam religiosi vota emittunt mere profitendo *obedientiam juxta regulam*. Clarius id patet in susceptione sacrorum ordinum, nam licet non dicatur *voveo* vel *promitto castitatem*, votum tamen hoc fit implicite eo ipso quod, sciens Ecclesiam adnexuisse iis ordinibus istud votum, eos suscipit.

QUAER. 2.° *An valeat votum ex errore emissum?*

Resp. 1.° *Neg.*, si error versetur *a*) *circa substantiam* rei, v. gr. si vovisti calicem quem putabas argenteum cum sit aureus; vel *b*) circa *circumstantias substantiales*, seu quae principaliter intenduntur, aut ad substantiam spectant, v. gr. si voveas ingredi monasterium, putans ibi religiosam disciplinam vigere, cum sit relaxata; vel illam notabiliter mutant, v. gr. si vovisti peregrinationem ad limina Apostolorum, putans distare tantum centum milliaribus, cum tamen distaret trecentis; vel *c*) circa *causam finalem*, ut si voveas magnam dare eleemosynam pro *sanitate patris* recuperanda, cum hic jam *mortuus* sit. Ratio, quia tunc res promissa non est satis cognita et volita. *Busemb.*; *S. Alph.*, *n.* 198, *et alii*.

Resp. 2.° *Affirm.*, si vero versetur circa causam *mere impulsivam* aut circa circumstantias *accidentales* minoris momenti, quae voto non obstitissent, si secluso errore cognitae fuissent; nam qui vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentalia, quae in voto adimplendo occurrere possint. *Ita S. Alph.*, *Elbel.* — Notandum praeterea est vota, quae emittuntur post novitiatum in quocumque ordine approbato, non esse irrita ob ullum errorem, nisi *solum substantialem circa substantiam*. Hoc enim exigit firmitas *status*. *S. Alph.*, l. c.; *Lugo*, De just. et jure, *d.* 22, *n.* 88.

407. — QUAER. 3.° *An valeat votum metu factum?*

Resp. 1.° *Neg.*, si votum metu gravi et injusto fuerit emissum, sed tunc ipso jure nullum est (*can.* 1307, § 3). Ratio est, quia Deo acceptum id esse non potest, quod per injuriam a quopiam vi extorquetur, quando lex naturae postulat, ut jus in integrum restituatur. Et hoc quidem evincit, ejusmodi vota esse invalida jure naturae.

Resp. 2.° *Affirm.*, si metus oriatur ab intrinseco vel a causa necessaria, nisi voventi usum rationis adimat; ratio, quia ejusmodi vota sunt simpliciter voluntaria. — Item si metus proveniat ex causa *levi*, quia levis metus non censetur efficaciter in actum influere, et est potius occasio quam causa voti. *Ita communiter cum Sánchez*, *Azor*, *Salm.*; *et S. Alphonsus* dicit id *probabilius*, *n.* 197.

Probabilis tamen sententia est, quae tenet votum quodcumque emissum sub metu, etiam respective *levi*, sed injusto, et qui fuit causa vovendi, esse invalidum, saltem quoad conscientiae forum. Ratio est, quia Deus nequit acceptare tanquam donum gratuitum

quod injuste est extortum. *Castropalao, n.* 15, *d.* 1, *p.* 1; *Suárez, Busemb., Sánchez,* l. c., *et alii.*

Quaer. 4.° *An voto teneatur, qui dubitat utrum votum vel merum propositum emiserit, aut sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. ad 1.um *Neg.* Constat ex dictis de probabilismo. Si autem promittendo credidit se peccaturum, si forte rem propositam non exsequeretur, judicari potest eum vere vovisse; hoc tamen in rudibus non semper est verum. *S. Alph., n.* 201.

Resp. ad 2.um *Neg.*, ob eamdem rationem, quando positive et graviter dubitet de sufficienti deliberatione. Plerumque ex perspectis circumstantiis res definienda est. *S. Alph. affirmat, n.* 196. — **V. Casus**, *n.* 305 *et seq.*

§ II. *De materia voti.*

408. **Principia**.—I. Materia voti debet esse res *moraliter bona*, imo de *bono meliori*, i. e. de bono *non impeditivo majoris boni.* — Ratio, quia Deus non colitur actione indifferenti, vel cujus positio non sit melior quam omissio. Bonum autem *melius* non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad circumstantias intelligitur.

II. Materia voti debet esse res *moraliter possibilis;* quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile.* — Si vero res sit divisibilis, et ex parte possibilis sit, pro hac parte valet votum, nisi constaret voventem per modum unius se voluisse ad utramque partem obligare; non valet autem, si sit moraliter indivisibilis. — *Ita communiter. S. Alph., n.* 202.

409. **Quaesita.** — Quaer. **1.°** *An valeat votum de materia jam aliunde praecepta?*

Resp. Affirm., primo quia non repugnat, debitorem diversis titulis obligari; deinde vero votum hujusmodi est de re bona in se, quum praecepta supponatur, et est de bono meliori, quum novum vinculum ad majorem fidelitatem et devotionem et meritum in adimplenda lege conferre possit. *Ita communiter. S. Alph., n.* 213; *Salm.*

Quaer. 2.° *An valeat votum rei bonae cum fine pravo, aut conditione mala?*

Resp. ad 1.um *Neg.*, si finis malus se tenet ex parte *rei votae*, v. gr. si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum, vel in gratiarum actionem pro latrocinio.—Ratio, quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus ad peccandum opem ferat. Secus dicendum, juxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, et finis pravus, uti ait S. Alphonsus, se prorsus teneat ex parte voventis, v. gr. si quis, vovens ob Dei gloriam, ex vana dein ostentatione libentius *externe* voveat. *S. Alph., n.* 206.

Resp. ad 2.um *Affirm.*, si votum fiat *ex affectu erga rem bonam*, ut bona est, etsi conjuncta cum causa seu conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, si non capiatur in furtu. Etsi enim furtum malum sit, non laedi tamen non est malum, sed Dei donum; et votum non cadit super malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet, si votum fiat *ex malae conditionis detestatione*, ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet. *Laymann, lib.* 4, *tr.* 4, *cap.* 2, *n.* 7.

Quaer. 3.° *An valeat votum non peccandi?*

Resp. 1.° Non valet votum vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est. *Trid., sess.* 6.

Resp. 2.° Valet autem votum vitandi omnia mortalia, nisi forte de persona *fragili* sit sermo, vel omnia venialia plene deliberata, quia hoc est possibile cum divina gratia et sine speciali privilegio, si tamen de personis valde piis agatur. Item valet votum non committendi venialia certi generis, v. gr. nunquam mentiendi, quamvis ob nimiam exsecutionis difficultatem ejusmodi vota quoad plerosque non expediant. *Bouvier, et alii non pauci.* Cfr. *S. Alph., lib.* 3, *n.* 203; *Suárez*, De relig., *tr.* 6, *lib.* 2, *c.* 3, *n.* 2.

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE VOTI

410. **Principia.** — I. Votum obligat *per se*, sicut lex vel praeceptum Ecclesiae, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi; votum enim est quasi quaedam lex privata, quam quis sibi imponit.

II. Votum obligat *secundum voventis intentionem*, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. — Ratio est, quia sicut legislator vel superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum, ita etiam qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est capax gravis obligationis. *Ita communiter. S., Alph., nn.* 211 *et* 213.

411. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *Quaenam materia per se censeatur levis vel gravis in voto?*

Resp. Illa materia gravis censetur, quae cum ab Ecclesia praecipitur, graviter obligat, ut jejunium, missa, etc..., vel quae comparata cum alio praecepto, gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, aut ad Dei cultum confert. *Reuter.*

Quaer. 2.° *An plures materiae leves coalescant ad materiam gravem efficiendam?*

Resp. Neg., si materiae leves voveantur *separatim*, ita ut obli-

gatio sit affixa praecise tempori vel diei, seu ad diem illum sanctificandum. — Secus, si materiae leves *per modum unius* voveantur, ita ut diei determinatio non accedat nisi ad exsecutionem urgendam, ut fere fit in votis realibus: excipe tamen, nisi aliud ex voventis constet intentione, ex qua tota obligatio et ratio obligationis pendet.

412. — QUAER. 3.° *An aliquis voto alieno ligari possit?*

Resp. Neg., quia votum non obligat *ratione sui* nisi emittentem (*can.* 1310, § 1); ratio, quia votum est onus personale voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. Hinc vota parentum filios devoventium cuipiam religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. gr. certis diebus jejunandi, etc., istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur voto parentum, qui illos religioni vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod pro ipsis voverunt, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent.

Ex justitia tamen heres vota *realia* defuncti solvere tenetur; item vota mixta ex qua parte realia sunt (Cfr. *can.* 1310, § 2). *S. Alph., ibid.* — Item ex obedientia, quatenus posteri tenentur servare vota majorum, sed tantum in casu quo naturam legis induerint. Vide *Decreta S. R. C., nn.* 834 *et* 932. — Vide dicenda in *tract.* De contract., ubi De promissione.

QUAER. 4.° *Quaenam dilatio gravis censenda sit?*

Resp. 1.° Tum qui tempus labi sinit, quo votum implendum erat, tum qui vi aut dolo impedit, quominus impleatur conditio, sub qua ad votum reddendum tenebatur, peccato, *ex genere suo gravi*, infidelitatis, quae propria est violationis votorum, se obstringit; attamen ad nihil aliud, nisi ad peccati poenitentiam tenetur, ex generali principio, quod *transgressio voti* ad compensationem non obligat. Vid. *Laymann, lib.* 4, *tr.* 4, *cap.* 6, *nn.* 2-4; *Ball.*, h. l.

Resp. 2.° Si vero tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti exsecutionem praefixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit, juxta *S. Alph., n.* 221, *et alios.*

Tamburinius tamen cum aliis nullam dilationem quantumvis longam, mortalem *per se*, dempto nimirum aut oblivionis aut impotentiae forte superventurae periculo, esse existimat. Ratio est, quia in casu dat totum quod promisit, et nullum ex dilatione damnum exsurgit. — Igitur haec non erunt transferenda ad votum in quo dilatio materiam promissam imminuat, v. gr. si quis vitam religiosam voverit. Res tamen ex circumstantiis et ex mente voventis definienda videtur.

413. **Resolves:** — **1.°** Vota realia de suo solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus, sive sponte

pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter, accedente voventis consensu vel ratificatione, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis fuerit determinata; tunc enim ea in *individuo* eroganda est, si peculiaris ratio te movit ad illam rem in individuo vovendam. *S. Alph.*, *n.* 217, *cum Busemb.*

2.° Vota personalia impleri possunt tantum ab ipso vovente, nec ad heredes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit alium ad eam inducendo. Unde si impeditus sis, non teneris alium tibi substituere.

3.° Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. gr. de rosario diurno, aut jejunio singulis sabbatis faciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. *S. Alph.*, *n.* 221. Vide infra, *n.* 799, N. B.

4.° Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr. eleemosynam, pecuniam, etc., satisfacit dando id quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum adimplere.

5.° Qui vovit audire sacrum per mensem vel annum, *probabilius* non tenetur in festis audire duo sacra, nisi explicite hoc voverit; quia finis voti est, ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur jejunare die dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit; quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiae. *S. Alph.*, *n.* 224. Vide infra, *n.* 799, N. B.

6.° Qui vovit jejunium in vigilia alicujus sancti, si haec in diem dominicam incidat, non tenetur jejunare illo anno (*can.* 1252, § 4). *S. Alph.*, *ibid.* — V. **Casus**, *n.* 312 *et seq.*

ARTICULUS III

DE CESSATIONE VOTI

414. — Obligatio voti cessare potest:

1.° Ob causas *intrinsecas*, nempe *lapsu temporis* ad finiendam obligationem appositi, *mutatione substantiali* materiae promissae, *deficiente conditione* a qua votum pendet, aut ejus *causa finali* (*can.* 1311)

2.° Ob causas *extrinsecas*, scilicet irritatione, dispensatione et commutatione (*Ibid.*).

§ I. *De irritatione votorum.*

Definitio. *Irritatio voti* est ejus annullatio vel suspensio facta ab eo, cujus potestati subest voluntas voventis, aut materia voti.

Divisio. Est 1.° *directa*, si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; 2.° *indirecta*, si cadat tantum in voti materiam. Irritatio directa *annullat* votum; indirecta vero, tantum illud *suspendit*.

415. Principia.—I. Qui potestatem dominativam in *voluntatem voventis* legitime exercet, potest ejus vota (*privata*) valide et, ex justa causa, etiam licite (*directe*) irritare, ita ut nullo casu obligatio postea reviviscat (*can.* 1312, § 1).

Hinc vota *privata* religiosorum et monialium irritari possunt, 1.° a Summo Pontifice ceu supremo omnium regularium praelato; 2.° a superioribus ordinis vel domus, etiam ab abbatissa; 3.° ab Episcopo proprio, si Institutum ab ejus jurisdictione non sit exemptum. *S. Alph.*, *n.* 227.

II. Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur toto eo tempore quo vovens in religione permanserit (*can.* 1315). Si quis religionem postea derelinquat, praedicta vota reviviscunt, nisi legitime dispensata fuerint.

III. Qui hujusmodi potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in *voti materiam* habet, potest voti obligationem (*irritare indirecte* seu) tamdiu *suspendere*, quamdiu voti adimplementum sibi praejudicium afferat (*can.* 1312, § 2).— V. **Casus**, *n.* 328.

Hinc 1.° Maritus irritare *indirecte* potest vota uxoris, quae juri conjugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi praejudicant.

2.° Uxor irritare *indirecte* potest vota mariti, quae matrimonii jura laedunt, ut votum castitatis, longae peregrinationis, induendi habitum eremitae, etc.

3.° Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie missam audiendi. *S. Alph.*, *n.* 241 *et seq.*

IV. Omnia vota *impuberum*, etiam castitatis et religionis, possunt *directe* irritari a paterna potestate. Constat ex *jure canonico*, *c. Puella*, *causa* 20, *q.* 2, *c.* 2.

Hinc vota impuberum directe irritari possunt a patre, et patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et his deficientibus, a matre, et *probabiliter* etiam praesente et non contradicente patre, vel tutore praesente. *S. Alph.*, *nn.* 229, 230.—V. **Casus**, *n.* 330.

416. Quaesita. — Quaer. 1.° *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. Controvertitur. Alii *negant*, et dicunt maritum posse tantum irritare *indirecte* seu suspendere ea vota, quae juribus suis obstant. Quoad alia enim uxor non est subjecta. *Ita Voit*, *n.* 600; *Laymann*, etc. — Melius tamen alii cum *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 88, *art.* 8, *ad* 3; *S. Alph.*, *n.* 234; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 675; *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 101; *De Varceno*, *tr.* 9, *c.* 1, *art.* 2, § 8, *et* pluribus *aliis*, marito jus tribuunt irritandi etiam *directe* vota, stante matrimonio emissa.

QUAER. 2.° *An pater* directe *possit irritare vota filiorum puberum emissa ante pubertatem?*

Resp. Affirm., modo filii pubertatem adepti ea non confirmaverint; imo probabiliter etiamsi illa rata habuerint, nescientes irritabilia esse. (*S. Alph.*, *n.* 238, *cum aliis*). Idem generatim dicendum est de quibuslibet votis emissis tempore *subjectionis*, quaecumque demum sit subjectionis ratio, dummodo potestas superioris non sit omnino extincta aut omnino suspensa tempore irritationis. *Sánch.*, in Dec., *l.* 4.°, *c.* 30, *nn.* 7, 8.

N. B. 1.° Cum jura recentiora quoad exercitium patriae potestatis non distinguant inter filios puberes et impuberes, probabile videtur patrem posse *directe* irritare omnia vota filiorum, etiam *puberum*, toto eo tempore quo maneant sub paterna potestate.

2.° Cum eadem jura generatim patriam potestatem matri tribuant in patris defectu (*C. C.* **hisp.-ph.**, *a.* 154; **lusit.**, 139; **aeq.**, 234, 258; **arg.**, 299 (265); **boliv.**, 189 y 191 reform. por el 1.° y 2.° de la *Ley* de 28 de octubre de 1890; **bras.**, 380; **col.**, *a.* 63 de la *Ley* 153 de 1887; **cos.**, 129, 130; **guat.**, *a.* 290; **mexic.**, 366, 364; **per.**, 285; **Salv.**, 287; **ur.**, 233; **ven.**, 236, 237), eamdem irritationem mater perficere potest toto illo tempore quo ad eam patria potestas devolvatur. *D'Annibale*, III, *n.* 206; *Buccer.*, I. M., I, *nn.* 607, 608; Casus, *n.* 113. — V. *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 326.

QUAER. 3.° *An fieri possit irritatio sine causa?*

Resp. Affirm., quoad *validitatem*, quia dominus valide disponit de re sua; sed *Neg.* quoad *liceitatem*, quia irrationabiliter impeditur profectus spiritualis subditi, etc. Non tamen id *communiter* peccatum veniale excedit. *S. Alph. et alii communiter.* Cfr. *Suárez*, De Relig., *tr.* 6, *l.* 6, *c.* 1, *n.* 10.

QUAER. 4.° *An superior irritare possit vota, quae rata habuerit?*

Resp. Affirm., quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet. *S. Alph.*, *n.* 239. — V. **Casus**, *n.* 236 *et seq. ad* 331. — Et nota, ad irritandum sufficere minorem causam quam ad dispensandum, ut docet *Suárez*, l. c., *c.* 7, *n.* 16.

Contra vero, ut recte habet *Busembaum, qui semel votum* (*directe*) *irritavit, si postea nolit, non ideo votum revalidatur.* Vide *Sa* (*v. Irritatio voti*). — Ratio est, quia per irritationem votum extinguitur. Ut extinctum autem reviviscat, nihil confert poenitentia superioris, qui irritavit, sed requiritur subditi voluntas, qui se iterum voto obliget.

Hic recte notat *Ballerinius* quod ex praejactis «principiis (nempe 1.° de potestate viri directe irritandi vota uxoris; 2.° de potestate uxoris indirecte irritandi vota mariti; 3.° de potestate irritandi vota etiam a se approbata seu rata habita) facile concluditur, posse conjuges etiam continentiae votum mutuo consensu emissum invicem irritare. Nam 1.° nihil vetat, quominus uxor petat a viro irritatio-

nem voti a se emissi, idque vir praestet; 2.° nihil enim prohibet, quominus uxor voto soluta indirecte votum mariti irritet; 3.° nihil demum impedit, quominus ambo voto soluti jus in alterius corpus, cui cesserant invicem ex pacto, rursus invicem sibi restituant. Et hinc patet, cur *S. Alph.* (*lib.* 3, *n.* 239) dixerit, se certam rationem non invenire, cur hanc sententiam damnet, licet oppositae ceu communiori adhaeserit. Verum cum plerique ex hisce auctoribus in illam opinionem venerint ducti principiis, quae nec S. Alphonsus quidem admittit, patet externam hanc auctoritatem obstare non posse quominus praemissam sententiam quis tuto sequatur».

§ II. *De dispensatione votorum.*

Dispensatio voti est absoluta ejus condonatio nomine Dei a superiore legitimo facta.

417. Principia. — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi in votis, sicut et in juramentis. — Constat ex verbis Christi, Matth., XVI, 19: *Quodcumque solveris*, etc.; — et ex praxi constanti Ecclesiae. — *Communis.* Cfr. *Wernz*, Jus decretal., III, *n.* 584.

II. Soli praelati, quibus jurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt, quia haec potestas pertinent ad externam Ecclesiae gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras.

Vota non reservata possunt ex *justa causa* dispensare (dummodo dispensatio non laedat jus aliis quaesitum): *a*) loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos *subditos* atque etiam *peregrinos; b*) superiores *religionis clericalis exemptae* quoad suos subditos etiam novitios necnon quoscumque alios in domo diu noctuque commorantes causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis (*can.* 1313 et 514, § 1).

Quid vero possint in votis quae emittuntur in congregationibus religiosis dicetur *vol.* 2, ubi De statu religioso.

III. Ad *validitatem* dispensationis semper justa causa requiritur. — Quia cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare nisi tanquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine justa causa, ut de legibus dictum est. *Ita communiter. S. Alph., n.* 250.

418. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sint justae causae hujus dispensationis?*

Resp. Bonum Ecclesiae, societatis, familiae, et ejus etiam qui voto obstrictus est, v. gr. scrupulis, vel gravibus tentationibus, voti causa, opprimatur; si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur; si actus vovendi non fuit perfecte deliberatus, etc... *S. Alph., n.* 252.

QUAER. 2.° *An superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?*

Resp. Affirm., si votum non fuerit acceptatum a proximo; vel si promissio sit *gratuita* et votum principaliter fiat in honorem Dei. Secus *Neg.*, quia tunc intercedit obligatio contractus. *S. Alph.*, *n.* 254.

QUAER. 3.° *Quaenam sint vota privata Papae reservata?*

Resp. Haec duo tantum: votum *perfectae* ac *perpetuae castitatis* et votum ingrediendi *in religionem* votorum *solemnium*, quae emissa fuerint absolute et post *completum decimum octavum* aetatis annum (*can.* 1309). Hinc non sunt reservata vota disjunctiva, poenalia, conditionata, etiam, *probabilius*, adimpleta conditione; quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex solo et perfecto ad rem promissam affectu (*S. Alph.*, *n.* 258); vel emissa ante *expletum* decimum octavum aetatis annum.

QUAER. 4.° *An Episcopus possit dispensare conjugem a voto castitatis perpetuae tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum petendum?*

Resp. Affirm., juxta sententiam communem, contra nonnullos; quia dispensare potest ab omni impedimento exercitium actus conjugalis impediente, ut ait *S. Alph.*, *n.* 258, et *lib.* 6, *nn.* 986, 987; et videtur hoc posse probari ex *can.* 81, quia in casu agitur de re in qua periculum est in mora. — V. **Casus**, *n.* 332 *et seq.*

§ III. *De commutatione votorum.*

419. — *Commutatio voti* est substitutio alicujus operis loco promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet, in bonum melius, in aequale, in minus.

Principia. — I. Opus *voto non reservato* promissum potest *in melius* vel *aequale* bonum *ab ipso vovente* commutari; *in minus* vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi in votis (*can.* 1314), juxta dicta supra, *n.* 417 *seq.* Unde quicumque habet potestatem etiam simpliciter delegatam, dispensandi a votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; — qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere. — Non autem vicissim, quia major potestas in minore non continetur. *S. Alph.*, *n.* 246.

Melius autem censetur opus, quod ad majorem utilitatem spiritualem voventis, ac majus Dei obsequium conducit.

II. Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus *notabiliter minus* commutare nequit; quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. — Attamen facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino aequale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquanto minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit aequalitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper

commutatio fere debet in allevationem ejus fieri, qui sese voto obstrinxit. *S. Alph., ibid.*, etc.

N. B. Quoad votorum commutationem vi **Bullae cruciatae**, cfr. *vol.* 2.

420. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An requiratur causa aliqua ad votum in opus aequale, vel paulo minus, commutandum?*

Resp. Affirm., quoad *liceitatem*, quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

Resp. 2.° *Probabiliter* etiam *affirm.* quoad *validitatem*, quia delegatus sine causa commutans, limites suae potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam aeque *probabilem* dicit *S. Alph., n.* 245. — Minor tamen requiritur causa ad commutandum, quam ad dispensandum; et rursus minus requiritur ad commutandum in aequale, quam in minus; sufficit enim major personae propensio, vel minus periculum votum transgrediendi. *S. Alph., n.* 244.

QUAER. 2.° *An facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si commutatio facta fuerit in minus vel aequale, quia primum opus est aeque gratum Deo, imo et gratius videtur. *Ita communiter.*

Resp. 2.° *Affirm., probabilius*, etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. *S. Alph., n.* 248.

421. — QUAER. **3.°** *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

Resp. Neg., etiamsi tua culpa impossibile fieret, quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

QUAER. 4.° *An commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?*

Resp. Neg., probabilius, quia materia illa, quae substituitur, non est *per se* reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. *S. Alph., n.* 260, *et alii communiter.* — V. **Casus**, *n.* 337 *et seq.*

Ceterum sedulo adhortandi sunt fideles, praesertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione confessarii, praesertim si de voto castitatis agatur. Confessarius autem veniam seu consilium emittendi votum perpetuae castitatis difficillime, et non nisi personis diu probatis atque aetate maturis, concedere debet.

DE III. DECALOGI PRAECEPTO

Memento ut diem sabbati sanctifices. Exod., XX, 8.

422. — Tertium Decalogi praeceptum naturale est, quatenus praecipit, ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; qua-

tenus vero determinate designat diem sabbati, caeremoniale est, et in lege nova abrogatum; siquidem pro die sabbati Ecclesia diem dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi substituit.

Praeter diem dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda redemptionis nostrae beneficia, vel sanctorum merita et exempla, mandatque ut illi non secus ac dies dominica, sanctificentur.

Hoc praeceptum quatenus affirmativum est, quaedam opera praecipit, et quatenus negativum, quaedam alia prohibet; hinc caput duplex.

CAPUT I

DE IIS QUAE DIEBUS FESTIS PRAECIPIUNTUR

ARTICULUS I

DE IIS QUAE GENERATIM DIEBUS FESTIS PRAESTANDA SUNT

423. Principia. — I. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur *sub gravi* post septimum aetatis annum singulis dominicis et festis diebus interesse Ss. Missae sacrificio, nisi justa causa excusentur. — Constat ex *can.* 1248.

Dixi *sub gravi;* agitur enim de re gravi tum in se, tum juxta existimationem communem fidelium, et unanimem consensum theologorum.

424. — II. Praeter istud, nihil aliud, saltem *sub gravi*, praestare vi praecepti fideles tenentur. — Ratio est, quia nihil aliud invenitur certo praeceptum. *Est doctrina communis theologorum.*

Dixi *saltem sub gravi.* Plerique enim theologi addunt, nec *sub levi per se.* Quamvis enim ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, hae tamen nulla lege praescribuntur; alioquin autem finis praecepti non cadit sub praecepto. — *Ita Suárez*, De relig., *tom.* 1, *l.* 2, *c.* 16, *n.* 4; *Elbel*, *n.* 385 *et seq.; et alii multi*, ut fatetur etiam *Concina*, qui hanc sententiam communem vocat.

Hinc excusatus die dominica a Missa, non tenetur ratione praecepti persolvere domi preces, quas tempore sacri recitasset, vel recitare solet. *Suárez, ibid.*

III. *Per accidens* tamen teneri possunt fideles ad aliquid aliud, non quidem vi hujus praecepti, sed quia ad aliam obligationem implendam necessarium id esse potest. — Tenentur enim assistere concionibus seu catechesi diebus festis, si concio sit necessaria ad

instructionem christianam vel morum compositionem; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media in hunc finem necessaria. *Billuart, et alii communiter.* — Ceterum impense inducendi sunt fideles ad alia opera, praeter Missam, exercenda, ad fusiores preces fundendas, ad conciones audiendas, etc. Unde in Codice: «Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris concionibus frequenter intersint» (*can.* 1348).

425. — QUAER. *An vel qualis sit obligatio assistendi officio vespertino, seu vesperis, diebus dominicis et festis?*

Resp. Nulla est obligatio urgens *sub gravi*, nec probabilius *sub levi, per se et directe*, ut patet ex dictis n.° praecedenti.

In praxi autem sedulo hortandi sunt fideles, ut publicis divini cultus exercitiis studiose interveniant.

ARTICULUS II

DE AUDITIONE MISSAE IN PARTICULARI

Agendum 1.° de iis quae ad Missam rite audiendam requiruntur; 2.° de causis ab ea excusantibus.

§ I. *De iis quae ad Missam rite audiendam requiruntur.*

Tria requiruntur: 1.° praesentia corporis; 2.° attentio mentis; 3.° locus debitus.

PUNCTUM I

Praesentia corporis.

Requiritur praesentia corporis moralis et continua.

426. — I. *Moralis*, scilicet quis ita praesens esse debet, ubi fit sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium sacrificium; ad hoc autem sufficit, ut sit in loco unde Missam sequi possit quoad partes praecipuas, sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.

II. *Continua*, id est, perseverans ab initio ad finem Missae, ita ut graviter peccet, qui omittit notabilem ejus partem, et venialiter qui partem exiguam omittit, nisi justa causa excusetur.

Resolves: — 1.° Missae valide assistit, qui etsi sacerdotem non videat, nec audiat verba, sacri partes distinguit sonitu campanulae, cantu chori, motibus assistentium, quibus moraliter jungitur, licet sit extra ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam, vel post parietem, modo ad partes praecipuas Missae advertere possit.

2.° Item *probabilius*, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare aut assistentes videat, aut partes Mis-

sae distinguat, dummodo parvum sit spatium inter ecclesiam et locum in quo est. Secus autem si magnum spatium aut platea intercedat, ut *communius* docetur. *S. Alph., n.* 312.

3.° Non assistit sacro, qui (extra templum) multum a longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter*. Juxta *Lugo*, De Euch., *d.* 22, *n.* 21, et alios, spatium *triginta passuum* (fere 44 metr.?) *a templo* non adeo magnum videtur, ut impediat, quominus quis sacro adsit.

427. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *Quaenam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?*

Resp. Non facile determinari potest; quamvis enim juxta *omnes* tertia pars Missae sit notabilis, non tamen constat, quae sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a diuturnitate dijudicari debeat. Haec tamen juxta communem sententiam statui posse videntur:

1.° Grave est omittere omnia usque ad offertorium *inclusive*. Leve autem certo est omittere omnia usque ad epistolam *exclusive*, et *probabilius* etiam *inclusive;* imo *probabiliter* etiam, *juxta S. Alph., n.* 310, usque ad evangelium *inclusive*, licet S. Doctor oppositam sententiam ut *probabiliorem* habeat. Ratio horum est, quia quae praecedunt, proprie ad sacrificium non pertinent, sed sunt tantum veluti praeparatio ad illud. *Lugo*, etc.

2.° Grave est juxta *omnes* omittere omnia usque ad evangelium *inclusive* (imo etiam *exclusive* — *Marc, n.* 672; *Berardi, vol.* 1, *n.* 703; *Buccer., n.* 642, 2.°; *Gury-Dumas, n.* 342; *Card. Vives, n.* 280, — saltem *probabilius* et communiter vel fere) **et simul** omnia post communionem; non vero omittere illa tantum, quae communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante epistolam et omnia post communionem. *S. Alph., n.* 310; *Lacroix, n.* 666; *Lehmkuhl, n.* 559.

3.° Gravis habenda est omissio *canonis* a consecratione usque ad *Pater exclusive;* quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio *offertorii;* item omissio *symboli* (quae nullum videtur inducere peccatum) et *praefationis*, etiamsi decantentur, quia haec ad essentiam Missae non pertinent. *S. Alph., ibid.* — Evangelium autem *S. Joannis* in fine *probabiliter* non est pars Missae, quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem.

4.° Grave est omittere consecrationem et communionem; imo et solam consecrationem, quia est pars dignissima, in qua, saltem praecipue, consistit sacrificii ratio. Quin imo *probabilius* grave est uni tantum consecrationi non adesse; quia essentia sacrificii *probabilius* in utraque consecratione consistit. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 33. — Utrum vero solam communionem praeterire sit grave,

controvertitur; affirmativa sententia est *S. Alph.* probabilior, quia existimat, essentiam sacrificii etiam in communione consistere. Communior tamen sententia eam in sola consecratione reponit.

428. — Quaer. 2.° *An praecepto satisfaciat audiens duas dimidias missas a diversis sacerdotibus tum* simultanee, *tum* successive?

Resp. 1.° *Neg.*, si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, quae confirmatur propositione 53.ª ab Innoc. XI damnata, et sic sonat: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.*

Resp. 2.° Si vero successive, dist.: **1.°** *Neg., probabilius*, si consecratio et communio non sint in eadem parte. Ratio est, quia Ecclesia praecipit fidelibus, ut intersint integro et perfecto sacrificio. Illud autem non habetur, nisi tum consecratio, tum communio in eadem Missa conveniant. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 34. Cfr. tamen *Berardi*, I, *n.* 702. — 2.° *Affirm.* autem, *probabiliter*, si consecratio et communio in eadem Missa reperiantur; quia tunc ratio integra sacrificii in eadem parte habetur. *S. Alph.*, *n.* 311; *Lugo*, *Azor*, *D'Annibale*, III, *n.* 125, contra *alios.*

Quaer. **3.°** *An debeat reliqua audire, qui post consecrationem advenit, cum jam nullum aliud sit sacrum cui interesse possit?*

Resp. Neg., probabiliter, quia jam deest essentia sacrificii; et cessat proinde obligatio illi assistendi, cum praeceptum per hoc impleri non possit. *Mazzotta*, *S. Alph.*, *n.* 310, *et alii.*

Quaer. **4.°** *An qui omittit levem partem Missae, teneatur supplere, si possit?*

Resp. Affirm., probabilius, quia Missam integram audire tenetur; excipe, nisi de parte valde exigua agatur. Sic *S. Alph.*, *n.* 310; *Salm.*, contra alios. Ceterum ratio sat levis ab hac supplendi obligatione eximere potest. V. **Casus**, *n.* 345 *et seq.* — *Ita P. Gury;* sed melius videtur standum sententiae *P. Suárez* (De Euch., *d.* 88, *sect.* 2, *n.* 7), ubi dicit: «In his casibus existimo non peccare etiam venialiter... quia ut supponimus est involuntaria et casualis... Postquam vero hic defectus commissus est, non est obligatio illum supplendi in alia Missa... quia res morales non sunt adeo rigorose expendendae, praesertim quando leviores sunt.»

PUNCTUM II

Attentio mentis.

429. — *Attentio* est applicatio mentis ad ea quae peraguntur. Attentio ad Missam duplex distinguitur: 1.° *interna*, qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae a sacerdote peraguntur; 2.° *externa*, quae consistit in cavenda quavis actione externa, quae impediat mentis applicationem, v. gr. confabulari, pingere..., etc. (Circa has denominationes cfr. *Ball.-P.*, *vol.* 4, *n.* 419).

Attentio autem interna triplex est: 1.° alia ad verba, et ad actiones sacerdotis; 2.° alia ad sensum verborum et mysteriorum; 3.° alia ad Deum ipsum per preces piasve meditationes.

Principia. — I. Ad Missam valide audiendam requiritur omnino *attentio saltem externa;* quia nullo modo dici potest sacro interesse, qui ponit actiones, quae attentionem internam excludunt; imo ille impudenter Deo et Ecclesiae illudit. *Ita omnes.*

II. Requiritur insuper attentio *aliqua interna*, et saltem voluntas audiendi Missam; quia id prorsus exigitur, ut auditio seu praesentia sit humana, moralis et ex objecto religiosa. *Suárez*, De Euch., *disp.* 88, *sect.* 3.

III. *Sufficit* autem interna *quaelibet ex tribus* modo expositis, sive scilicet sit ad verba, sive ad sensum, sive utcumque ad Deum. Ratio est, quia per earum quamlibet sufficienter applicatur mens ad cultum divinum qui per sacrificium intenditur.

IV. Nulla *oratio vocalis* absolute requiritur; quia assistentia religiosa Deum honorat, et nihil aliud praescriptum habetur. *S. Alph.*, *n.* 313. — In praxi tamen fidelibus, praesertim rudibus, suadendum est, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missae auditione, vel rosarium beatissimae Virginis, ne nimiis distractionibus exponantur.

430. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An ad implendum hoc praeceptum requiratur sub gravi attentio interna?*

Resp. Controvertitur. I.ª SENTENTIA, ex *S. Alphonso communior et probabilior, affirmat.* Etenim ab Ecclesia praecipitur actus quo Deus colatur; atqui per solam praesentiam physicam Deus coli nequit; ergo... Ecclesia igitur praecipiendo directe actum exteriorem auditionis Missae, videtur praecipere indirecte attentionem, saltem aliquam, tanquam conditionem sine qua non consisteret actus externus formalis. *Ita S. Thom., Billuart, Elbel, Salm., et alii non pauci.*

II.ª SENTENTIA *negat.* Ratio est, quia assistentia cum voluntaria attentione, utut mere externa, est actus sufficienter religiosus, nec constat aliud ab Ecclesia praecipi.—*Ita Lugo*, cum aliis multis, et hoc dicit *probabile S. Alph., ibid.*, 313, cui assentit *Gousset*, *n.* 553.

Ceterum in praxi non apparet tanta differentia inter utramque sententiam. Etenim juxta priorem sententiam sufficit omnino attentio in grado remisso, nempe ad praecipuas Missae partes; juxta posteriorem vero requiritur 1.° pius animae motus, seu vera intentio honorandi Deum; 2.° attentio talis, ut assistens Missae rationem sibi reddere possit reapse sacro se assistere, et consequenter ut saltem in confuso ad praecipuas partes illius advertat. Hinc non facile arguendi sunt fideles de culpa gravi ob defectum attentionis sufficientis in Missa, sed potius amanter adhortandi sunt, ut pie et se-

dulo ad divina mysteria animum intendant. Etenim ait *S. Alph.*, *n.* 313, post *Elbel*, *Sporer* et *Tamb.*, nemo anxius esse debet ob scrupulum attentionis non praestitae, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

431. — Quaer. 2.° *An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata confitetur?*

Resp. Negant plures. Verum *affirmativae* sententiae sua non deest probabilitas, eamque admittunt plures doctores. Generatim non videntur inquietandi hac de re fideles, neque scrupulus eis injiciendus, quando Missae aliquo modo attendant.

Quaer. 3.° *An satisfaciat praecepto Ecclesiae clericus recitans breviarium tempore Missae?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia recitatio officii divini non impedit, quominus quis possit interesse sacrificio Missae, et moralem praesentiam ipsi exhibere. *Ita communiter cum S. Alph.*, *n.* 309. — Vide De leg., *n.* 106.

432. **Resolves: — 1.°** Satisfaciunt praecepto ministrantes Missae; satis enim attendunt suum exhibentes ministerium, quo actualiter ad sacrificium cooperantur. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea, quae in altari peraguntur (*S. Alph.*, *n.* 317): dummodo ab ecclesia non recedant, nisi ad breve tempus. *Palaus*, *tr.* 22, *disp. unic.*, *pag.* 16, *n.* 7; *Bonacina*, etc.

2.° Satisfaciunt qui eleemosynas colligunt, modo ad Missam saltem confuse attendant (*S. Alph.*, *ibid.*); si autem praevideant, se hanc attentionem praestare non posse, aliam Missam audiant, si commode possunt.

3.° Satisfaciunt, qui conscientiam tempore Missae discutiunt, ut confiteantur, sacramentalem poenitentiam persolvunt, aut etiam orationem quovis titulo debitam faciunt; quia his mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici praecepto simul satisfieri potest, si res praeceptae possint eodem tempore praestari. *Ita communiter.* — Item qui legunt librum aliquem spiritualem, non tamen historias sacras animo discendi stilum. *S. Alph.*, *n.* 314.

4.° Satisfaciunt etiam qui involuntarie distrahuntur, toto licet sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant; tunc enim non magis satisfaciunt, quam involuntarie dormientes per notabilem Missae partem, licet a peccato excusentur. *Ita communiter.* — Dormitans autem interdum inter sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit. *S. Alph.*, *n.* 316.

5.° Satisfaciunt etiam quoad substantiam, seu a gravi culpa excusantur, qui voluntarie etiam toto tempore sacri distrahuntur, modo simul attendant; hoc enim aliquando fieri potest, si distra-

ctiones non sint adeo vehementes, cum homo simul de pluribus cogitare possit. *Reuter, n.* 284. Cfr. *Salmant.*, De Sacrif. Missae, *c.* 6, *nn.* 41, 42.

6.° Minime autem satisfaciunt, qui de re seria confabulantur per notabilem Missae partem, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur, pingunt, aut alia similia peragunt, *nisi haec fiant interrupte, aut ita ut attentionem non omnino impediant. S. Alph., n.* 317. — V. **Casus,** *n.* 345 *et seq.*

PUNCTUM III

De loco debito.

433. — I. Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest (quocumque catholico ritu celebretur) *a*) in quacumque *ecclesia* vel *oratorio publico* aut *semi-publico* et in privatis *coemeteriorum aediculis* erectis a personis privatis ad suam sepulturam; *b*) *non vero in* aliis *oratoriis privatis*, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit (*can.* 1249 et 1190).

434. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quid veniat nomine ecclesiae aut oratorii?*

Resp. 1.° **Ecclesiae** nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut *omnibus christifidelibus* usui sit ad divinum cultum publice exercendum (*can.* 1161).

Resp. 2.° **Oratorium** est locus divino cultui destinatus, *non* tamen eo *potissimum* fine *ut universo fidelium populo* usui sit ad religionem publice colendam (*can.* 1188, § 1).

QUAER. 2.° *Quomodo dividantur oratoria?*

Resp. Oratorium est *publicum*, si praecipue erectum sit in commodum alicujus collegii aut etiam privatorum, *ita tamen* ut *omnibus fidelibus*, tempore saltem divinorum officiorum, jus sit, legitime comprobatum, illud adeundi (*Ibid.*, § 2, 1.°).

Semi-publicum, vero si in commodum alicujus *communitatis* vel *coetus* fidelium eo convenientium erectum sit, *neque liberum cuique sit* illud adire (*Ibid.*, § 2, 2.°).

Demum est *privatum* seu domesticum, si in privatis aedibus in commodum alicujus tantum personae vel familiae privatae erectum sit (*Ibid.*, § 2, 3.°).

435. — QUAER. 3.° *Quae licentia requiritur ad erectionem oratorii?*

Ad oratoria *publica* erigenda requiritur et sufficit licentia *Ordinarii loci.* Ad erectionem oratorii *semi-publici*, licentia *Ordinarii*, ideoque in domibus religiosorum exemptorum licentia Provincialis, etc.

Oratoria *semi-publica* sunt quae eriguntur in collegiis aut

convictibus juventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis, etc. In his tamen locis praeter oratorium principale, alia minora erigi non possunt, nisi judicio Ordinarii id exigat necessitas aut magna utilitas (*can.* 1192, § 4).

Ad erectionem *oratorii privati*, seu potius ut in illo possit celebrari Missa, requiritur privilegium Sanctae Sedis.

N. B. Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus juribus et privilegiis quibus oratoria semi-publica gaudent (*can.* 1189), ideoque qui in illis audiat Sacrum satisfacit Ecclesiae praecepto.

436. QUAER. 4.° *Quomodo concedatur oratorium privatum, et quid importet simplex concessio?*

Resp. 1.° Juxta normas diei 7 febr. 1909 a S. Congr. de Sacramentis datas (cfr. *Ferreres*, Los oratorios, *n.* 90):

a) Oratoria privata non conceduntur nisi ex justa causa, uti ex. gr. infirmitas, grave incommodum pro accessu ad publicam ecclesiam, peculiaris benemerentia erga S. Sedem et religionem, et similia.

b) Oratoria privata vel ad tempus conceduntur vel *ad vitam* indultariorum, pro natura causae quae adducitur.

Resp. 2.° In utroque casu, simplex oratorii concessio importat: *a*) unius tantummodo Missae celebrationem; *b*) praecepti festivi satisfactionem, pro indultariis tantum, ad exclusionem duodecim dierum solemniorum, et quatuor pro Gallia; *c*) determinationem loci, urbis et dioecesis, in qua erigendum est oratorium, juxta petita.

Igitur vi indulti generalis concessio tantum valet: 1.° ut possit celebrari una (*can.* 1195, § 1) Missa quotidie; 2.° ut eam audiendo satisfaciant praecepto *soli indultarii* seu personae quae postularunt privilegium et quibus *nominatim* in brevi conceditur; 3.° in utroque casu praecedenti excluduntur dies solemniores (1); 4.° valet pro uno solo aut pluribus oratoriis in loco determinato unius tantum dioeceseos; 5.° ita ut in praedicto oratorio nulla celebrari possit Missa, nisi fuerit praesens aliquis ex indultariis.

QUAER. 5.° *Quaenam ampliationes concedantur?*

Resp. Concedi etiam solent, si petantur, *ampliationes* seu *extensiones* diversae, nempe:

Ad satisfactionem praecepti diebus festis. Conceditur plerumque, indulto durante, sequentibus personis tantum: *a*) consangui-

(1) Ordinarius vero, dummodo justae adsint et rationabiles causae, *diversae ab eis* ob quas indultum concessum fuit, permittere potest Missae celebrationem *per modum actus* etiam solemnioribus festis (*can.* 1195, § 2).

neis aut affinibus cohabitantibus, etiamsi non cohabitantibus, *sub eodem tecto degentibus; b*) familiaribus; *c*) hospitibus vel commensalibus; *d*) omnibus sub eodem tecto commorantibus, in unico casu defectus vel distantiae ecclesiae publicae; *e*) colonis et addictis, pro oratoriis ruralibus. In his adjunctis indultario obligatio imponitur providendi instructioni catechisticae evangeliique explicationi; *f*) omnibus in castro vel magna possessione morantibus, cum obligatione jam dicta; *g*) omnibus praesentibus non conceditur, nisi in peculiarissimis circumstantiis religiosis vel politicis, arbitrio ac sponsioni Ordinarii concessionis hujusmodi diuturnitate remissa.

Item concedi solet ut possit Missa celebrari in absentia indultariorum; ut possint uno eodemque die plures celebrari Missae; ut Missa celebrari possit etiam in omnibus vel aliquibus diebus ex solemnioribus, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c.

Igitur ad dignoscendum quid liceat in oratorio privato, ultra id quod importat simplex concessio, necesse omnino est videre ampliationes concessas in unoquoque casu.

437. QUAER. *Quid vero de concessionibus factis ante annum 1909?*

Resp. In antiquis concessionibus poterant et, si concessio adhuc durat, possunt adimplere praeceptum: *a*) *Privilegiati principales*, illi scilicet qui initio *brevis* nominantur post illa verba: «Exponendum curavit Nobis dilectus filius...» Antiquius privilegiati principales dicebantur illi, ad quos breve dirigebatur; sed hodie breve dirigitur semper ad Ordinarium loci, in quo est oratorium. Cfr. *Gasparri*, De Eucharistia, *vol.* 1, *n.* 235.

b) *Consanguinei*, et *affines* usque ad *quartum* gradum secum insimul commorantes *in eadem* domo.

c) *Familiares* tempore Missae necessarii. Dicuntur necessarii tempore Missae si, attenta conditione familiae, decentia exigit ut tempore Missae domi remaneant, aut prope personam privilegiatam, ejusve filios. Unde non requiritur necessitas physica, sed sufficit moralis. Quare necessarii non sunt famuli ruri degentes, aurigae, etc.; sed esse possunt coquus, ephebus (*camarero*), ancilla respectu dominae (*camarera*), ancilla quae pueris invigilat, etc., etc.

Sacerdotem celebrantem, quicumque ille sit, satisfacere praecepto certa sententia est tam in antiquis quam in novis concessionibus. Item *ministrum*, sed solum in casu, quo inter privilegiatos desit qui inserviat aut velit inservire. *Gasparri*, *n.* 235, *in fine; Ferreres*, l. c.

Quoad oratoria privata *ruri* sita: in ipsis satisfaciunt etiam hospites *nobiles*, quibus plures DD. accensent ad prandium invitatos. *Génicot*, *n.* 342, 1.° — *Gasparri* inclinatur in contrariam sententiam quoad invitatos ad prandium. Sufficit ut hospes *aliquo modo nobilis* appellari possit. *Gasparri*, l. c.

438. — Notanda hic plura veniunt. Etenim in oratorio privato nec *sacrum facere*, nec praecepto satisfacere licet: 1.° Si praesens non sit aliquis ex *principalibus privilegiatis*. Excipitur casus, in quo celebratio necessaria sit Viatici deferendi gratia (*S. R. C.*, 27 aug. 1836, *in Veronen., ad* 7, *n.* 2745).

2.° Nec in diebus solemnioribus (1) exceptis. Dies solemniores, in quibus vetantur missae in oratorio privato, sunt: *Nativitatis*, *Epiphaniae*, *Paschatis*, *Ascensionis*, *Pentecostes*, *Conceptionis* et *Assumptionis* B. M. V.; *S. Joseph* (2), sanctorum apostolorum *Petri* et *Pauli*, omnium *Sanctorum*, et *feria V in Coena* Domini (Caeremoniali Episcop., *lib.* 2, *c.* 34, *n.* 2; *S. R. C.*, 10 april. 1896: Dec. auth., *n.* 3896), modo hi dies sint de praecepto, excepta feria V in Coena Domini. — Festum *Corporis Christi*, quamvis in Caerem. Episcoporum non recenseatur, excipi etiam solet in omnibus rescriptis. Si festivitas transferatur in dominicam sequentem, in *die a quo* celebratio non interdicitur, quia non est de praecepto (6 mart. 1896: Dec. auth., *n.* 3890, ad 1). Putat autem *Gasparri* prohiberi in die *ad quem*, sed *Il Monitore*, X, *p.* 2, *pag.* 93, *n.* 135, hoc limitat pro casu quo transferatur, non modo solemnitas externa, sed etiam officium et Missa.

3.° Generatim, diebus in quibus permittitur, non licet celebrare nisi *unam* tantum *Missam* pro unoquoque die. Si tamen quacumque ex causa concederetur sacrum fieri in die Natalis Domini, tunc liceret illa die tres missas ibi celebrare (*S. C. C.*, 20 jan. 1725). Idem licebit in die commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

4.° Audientes in nocte Natalis Domini aliquam Missam in oratoriis privatis de quibus fit mentio in *vol.* 2 (ubi de Dispensatione Eucharistiae), adimplent praeceptum ex privilegio Pii X. Cfr. *Ferreres*, La Comunión frecuente y diaria, *n.* 272 *seq.* (ed. 3.ª).

439. — Quoad **altare portatile**: fideles audito sacro satisfaciunt Ecclesiae praecepto quotiescumque sacrum fit in *altari portatili*: *a*) Sive ab aliquo Cardinali, sive ab Episcopo, vel in Cardinalis aut Episcopi praesentis commodum (*can.* 239, § 1, 7.°, et *can.* 349). Leo enim XIII, 8 jun. 1896, per rescript. S. R. C. concessit «ut *fideles omnes alterutram ex eisdem missis audientes*, quoties opus fuerit *praeceptum Ecclesiae adimpleant*». (*Il Monitore*, IX, *p.* 3, *pag.* 98). *b*) Sive ex privilegio quod S. Sedes concedere solet missionariis, non ut favorem mere personalem, sed ut sacrum fieri possit ubi desunt oratoria vel altaria fixa.

---

(1) Vide notam *n.* 436.

(2) S. C. de Sacramentis, 11 aprilis 1913 respondit Missam in oratoriis privatis non esse prohibitam neque in festo Corporis Christi neque in festo S. Josephi, sed cum dedit responsum haec duo festa suppressa erant, nunc autem sunt restituta ex Codice. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 127 *seq.* De S. Joseph adhuc dubitari potest, quia est festum, non I sed II classis.

Non satisfaciunt praecepto ubi Missa fit in *altari portatili* ex privilegio mere personali.

440. — Capella quae habeat *locum fixum* in **navi**, uti publica pro navigantibus habenda est, et consequenter in ea omnes navigantes audiendo sacrum satisfacere praecepto possunt; imo si navis in portu sit, id ipsum possunt etiam et alii qui navim visitant. S. R. C., 4 martii et 10 maji 1901. Igitur illic etiam sacrum audire navigantes *debent*, si alibi nequeant.

Si vero capella locum fixum in navi non habeat, habenda est uti altare portatile, ideoque *a*) navigantes non videntur *teneri* ad audiendum sacrum diebus dominicis et festis, si celebret sacerdos ex privilegio *mere personali*, prout, ex. gr., est illud quod habent sacerdotes Societatis Jesu concessum 20 jun. 1916, *ad decennium*; si vero *b*) celebret capellanus ipsius navis, vel Cardinales, vel Episcopi, *videntur* teneri. Cfr. *Ferreres*, in ephem. *Razón y Fe*, *vol.* 1, *pag.* 124; *vol.* 4, *pag.* 239; *vol.* 14, *pag.* 370.

QUAER. *An teneatur dominus uti privilegio, si ecclesiam adire non possit?*

Resp. Neg., juxta dicta de privilegiis, *n.* 220, ex *can.* 69.

III. *De causis a Missa excusantibus.*

441. — Excusat a Missa audienda quaevis causa mediocriter gravis, seu quae involvit mediocre quoddam incommodum vel damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quae est optima legum interpres. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 324.

Resolves: — 1.° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodire. Item qui infirmos custodire debent. *S. Alph.*, *n.* 325.

2.° Excusantur viatores, quibus non occurrit ubi sacro intersint, aut qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viae, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt.

3.° Excusantur, qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant sacra, omnes, quoad fieri potest, Missam successive audire debent. *S. Alph.*, *n.* 326.

4.° Excusantur matres et nutrices quae neminem habent cui relinquant parvulos, nec eos ad ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo conjuges tantum, alternis vicibus sacro interesse convenienter poterunt. *S. Alph.*, *ibid.*

5.° Excusantur mulieres quae non habent vestes decentes juxta conditionem sui statûs, vel famulam aut sociam, sine quibus graviter suffunderentur, si neque summo mane, neque in ecclesia

remota possunt sacrum audire. — Item dicendum de illis in quarum regione consuetudo est non standi sacro quando fiunt proclamationes pro suis matrimoniis. *S. Alph. n.* 330.

6.° *Excusantur*, juxta *S. Alph.* (*n.* 300), *viduae ratione luctus et etiam filiae et sorores* spatio temporis a consuetudine juxta varias regiones constituto.

7.° Excusantur saepe, qui ab ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere sine magna difficultate, praesertim hiemali tempore, non possint.

8.° Excusantur famuli si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent, ut impedimenta removeant, si possint. *Ita communiter.*

442. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam distantia excuset a Missa?*

Resp. Non potest absolute assignari, sed ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinanda est. Regulariter autem excusat distantia *trium milliarium* (Milliare respondet metris 1489. S. C. Indulg., 14 sept. 1904, ap. *Acta S. Sedis*, *vol.* 37, *pag.* 394, 395), seu iter pedestre unius horae cum quadrante, atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset. *S. Alph.*, *n.* 239; Hom. apost., *n.* 41.

443. — QUAER. 2.° *An excusetur a Missa infirmus in dubio utrum incommodum sit satis grave?*

Resp. In hoc casu standum est consilio medici, superioris, parochi, confessarii, vel alterius viri prudentis. Imo potest infirmus etiam judicio proprio acquiescere, si ita prudenter judicet. Quid vero si, petito consilio, dubius adhuc remaneat? — Absolute ad Missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni, judicandum est matrem Ecclesiam non obligare. *Ita valde probabiliter*, ait *S. Alph.*, *n.* 325. — In praxi satius est, ut dispensatio petatur, si facile peti possit.

QUAER. 3.° *An excuset occasio lucri notabilis faciendi?*

Resp. Affirm., *probabiliter*, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo valde gravi, ut constat ex dictis in *tract. de leg.*, *n.* 100. Sed hujusmodi lucrum extraordinarium et transitorium esse debet. *S. Alph.*, *n.* 332; *Elbel*, *n.* 368. — **Casus**, *n.* 347 *et seq.*

CAPUT II

DE IIS QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR

Agendum 1.° de operibus quae diebus festis prohibentur; 2.° de causis ob quas aliquando licite exercentur.

ARTICULUS I

DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR

444. — Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1.° opera *servilia* seu corporis, quae a servis seu mercenariis fieri solent; 2.° opera *liberalia* seu animi, quae a personis liberis ordinarie exercentur; 3.° opera *communia* seu naturalia, quae ab omnibus indiscriminatim fiunt. Distinguuntur etiam opera *forensia*, quae ad forum judiciale aut mercatum spectant. *S. Alph.*, *n.* 272.

445. Principia. — I. Festis de praecepto diebus abstinendum est, 1.° ab operibus servilibus, 2.° ab actibus forensibus, itemque, 3.° nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, a publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus (*can.* 1248). Igitur: 1.° Prohibentur *per se* sub gravi omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta diebus festis integris, id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem.

2.° Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones forenses, quae cum apparatu judiciali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Excusat tamen *necessitas* et *pietatis* causa. Idem statutum est ex jure *hispano*, *aa.* 256-259, 304, 305 et 1812 legis processus civilis, 201 *process. crimin.*, etc. Cfr. *Alcubilla*, V. Días feriados; *López Peláez*, el Derecho español, *pag.* 99.

Unde in novo Codice: «Dies festi de praecepto, et ultimi tres dies hebdomadae sanctae feriati habeantur; et in iis citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denunciare et exequi vetitum est, nisi necessitas, christiana charitas, aut bonum publicum aliter postulent. — Judicis autem est in singulis casibus statuere et denunciare, an et quae acta praedictis diebus expleri debeant» (*can.* 1639).

3.° Eodem jure prohibentur mercatus, nundinae, venditiones publicae, et alia similia, quae cum strepitu fiunt. Excipiuntur tamen, ob consuetudinem generaliter receptam, nundinae ad certum diem constitutae, si in diem festum incidant. — Sic declaravit *Benedict. XIV*, Const. *Ab eo tempore*, etc. Vide *S. Alph.*, *n.* 286.

II. Licita sunt opera *liberalia*, opera *communia*, et aliqua opera quae videntur *servilia*, sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quae commode differri vel anticipari aut non possunt, aut non solent. Ita ex praxi communi et omnium sensu. — «Qua in re, ut recte notat *Ball.*, cavenda est subtilis inquisitio, an istiusmodi

quidpiam forte anticipari, vel differri queat; ne scilicet ad inanes judaismi observantias declinemus.»

446. **Resolves:** — 1.° Prohibentur diebus festis opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vineas colere, etc. Item opera artium mechanicarum, v. gr. caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae, tectoriae, etc. Item pleraque opera, quae arti typographicae deserviunt. Excipiunt probabiliter characterum collocationem. *Elbel, n.* 401; *Laymann, Sporer, Tambur., S. Alph., n.* 282.

2.° Item non licet quaedam facere, quae levem laborem exigunt, et quae a monialibus confici solent, v. gr. rosaria, scapularia, imagines cereae, flores artificiales, etc.; quia haec in usu communi inter opera servilia adnumerantur. Attamen cum isti labores et alii similes leviusculi sint, nec animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent, juxta plures permitti possunt, modo ultra duas horas non producantur. Similiter iidem DD. excusant ancillas, quae occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam seclusa urgenti necessitate. Sic *Elbel, n.* 408; *Bonacina, Filliuccius*, etc. — Sed potius dicendum videtur, in his operibus majus temporis spatium requiri, ut adsit culpa letalis. Ita opinatur *S. Alph., n.* 282. — Non sunt tamen de ulla culpa arguendi, qui in talibus occupationibus exiguo tempore vacant.

3.° Licite ex recepta consuetudine venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelae, panni ad vestes conficiendas, et alia hujusmodi. Attamen mercatores debent officinas suas claudere, ut ostendant se diem dominicum ab aliis diebus distinguere. Verum in iis attendendae sunt consuetudines et locorum necessitates.

4.° Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves aliaeque merces, sive praesentes sive in parva sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo haec fiant inter privatos. Imo notat *S. Alph.* (*n.* 286) ferre consuetudinem ut contractus non modo private celebrentur, sed etiam per instrumenta, dummodo non requirant strepitum judicialem, v. gr. testamenta, instrumenta venditionum, etc.; licet advertat, alicubi notarius solere ad hoc generalem petere licentiam, quae ceterum communiter conceditur. Sed rursus etiam in his spectandae erunt cujusque loci consuetudines.

5.° Tolerantur etiam alicubi publicae venditiones sub hasta, post peracta divina officia; quia aliis diebus pauciores essent concurrentes, etc. Toleratur itidem, ut mercatores rerum parvi momenti (hispanice *buhoneros*) ex uno loco in alium merces deferant, ostendant et vendant. *Bouvier.*

447. Quaesita. — Quaer. 1.° *An liceat scribere vel transcribere die festo?*

Resp. ad 1.um *Affirm.*, quia hoc opus omnino liberale est, cum in eo praecipue animus agat. *Ita omnes.*

Resp. ad 2.um *Affirm.*, etiam *probabilius*, quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. *Ita communiter cum S. Alph., n.* 279, contra *Billuart et alios.*

Hinc 1.° licet etiam exarare delineationes artificum et fabrorum, notas musicorum efformare. *Elbel, n.* 400, *et alii.*

2.° Pariter fas est etiam libros corrigere, sive id fiat delendo lineas sive superponatur charta conglutinata. Licet enim hoc servile videatur, accessorium tamen est, cum *per accidens* ab ipso corrigente fiat. *Elbel, n.* 401, etc.

Quaer. 2.° *An liceat sculpere vel pingere?*

Resp. ad 1.um *Neg., per se*, quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur. *S. Alph., n.* 281; Hom. apost., *n.* 10. — *Probabiliter* tamen excipiendum, si de sola operis perfectione agitur.

Resp. ad 2.um *Controvertitur.*

I.ª Sententia *affirm.*, quia pictura est ars liberalis, vel saltem media inter liberalem et servilem; est enim quid scriptioni simillimum, modo tamen pictura fiat sine magno labore, qualis haberetur colores miscendo, tabulas praeparando, etc. *Ita Laymann, Azor, Sporer*, etc.

II.ª Sententia *neg.*, quia dici nequit actio liberalis, cum non dirigatur, ut scripta, ad animum excolendum, et quia pingere fere idem est ac sculpere, quod opus servile est. *Ita Salmant., Sánchez, Suárez*, etc. — Utramque sententiam merito *probabilem* dicit *S. Alph., n.* 280. Non tamen licet pictura muralis (*de brocha gorda*).

448. — Quaer. 3.° *An imagines acu pingere liceat?*

Resp. Controvertitur. Excusant multi: id enim magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. *S. Alph., n.* 281. — *Sporer, n.* 45, etc.

Quaer. 4.° *An liceat venari et piscari?*

Resp. Affirm. Quia haec non sunt opera servilia, et consuetudine tolerantur, modo non fiat magno cum labore, conatu, strepitu vel apparatu. *S. Alph., n.* 283, *et alii communiter* contra *paucos.*

Quaer. 5.° *An liceat iter agere pedibus, equo, curru? — Item an liceat ducere currum vel jumenta onusta?*

Resp. ad 1.um *Affirm.*, ut ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est ut antiquata, ait *S. Alph., n.* 275, post *Roncaglia.* Pariter licet uti lectica ab hominibus portata, ubi viget talis consuetudo. *S. Alph., ibid.*

Resp. ad **2.**um *Controvertitur*, extra casum necessitatis. Sententia nunc *probabilior affirmat* esse licitum, non solum ad iter inceptum continuandum, sed etiam ad illud inchoandum, dummodo ad currum onerandum ingens ac diuturnus labor non requiratur; a quo tamen labore facile excusat sive gravis damni vitandi, sive *publicae*

utilitatis procurandae causa, sive consuetudo, quae in contrarium alicubi forte invaluerit. *S. Alph.*, *n.* 276.

Unde ratione *publicae* utilitatis videtur licere onerare et exonerare die festo navigia, currus ferreos (*wagones*), si aliter commode fieri nequeat. *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 358 *bis*, 2.°; *Villada*, Casus, *vol.* 2, *pag.* 162, 163.

Quaer. **6.°** *An liceat molere die festo?*

Resp. Affirm., *probabilius*, si mola volvatur aqua vel vento, quia *parvus* vel fere *nullus* hominum labor requiritur. Secus autem, si jumentis agatur, nisi exigua sit hominis cooperatio. *S. Alph.*, *n.* 277; *Lacroix*, *n.* 578; *Tambur.*, etc.

Hinc vero patet generatim non licere molere die festo in magnis fabricis farinariis, cum in illis labor operariorum non sit parvus sed magnus et fere continuus, v. gr. in rebus asportandis, saccis implendis, aliisque operationibus perficiendis. Quod maxime valet si molae vapore volvantur, quia occupatio illius qui ignem vapori generando fovere debet, est continua et valde laboriosa.

Nec dicas id diebus festis permitti illis qui similia opera exercent in curru ferreo et in magnis navigiis; nam permittitur propter *bonum publicum:* at in fabricis illis agitur de bono *privato.* — Nec *lucrum* quod amittitur ob intermissum laborem diebus festis, est causa excusans; quamvis enim possit dici magnum, non est extraordinarium. Atqui ad hoc ut excusaret deberet esse magnum simul et *extraordinarium.* Ergo... *S. Alph.*, *n.* 301; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 812; *Del Vecchio*, *n.* 199. Cfr. *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 358 *bis.*

449. — Quaer. **7.°** *An liceat tonsoribus die festivo barbam radere?*

Resp. Affirm. Ratio 1.° ex generali consuetudine deducitur; 2.° quia plerumque solis diebus festis opifices et praesertim rustici officinas petunt, ut barba eis radatur. Si igitur hi postulantibus operam non praeberent, magno ipsorum detrimento derelinquerentur. — *Ita Viva, Tamburini, Gousset, Bouvier,* etc. — Ad excusandum sufficit quod *probabiliter* constet de exsistentia consuetudinis. *S. Alphonsus*, *lib.* 3, *n.* 290.

Quaer. 8.° *Quaenam materia sit gravis in opere diebus festis peracto?*

Resp. Requirunt multi saltem tres horas. *S. Alph.*, *n.* 305, pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiae *Lacroix* generaliter concludentis, quod communior et probabilior nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem *multum ultra duas,* puta duas horas cum dimidio.—Et Hom. apost., *n.* 25, addit cum *Mazzota*, excusari etiam majus temporis spatium ex aliqua necessitate. Addit, *n.* 307, in forensibus et judicialibus materiae quantitatem desumi non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

Quaer. 9.° *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis ut laborent per horam?*

Resp. Neg., probabilius per se, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. *S. Alph.*, *n.* 306, *et alii communius.*

ARTICULUS II

DE CAUSIS OB QUAS OPERA SERVILIA DIE FESTO PERMITTI POSSUNT

Tres praecipuae numerantur, scilicet: charitas, pietas, necessitas.

450 —I. *Charitas erga proximum.* Hinc licet die festo: 1.° facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2.° fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; 3.° laborare pro aliquo paupere *determinato*, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret; non tamen juxta graves theologos pro pauperibus *in genere*, nisi agatur de conficiendis vestibus aut aliis ejusmodi, quae usui pauperum deservire debent, non vero ad lucrandam pecuniam, quae pauperibus erogetur. *S. Alph.*, *n.* 294; Hom. apost., *n.* 17.

II. *Pietas erga Deum.* Licet ob pietatem: 1.° facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare, etc.; 2.° verrere ecclesiam, aliaque praeparare quae ad ejus munditiem pertinent. Non autem licet ecclesiam aedificare, reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere, etc., *nisi ecclesia sit pauper* (et petita facultate, si opus sit, ad scandalum vitandum), quia haec remotius ad servitium divinum inserviunt. *S. Alph.*, *nn.* 292, 293; Hom. apost., *n.* 17.

451. — III. *Necessitas*, sive propria, sive aliena, tum animae, tum corporis. Hinc:

1.° Excusantur pauperes, qui aliter se suosque alere non possint, modo privatim, et secluso scandalo, laborent.

2.° Excusantur omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc.

3.° Excusantur pariter pistores, qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant.

4.° Item sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios ante festum perficere valent.

5.° Item agricolae, qui ob praeteritam, aut imminentem pluviam, fenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

6.° Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

7.° Excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt; necnon ii qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat.

8.° Excusantur etiam ii, qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. gr., si agatur de celebranda victoria, de festo praeparando in principis adventum, aut alterius publicae exsultationis gratia.

9.° Excusantur quoque probabiliter illi, qni laborant ob lucri *notabilis et extraordinarii* circumstantiam, quia pro istis tale lucrum omittere idem est ac damnum grave pati. *S. Alph., quoad omnia, nn.* 296-304.

Licet autem quotquot hucusque enumerati sunt, dispensatione non indigeant, suadendum tamen fidelibus est, ut si commode possint, veniam a superiore ecclesiastico postulent, ne scilicet cupiditate decepti, absque sufficienti ad excusandum causa, cum aliorum scandalo laborent. Superior autem heic intelligitur praesertim Episcopus; qui licet generalem pro subditis omnibus dispensationem tribuere non possit, multoque minus permanentem (quippe id suppressioni festorum aequivaleret); at quoad aliquos actus cum particularibus personis, et rationabili causa, dispensare potest; imo hanc facultatem etiam parocho consuetudo concedit.

10. Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui saepius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum etiam praetextu necessitatis protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum saepissime in eam se conjiciant, vel plura assumendo opera ad certum diem perficienda, quam quae explere possint, vel non adhibendo eum operariorum numerum, quem opus requireret, vel intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terendo. Facilius illos excusares, quibus traditum die praecedenti fuisset opus perficiendum in diem festum sequentem.

452. — Quaer. *An excuset otii vitandi ratio?*

Resp. Neg., communiter loquendo. Etiam ratio ista prorsus insufficiens est ad legem Ecclesiae adeo gravem posthabendam. Excipiunt *Laymann, Mazzota*, etc., si otium probabile peccandi periculum inducat; quia (ajunt) si excusat periculum damni temporalis, *a fortiori* periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc S. Alphonsus (*n.* 362) libentius restringit ad casum, in quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset; quod raro accidit. — V. **Casus**, *n.* 354 *et seq.*

DE IV DECALOGI PRAECEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam. Exod., xx, 12.

Hoc praeceptum *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes; *secundario* autem et *implicite* spectat obligationes parentum erga filios, necnon obligationes mutuas aliorum superiorum atque inferiorum.

CAPUT I

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

453. — Filii erga parentes specialissima obstringuntur obligatione. Tria autem officia parentibus a filiis exhibenda sunt titulo pietatis, amor videlicet, reverentia et obedientia. Triplicem enim respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causae, ratione praeeminentiae, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut suae exsistentiae auctores, revereri ut superiores, eisque tanquam rectoribus a Deo legatis obedire. Cfr. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 101, *art.* 1 *et* 3, et *q.* 102, *art.* 1.

I. *Amor.*

Filii parentes amare debent amore tum *interno*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes; tum *externo*, omne malum et injuriam notabilem ab ipsis propulsantes, necnon externae benevolentiae signa eis exhibentes, iisque in necessitate constitutis pro facultate subvenientes. Constat ex jure naturali. Quamvis igitur genitores nostri defectus quantumvis graves habeant, et quovis modo erga nos se gesserint, eis tamen debemus vitam et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc Eccli., VII, 29 30: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

454. **Resolves:** — 1.° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis, si parentes interius odio habeant, exterius signa odii ipsis exhibeant, si eos aspere tractent, vel torvis oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2.° *A fortiori*, si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere, vel hereditate eorum potiri possint, vel ut cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo aliisve injustis mediis a condendo testamento illos impediant, etc.

3.° Item, si eos ad iram provocent, gravem tristitiam absque justa et gravi causa ipsis afferant, praesertim si eos contristent usque ad lacrymas. Sic enim in Prov., XIX, 26: *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Et Eccli., III, 18: *Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.*

4.° Si parentibus graviter indigentibus alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, affli-

ctos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant; praesertim vero, si illis non subveniant in necessitatibus spiritualibus, ut nempe ipsis in articulo mortis sacramenta administrentur, etc.—Tandem si ipsis vita functis, non curent ut exequiae et Ecclesiae caeremoniae, modo eorum conditioni congruo, persolvantur. *S. Alph.*, *n.* 333. Vide *n.* 473.

II. *Reverentia.*

455.— Filii parentibus exhibere debent reverentiam tum internam ut illos nimirum agnoscant tanquam superiores, et ideo timorem quoque reverentialem erga eos habeant; tum externam, quae in verbis et factis sita est. Hinc Eccli., III, 9: *In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.*— Et *ibid.*, 8: *Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.*—Deut., XXVII, 16: *Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem. Et dicet omnis populus: Amen.*

456. **Resolves:** — 1.° Graviter peccant filii, si parentes percutiant, etiam leviter, sed injuriose. Quod crimen vetustis etiam temporibus adeo visum est atrox, ut olim apud hebraeos morte plecterentur quicumque illud admisissent. Exod., XXI, 15: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* — Item si voluntatem percutiendi ostendant, v. gr., in eos manum attollendo, vel baculum aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo. Item si ejusmodi minas ipsis quovis modo intentent, etc.

2.° Graviter peccant, si parentibus maledicant, ut patet ex verbis Exod., XXI, 17: *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;* vel si convicia in eos conjiciant, eosque injuriis aut verbis contumeliosis, quibus sciunt graviter eos offendendos esse, afficiant; si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, aspectu torvo, etc., modo tamen haec ex despectu, non vero ex levitate, aut simplici rusticitate fiant. Sic enim Prov., XXX, 17: *Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.*

3.° Graviter peccant, *per se loquendo*, si valde superbe et amare eos reprehendant, contradictionibus exasperent, vel asperis verbis alloquantur, vel sine causa moerore gravi eos afficiant; et *a fortiori* si per haec usque ad iram gravem eos provocent; si eis signa reverentiae juxta morem patriae aut conditionis suae studiose recusent, v. gr. si non assurgant ipsis advenientibus, aut caput non detegant, aut illos non salutent, modo tamen ex his, parentes se graviter offensos existiment.

4.° Item si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent; aut ut incognitos et extraneos habeant. Excipe tamen, si secluso contemptu ac superbia, justam

ob causam fingant se illos non agnoscere, v. gr. ad vitandum aliquod incommodum, quod incurreret filius, si parentes ejus noscerentur, etc.

QUAER. *An graviter peccent filii percutientes, aut male et irreverenter habentes, parentes hebetes, amentes, prae senio delirantes, ebrios, etc.?*

Resp. Affirm., si ex malitia aut contemptu agant. Patet exemplo infelicis Cham, filii patriarchae Nöe, qui maledictus fuit a patre et a Domino ipso quod irreverenter erga patrem ebrietate captum egerit. Secus tamen, si objurgatio vel aliqua paulo severior tractatio sit necessaria ad parentes ratione carentes cohibendos.

III. *Obedientia.*

457. — Filii parentibus obedientiam praestare debent in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur. Constat ex jure naturali et ex Scriptura, Ephes., VI, 1: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est.* — Coloss., III, 20: *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.*

458. **Resolves**: — 1.° Peccant plus minusve filii, si in re spectante ad mores, animae salutem, et domus gubernationem, parentes audire nolint, licet inconsideratio vel aetatis defectus illos ex parte excuset.

2.° Item si prava consortia, si aleas aliosve hujusmodi lusus, aut loca periculosa, ut popinas, choreas, theatra aut alia similia, non obstante seria parentum prohibitione, frequentent; peccant praesertim filiae, quae, invitis aut etiam insciis parentibus, cum procis conversantur, vel noctu domo egrediuntur, aut solae amasios alloquuntur.

3.° Item si, neglecto parentum mandato, sacramenta aut alia religionis officia notabiliter omittant; si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant, et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

4.° Item si quae ad bonum regimen, pacemque familiae multum spectant, exsequi recusent, vel si omnia pro arbitrio suo administrare velint, spreta parentum auctoritate, praesertim si arroganter et superbe respondeant: *Non faciam, age negotia tua. — Nihil volo mihi praecipiatur. — Taedium et fastidium mihi affers*, etc.

5.° Non raro tamen in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et saepissime ob parvitatem materiae. Imo saepe ab omni culpa immunes censeri debent ob defectum praecepti rigorosi ex parte parentum. Ut enim peccatum,

praesertim grave, contra obedientiam committatur, requiritur ut parentes videantur stricte praecipere, non vero solum suadere, sollicitare, aut mentem suam significare. Dignoscitur autem praeceptum verum injungi, ex modo serio seu severo quo res praecipitur, et ex aliis adjunctis, v. gr. ex necessitate et magnitudine rei praeceptae, ex poena apposita, etc.

6.° In rebus autem pravis, filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex jure naturali. Item ex Scriptura sacra. Sic enim Act. Apost., v, 29: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*—Matth., x, 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

459. Quaesita. — Quaer. 1.° *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Neg., per se, quia quilibet homo *quoad statum vitae*, quo tendere debet ad Deum, ut finem suum ultimum, est omnino independens ab aliis hominibus; et proinde graviter peccant parentes qui filios invitos aut directe aut etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive conjugalem; vel contra, si eos omnino invitos ab aliquo vitae statu eligendo sine justa causa impediant.

«Ad rem, inquit Ballerinius, faciunt duo principia, quibus S. Thomas utitur in hac materia, nempe: 1.° vocanti Deo magis obtemperandum esse, quam contradicentibus hominibus; 2.° in iis, quae ad naturam corporis pertinent, hominem homini obedire non teneri, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares: *Unde non tenentur... filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.* Vid. 2, 2, *q.* 101, *art.* 4, *et q.* 104, *art.* 5.»

Dixi *per se*, secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant, v. gr. si in gravi necessitate constituti egeant subsidio filii, nec illis alio modo succurrere hic possit, nisi remanendo cum ipsis. *S. Alph., n.* 335; *Elbel.*

Quaer. 2.° *An possint filii amplecti statum religiosum, insciis parentibus?*

Resp. Per se, affirm. Imo aliquando consultius aget filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertens sibi a parentibus injuste aditum interclusum iri, rem eos celet, divinamque voluntatem exsequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis aetate *minoribus*, quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina. *S. Alph., l.* 4, *n.* 68. In **Hispania**, et ubi vigeat eadem legum dispositio (ut generatim viget in **Amer. lat.**), cavendum est a tali consilio filiis minoribus praebendo, cum parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco eos abducere, et ad se revocare possint.

460. — Quaer. 3.° *An filii possint, inconsultis parentibus, matrimonium inire?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quoad *liceitatem*. Vide dicenda in *tract. de matrim.*, *c.* 3.

QUAER. 4.° *An possit filius minor nomen dare militiae, invitis parentibus?*

Resp. Ex codice civili **hispano** non potest filius minor dare nomen militiae, nec generatim relinquere domum, invito patre, aut invita matre, si haec vidua est. *C. C.*, *art.* 155, 321; *Ley de reemplazos*, 11 de julio 1885, *art.* 161; *Reglam.* 22 de enero 1883, *art.* 101. Ita etiam C. **Arg.**, *art.* 309, 310 (275, 276).

Quod invito patre filius domum relinquere non possit durante patria potestate, dicunt etiam CC. CC. **Ven.**, *art.* 238; **Mex.**, *art.* 368; **Ur.**, *art.* 235. Item **Bol.**, *art.* 190, qui tamen permittit ut derelinquat ad nomen sponte militiae dandum post ann. 18 aetatis. — Vid. **Casus**, *n.* 359 *et seq.*

CAPUT II

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS

Filiis parentes debent 1.° amorem; 2.° educationem.

Ratio hujus obligationis in ipsis naturae visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet, imo et bruta ipsa, quae fetus suos diligunt, iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

I. *Amor.*

461. — Parentes filios prosequi debent amore interno efficaci et ordinato, ita ut non tantum omne odium animique malevolentiam exuant, sed illos corde diligant, et quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent, iisque in omni re prospiciant. Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc plus minusve peccant contra specialem pietatis virtutem parentes:

1.° Qui pravo affectu et injusto odio in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur, iisque, ubi opus sit, non succurrunt.

2.° Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiae ipsis praebent, eosque faciunt morosos et contumaces, contra illud Apostoli, Ephes., VI, 4: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

3.° Qui occulta eorum delicta sine justa causa manifestant

externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit saepe, ut utrisque nota sint ad perversionem filiorum praecavendam, etc.

4.° Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant, ne eos contristent; vel qui, bonitate intempestiva utentes, remissius erga illos agunt, et sive ob segnitiem, sive ob benignitatem crudelem, eos praeceptis seriis aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere negligunt.

5.° Qui uni prae aliis magis favent sine justa ratione, ceterosque indifferenter intuentur, aut etiam sicut adulterinos habent; haec enim unius prae ceteris dilectio fons est et occasio jurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

II. *Educatio.*

Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem, tum 1.° religiosam et moralem, tum 2.° physicam et civilem, pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi (*can.* 1113).

1.° *Educatio spiritualis.*

462. — Tenentur praecipue parentes filiis procurare educationem spiritualem. Hinc in Codice canonico: «Parentes... obligatione adstringuntur curandi ut omnes sibi subjecti catechetica institutione erudiantur» (*can.* 1335). Ratio est, quia homo praeter esse materiale seu corporale, quod cum ceteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad Divinitatis ipsius imaginem creata; et conditus est, ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur, et ad vitam aeternam praeparetur. Hinc Apostoli, I Tim., v, 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* — Ad hanc vero educationem requiritur: 1.° doctrina, 2.° correctio, 3.° exemplum.

I. *Doctrina.* Tenentur parentes *per se* vel per aptos institutores erudire filios in bonis moribus, observatione mandatorum Dei, in fide, et in omnibus ad salutem necessariis; quia illos erudire debent in via, qua ad Deum perveniant. Hinc Deut., xi, 19: *Docete filios vestros* (verba mea), *ut illa meditentur.* — Eccli., vii, 25: *Filii tibi sunt? erudi illos... a pueritia illorum.*

Hinc Codex: «Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi ut non solum nihil eis tradatur quod catholicae religioni morumque honestati adversetur, sed praecipuum locum obtinere debet institutio religiosa ac moralis» (*can.* 1372, § 1).

Sedulo igitur parentes curare debent: 1.° ut filii quamprimum gratia baptismatis regenerentur; 2.° ut a tenerrima pueritia eos praecipua doctrinae christianae capita doceant, et corda eorum ad Deum inclinent; 3.° ut a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiae officiis et catechismis assuefaciant, necnon a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; 4.° ut eis praeficiant magistros doctrina et praesertim gravitate morum conspicuos; 5.° ut invigilent diu noctuque, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

463. — II. *Correctio.* Tenentur parentes filios delinquentes corrigere. Hinc Prov., XIII, 24: *Qui parcit virgae, odit filium suum.* — Et XXIII, 13: *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur.* — Ibid., 14: *Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* — Ephes., VI, 4: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.*

Sed correctio, ut utilis sit, debet esse moderata et prudens. Castigatio enim immoderata plus obesse quam prodesse noscitur, siquidem filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos; imo pro amore parentibus debito contemptum vel etiam exitiale odium parere solet.

III. *Exemplum.* Parentes bonum exemplum filiis debent, quia 1.° exempla efficacius, quam verba, ad sequelam quodammodo trahunt, praesertim si a superioribus praebeantur; 2.° quia si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum eorum verba filios ad bonos mores sectandos movebunt. — Unde S. Hieronymus, *epist.* 7, *ad Laetam*, ait: *Mementote vos, parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce.*

464. Resolves: — 1.° Graviter peccant parentes, qui omnem curam ad temporalia tantum impendentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsi quidem sciant quae ad salutem assequendam sunt necessaria, multo autem minus liberos suos instruant aut instrui curent.

2.° Peccant graviter parentes, qui ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt.

3.° Graviter peccant *per se* parentes, qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter negligunt, quando alioquin id necesse foret; sed non minus peccant, qui gravioribus poenis in filios animadvertunt, v. gr. si eos mutilent, vel eis grave vulnus aut percussiones et verberationes adeo graves infligant, ut vita aut sanitas eorum notabile detrimentum capiat.

4.° Duplex pariter peccatum perpetrant parentes, cum verba turpia et obscenos sermones audientibus filiis proferunt, maledicta et imprecationes evomunt, juramenta et blasphemias eructant. His enim pravis exemplis efficiunt, ut filii haec omnia addiscant, atque eadem imitentur.

5.° Graviter peccant, saltem generatim, parentes, qui mittunt filios ad scholas haereticas vel impias, aut eos magistro haeretico vel impio, moribusve perdito committunt, ut scientias humanas discant. Quot autem incauti et crudeles genitores nostris temporibus tam nefando scelere se obstringunt! Ab eis *animam pro anima* requiret in tremendo judicio justissimus Judex. — V. **Casus**, *n.* 368 *et seq.*

465.— *N. B.* Circa **scholas mixtas** haec prae oculis habenda sunt:

I. In qualibet elementaria schola, pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa (*can.* 1373, § 1).

Juventus, quae medias vel superiores scholas frequentat pleniore religionis doctrina excoli debet, et locorum Ordinarii curare debent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes (*Ibid.*, § 2).

II. Pueri catholici prohibentur frequentare scholas *acatholicas*, *neutras*, *mixtas*, quae nempe etiam acatholicis patent.

III. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae frequententur (*can.* 1374).

Quare: 1.° *Per se* graviter parentes peccant si filios ad scholas *neutras* vel *laicas* mittunt, in quibus datur educatio ab omni positiva religione praescindens, quae etiam *mixtae* vocantur eo quod discipulos ad quamcumque sectam pertinentes admittunt. Quod intelligi debet tum de scholis inferioribus, tum de mediis, tum de supremis quas academicas vocant.

«Plena enim periculi est ea disciplina, in qua aut corrupta sit aut nulla religio, quod alterum in scholis, quas diximus mixtas, saepe videmus contingere... Quid enim, Deo sublato, adolescentes poterit aut in officio retinere, aut jam a recta virtutis semita devios, et in praerupta vitiorum praecipites, revocare?» *Epist. Leonis XIII*, 1 aug. 1896, *De memoria saeculari B. Petri Canisii* (*Il Monitore*, X, *p.* 1, *pag.* 127 *seq.*).

Continent igitur amittendae fidei periculum intrinsecum tum ex parte professorum, tum ex contagione haereticorum condiscipulorum. *Instructio S. Officii ad episcopos Helvetiae circa scholas mixtas*, 26 mart., 1866 (*Il Monitore, vol.* 13, *pag.* 158; *Collect. P. F.*, *n.* 477).

Auctoritas quippe praeceptorum, quae maxime in adolescentium animis valet, ad ea omnia approbanda quae in iis vident aut ab eis audiunt, naturali quadam vi eos rapit. Inde fit ut illorum erga religionem indifferentia, errores haereticales et contemptus catholicae religionis, venenato quodam halitu tenella pectora inficiant, et penitus corrumpant extincto calore omni pietatis. *Ibid.*

Prae oculis etiam habendus est finis quo hujusmodi scholae instituuntur, qui alius esse non solet nisi extirpatio catholicae religionis. *Ibid.*

Unde patresfamilias sibi persuadeant, «se nihil pejus de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse quam ut natos suos in extremam hanc aleam immittant.» *Ibid.;* C. P. **Americae lat.**, *n.* 136; C. **Manilan.**, *n.* 125.

2.° Ubi vero ea tyrannide opprimantur catholici, ut ad scholas catholicas adeundas nulla jam illis aut pateat via aut suppetat facultas, adeoque in ea sint optione, ut vel necessaria domui suae studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquant, aut scholas mixtas utut invitissimi subeant, tunc sumus in casu in quo subeunda sit occasio proxima peccandi quae necessaria est. *Instr. cit.*

His igitur in adjunctis si occasio proxima, adhibitis cautelis fieri possit remota, licebit filios ad hujusmodi scholas mittere, *secus non licebit. Ibid.*

Sed animadvertendum: 1.° «frustra quempiam necessitatem causari, si ad alias scholas, quae sint mere catholicae, *licet in extraneis regionibus sitae*, possit liberos suos sine notabili damno mittere»; 2.° hac in re, ut liberos nempe ad hujusmodi mixtas scholas mittere liceat: *a*) standum esse judicio Ordinarii; *b*) tum ab Ordinario, tum a parochis, tum a genitoribus opportuna remedia esse adhibenda; *c*) enitendum esse apud magistratum ac praesides ne vis inferatur conscientiae catholicorum adhibendo libros, qui religioni catholicae sint infensi. *Ibid.*

N. B. 1.° *Parochi* in catechesibus, ac praecipue in his exponendis veritatibus sive fidei sive morum, quae magis ab incredulis atque heterodoxis impetuntur, diligentem operam ponant, frequentem *sacramentorum usum* ac pietatem in *B. Virginem* foveant; *genitores* vero liberis suis sollicite invigilent, de lectionibus auditis eos interrogent (sive per se sive per alios idoneos), libros iisdem traditos recognoscant, antidota praebeant, et a familiaritate et consortio haereticorum discipulorum illos omnino arceant et prohibeant.

2.° In hujusmodi scholis ut mala, quae ex ipsis dimanant, quantum fieri potest avertantur (de quo monendus populus ut scandalum vitetur), licet sacerdotibus capellani munere fungi, imo curandum est, ut non modo fidei christianae tradendae, verum etiam aliarum disciplinarum scholis quotquot fieri potest praeficiantur sacerdotes, aut honesti perspectaeque virtutis laici (1).

---

(1) Vide etiam *Instructionem S. Off. ad episcopos Graeco-Unitos circa scholas mixtas*, 28 aug. 1900; *Inst. S. Off. ad episcopos Stat. Foeder. Amer. Sept.*, 24 nov. 1875; *Il Monitore*, *vol.* 12, *pag.* 289; Conc. P. **Amer. lat.**, *nn.* 134-141: C. **Manilan.**, *nn.* 150-158;

3.° Etiam scholas, etsi catholicae sint, in quibus adolescentes utriuslibet sexus permixtim educantur, plurima afferre pericula tum corpori tum animae probat medicus Dr. Blanc in suo egregio opere *La Coeducación de los sexos.*

2.° *Educatio corporalis.*

466. — Educatio corporalis triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet, ratione 1.° vitae, 2.° victus, 3.° status.

I. *Ratione vitae.* Tenentur parentes curam prolis sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia, quae ipsi nociva esse possunt, et invigilare, ne ulli vitae periculo exponatur.

Hinc peccant *per se* graviter: 1.° mulieres, quae non cavent, ne fetus in utero perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diuturno, nimia iracundia, aut moerore vehementiori; 2.° viri, qui praegnantes uxores aspere tractant, gravibus percussionibus afficiunt, aut ipsis ingentes imponunt labores; 3.° conjuges, qui non cavent, ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocantes sine ullo repagulo, aut non cavent, ne quid mali quomodolibet ipsis eveniat ex aqua, igne, bestiis, ferreis instrumentis, etc.

II. *Ratione victus.* Tenentur parentes filiis procurare quaecumque necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suae congruum. — Vide *n.* 578.

Hinc peccant parentes: 1.° qui filiis necessitatem patientibus non succurrunt, donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant; 2.° qui filios domo ejiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis prospicere, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem ab ipsorum conditione alienam exercendam.

«Graviter peccant parentes qui *sine justa causa* prolem hospitali, vel locis publicis exponunt.» *Busemb.*

«Justam tamen habere causam exponendi (vel in hospitali, etc.) censetur, qui secus laboret gravi periculo vel vitae, vel infamiae (ut si spurius sit filius), vel etiam qui versatur in gravi necessitate, v. gr. si lac desit matri, aut haec moriatur et pater non habeat quo conducat nutricem. *Bonac.*» — *Ball-P.*, II, *n.* 824.

467. Quaesita. — Quaer. 1.° *An mater filiolos proprio lacte nutrire debeat?*

Resp. Affirm., cum sententia communi, quia hoc jus *naturale* postulare videtur. Attamen haec obligatio *non* urget *sub gravi*, quia, ut ajunt, non apparet secus gravis inordinatio. Ab omni autem cul-

---

item *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 828; *Génicot*, *n.* 350 *seq.* Cfr. supra, *resol.* 4.ª *et* 5.ª, *n.* 293, necnon *Giobbio*, Diplomazia, *vol.* 2, *n.* 486 *seq.*; *Ferreres*, La enseñanza del Catecismo, *n.* 126 *seq.*

pa excusat necessitas, notabilis utilitas, etc...; sed tunc *sub gravi* mater bonam, quoad mores et valetudinem, nutricem sibi substituere debet. *S. Alph.*, *n.* 336; *Bened. XIV*, De Synodo, *lib.* XI, *cap.* 7, *n.* 10, *et alii communiter*, contra *alios* laxiores vel rigidiores.

Nihilominus plures medici existimant *gravem* inordinationem contineri in generali illa consuetudine, apud nobiles praesertim familias vigente, non lactandi proprios infantes, quamque alii plagam socialem appellare non dubitant. Ratio est, quia inde non levia consectaria derivantur tum pro ipsa matre, tum pro publicis moribus, tum pro nutricis filio, tum denique ac praecipue pro infante, qui nutrici traditur, vel aliquo modo arte nutritur.

Etenim *a*) notandum bene est, ipsi matri periculum creari, si filium, cum possit, noc lactet. Matres enim non lactantes *proclivio-res* sunt, teste *Dre. Blanc* (1), ut in varios incidant morbos, v. gr. in congestiones, hypertrophias, inflammationes uteri chronicas, ejusdemque aberrationes, etc. E contra, lactantes matres celerius post partum recuperant sanitatem, et quae antea adversa semper utebantur valetudine, non semel visae sunt sub influxu lactationis perfectam obtinuisse sanitatem. Cfr. etiam *Antonelli*, Medic. Pastoralis, *n.* 142 *seq.*—Nec verum est femineam pulchritudinem per lactationem minui ac veluti obscurari; imo melius ipsi consulitur, ita ut regiones aliquae a medicis recenseri soleant in quibus pulchritudo feminarum, eo quod consuetudo non lactandi filios fere communis sit, multum pristini splendoris amiserit.

b) Praeterea publicis moribus adversatur haec praxis. Etenim plures solutae feminae ex fornicatione matres fiunt, et propria prole neglecta, ad aliam accepta mercede lactandam accedunt; iterumque fornicantur ut hoc munere iterum frui possint. *Capellmann*, Medicina pastoralis, *pag.* 49, ed. 2.ª latin. Vide etiam ed. 1.ªm hisp. ex 16.ª germ., *pag.* 127 (1913).

c) Nec omittendum est, saepius nutrices, spe lucri allectas, proprium ac *legitimum* filium negligere, ut alienum, accepta mercede, lactare possint.

d) His accedit: 1.° pueros infici posse pluribus nutricis morbis, praesertim phthisi ac syphilide; 2.° cum lacte sugere temperamentum nutricis ejusque inclinationes; *Ita Sylvius apud Descuret*, Medicina de las pasiones, *p.* 1, *c.* 4, trad. de *Monlau* (Barcelona, 1857, *pag.* 43); *Eschbach*, Disp. phys. theol., *d.* 1, *c.* 6, *art.* 3, *pag.* 96, ed. 1.ª Cfr. etiam *Antonelli*, l. c., *n.* 137; *Eymieu*, El gobierno de sí mismo, *pag.* 200, nota; — et 3.° mortalitatem inter eos infantes qui aliquo modo arte nutriuntur, ea aetate ubi infantes uberibus ali solent, longe majorem esse quam apud eos qui lacte materno aluntur (*Capellmann*, l. c., *pag.* 45 *seq.*), ita ut *Dr. Pinard*, citatus

(1) In epistola ad P. Ferreres data.

a *Dre. Blanc*, testetur mortalitatem ita augeri, ut pueri qui maternis uberibus aluntur 15 % ea aetate pereant; si a nutrice in loco remoto ab illo in quo infantis parentes degunt, 71 %; 32 % si in paterna domo nutriantur modo artificiali; 63 % si hoc pacto in remoto oppido alantur.

468. — Generatim statui potest mortalitatem inter infantes esse duplo majorem primo anno si lactentur a nutrice quam si lactentur a matre; sextuplo vel septuplo majorem si lactentur artificiali modo *(con biberón)*. Cfr. *Corominas,* De la mortalitat i de la protecció a la primera infancia a Barcelona, *pag.* 12 *seq.* (Barcelona, Perelló, 1917).

Ratio est, quia organa digestiva infantium delicatissima sunt, ideoque facillime morbum mortalem concipiunt si alimentum ipsis datum non sit proportionatum resistentiae ipsorum organorum; unde tertia pars infantium qui moriuntur primo anno, pereunt ex affectionibus apparatus digestivi, praesertim primis mensibus post nativitatem. Vide *Capellmann,* l. c., *pag.* 45 *seq.,* edit. latina.

Jam vero natura dat matri lac dum infans nascitur, estque proportionatum aetati infantis, et dum crescit aetas infantis etiam compositio lactis proportionate crescit juxta resistentiam infantis et necessitates nutritionis ipsius; quod non accidit semper cum nutrice cujus lac nimis aut antecedit aut subsequitur infantis nativitatem; et a fortiori accidit in lactatione artificiali, cum talis lactis compositio in plurimis deficiat a lacte proprio pro infante.

Hinc in Suecia et Norvegia ex quo lex civilis lata est obligans matres ad lactandos proprios filios, mortalitas infantium, quae erat 20 % (sicut adhuc est in Germania), reducta est ad 10 % seu ad dimidiam partem. Cfr. *Capellmann,* Medic. past., ed. hisp. ex 16.ª germ., *pag.* 130 (1913).

469. — Mortalitas in lactatione artificiali solet esse primo anno 40 % in favorabilibus, 71 % in magis adversis. Unde media erit ultra 50 %. Ergo exponere infantem lactationi artificiali, est illum exponere periculo mortis ita certo ut contingat in pluribus casibus. Quod *per se* grave peccatum inducere videtur, nisi adsit causa necessitatis excusans. Cfr. *Corominas,* l. c.

Periculum mortis minuitur si infans a propria matre lactetur saltem primo mense, et adhuc magis, si tribus prioribus mensibus. Amor matris in filium fovetur ex lactatione multo magis quam ex gestatione et partu. *Ibid., pag.* 15, 16.

Demum si medicos audias, plures sunt infantes qui in teneris annis exsecrandum masturbationis vitium a pravis nutricibus, vel etiam ab *ancillis inhonestis*, quae puerorum genitalia ut a planctu eos temperent vel ut propriae libidini indulgeant, titillant, didicerunt. *Debreyne,* Theol. mor., *p.* 2, *c.* 1; *Capellmann,* l. c., *pag.* 66; *Eschbach,* l. c., *pag.* 557, edit. 2.ª (Romae, 1901).

Ex quo inferre insuper debemus cum S. Alph., *n.* 339, gravem reatum incurrere parentes qui liberos committunt famulis, de quorum moribus nihil compertum habent.

470. — Quaer. 2.° *An aliquando mater abstinere debeat a lactando proprio infante?*

Resp. Affirm. Quando scilicet lactatio materna vel ipsi matri vel infanti graviter perniciosa accidere posset, v. gr. cum his vel

similibus infirmitatibus mater afficiatur: *phthisi, rhachitismo, epilepsia, amentia, hysterismo nimis aucto, affectionibus organicis* sive *cordis* sive *systematis nervei, neurasthenia* profunda, *anhaemia* perniciosa, *cancro* vel alio *tumore* maligno, *albuminuria, glucosuria, syphilide*, etc. Item generatim quoties infirmitate aliqua *gravi* laboravit mater in ipso partu vel tempore partui proximo, vel etiam si partus ipse difficilis fuit et cum haemorrhagia copiosa. In his et similibus casibus (qui non admodum frequentes sunt et circa quos judicium periti medici erit exquirendum) filiolus nutrici tradendus erit. Cfr. etiam *Descuret*, l. c.

Excipiendus omnino est casus, quo mater **syphilide** fuerit infecta, quia tunc *sub gravi* recurrendum erit ad lactationem artificialem. Ratio est: 1.° quia si infans tunc lactetur *a matre*, simili infirmitate puer si jam infectus non sit, certe inficietur; 2.° si ubera *nutricis* sugat, hanc puer, qui forte jam pestifera lue inficitur, inficere potest ac fere certo inficiet. *Dr. Blanc*, l. c.; *Antonelli*, l. c., *n.* 372.

N. B. Mulieres lactantes curare debent ut animum tranquillum gerant, saltem tempore uniuscujusque lactationis: vehementes enim passiones, v. gr. irae, tristitiae, pavoris, laetitiae excessivae, etc., lac vitiant, inficiuntque infantes, eisque non semel repentinam mortem attulerunt. *Descuret*, l. c.; *Antonelli*, l. c., *n.* 368.

Curent etiam ut vino vel nullo vel moderate utantur; abstineant omnino a liquoribus alcoholicis, drogis, cibis nimio aceto confectis, ac caffeo: celeriter enim hujusmodi substantiae per lac infanti transmittuntur, in eoque respondentes effectus excitant, v. gr. exaltationem, nerveam stupiditatem ebrietati similem, convulsiones, etc. *Descuret*, l. c.; *Antonelli*, l. c., *n.* 370.

471.—III. *Ratione status.* Tenentur tandem parentes filiis procurare statum, in quo honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. — Hinc peccant:

1.° Qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut acquirant bona, ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant, juxta illud Apost., II Cor., XII, 14: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2.° Qui artem statui congruentem aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant.

3.° *A fortiori* qui pigritia, negligentia, potationibus, comessationibus, lusibus, negotiis imprudentibus rem familiarem dissipant.

4.° Qui absque causa legitima dotem filiae convenientem denegant. *S. Alph.*, *n.* 335. De obligatione et modo constituendi dotem ex jure *hispano* dicetur *n.* 864, III.

472. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sint obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendentium?*

Resp. Eaedem sunt generatim, *cum debita proportione*, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes, ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, praesertim si, parentibus deficientibus, ascendentes nepotum curam suscipiunt. — *Ita omnes.*

Non modo parentibus (ut statuit Codex), sed etiam omnibus qui eorum locum tenent, jus et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem (*can.* 1372, § 2).

QUAER. 2.° *Quaenam sint mutuae fratrum et sororum obligationes?*

Resp. 1.° Debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut ceteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum.

Resp. 2.° Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.— *Ita omnes.* Vide *S. Alph., n.* 340.

473. — *N. B.* 1.° Quoad *mutuam* obligationem **alimenta praebendi**, haec sunt tenenda ex jure **hisp.-ph.** (cui fere in omnibus cohaerent CC. **lusit.**, 171-184, 1831, et **Amer. lat.**, scil.: **arg.**, 401-410 (367-376); **bras.**, 396-405; **chil.**, 321-337; **col.**, 411-427; **aeq.**, 311-327; **mex.**, 205-225; **nic.**, 320-336; **per.**, 173 *seq.*, 244 *seq.*; **Salv.**, 383-405; **ur.**, 118-128; **ven.**, 263-280; **bol.**, 121-128; **cost.**, 157-170. Sed duo postremi nihil dicunt de fratribus).

I. Nomine *alimentorum* intelligitur quidquid necessarium est ad victum, vestitum, habitationem, et medicorum assistentiam juxta familiae conditionem et statum (alimenta naturalia et civilia). Item necessaria ad educationem et instructionem, si de minoribus agitur (**hisp.-ph.**, 142; **lusit.**, 1831; **bras.**, 1687). Praestari possunt vel solvendo pensionem, vel in propriam recipiendo domum, ibique sustentando eum, cui alimenta debentur, *art.* 149. Obligatio praebendi alimenta incipit cum necessitate illius cui debentur; et ea cessante, cessat, *art.* 148 *et* 152. Cessat etiam si hic delictum patraverit, cui poena exheredationis sit adnexa.

II. Tenentur sibi mutuo praestare alimenta: — 1.° conjuges;— 2.° ascendentes et descendentes legitimi; — 3.° patres et filii *legitimati* ex regia concessione, et horum legitimi descendentes;— 4.° patres et filii naturales *legaliter recogniti*, et horum legitimi descendentes; — 5.° patres et filii illegitimi, qui non sint *naturales;* — 6.° fratres, quamvis uterini tantum, vel tantum consanguinei sint, si quacumque ex causa inculpabili, non possint sibi necessaria ad victum procurare. Sed ii de quibus diximus nn. 5.° et 6.°, tenentur tantum ad *alimenta naturalia*, i. e., ad subministranda necessaria ad vitae subsistentiam, et quatenus opus sit, ad instructionem elementalem et ad hoc ut doceantur professionem, artem vel officium, *art.* 143.

III. Ad alimenta hoc ordine tenentur *a*) conjux; *b*) *descendentes* gradu proximiores; *c*) ascendentes proximiores; *d*) fratres. Qui sub litt. *b*) et *c*), juxta ordinem quo lege vocantur ad hereditatem illius, cui alimenta debentur, *art.* 144. Vide etiam *art.* 145.

2.° Filii *naturales* sunt illi qui extra matrimonium eo tempore *concepti* (aut nati: **cost.**, *art.* 118) sunt quo parentes matrimonium inter se contrahere potuissent (**bol.**, *art.* 165); saltem accedente dispensatione (quae concedi soleat). Cod. **hisp.-ph.**, *art.* 119; **arg.**, 345 (311), 358 (324); **aeq.**, *art.* 231-267; **chil.**, 270; **mex.**, *art.* 328; **per.**, 236; **ur.**, 203; **ven.**, 206. Cfr. etiam **lusit.**, 122-125; **bras.**, 352-358.

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM

474. — I. Conjuges tenentur:

1.° Ad mutuum amorem. Cum enim sint caro una, debent etiam esse cor unum. Sic Ephes., v, 25: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* — Tit., II, 4: (Uxores) *Viros suos ament.*

2.° Ad societatem conjugalem et cohabitationem. Patet ex natura et finibus matrimonii, et ex verbis Christi, Matth., x, 5: *Dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Unde jure **hisp.-ph.** (cfr. *Willard*, Anotación del Código civil español, *pag.* 14), **lusit.** et **Amer. lat.** uxor virum sequi tenetur ubicumque hic domicilium constituat. Ex justa tamen causa poterit a judice ab hac obligatione liberari, v. gr. **jure hisp.**, si vir domicilium in exteras terras (**lusit.**, 1186) vel ultra mare, transferat, *art.* 58.

3.° Ad alimenta et quaecumque ad honestam conditionis suae sustentationem pertinent, sibi mutuo praestanda: *Jam* (enim) *non sunt duo sed una caro.* Matth., XIX, 6. — *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam.* Ephes., v, 29. Vide *n.* 473.

4.° Ad debitum conjugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio, nec legitima adest illud negandi causa; quia ad id se obligarunt. Hinc Apostolus, I Cor., VII, 4: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (nempe in ordine ad generationem).

475. — II. Vir tenetur in particulari:

1.° Studiose rem familiarem gerere, et bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administrare.

2.° Curare ut uxor munia christianae professionis impleat, et praecepta legis tum divinae tum ecclesiasticae exsequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiae, ac proinde ad ipsum

spectat tum uxoris tum aliorum familiae membrorum recta gubernatio.

3.° *Corrigere* uxorem delinquentem, ubi opus sit ad ejus emendationem et ad scandalum praecavendum. Debet autem correctio procedere ex charitate vel amore justitiae aut zelo procurandi rectam familiae gubernationem, et esse multo levior quam culpa mereatur, quia uxor est socia viri, non serva. Curandum insuper est, ne pax et amor inter eos pereant.

III. Uxor ex parte sua tenetur:

1.° *Revereri* maritum, quia ille est ipsius superior, ut constat ex dictis, et ex verbis Gen., III, 16: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

2.° Praestare ipsi *obedientiam;* quia obedientia debetur superiori in iis, quae ad gubernationem pertinent; et Apost., ad Coloss., III, 18, ait: *Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet in Domino.*

3.° Curam domus gerere in re familiari, et proinde familiae officia obire, ut parare cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire, et alia hujusmodi praestare. Nobilis tamen uxor officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet, et curet ut res domestica bene geratur.

476. **Resolves:** — 1.° Maritus graviter peccare potest, si uxorem conviciis prosequatur, v. g., vocando eam *adulteram, sagam,* etc.; si absque justa causa eam impediat ab implendis praeceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. gr., a discreta sacramentorum frequentia; si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; si cum ea non cohabitet; si familiae gubernationem negligat, etc. — *S. Alph., n.* 356.

2.° Uxor pariter potest peccare graviter si maritum soleat irridere, subsannare; si verbis asperis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet, etc.

3.° Vir ordinarie correctionem uxoris inchoare debet per verba suaviora, et si haec non prosint, ad graviorem correctionem devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, quando sine peccato id potest, nec nimius esse in corrigendo, aliquando autem correptionem ad tempus differre, ne correctio ex irae aestu videatur procedere, et fructu careat, dum uxor ad eam recipiendam minus est disposita.

4.° Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, praesertim si uxor in maritum invehat; quia mulieres fere ad mentiendum sunt proclives. Quare melius est, re dissimulata, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et majorem sollicitudinem ad obsequia viro praestanda.

5.° Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius; si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus; si irato

respondendum sit, respondeat suaviter: responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitat. Si haec nihil obtineant, curet ut per parochum aut alium prudentem virum maritus admoneatur.

CAPUT IV

DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM

Obligationes, quae alios superiores aut inferiores respiciunt, eaedem, servata proportione, sunt generatim, ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca tantum dicemus 1.° de obligationibus dominorum et famulorum; 2.° magistrorum et discipulorum; 3.° civium erga temporalem auctoritatem.

De officiis autem parochorum et aliorum superiorum ecclesiasticorum, in *tractatu de statibus particularibus*, ubi de statu clericali agetur.

ARTICULUS I

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM

§ I. *De obligationibus dominorum.*

477. — Domini tenentur famulos suos 1.° benigne tractare; 2.° instruere et corripere; 3.° justum pretium eis solvere.

I. *Benigne tractare*, id est decenter et humane eos alloquendo, eisque praecipiendo, bona et sufficientia alimenta praestando, nimiis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando. Constat ex jure naturali, et ex Scriptura sacra, Eccli., XXXIII, 31: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.* — Ephes., VI, 9: *Et vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas: scientes quia et illorum et vester Dominus est in caelis: et personarum acceptio non est apud eum.*

II. *Instruere et corripere.* Unde in Codice canonico: «Heri... obligatione adstringuntur curandi ut omnes sibi subjecti... catechetica institutione erudiantur» (*can.* 1335). Dominus enim est caput famuli, sicut totius familiae; ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli, I Tim., V, 8: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter domesticos reputantur. — *Elbel, n.* 590, *et alii communiter.*

III. *Justum pretium solvere;* agitur enim de obligatione justitiae et aequitatis naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter

peccata in caelum clamantia recensetur. De justo salario dicetur infra ubi de locatione.

Resolves: — Peccare, et quidem etiam graviter, possunt domini:

1.° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta fidei christianae, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non caveant, ut tempore debito confiteantur et communicent.

2.° Si conducant, vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si eos, qui graviter peccant, non moneant et corrigant, aut eos, qui emendationem promittere nolunt, non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

3.° Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant.

4.° Si stipendium promissum aut justum non solvant, aut nimis differant; si famulos aegrotos non curent, eosque statim expellant, vel absque justa causa ante praefixum tempus dimittant.

5.° Si plus operis eis imponant quam eorum vires ferre queant; aut id laboris genus, quod cum aetate sexuque operariorum dissideat. *Leo XIII*, Encycl. *Rerum novarum*.

§ II. *De obligationibus famulorum.*

478. — Tenentur famuli praestare dominis:

1.° *Reverentiam;* sic enim Apost., I Tim., VI, 1: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur*. Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominos irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2.° *Obsequium* et *obedientiam* in iis omnibus ad quae se obligarunt vi contractus, et in iis quae spectant ad bonos mores; sic Ephes., VI, 5: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* — Et I Petr., II, 18: *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*.

Hinc ratione materiae peccant plus minusve, qui cum aliquid eis praecipitur, obmurmurant, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt praeceptum laborem peragere, aut cum damno domini pro se laborant; et uno verbo ii omnes qui obsequium non praestant, quale ordinarie a talibus exigi et praestari solet.

3.° *Fidelitatem;* juxta verba Pauli ad Tit., II, 9 10: *Servos dominis suis subditos esse..., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*.

Hinc peccant et saepe graviter contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita, surripiunt sive ad manducandum sive ad extraneis dandum aut vendendum. Item quoties integre fideliterque non praestant operam de qua libere et juxta aequitatem cum domino fuerit conventum; vel rebus nocent dominorum, aut personam violant.

Demum operarii in proprio jure tuendo abstinere debent a violentia, et ab omni seditione. *Leo XIII*, Encycl. *Rerum novarum.*

479. — QUAERES. *Quaenam efferri soleant causae operistitii seu* **cessationis a labore ex condicto** (vulgo *huelga*), *et an et quando licita hujusmodi cessatio esse possit?*

Resp. 1.° Juxta Leonem XIII (Encycl. *Rerum novarum*), «longinquior vel operosior labos, atque opinatio curtae mercedis causam non raro dant artificibus quamobrem opere se solvant ex composito, otioque dedant voluntario».

Resp. 2.° Si res in se ipsa nude inspiciatur ac veluti in abstracto, licita cuique videri poterit. Sicut enim quis licite ad tempus, vel a determinato labore, cessare potest, ita etiam plures simul et ex composito.

In *praxi* tamen ea incommoda *communissime* secum affert, ut vix unquam licita pronuntiari queat. Etenim, ut ait Rom. Pontifex, «genus istud cessationis non heros dumtaxat atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest, reique publicae utilitatibus: quumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit». *Ibid.*

Illicita etiam erit ex rationibus intrinsecis: 1.° si cessant a labore quem e contractu, *libere* et cum *aequitate* inito, praestare debent: peccant enim contra justitiam; 2.° si dominum cogere vellent ad dandum salarium supra summum quod juste in illa regione dari consuevit; 3.° si ex odio domini et sine necessitate propriae defensionis cessationem facerent eo momento, quo ea gravius detrimentum domino afferret; 4.° si aliis operariis libertatem non relinquant «collocandi operam suam ubi libet et quando libet» (*Litt. encycl. ad Arch. et Ep. Stat. Foederat.*, 26 jan. 1895); 5.° si seditionem ac vim adhibeant.

Resp. 3.° His igitur *a*) mediis illicitis omissis, *b*) frustra tentatis aliis innocuis mediis, necnon *c*) si prudens spes affulgeat bonum finem obtinendi, licita esse poterit cessatio a labore ex composito in sequentibus casibus: ad obtinendum 1.° *justum* salarium, 2.° diminutionem laboris *excessivi*, 3.° cessationem injuriarum ac vexationum. Tunc enim ponerent actionem ex se indifferentem, ex qua duplex sequitur effectus immediate, unus nempe bonus, ad quem jus habetur et qui unice intenditur, et alius malus, qui permittitur ex causa proportionate gravi, ut supponimus. Cfr. *n.* 60. Vide *Ver-*

meersch, De just., *n.* 470 *seq.*; *Génicot*, II, *n.* 22 *seq.*; *Pottier*, De jure et just., *n.* 172 *seq.*

480. — **Resolves: 1.°** Operarii licite petere possunt salarium summum, sicut et patroni non tenentur dare nisi infimum; fere sicut accidit in venditione. Operarii, ut summum obtineant, cessare a labore *per se* possunt absque injustitia etiam ex condicto, postquam tempus contractus initi finitum sit. Ante tale tempus, *injustum* foret deesse contractui justo libere inito.

2.° Patroni jus habent quaerendi operarios alibi, ubi eos invenire possint, soluto justo salario, quamvis infimo. Hos, alii operarii *rogare* possunt ut non admittant invitationem patronorum; illos vero (vel alios laborare volentes) privare libertate «collocandi operam suam ubi libet et quando libet», cessatoribus minime licet.

3.° Per se operariis jus inest formandi quasdam societates ad jura sua tuenda injuriasque propulsandas: sicut patroni proprias similiter societates, pro suo jure tuendo, inire valent.

4.° Operarii *per se* antequam conventionem cum patronis ineant, licite ab iis exigere possunt ut non admittant illos operarios, qui non pertinent ad suas societates, si hoc sit medium ad obtinendum salarium summum; secus peccabunt, saltem contra charitatem, in alios operarios. Domini possunt etiam coadunatos excludere, si hoc pacto sperant operariorum societates extinguere, vel imminuere, ut sic alios operarios inveniant pro salario infimo vel medio. At *injuste* agerent *a*) patroni, si coadunatos non admitterent ut sic facilius possent salarium deprimere infra infimum justum; *b*) operarii, si alios excluderent, ut vi coadunationis patronos ducant quocumque voluerint, vel salarium exigant ultra summum. — V. *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 972 *a*, *seq.*

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM

481. — I. Magistri et praeceptores debent discipulis:

1.° Amorem, 2.° exemplum, 3.° correctionem, 4.° doctrinam. Ratio est, tum quia ad instar parentum quodammodo se habent, tum quia instituuntur ad erudiendos discipulos in sana doctrina morum et litterarum.

Debent igitur 1.° sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; 2.° promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est; 3.° eos avertere, quantum possunt, ab aliis, qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent.

Hinc praeceptores delinquere possunt etiam graviter, quum discipulorum instructionem negligunt, aut eos injuste vel indis-

crete puniunt; sed praesertim si eosdem seducant, ad peccata, v. gr. carnalia impellendo; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos admittant vel retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc.

482. — II. Discipuli tenentur exhibere magistris:

1.° *Amorem* et *reverentiam*, ob superioritatem et curam eorumdem.

2.° *Obedientiam*, dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet: hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et praecepta magistrorum.

Hinc peccant discipuli, si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum; multo autem gravius, si magistris detrahant, eos irrideant, subsannent, maledictis, calumniis, molestiis affi-ciant, etc.

ARTICULUS III

DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA CIVIUM ERGA TEMPORALEM AUCTORITATEM

483.—Ex jure naturali et divino positivo tenemur titulo *pietatis* reverentiam et obedientiam superioribus nostris civilibus praestare. Vices enim Dei ipsius in ordine temporali erga nos gerunt. Sic enim Apost., ad Rom., XIII, 1 *et seq.: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO; *quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Dei enim minister est* (princeps), *vindex in iram ei, qui malum agit. — Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quamobrem Catechismus Concilii Tridentini hujusmodi obligationem cum ea comparat et conjungit, qua erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam obstringimur. Etenim *part.* 3, de IV mandato, § 15, postquam docuit, parentes et superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit: *Item de regibus, de principibus, de magistratibus, et reliquis, quorum potestati subjicimur, dicendum est.* Sic autem id explicat: *Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens divinitatis gradus, quia divinae potestatis est instar; in quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem iis attribuit, quibusque utitur tamquam potestatis suae ministris.* Constat etiam ex Scriptura sacra, praesertim I *Petri*, II, 13,

14, ubi dicitur: *Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum; sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis...* Et ibid., 17: *Regem honorificate* (1).

484. — QUAER. 1.° *An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?*

Resp. Doctrina S. Scripturae, Patrum, conciliorum, ss. Pontificum, Catechismi Concilii Trident., *S. Alph.*, Hom. apost., *tract.* 8, § 13, et etiam *encyclicae Gregorii XVI*, 15 aug. 1832, quae totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quaestionem resumi potest:

Ad 1.um Sicut evidens est, nunquam obediendum esse auctoritati humanae in iis, quae evidenter contra legem Dei sunt, ita in iis, quae per se licita sunt, est omnino obediendum principibus ETIAM DYSCOLIS, et illis quoque, *qui auctoritate sua abutuntur.* Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et traditione, ait *Gregorius XVI* in brevi 9 junii 1832, apertissime edocemur obedientiam, quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest.

Ad 2.um Nunquam omnino licitum est rebellare. «Nimis perniciosum in hac re, ait *S. Alphonsus*, fuit principium Joannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione judicari, si regnum injuste regat...; principium, inquio, non tantum falsum, sed perniciosissimum... At quale remedium adest, si regimen principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit, ait *S. Thomas*, est ad Deum recurrere, ut auxilium praebeat.» Hom apost., *tract.* 8, *n.* 13.

Sed (ait S. Thomas) *ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem.* De reg. princ., *lib.* 1, *c.* 6. — Vide praesertim *epistolam encycl. Gregorii XVI*, 15 aug. 1832, et *art.* 63 *Syllabi.*

485. — QUAER. 2.° *An et quaenam sit obligatio suffragium ferendi in publicis comitiis, et quomodo hac in re peccare quis possit?*

Resp. 1.° Generatim qui jus suffragii habent, tenentur in conscientia concurrere ad publica comitia. Ratio desumitur ex obligatione promovendi publicum bonum, damnumque vitandi, tum Ecclesiae tum Status. Cfr. *Leonis XIII* encyclicam *Immortale Dei.* (*Acta S. Sedis, vol.* 18, *pag.* 161 *seq.*).

Ergo haec obligatio non est justitiae commutativae, sed legalis.

---

(1) Vide etiam *S. Justini* Apol., I, 17; *S. Theophili antioch.* ad Autol., *lib.* 1, *c.* 11; *S. Clem.* Const., *c.* 12; *Tertul.* ad Scap., *c.* 2; *S. Gregorii Naz.* or. 17; *S. Chrys.* Hom. 6 ad Ant.; *S. Irenaei* adv. haeres., *l.* 5, 24; *S. Augustini* in Ps. 124, *n.* 7, et de Civit. Dei, *l.* 5, 10, 11, 14, 15. — Confer etiam litteras encyclicas *Gregorii XVI* et *Pii IX*, et etiam *Leonis XIII*, De principatu politico.

Unde infertur *abstentionem* a suffragio ferendo non inducere obligationem restitutionis; quae tamen oriri potest ex suffragatione facta candidato *indigno*.

Resp. 2.° Obligatio ferendi suffragium potest esse *sub gravi*, quando ex abstentione prudenter quis timere potest, ne causa sit cur non eligatur sufficiens numerus bonorum civium. Haec igitur gravis obligatio saepius urgebit viros potentes, raro homines parvi influxus.

Resolves: 1.° Suffragari candidato, qui aperte Ecclesiae vel civilis societatis bono adversatur, continet vetitam cooperationem; quae, si formalis sit, graviter illicita semper erit.

2.° Seclusa tamen cooperatione *formali*, aliquando *indigno* suffragari licebit, modo absit scandalum: *a*) si indignus concurrat tantum cum magis indigno; *b*) si quis metu gravis damni, quod aliter caveri non potest (v. gr. promissione, quae non obligat, et adhibita mentali restrictione ad mendacium vitandum), ad id adigatur. Ponderandum tamen prudenter erit, an in casu ratio privati damni *certi*, damno publico, forte dubio, ex tali suffragio oriundo praevaleat.

3.° A fortiori metu gravis damni licebit abstinere a suffragio ferendo.

4.° Hucusque dicta, non modo in electionibus *legislativis* sed etiam in *municipalibus* locum sibi vindicant. Et omnibus haec essent *prudenter* innuenda; non tamen sine spe fructus a bona fide quis erit deturbandus (1).

Observa. — Ex obligatione ferendi suffragium infertur alia obligatio procurandi tempestive propriam inscriptionem in albo electorum.

DE V DECALOGI PRAECEPTO

Non occides. Exod., XX, 13.

486. — Prohibet hoc praeceptum, quatenus *negativum* est, primario quidem homicidium, id est, injustam hominis occisionem; secundario autem, et consequenter omnem injustam laesionem, vulnerationem, aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni. Quatenus vero virtualiter est *positivum*, praecipit vitae conservationem.

Ab homicidio *simplici* distinguendum est homicidium *qualifi-*

(1) Cfr. *Génicot*, *n.* 359; *Villada*, Casus, *vol.* 1, *cas.* 6, *pag.* 135; *Berardi*, III, *n.* 62 *seq.*; *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 179; *Lehmkuhl*, I, *n.* 799; *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 375 *a-f*; *Il Monitore*, *vol.* 17, *pag.* 79, 124, 168 *seq.*; *Ballerini-Palm.*, *vol.* 4, *n.* 639 *seq.*

catum, quod sc. aliam peccati speciem adnexam habet. Quadruplex esse potest: 1.° *sacrilegium* sive ratione personae occisae, sive loci ratione, in quo fit occisio; 2.° *parricidium*, caedes nimirum aut parentum aut filiorum, aut fratris seu sororis, aut conjugis aut etiam principis; 3.° *latrocinium*, occisio sc. aut vulneratio ex praedandi voluntate; 4.° *veneficium magicum*, cum nempe ope daemonis malum corporale aut etiam mors alicui infertur.

Homicidium *proditorium*, *assassinium*, et *veneficium simplex* continent tantum circumstantiam aggravantem.

Ea autem, quae circa occisionem sive licita, sive illicita statuentur, eadem mutilationi vel cuilibet corporis laesioni, servata debita proportione, applicanda erunt.

Agendum 1.° de occisione sui; 2.° de occisione proximi; 3.° de duello; 4.° de bello.

CAPUT I

DE OCCISIONE SUI SEU DE SUICIDIO

487. **Principia**. — **I.** Nemini unquam licet se directe, id est ex intentione, et seclusa divina auctoritate, occidere — Constat 1.° ex praecepto divino: *Non occides*. Exod., XX, 13. — *Ego occidam, et ego vivere faciam*. Deut., XXXII, 39. — *Tu enim es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*. Sap., XVI, 13. — Constat 2.° ex lege naturali. Homo enim dominium directum non habet in corpus suum, nec in vitam suam, sed solum dominium utile et administrationem; siquidem haec non habet a se, sed a Deo accepit, et Deo tantum repetenti reddere debet. Ergo suicida laedit Dei supremum dominium destruendo rem non suam. Laedit quoque societatem, cujus est pars, ut ait *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 64, *art.* 5.

«Addi ratio potest, *ait* h. l. *P. Ballerini*, quod vita praesens essentialiter est conditio hominis Deo servientis, atque adeo ejusdem legibus subditi, ac praeceptis obsequentis; ex qua deinde conditione vel praemium vel poena in futura vita sortiatur. Atqui 1.° non debet esse in potestate servientis Deo, ut pro suo arbitrio tempus serviendi finiat; ac 2.° multo minus debet esse in ejus potestate, ut praeceptis Dei forte sibi molestis subtrahere se impune et pro lubitu possit. Utrumque autem ejusmodi incommodum sequeretur si liberum homini foret vitae suae terminum ponere, quandocumque ipsi libeat. Ergo.»

II. Nunquam sine divina auctoritate fas est ponere actum externum, per se *immediate* tendentem ad sui destructionem, nisi actus ille habeat alium effectum bonum et *immediatum*, qui solus intendatur, et gravissima ratio effectum illum bonum obtinendi

urgeat.—Ratio est, quia ubi actus physicus etiam per se indifferens non habet alium effectum quam suicidium, jam fit malus; siquidem nulla adest ratio, qua praeceptum conservandi vitam, et cavendi a mortis periculo cesset. Ergo in quocumque casu prohibetur.

III. Licet concurrere indirecte ad occisionem sui, seu ponere actionem, ex qua praeter intentionem propria mors certa sequatur; modo ex ista actione sequatur aeque immediate aliquod bonum, quod vitae jacturam compenset, et hoc solum intendatur. Ratio patet ex dictis in *tract. de act. hum.*, ubi de *voluntario indirecto*, *n.* 9.

488. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An liceat incendere navim aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitae propriae jactura?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius;* quia expedit damnum publicum vitari, vel commune bonum procurari etiam cum damno privatorum certissimo. *Lugo, Lessius; S. Alph.*, *n.* 367.

QUAER. 2.° *An virgo ad castitatem servandam se exponere mortis periculo possit?*

Resp. Affirm., saltem si mors non sit certo secutura; idque tum ob amorem castitatis, tum ob periculum peccati, quod saepius in tali occasione habetur. *Ita communiter theologi.* — Imo *probabilius* adhuc affirmandum est, licet mors certo secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum; quia etiam sola corporis integritas maximi aestimatur. *S. Alph.*, *n.* 366; Hom. apost., *n.* 1; *Laymann*, etc.

QUAER. 3.° *An virgo teneatur permittere se occidi potius, quam violari?*

Resp. Neg., *probabiliter*, saltem speculative loquendo, modo voluntate positive resistat, si proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia haec permissio non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum; justa autem adest permissionis causa, mortis scilicet periculum. Haec tamen praxis non videtur consulenda, quando alicujus consensus periculum timeri prudenter possit.

QUAER. 4.° *An licitum sit reo se sistere coram judice, etsi certo morte puniri debeat?*

Resp. Affirm. Quia actio ista *per se* est indifferens, imo et honesta; in casu enim velle mori perinde est ac velle justitiae ordinem; et sicuti ob justam causam mortem alteri desiderare licet, atque etiam legitimo modo procurare, ita et sibi. *Lugo, Lessius; S. Alph.*, Hom. Apost., *n.* 2.

QUAER. 5.° *Quaenam sunt poenae contra suicidas?*

Resp. Qui se ipsi occiderint deliberato consilio, nisi ante mortem dederint aliqua poenitentiae signa, privantur ipso facto ecclesiastica sepultura (*can.* 1240, § 1, 3.°; et 2350, § 2).

489. **Resolves: — 1.°** Quisque tenetur ad vitam conservandam, quum nemo hujus vitae donum abjicere sine peccato possit, et perinde sit vitam non conservare atque eam sibi adimere. Licet nihilominus, ex communissima DD. sententia, tabulam amico cedere in naufragio, etiam cum certa vitae jactura; quinimo ex S. Thoma id perfectissimae esset virtutis. Attamen id non liceret si ex propriae vitae jactura grave damnum aliis, v. gr. familiae necessario alendae, immineret.

2.° Nunquam licet ponere cum intentione se occidendi actionem, ex qua mors, licet per accidens tantum, secutura sit; quia nunquam licet velle rem vetitam, et hanc voluntatem ad actum redigere.

3.° Non tenetur quis servare vitam remediis extraordinariis, aut quae maximum dolorem afferant; ratio est, quia non datur obligatio servandae vitae nisi mediis ordinariis, quae nempe nec magna inducunt incommoda, nec sumptus pro varia cujusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant, etc. Sic, v. gr., non teneris vitae servandae causa pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum. *S. Alph.*, *n.* 372.

4.° Non tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, majoremque illi horrorem quam ipsa mors ingerit. *S. Alph.*, *ibid.*; Hom. apost., *n.* 2.

5.° Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque etiam, secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis poenitentiis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen ex virtute poenitentiis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitae abbreviatione; quia ex communi DD. sententia propter meritum, vel naturae pravae mortificationem, aliqua longioris vitae jactura contemni potest. *S. Alph.*, *n.* 371; Hom. apost., *n.* 2.

6.° Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. Contra, graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se injiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc., etc.

7.° Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium; quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet.

8.° Non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas, *saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem, quia pec-*

catum subjacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum (2, 2, *q.* 65, *art.* 1, *ad* 3). Praeterea haec mutilatio a tentationibus non liberat. Ergo neque ad bona mere temporalia obtinenda, v. gr. ad conservandam vocis suavitatem, licita erit **castratio**. *Lugo*, De just. et jure, *d.* 10, *n.* 23; *Buccer.*, I, *n.* 714; *Génicot*, *n.* 363. Confer tamen *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 374.

9.° *Probabilius* licet manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua, vel tyranno, aut incendio imminentem, quia pars bono totius hominis cedere debet. *Lugo*, De justitia, *disp.* 10, *n.* 22; *Lacroix*, *n.* 786; *Billuart*, contra *alios*. — V. **Casus**, *n.* 376 *et seq.*

CAPUT II

DE OCCISIONE PROXIMI

Scilicet 1.° de occisione rei; 2.° aggressoris; 3.° innocentis.

ARTICULUS I

DE OCCISIONE REI SEU MALEFACTORIS

490. Principia. — I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. — Ratio, quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, imo ad ipsam societatem servandam; quod quidem plerumque non nisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cujusvis legislationis, ex sacra Scriptura, et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata. — Quia nemo alium occidere potest sine potestate; at privati nullam ejusmodi potestatem a Deo acceperunt; etenim, ne caedibus omnia impleantur, haec potestas soli totius civilis societatis superiori data est. Ergo...

Aliquando tamen leges humanae a tota vel ab aliqua *poena* liberant eum, qui, servatis quibusdam conditionibus, occidat adulterum, vel fornicarium, etc. Non tamen *licita* in conscientia reduntur hujusmodi homicidia.

491. **Resolves:** — 1.° Nemini licet aliquem potestati suae non subjectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui potestatem habet, v. gr. patris in filium, magistri in discipulum; verberatio enim est punitio, haec autem supponit potestatem

gubernativam. Excipe, nisi id necessarium sit ad avertendam praesentem injuriam, ut infra dicetur. *Reuter*, *n.* 369.

2.° Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio, quia punire per mutilationem et occisionem, quae damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater, nec dominus habet. *Billuart.*

3.° Frater natu major non potest fratres minores verberare, nisi id ipsi sit a patre mandatum, aut nisi, mortuo aut absente patre, familiam ipse regat; quia primogenitura ei tale jus non confert. *Billuart, et alii.*

492. Quaesita. — QUAER. 1.° *An milites jussi comprehendere et custodire malefactorem, possint eum aufugientem occidere?*

Resp. Neg., etiamsi jam ad mortem fuerit damnatus; quia vi officii sui, et secluso speciali principis mandato, satelites reum tantum coërcere possunt. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 9.

QUAER. 2.° *An liceat tyrannum occidere?*

Resp. 1.° Certum est non licere occidere tyrannum *regiminis* seu legitimum principem tyrannice populum regentem, atque etiam opprimentem: *obedire enim oportet dominis etiam dyscolis.* I Petri, II, 18. *Ita communiter cum S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 13.

Resp. 2.° Nec licet occidere tyrannum *usurpationis*, si jam in regni possessionem venerit. Sententia autem opposita dicenda est improbabilis et falsa; quia juxta *S. Thomam* usurpator ut legitimus haberi debet, saltem in praxi, si postea subditi illum ut talem agnoscunt. Praeterea bonum publicum requirit ut obedientia ei praestetur, ad reipublicae perturbationes et eversiones praecavendas. *S. Alph.*, *ibid.*

Igitur tyrannus non modo peccat invadendo rempublicam aut provincias, sed etiam usurpatione auctoritatis sive dum leges fert, sive dum jus dicit, aut tributa imponit: usurpat enim sibi principis auctoritatem, cum princeps non sit. Sed, ex supposito facto retinendi usurpatam potestatem, adhuc peccaret et gravius, si dum opus est, legem non ferret, aut jus non diceret, etc.

Incolae autem usurpatae provinciae, non modo possunt, sed etiam generatim debent, servare leges et sententias a tyranno latas, si justae per se sint ac honestae. Ratio est, quia secus societas stare non posset. Nec tamen id ullam infert tyrannidis approbationem.

Resp. 3.° Nec licet occidere tyrannum seu injustum usurpatorem, etiamsi nondum sit in possessione regni, nisi ex auctoritate legitimi principis, aut ex justa defensione, aut in actu belli reipublicae adversus ipsum; nunquam enim licet occidere hominem privata auctoritate. *Ita communiter*, et certo tenendum est. *S. Alph.*, *ibid.* — Recole dicta in fine IV praec., *n.* 484.

ARTICULUS II

DE OCCISIONE INJUSTI AGGRESSORIS

493. Principia.—I. Licitum est unicuique defendere propriam vitam etiam cum occisione injusti aggressoris. — Quisque enim habet jus conservandi vitam injuste oppugnatam; ergo potest illam defendere per media necessaria, et proinde etiam mutilatione aut occisione aggressoris, si alio pacto sese morti eripere nequeat; ex jure enim naturali licet vim vi repellere. Unde in Decretal. *lib.* 5, *tit.* 39, *c.* 3, dicitur: *Vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt.* Vide *S.Alph., n.* 380.

II. In justa defensione contra iniquum aggressorem servari debet moderamen *inculpatae tutelae*, seu nihil fieri debet, nisi id quod absolute necessarium est ad se tuendum; quia quod necessitas non excusat, est contra justitiam.

Utrumque principium confirmatur ex Codice: «Causa legitimae tutelae contra injustum aggressorem, si debitum servetur moderamen, delictum omnino aufert; secus imputabilitatem tantummodo minuit, sicut etiam causa provocationis» (*can.* 2205, § 4).

494. **Quaesita.**—Quaer. **1.°** *An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem?*

Resp. Affirm., probabilius, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* injustus, est tamen *materialiter* injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendi. Quod si certo scias (quod vix unquam continget), eum in statu peccati letalis, adeoque in extrema spirituali necessitate versari, charitas exigit, ut salutem ejus aeternam vitae tuae temporalis conservationi praeferas (si tamen prudens spes affulgeat illum, si ei parcatur, salutem consecuturum). Secus autem, si sui ipsius compos esset; proprium enim malum ipsi foret imputandum.

Quaer. 2.° *An liceat defendere proximum innocentem occisione aggressoris?*

Resp. Affirm., in omni casu quo licet propriam vitam defendere; idque ratione charitatis. *S. Alph., n.* 389. *Raro* tamen *privatus* ad hoc *teneri* videtur; quia in occisione alterius vix unquam evitari potest *magnum incommodum* ob timorem inimicitiarum, publicae justitiae, etc. *Ita communiter. S. Alph., n.* 390.

495. — Quaer. 3.° *An liceat occidere injustum aggressorem etiam pro defensione membrorum?*

Resp. Affirm., cum communi sententia, contra *paucos*. Ratio est, quia quisque jus habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitae alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. *S. Alph., n.* 380.

Quaer. 4.° *An liceat defendere bona fortunae magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri non possint?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius.* Ratio deducitur ex dictis in quaesito praecedenti; quisque enim jus habet conservandi bona magni pro conditione sua momenti, et eo ipso adhibendi media absolute ad id necessaria. Aliunde praeceptum charitatis non obligat, ut quis praeferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus in extrema necessitate versetur; secus vero, quando sponte hic mortis periculo se exponit. *S. Alph., n.* 382.

496. — Quaer. 5.° *An liceat occidere invasorem pudicitiae?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia pudicitia est bonum praestantius divitiis; ergo si licet occidere aggressorem injustum bonorum fortunae, id *a fortiori* licebit ad pudicitiam servandam. *S. Alph., n.* 386, *et alii communiter.* — Imo et fas est occidere invasorem pudicitiae alterius, prout ipsi vim patienti licet.

Quaer. 6.° *An liceat alium occidere ad conservationem honoris?*

Resp. Neg., saltem *practice* loquendo, quia honor aliis mediis plerumque servari potest, ideoque aggressio honoris cum aggressione vitae aliorumque bonorum non potest comparari. Innumeris praeterea caedibus aliter pateret aditus. — Sed nota cum *P. Ball.*, quod «scite S. Alph. (*lib.* 3, *nn.* 381 *et* 391) distinguit, verbisne tantum an etiam *factis* invasio honoris fiat. Nam si de verbis agatur, et v. gr. viro honorato contumeliose dicatur, *mentiris*, aliter repelli injuria potest, debet et solet; et percussio aut vulneratio non defensionis sed vindictae rationem haberet.

»Si vero *factis* honor impetatur, aliter judicandum est de re post factum, aliter ante factum. Laesio enim aggressoris *post factum*, nisi agatur de correctione cum pueris et aliis hujusmodi adhibenda, ultio esset, non autem defensio; et huc spectat secunda pars propositionis 30.ae ab Innoc. XI proscriptae. Si vero res de illo sit, qui factis honorem laedere conatur, tunc valent quae A. in quinta resolutione subjicit. Nemini enim imponi potest obligatio passive se habendi, dum alter in contemptum conetur, v. gr. ei vellicare barbam, aut impingere alapam, aut vestes conspurcare, etc.; sed licebit ei sane, servato moderamine inculpatae tutelae, injuriam propulsare; et si quidem pervicax aggressor ad praestitutam injuriam inferendam vim adhibeat, ac repulsus etiam arma arripiat, fas profecto erit alteri vim vi repellere, et armis arma opponere. Vid. Lacroix, *lib.* 3, *p.* 1, *n.* 800.«

Idcirco Alexander VII merito damnavit sequentem propositionem numero 18.am: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Attende insuper ad proposit. 30.am ab Innoc. XI damnatam: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia*

vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis, fugiat. Cfr. etiam prop. XVII ab Alexandro VII damn. Vide *S. Alph.*, *n.* 381.

497. **Resolves:** — **1.°** Non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti, etiam cum resistentia domini; quia licet talis ablatio fiat cum speciali ejus injuria ob violentiam, ejusmodi tamen injuria juxta hominum aestimationem gravis non censetur. *S. Alph.*, *n.* 383. Attamen dominus non tenetur rem dimittere, et *servato moderamine inculpatae tutelae*, potest se defendere, etiam cum occisione furis, si hic ad eam auferendam vim personae inferat.

2.° Non licet generatim eum occidere, qui mere aggressionem minitetur; quia magnum et frequens in hoc esse potest hallucinationis periculum. Secus vero, si certo constet de prava aggressoris voluntate, nec periculo alia ratione occurri possit.

3.° Non licet occidere aggressorem post factum, quia esset vindicta, non defensio. Excipitur, quando aggressio *effective*, ut ajunt, in fuga aggressoris rem furtivam auferentis perduraret, et ablatio rei *notabile damnum* domino afferret juxta qualitatem personae. — *Ita communiter.*

4.° Non licet puellae occidere aggressorem honoris sui post oppressionem; potest tamen illum percutere et male acerbissimeque tractare, praesertim quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit. *S. Alph.*, *n.* 386.

5.° Non licet, saltem *practice* loquendo, viro etiam honorato aggressorem volentem alapam impingere occisione praeoccupare; semper enim fuga aut alia via proprio honori consulere potest. Licet tamen aggredientem etiam districto gladio arcere, et se promptum ad propriam defensionem ostendere. *S. Alph.*, *n.* 381. — Vide **Casus**, *n.* 390 *et seq.*

ARTICULUS III

DE OCCISIONE INNOCENTIS

§ I. *De occisione innocentis in genere.*

498. **Principia.** — I. Nunquam licet *directe* innocentem occidere sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum; est enim actio intrinsece mala et divina lege expresse prohibita. Exod., XXIII, 7: *Insontem et justum non occides. S. Alph.*, *n.* 393.

II. Licet ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua praeter intentionem sequatur mors innocentis, juxta principium *S. Thomae* supra, *n.* 60, expositum.

III. Non est homicidii reus, qui etiam sine causa, sed adhibita diligentia, ponit actionem, quae mortem *per se* non infert, ex qua tamen *per accidens* homicidium sequitur; quia homicidium illud est omnino fortuitum et involuntarium. Secus vero, si ponat actionem, quae mortem *per se* inferat, seu valde periculosa sit, ex qua mors saepe sequatur, etiamsi diligentia ad damnum praecavendum adhibeatur. *S. Alph.*, *n.* 398.

499. **Resolves:** — 1.° Non licet occidere letaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, dummodo aliter a nocendo cohiberi possint. Ratio est, quia, ex noto effato, ad obtinendum bonum non sunt facienda mala.

2.° Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno mortem ejus postulanti, etiam sub poena urbis subvertendae, et etiamsi morti suae ille consentiret; ratio, quia dominium in propriam vitam non habet. Probabilius tamen posset cogi, ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. *S. Alph.*, *n.* 393, *cum aliis.*

3.° Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors praeter intentionem sequitur. *S. Alph.*, *ibid.*

4.° Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos injuste interfecerint; quia sunt innocentes. — *Busemb. et alii communiter*, cum *S. Alph.*, *ibid.*

5.° Peccant graviter medici, obstetrices et custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia mortem eorum aut non impediant, aut causent, vel accelerent. Item si ex ignorantia graviter culpabili aegrotis noxia praebeant.

§ II. *De procuratione abortus.*

500. — *Abortus* est praematura ejectio fetus, qui extra uterum nondum vivere potest; regulariter ante 7.um mensem. *Acceleratio partus* (apud medicos *partus praematurus*, *partus artificialis*) est ejectio fetus, qui jam extra uterum vivere potest, nondum tamen plene maturus est; regulariter inter 7.um et 9.um mensem.

Communis hodie sententia est, quamvis nullo adhuc *certo* argumento demonstrata, fetum anima vivere rationali ab ipso conceptionis seu fecundationis instanti. Ita etiam *Tertul.*, De anima, *c.* 27 (*Migne*, P. L., *vol.* 2, *col.* 295); *S. Greg. Nyss.*, De anima et resurrect. (*Migne*, P. Gr., *vol.* 46, *col.* 176). Quare antiquata habetur distinctio inter fetum animatum et fetum inanimatum. *Santi-Leitner*, *l.* 5, *tit.* 10, *n.* 8, Instr. p. Eyst., *n.* 8.

Ut vero clarius ea quae hic dicenda sunt intelligantur, sequentia praenotentur oportet:

I. Ovula, ad generationem hominis, sicut et aliorum viventium corporeorum, necessaria, ita minuscula sunt, ut nonnisi microscopio interposito attingi ab oculo possint, sedemque habent in corpusculis duobus quae, extra uterum muliebrem hinc inde ad ejus partem superiorem in interiori cavo ventris posita, ovaria nuncupantur. Inde ovula decisa ob maturitatem et a tenuissimis canalibus (trompas fallopianas vocant) excepta, lento gressu per varios horum anfractus ad uterum descendunt. Antiquioribus impossibilis videbatur ovuli fecundatio priusquam uterum attingeret. Nunc tamen certissime constat fecundationem non raro fieri in ipsis canalibus. Imo *Duval* existimat, fere semper fecundationem habere locum in trompis, aut in ipsis ovariis (*pag.* 580). Cfr. etiam *Antonelli, vol.* 1, *n.* 216. His positis, quandocumque fecundatum ovulum perveniat ad uterum, habebitur conceptio normalis, unde nomen *uterini conceptus.* Quod si fecundatum ovulum in trompis fallopianis haereat, vel his quacumque de causa perforatis, aberret in vicinas corporis partes, fetus vivere perget extra uterum, seu extra locum debitum, unde nomina *conceptus extra uterini* vel *conceptus ectopici* (ἐκ τόπος, extra locum). Cfr. *Duval,* Physiologie, *p.* 10, II, 2.° (*pag.* 573, Paris, 1873). Qui conceptus non ita infrequentes sunt, ut apparet ex *Dre. Martin* berolinensi, cui *quinquaginta sex* casus ectopicorum conceptuum jam ante diem 16 sept. 1892 occurrerant. (Apud *Eschbach,* Casus de ectopicis conceptibus, Romae 1894, *pag.* 10; Disput. phys. theol., Romae, 1901, *pag.* 452 *seq.*).

II. Primis gestationis mensibus non potest ordinarie distingui utrum ectopicus an uterinus sit fetus. Ectopici ante mensem quartum perire solent, vel ex anhaemia vel a maternis visceribus oppressi (*Ita Dr. Martin*); si quando autem ad debitam maturitatem perveniunt, cum nulla eis via naturalis pateat exeundi in lucem, artificialis aperienda est vi operationis caesareae.

III. Uterinus vero conceptus, si recte omnia procedant, post novem gestationis menses omnino maturus in lucem edi potest per naturalem viam. Dixi *omnino maturus:* constat enim fetum, regulariter ante 7 menses, seu 30 hebdomadas, non ita esse maturum ut extra uterum vivere possit; secus post id tempus. Imo, ubi convenienter adhiberi potest *artificialis incubatio,* infans jam a *sexto mense* completo sat probabiliter extra uterum vivet (juxta H. *De Parville,* in Maternitate parisiensi, 30 % e fetibus hujusmodi vivere pergunt). Dixi etiam *si recte omnia procedant:* vitio enim naturae accidere potest, ut vel fetus ita fiat deformis ut per naturalem viam egredi nequeat vel puerum naturali incremento praeditum mater ob vitiosam arctitudinem viae edere non possit.

Hac in re, praeter alia media, operationes chirurgicae duplicis generis adhiberi solent; aliae enim ipsum fetum intra uterum necant, et dicuntur nomine generico *embryotomia,* inter quas praecipua est *craniotomia* seu *cephalotripsia;* aliae vero fetum separant a matre, dicunturque nomine communi *operatio caesarea.* Cfr. *Eschbach,* l. c.; *Génicot, n.* 374 *seq.*

501. Principia. — I. Nunquam licet *directa actione: a*) neque occidere infantem in utero matris; *b*) neque operatione chirurgica illum ab utero viventis matris extrahere, cum extra illum nondum vivere possit; *c*) neque alio modo procurare abortum. — Haec omnia intelligenda sunt etiam in ectopicis conceptibus.

Ratio est, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Atqui in omnibus hisce casibus mors innocentis, quod est malum, adhi-

betur tanquam medium. Ergo illicite agitur, etiam in casu quo, operatione adhibita, certo salva fieri possit mater et infans baptizari; operatione omissa, uterque certo sit periturus, et infans baptizari nequeat.

Nec valet dicere: 1.° infantem saltem in conceptu extra uterino habendum esse veluti *aggressorem*, materialiter *injustum;* non enim est aggressor matris qui non tam in matrem agit, quam ipse a matre agitur; nec est injustus etiam materialiter, qui juris tramites, prout in casu, non praetergreditur.

2.° Matrem per abortum, tantum *cessare* ab infante in utero conservando, ad quod non tenetur cum jactura propriae vitae; nam revera ponit *positivam actionem directe occisivam*, ac proinde *intrinsece malam.* Cfr. **Casus**, *vol.* 1, *n.* 402 *seq.; Eschbach*, l. c. Alia vide *vol.* 2, ubi de operatione caesarea.

Quae omnia clarissime patent ex decretis S. Off.: quoad *a*) et *b*) ex decreto dato 14 aug. 1889, quo docemur: «In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant... et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam fetus vel matris gestantis.» *Collect.* S. C. de P. F., *n.* 1716, edit. 2.ª.

Quoad *c*) ex decreto diei 21 julii 1895, quod videre licet apud *Il Monitore*, *vol.* IX, *p.* 1, *pag.* 221. Item ex decreto 4 maji 1898, *ad* II, *quoad primam partem:* ubi dicitur, quod quamvis mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, non licet abortum procurare. *Il Monit.*, X, *p.* 2, *pag.* 52.

II. Quum, natura ipsa duce, primis temporibus verae praegnationis (sive uterina haec sit, sive ectopica) nonnisi probabilia signa dentur; mulier quae talia prae se fert, ut praegnans habenda in praxi est, ideoque non licet eas actiones peragere quae illicitae essent si certo cognosceretur praegnans.

Etenim ex testimonio medicorum, non modo veterum sed etiam recentiorum, diagnosticum praegnationis est valde incertum tribus vel quatuor prioribus mensibus: certitudo haec acquiri potest circa 6.um gestationis mensem (*ita Briand et Chaudé, Manuel complet de médecine légale,* apud Eschbach). «Verum nemine tum ex veteribus tum ex modernioribus diffitente, a primis etiam temporibus, praegnatio cognosci universim potest per signa quaedam probabilia (ex gr. menstruorum cessationem, ventris et mamillarum tumefactionem, etc.), quae si adsunt, amplior certitudo exigi nequit, natura tunc nihil aliud docente. A quinto autem mense, recentioribus praesto est instrumentum, *stethoscopium* nuncupant, cujus ope apud fetum pulsationes cordis medicus peritae auris percipit. Et haec de ectopicis, non secus ac de uterinis conceptibus tenenda sunt, quamvis non raro dentur ectopici conceptus, in quibus, ut in relato a *Dre. Le Bec,* nequidem octavo mense pulsationes perciperentur. *Eschbach,* l. c.

Igitur quod ait *Génicot, n.* 376: «Si quando dubitatur utrum id quod mater gerat sit fetus an merus tumor, ut fieri potest in conceptione extra uterina, neque ullum medium datur ad hoc dubium expellendum, censemus licitum id quod matri imminens vitae periculum creat tanquam tumorem

exstirpare; nam jus certum matris ad vitam servandam videtur praevalere periculo mere probabili occidendi fetum»; ita erit intelligendum, ut *dubium* nec per consueta praegnationis signa probabilia solvi possit. Haec enim si adsint, moralem certitudinem parere *in subjecta materia* dicendum est. Vix enim alia major dari potest.

Quid si fetus probabiliter vel probabilius jam sit mortuus (vel jam embrio ejectus probabiliter, ita ut quod remanet sit sola placenta), et mors matris instet nisi fetus extrahatur?

Tunc videtur jus certum matris praeferendum esse juri dubio ipsius fetus.

III. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare, seu melius permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia fetui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet: 1.° ut agatur de morbo letali; 2.° ut remedia, fetui nociva, sint *per se* ad morbum curandum directa; 3.° ut mors fetus, vel abortus non intendatur, sed quantum fieri possit praecaveatur. Vide dicta *n.* 60. Cfr. *Ferreres*, De vasectomia duplici, ubi latius exponitur quaestio de ablatione indirecta tumescentis uteri, *nn.* 277-295. Nec obstat quod fetus forte sine baptismo decedat: nam 1.° plerumque baptizari poterit infans vel in materno utero, vel abortu sequuto; 2.° remedio non sumpto, fere semper infans matri morienti praemorietur etiam sine baptismo. Cfr. **Casus**, *n.* 403 *et seq.*

IV. Mulieri gravidae aegrotanti licet porrigere remedia curandis morbis idonea, etsi quandoque abortus sequi possit. Ratio est, quia experientia constat abortum remediis ordinariis, saltem plerisque, rarissime sequi. *Ita communiter.*

V. Artificialis *acceleratio partus* licita erit quando medicus cum solida probabilitate judicat fetum extra uterum vivere posse, et gravis urget causa, vel *a*) ex parte prolis, vel *b*) ex parte matris. *Ita Génicot*, *n.* 378.

Ratio quoad *a*) clara est: sic enim consulitur saluti infantis meliori modo quo potest; quoad *b*) petitur ex eo quod, sicut filius rationis compos tenetur periculum etiam grave subire ut ab extremo periculo matrem liberet, ita tali periculo fetum in iis adjunctis objicere licet.

Unde quo periculum *matris* minus grave sit, major requiritur probabilitas, vel etiam moralis certitudo, quod infans extra uterum vivere perget. Quo autem gravius urgeat periculum *pro fetu* ex diuturniori gestatione, tanto facilius licebit operationem caesaream, praesertim in *ectopicis* conceptibus, adhibere, vel aliis mediis partum accelerare, etiamsi probabilitas tenuis tantum sit, fetum extra uterum vivere posse, v. gr. post sextum gestationis mensem; maxime ubi adhiberi possit methodus incubationis artificialis.

Confirmari haec possunt ex decreto *S. Off.* diei 4 maji 1898, ubi legimus: 1.° «Partus accelerationem per se illicitam non esse,

dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et fetus vitae consulatur» (*ad* I).

2.° «Nihil obstare quominus operationi caesareae suo tempore subjiciatur mulier, cujus arctitudo talis sit ut neque partus praematurus possibilis censeatur» (*ad* II).

3.° «Necessitate cogente, licitam esse laparotomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et fetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur» (*ad* III). *Il Monitore*, X, *p.* 2, *pag.* 52. Cfr. *Ferreres*, l. c.; **Casus**, l. c.

502. Resolves: — 1.° Non licet puellae gravidae pharmacum sumere ad fetum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occidatur, quia directe procuraretur abortus. Constat etiam ex propositione 34.ª ab Innoc. XI damnata.

2.° Homicidae sunt, qui percutiunt mulierem praegnantem, vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidae quae cum gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt, v. gr. nimiis laboribus operam dando, onera gravia asportando, pedes in aqua frigida lavando, etc...

3.° *A fortiori* homicidii reae sunt puellae ex fornicatione, gravidae, quae repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum, potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione, etc. Quando hujusmodi feminae confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandae sunt de abortu desiderato vel attentato.

4.° Cavenda sunt ea omnia, quae causa abortus juxta medicorum doctrinam esse solent, v. gr. immoderata jejunia, saltationes seu choreae in orbem, vestes ad elegantiam affectandam nimis angustae, equitare, curru vehi per plateas male stratas vel vias asperas, longiora itinera in via ferrea (ex quo apparet damnanda longiora itinera nuptialia, quia abortus generatim primis a conceptu temporibus contingere solet).

5.° Usus vitandus etiam machinarum ad suendum (*máquinas de coser*), quae pedibus moveantur: harum enim machinarum usus, praeter periculum abortus, alias sequelas virtuti castitatis habet contrarias, v. gr. excitare pollutionem (quam excitat etiam in feminis usus bisrotarum, vulgo *bicicleta*); potius igitur eligendae sunt illae, quae manibus moveantur. Item cavendae pilulae (*píldoras*) laxantes sive purgantes cujuslibet sint generis. Cfr. *Eschbach*, Disput., etc., *pag.* 275 et 558; *Capellmann*, l. c., *pag.* 153; *Villada*, Casus, *vol.* 3, *n.* 82, *nota; Antonelli*, l. c., *vol.* 2, *n.* 381. Vide etiam supra, *n.* 462.

N. B. Expellere virile semen *statim post copulam* non licet mulieri, quae sciens volens copulam admisit; si expelleret, committeret peccatum onanismi. Expellere licebit probabilius ei, quae vi,

vel dolo fuerit oppressa. Tunc enim semen se habet ad modum injusti invasoris. Nec est periculum abortus; nam conceptio non fit in vagina. Ergo expellendo semen ab ipsa, v. gr. per lotionem, non inducitur periculum abortus. Aliunde conceptio, seu ovuli fecundatio a spermatozoidis masculinis, saepe saepius non habetur nisi pluribus horis, vel etiam pluribus diebus, post copulam (1). Cfr. *Eschbach*, Disp. Phys. Theol., *pag.* 81 (Romae, 1901); *Lehmk.*, I, *n.* 849; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 1037; *Génicot*, *n.* 378.

De poenis in procurantes abortum dicetur in tract. de censuris. — V. **Casus**, *n.* 399 *et seq.*

§ III. *De syphilide infectis.*

503.—Quintum Decalogi praeceptum non modo prohibet alios injuste occidere aut mutilare, sed etiam *grave valetudinis nocumentum eis inferre.*

Hinc oritur in syphiliticis **gravissima obligatio cavendi ne alios inficiant horribili hac lue.**

Syphilis enim est morbus teterrimus qui *a*) dificillime sanari perfecte potest (2), *b*) facillime in alios propagatur maxime quidem per actum copulae, sed etiam aliis modis, v. gr. transmissione haereditaria (3), contactu sive personali (osculo, etc.) sive rerum quibus syphiliticus usus est (vestibus, cochleari, stilo lapideo, calamo): sufficit contactus instantaneus, modo exsistat in persona inficienda et in loco contactus aliqua infractio etsi fere invisibilis tegumenti; *c*) est causa plurimarum aliarum infirmitatum (4), ita ut sint docto-

---

(1) «Le docteur Percy a retrouvé quelques spermatozoïdes vivants, dans le col utérin, *huit jours et demi* après le dernier rapprochement sexuel.» *Beauregard-Galippe*, Guide pratique pour les travaux de Micrographie, *chap.* XVII (*pag.* 569). Cfr. etiam *Duval*, Physiologie, *p.* 10, II, 1.°, *pag.* 567.

(2) «Nada más discutible que la curabilidad completa de la sífilis. El mentado profesor *Debove* nos dice: «Se creía (antes) que la sífilis era susceptible de curación completa, y que, con un tratamiento bien dirigido, se podría conseguir el retorno del organismo a la normalidad más absoluta. Desgraciadamente la verdad dista mucho de ese bello ideal». (Las Ciencias médicas, *vol.* 17, *pág.* 294).

(3) «Según *Fournier*, cuando ambos padres son sifilíticos, el hijo es sifilítico 92 veces por 100, y la mortalidad alcanza el 68'5 por 100. Cuando sólo la madre es sifilítica, el peligro es casi el mismo, el niño es sifilítico 84 veces por 100 y muere 60 veces por 100. Si sólo el padre es sifilítico, el peligro disminuye; la morbosidad baja al 37 por 100 y la mortalidad al 28 por 100. (*Fournier*, La Syphilis héréditaire). Téngase empero en cuenta que si el esposo no se trata debidamente y muy pronto, vendrá a contaminar rápidamente a su esposa, y entonces el caso resultará el más grave de los apuntados» *Ibid.*, *pág.* 296, nota.

(4) En muchas parálisis de toda especie, neuralgias, histerias y epilepsias descúbrese la causa luética, lo mismo que en no pocas hemorragias y reblandecimientos cerebrales y medulares; y en cuanto a las terribles dolencias llamadas *Tabes* y *Parálisis general* son casi siempre — hay quien dice siempre, sin casi — complicaciones tardías (al cabo de 10, 15, 20 años) de la sífilis adquirida; y de los casos de locura más del 26 por 100 son de origen sifilítico. *Ibid.*, *pág.* 291.

res qui putent tertiam partem infirmitatum vel etiam dimidiam oriri directe aut indirecte ex syphilide; *d*) maxime causat sterilitatem, aut abortum, aut vitam prolis infelicissimam (1). Cfr. *Blanc*, El peligro sifilítico, apud *Las Ciencias médicas*, *vol.* 17 (1914), *pag.* 290 *seq.*

504.—Quae omnia confirmantur ex auctoritate clarissimi *Antonelli*, Medicina pastoralis, *vol.* 2, *nn.* 715, 716: «Syphilis non tantum afficit individuum, sed et speciem humanam, cum a syphiliticis generati graviter patiantur, aliorum commiserationem excitent et praemature moriantur, causa tantum parentum, quorum peccata luunt. Virus syphiliticum mariti inficit uxorem et filios nondum natos; et, cum videtur lues omnino cessasse, post aliquod tempus, etiam plurium annorum, illico nonnulla gravissima symptomata manifestantur, quae adducunt plures morbos cerebri et medullae spinalis, qui ruinam et amissionem salutis conjugibus afferunt. Mulier affecta syphilide, a viro accepta, nequit amplius ordinarie materna munera obire in gestatione et partu, cum frequenter abortum aut partum praematurum patiatur infantis jam mortui aut moribundi. Si praegnatio tempus ordinarium assequitur, infans nasci potest vivus, at syphilide affectus. Gravior est syphilis infantis, si uterque conjux syphilide laborabat. Si infans nascitur vivus, ejus syphilis potest cito apparere aut progressu temporis et esse mortalis aut minime; si, ut aliquando et raro fit, infans nascitur non affectus syphilide, ordinarie cito moritur, cum non habeat vires sufficientes seu aptitudinem physiologicam ad vitam, cujus causa est syphilis parentum; vel si non moritur cito, plures morbi, qui strictam habent connexionem cum syphilide, non tardant ejus vitam miserrime vexare et perturbare. Quod si in hisce postremis conditionibus filius non moritur, ejus vita debilis erit et ante tempus peribit quolibet etiam parvo morbo, ob deficientiam resistentiae organicae, vel degeneratione afficietur; quo fiet ut plurimi morbi, etiam graves, omnium organorum oriantur.

»Vis haereditaria syphilidis pergit suam actionem morbosam etiam in secundam generationem, ita ut filii aliquando non recipiant morbum directe a suis parentibus sed ab avis.»

505. Quare syphilide infecto non licet matrimonium contrahere. Si conjugatus est, ei non licet uti copula, saltem non monita comparte de periculo gravissimae infectionis; nec compars tenetur ei reddere debitum. Si filium syphiliticum habeat, non potest eum tradere nutrici lactandum, sed recurrendum est ad lacta-

---

(1) Afirma (Neisser) ser la tercera parte de los casos de esterilidad en el matrimonio debidos a la azoospermia de origen venéreo. *Ibid.*, *pág.* 294.

Que la sífilis es una de las causas más frecuentes de aborto, lo saben ya hasta los profanos; lo que no es tan conocido del vulgo es la enorme proporción en que esto se realiza, que, al decir del especialista *Berdal*, llega al 39 o 40 por 100 de los embarazos, y en sentir de *Enríquez*, médico de los hospitales de París, excede de la mitad de las gestaciones. *Ibid.*, *pág.* 295, 296.

No necesito con esto entretenerme en describir el porvenir que les aguarda a los heredo-sifilíticos, que puede resumirse diciendo que es una vida de sufrimientos más o menos prolongada, terminando por lo general en una muerte prematura. Se comprende, pues, que con razón afirme *Enríquez* que el pronóstico de la heredo-sífilis es incomparablemente más grave que el de la sífilis adquirida. *Ibid.*, *pág.* 298.

tionem artificialem, ut supra dictum est. Haec omnia ei sub gravi prohibentur jure naturali.

506. — QUAERES. *An syphilide infecto liceat matrimonium contrahere, si a morbo liberatus videatur?*

Resp. Negant omnino plures ac gravissimi medici; quia putant, morbum semper aut fere semper perseverare, etsi sanatus videatur, cum periculo gravissimo inficiendi horribili hoc morbo compartem, et filios, e quibus plures ante nativitatem vel paulo post morientur, alii vero miserrimam vitam vivent. Benigniores vero medici matrimonium (aut usum conjugii, si luem contraxit jam conjugatus) non permittunt nisi post duos aut quatuor annos, ex quo *nullum* jam *omnino* vestigium appareat praeteritae infirmitatis. *Vigouroux*, l. c.; *Blanc*, La sífilis plaga social, *pag.* 13, 97; Profilaxia de la *sífilis*, apud eph. Las Ciencias médicas, *vol.* 19 (1916), *pag.* 355 *seq.*

CAPUT III

DE DUELLO

507. Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex praecedenti condicto de loco, tempore et (saltem probabilius) armis. Cfr. *Gury-Ferreres*, **Casus**, *vol.* 2, *n.* 1128.

Duellum est 1.° *publicum*, vel *privatum*, prout fit auctoritate publica vel non; 2.° *solemne*, vel *simplex*, prout fit coram testibus, vel iis omissis.

508. **Principia.** — **I.** Duellum auctoritate *publica* susceptum, est licitum, si fiat ad bonum commune, v. gr. ut bellum conficiatur; secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur. — Ratio utriusque patens est.

II. Duellum auctoritate *privata* susceptum nunquam licitum esse potest. — Ratio est, quia repugnat: 1.° *juri naturali*, cum Deus nulli hominum dominium dederit in suam aut alterius vitam, nec in membra, extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2.° *juri canonico*, ut constat ex *Trident.*, *sess.* 25, *cap.* 19, ubi duellum dicitur: *Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus. S. Alph.*, *nn.* 399, 400. Erit igitur *graviter* illicitum.

509. **Resolves**: 1.° Non licet acceptare duellum etiam ad avertendam ignominiam; quia repugnat rationi istud medium crudele adhibere cum evidenti suae aut proximi vitae periculo, imo et salutis aeternae, ob finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera aestimatio, laus et decus posita non sunt in vana opinione hujus mundi, cujus sapientia apud Deum stultitia est. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 27.

2.° Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi cedere idcirco debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem, cum *moderamine inculpatae tutelae;* provocans autem ad duellum non est actualis aggressor.

3.° Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; 1.° quia etiam in hoc maximum adest vulneris letalis periculum; 2.° quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia; 3.° quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem praebet.

4.° Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica, ad noscendam *veritatem*, ad probandam *innocentiam* aut ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum.

5.° Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut amissio bonorum secutura sit nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet indicere ad defensionem aliud tempus determinatum, aut *generatim* se conferre ad alium locum; quia tunc duellum proprie dictum habetur. — Dixi *generatim*, quia si mors alicui intentatur nisi continenter in alium locum pergat ubi se defendere possit, licitum videtur pugnam etiam cum hac conditione acceptare. *D'Annibale*, II, *n.* 389, *nota; Lehmk.*, *n.* 853; *Génicot*, *n.* 381; *Ball.*, h. l.

6.° Non ineunt duellum proprie dictum, et proinde non incurrunt excommunicationem Papae reservatam, aliasque poenas a Concilio Trid. in duellantes inflictas, qui ob injuriam subita ira excandescentes et ad pugnam se provocantes statim congrediuntur; quia verius est rixa, non vero duellum, quod ex *condicto loco et tempore* fieri debet. Eademque de causa ob improvisum ejusmodi congressum praedictae poenae non incurruntur, quamvis pugnantes ex eodem rixae impetu ad locum aliquem idoneum statim se simul conferant. *S. C. C.*, 5 oct. 1744. — *Scav.; S. Alph.*, *n.* 401. V. **Casus**, *n.* 403 *et seq.*

510. — Hic referre juvat quinque propositiones circa duellum damnatas a *Benedicto XIV*, an. 1752, in bulla *Detestabilem*, quas vide in nota (1).

---

(1) 1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

CAPUT IV

DE BELLO

511. — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam reipublicae defendendae aut vindicandae causa.

Hinc differt 1.° a *rixa*, quae est pugna paucorum contra paucos; 2.° a *seditione*, quae est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem, ad quam pertinet.

Distinguitur bellum 1.° *offensivum*, si fiat ad injuriam vindicandam; 2.° *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Principia.—I. Bellum *per se* licitum est, sive ad injuriam repellendam, sive ad jus reipublicae vindicandum. — Ratio est, quia societas quaelibet independens ab alia societate, habere debet medium se tuendi contra injuriam, et jus suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Quippe cum altiora desint tribunalia, ad quae nationes seu principes recurrere queant, solum superest, ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 40, *art.* 1, *et alii.*

II. Ad bellum justum et licitum, sequentia necessario requiruntur:

1.° *Auctoritas legitima*, id est, suprema, nullum alium superiorem in civilibus agnoscens. — Ratio est, quia ubi major auctoritas habetur, haec de lite judicare debet.

2.° *Causa justa et gravis*, quae sit praeponderans incommodis ex bello secuturis, v. gr. regnum vel provincia recuperanda, aut gravis injuria reipublicae propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda...; etc.

3.° *Debitus bellandi modus*, scilicet ut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio, quae si offeratur, ex justitia acceptari debet, ut enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum. *S. Thom., ibid.; Billuart*, etc.

---

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

Damnatae ac prohibitae tanquam falsae, scandalosae, ac perniciosae.

512. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An liceat bellum gerere cum probabilitate sui juris?*

Resp. Controvertitur. Sed pars negativa est *longe probabilior*, saltem *intrinsece* et *practice.* Ratio est: 1.° quia possessor bonae fidei nequit re possessa exspoliari, nisi constet eum injuste illam retinere; 2.° quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut sunt caedes, injustitiae, morum corruptelae et alia hujusmodi, quae bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo juris sui. *S. Alph., n.* 404; *Tamburini, Billuart,* contra *plures,* quorum *alii majorem* tantum probabilitatem, *alii* vero *aequalem* sufficere autumant.

QUAER. 2.° *An milites belligerare possint cum dubio de justitia belli?*

Resp. 1.° Si agatur de milite subdito, tenetur obedire, ubi bellum non est evidenter injustum, quia ad ipsum non pertinet rationes superiorum examinare. Cfr. tamen *Lugo,* De just., *disp.* 18, *n.* 21.

2.° Si agatur de milite conducto ante bellum declaratum, potest obedire, ad hoc enim conducitur; unde fere ac si esset subditus, se gerere debet.

3.° Si agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli justitia, nec in dubio de justitia se locare potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad spoliandum alterum re, quam possidet, nisi sit certus injuste eam ab illo possideri. *S. Alph., n.* 408.

QUAER. 3.° *An liceat principibus catholicis in bello justo advocare in auxilium haereticos et infideles?*

Resp. Affirm., per se, saltem *speculative loquendo,* modo absit scandalum, et fidei periculum. Sed ait *S. Alph., n.* 406, plerumque, per accidens, est illicitum ob damna religioni imminentia.

QUAER. 4.° *An nocentes vel innocentes a victore occidi possint?*

Resp. 1.° Occidi aliquando possunt nocentes, seu milites qui pugnaverint, si hoc ad pacem et securitatem stabiliendam, aut injuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitae servandae se dederint. Sed hoc a moribus nostri temporis prorsus alienum est.

2.° Innocentes autem, id est mulieres, senes, peregrini, clerici, religiosi, etc..., *directe* occidi non possunt, nisi constet illos fuisse belli socios. Possunt tamen *indirecte* occidi, non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut salvis istis reliqua nocentium turba, quam destruere opus sit, interimi non possit. *S. Alph., n.* 409.

513. **Resolves:** — 1.° Milites in bello *injusto,* ne defensionis quidem causa, licite possunt hostes occidere; si fugere nequeant, curare debent ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt injusti aggres-

sores; et jura contraria in eadem re dari nequeunt. — *Lacroix, et alii communiter.* Cfr. *Lugo*, l. c., *disp.* 10, *nn.* 144 *et* 176.

2.° Princeps, perspecta belli justitia, eam proponere debet parti adversae, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur, imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactione adaequata, relinquere tenetur, sin minus ex rigore justitiae, saltem plerumque ex charitate, modo pars altera omnes expensas jam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit ut ejus petulantia retundatur.

3.° Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallaciis decipiantur, et in discrimina conjiciantur. Haec enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant; sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium, etc... Illicitae autem sunt fraudes, quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. gr. veneno inficere puteos et fontes, etc...; hae enim sensu communi contra jura belli pugnant. *S. Alph., n.* 410.

4.° Licet in bello justo urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, imo aliquando monasteria et ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si v. gr. hostes ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in praedam dare, sed nonnisi ob gravissimas rationes. *S. Alph., ibid.*

5.° Duces exercitus et milites summopere praecavere debent, ne excedant post victoriam in victis puniendis, sunt enim legitimae ministri vindictae, non vero latrones et sicarii; praesertim vitare debent quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6.° Duces et milites laedere nequeunt legatos partis adversae, quia jure gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt spiculatores, qui principem aut ducem exercitus vel alios regni primates occulte trucident; quia hoc ex omnium consensu ad perfidiam pertinet.

DE VI ET IX DECALOGI PRAECEPTO

Non moechaberis. — Nec desiderabis uxorem ejus (proximi tui).

Exod., xx, 14, 17.

514. — Juvat imprimis referre, ac propria nobis facere verba *S. Alph.*, in principio *tract. de sexto praecepto.*

Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen mentes hominum inficit... Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque

abundantior confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur..., hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum... quemadmodum et alium de debito conjugali... legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatae *sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.*

515. — Sextum Decalogi praeceptum prohibet quamlibet luxuriam externam, id est, opere patratam. — Nonum vero praeceptum prohibet etiam luxuriam mere internam, impudicas nempe delectationes ac desideria.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium.

Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione humorum et organorum generationi inservientium.

Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensibili, quae oritur ex proportione objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr. objecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu objectum luxuriae, alia sensibilitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut venialem, saltem plerumque et *per se*, non excedit.

Dividi solet in *pure sensibilem* et *sensibilem-carnalem* seu *sensualem*, prout oritur ex objecto per se non apto ad excitandum sensum venereum, v. gr. ex olfactu aut tactu floris; aut e contra: v. gr. ex tactu vel osculo manus feminae, pueri, etc. Haec ultima facile excitare potest commotionem carnalem.

«Delectatio (venerea) de re turpi potest esse vel mere spiritualis, quae nempe in sola voluntate est, ut si quis delectetur de turpi objecto sine ulla turpi commotione in corpore; vel non mere spiritualis, sed simul carnalis, ut si adsit simul turpis motus in corpore. Et utraque dicitur *morosa*, si voluntas eam advertens, deliberate eam admittat.» *Lacroix, l.* 3, *n.* 890.

Delectatio *pure spiritualis* est quae oritur vel ex *cognitione* alicujus rei, v. gr. veritatis diu quaesitae, vel ex ipsa re cognita. *Tota* haec delectatio est *in voluntate*, et esse potest bona vel mala prout est res ipsa quae placet.

Spiritualis sensibilis oritur ex vivida repraesentatione (ex visu, tactu, osculo) personae tenere et honeste amatae praecipue ob qualitates spirituales. Per se residet in voluntate sed redundare solet in appetitum sensitivum cum commotione cordis et sanguinis. Per se sejuncta est a delectatione carnali. Cfr. *Noldin*, De sexto, *n.* 7.

Variae sunt luxuriae species, prout diversa sunt ejus objecta. Sic specie differunt tactus et aspectus impudici; actus solitarii, et actus cum aliis exerciti; actus consummati, et non consummati; item actus consummati juxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hae autem species alias etiam subordinatas seu inferiores species sub se continent, ut ex dicendis patebit.

N. B. Billuart (2, 2, *tr.* de temperantia, *diss.* 6, *art.* 15, § 3) probabile existimat tactus ab aspectibus specie non diferre. Sed haec est sententia parum probabilis ac fere singularis.

Luxuria alia est *directe* quaesita, alia *indirecte*. Prior habetur, quando voluptas carnalis praecise in se intenditur; posterior vero quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis praeter intentionem suboriatur, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

516. **Principia generalia**. — I. Luxuria cujusvis generis vel speciei, est *per se* grave peccatum. — Ratio est, 1.° quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereae ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium (imo ne in matrimonio quidem, nisi debito modo) sine gravi recti ordinis perturbatione; 2.° quia sub gravi a Deo naturae auctore prohibetur, ut ex innumeris S. Scripturae locis constat; sic Galat., v, 19-21: *Opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

II. Luxuria *directe* voluntaria in quovis genere nunquam parvitatem materiae admittit. — Ratio est, quia quaevis delectatio directe quaesita subversionem naturalis ordinis a Creatore stabiliti necessario inducit. Constat etiam ex propositione 4.ª ab Alexandro VII damnata, quae, sic jacet: *Est probabilis opinio quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiae. — Quia nullus tunc est consensus seu directa intentio in voluptatem veneream, sed tantum in causam, quae leviter vel graviter est peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit. — *Ita omnes.*

Agendum nobis hic est de peccatis *externis* tantum; de *internis* enim, seu de *morosa delectatione* et *pravo desiderio*, jam dictum est in *tract. de peccatis, n.* 248 *et seq.* Hinc 1.° de peccatis non consummatis; 2.° de peccatis consummatis dicemus.

CAPUT I

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS

Peccata hujus generis sunt oscula, tactus, aspectus, sermones et lectiones turpes.

ARTICULUS I

DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS

517. Statuenda. —I. *Oscula et tactus* vere impudici, id est, habiti sine causa *in partibus inhonestis* alterius, nunquam a peccato *mortali* excusari possunt, etiam secluso affectu venereo, ob gravem indecentiam, et imminens libidinis periculum, quod inducunt.— Facilius tamen excusantur a mortali, si in ejusdem, quam si in diversi sexus persona fiant. *S. Alph.*, *nn.* 419, 420. — «Hoc autem discrimen inter hujusmodi oscula et tactus est, quod adhibendi illos tactus justa aliquando causa subesse possit, v. gr. ad medendum; non item vero deosculandi.» *Ball.*, h. l.

II. Oscula et tactus in partibus *honestis* vel *minus honestis* constituunt peccata mortalia, si ex delectatione venerea fiant; sunt venialia, *tactus* (vel etiam oscula sed in partibus *honestis*) si fiant levitate, joco, curiositate, etc...; carent vero omni culpa, tactus et oscula in partibis *honestis*, si fiant juxta morem patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa. Ratio horum *per se* patet. *S. Alph.*, *n.* 417.

N. B. Dicuntur *inhonestae* seu etiam *turpes* aut *obscenae* partes genitales, iisque proximae; *minus honestae* vero *non turpes* dicuntur pectus, brachia, crura, etc. Ita *S. Alph.*, (*lib.* 3, *n.* 422). Cfr. *Ball.*, h. l.

518.—III. Tactus et oscula etiam in partes *honestas* subinde *gravi culpa* non carebunt, si saepius vel morose exerceantur a juvenibus, potissimum diversi sexus, absque *ulla necessitate*, aut alia *justa causa*, quamvis ob solam voluptatem organicam. — Ratio est, quia ab hujusmodi actibus repetitis vel morosis commotio carnalis et delectatio venerea raro aberit. *S. Alph.*, *n.* 416.

IV. *Oscula, tactus et amplexus* ob delectationem veneream exercita contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis; censentur enim ejusdem naturae, ac actus consummatus, in quem *natura sua tendunt.* — Hinc in confessione explicandum est, an habiti sint cum eodem vel diverso sexu, cum persona conjugata, etc. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 417; *Lessius*, etc.

519. **Resolves**: — 1.° Culpa vacant oscula, quae matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicito de aliis, qui infantes tenerae aetatis, etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur.

2.° Non statim arguendi sunt de peccato, ac multo minus de gravi, juvenes utriusque sexus, qui in nonnullis jocis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis ab ejusmodi ludis ob periculum eis adnexum avertendi sint.

3.° *Mortalia* vero haberi fere debent oscula minus usitatis corporis partibus impressa, praesertim inter personas diversi sexus, v. gr. pectori, etc., vel etiam si fiant morose, lingua praesertim in os introducta; item si sint diuturna, repetita, etc. *S. Alph.*, *n.* 417.

520. — 4.° Non peccant *per se*, qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritum sedandum, aut ad infirmitates curandas; si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant. Magna tamen in his discretione confessarius utatur, oportet. Hujusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. Suasiones autem, si paulo vehementiores sint, nec condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cujusvis reatus, saepius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 3. — Si vero tactus proprii corporis sine causa fiant, veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tantum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi. *S. Alph.*, *n.* 419.

5.° Tactus in verendis ejusdem sexus aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, joco, levitate, et obiter fiant. *S. Alph.*, *n.* 420.

6.° *A fortiori*, excluso necessitatis casu, excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevi tempore habiti; quippe vix ab alia praeter libidinem causa procedere queunt, et, praeterquam quod maxime indecentes sunt, proximum per se pollutionis aut venereae delectationes periculum creant. *S. Alph.*, *n.* 420. — *Probabiliter* tamen arguendae non sunt de peccato gravi ancillae, quae forte tangant pudenda infantium, dum eos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant. *Lacroix*, *n.* 902; *S. Alph.*, *ibid.*

7.° Amplexus et oscula honesta habita inter sponsos de futuro matrimonio, in signum benevolentiae, et ad conciliandum fovendumque amorem mutuum in ordine ad matrimonium contrahendum, licita sunt, *dummodo absit periculum proximum. Sánchez*, *l.* 9, De matr., *d.* 47, *n.* 50; *S. Alph.*, *lib.* 3, *n.* 431, *lib.* 6, *n.* 854.

8.° *Veniale* non excedit, *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personae diversi sexus, secluso pravo fine, atque omni affectu et periculo libidinis, si haec v. gr.

ex mera levitate fiant, nec periculum speciale ratione propriae vel alterius fragilitatis adnexum habeant.

Ceterum, quum in materia tam lubrica non semper facile pateat, quid veniale sit, aut mortale, et aliunde quum non raro proximum adsit periculum graviter delinquendi etiam in iis, quae leve peccatum *per se* non excedunt, v. .gr. si crebro et cum mora fiant inter personas ad libidinem proclives; quam maxime confessario satagendum est, ut poenitentes, praesertim juniores, quibusvis tactibus cum diverso sexu removeat.

ARTICULUS II

DE ASPECTIBUS OBSCENIS

521. **Statuenda.** — I. Aspectus turpes sine causa sufficienti sunt graviter aut leviter peccaminosi juxta intentionem agentis, turpitudinis gradum, et consensus venerei periculum. Facilius a gravi reatu excusantur *in se*, quam in aliis, quia propria minus movent quam aliena. Item facilius excusantur, si agatur de persona *ejusdem sexus*, quam sexus diversi, quia minus ad libidinem provocant.

II. Aspectus graviter impudici sine gravi causa, *praesertim* quoad personas *diversi sexus*, a peccato mortali non sunt *per se* excusandi, licet affectus venereus absit; quia proximum libidinis periculum procreant, ut supra de tactibus pravis dictum est. *S. Alph., n.* 421. — Generatim tamen facilius a gravi peccato excusantur aspectus quam tactus turpes, quia minus in libidinem influunt.

Quaer. *An aspectus, non secus ac tactus, induant malitiam circumstantiarum personae, quae turpiter aspicitur?*

Resp. Neg., probabilius, si absque ullo desiderio fiant. Ratio est, quia *non censetur* proprie *natura sua* in actum consummatum *tendere. S. Alph., ibid.; Lacroix, ibid.* — Hinc aspectus personae consanguineae vel conjugatae, aut sacrae, non induit malitiam incestus, adulterii, aut sacrilegii.

522. **Resolves**: — 1.° Excusantur *per se* a mortali personae ejusdem sexus, quae se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, praesertim si impuberes sint. *Ita communiter.*

2.° Aspectus in verenda diversi sexus, aut in partes vicinas, ordinarie sunt peccata mortalia, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus hujusmodi aut a libidine oritur, aut certo proximum periculum peccandi inducit. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. *Ita communiter. S. Alph., n.* 421. — Excipiunt, 1.° si aspiciens sit puer vel

valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur; 2.° si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillae et nutrices quae pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose vel iteratis vicibus pravoque affectu id faciant.

3.° Aspectus in partes honestas personae diversi sexus, etiam pulchrae, *per se* non sunt peccata; si autem ex curiositate vel cum morositate aliqua fiunt, peccata venialia *ordinarie* erunt; a mortali vero non excusabuntur aspectus diuturni, si *proximum periculum* involvant turpis concupiscentiae vel morosae delectationis; praesertim si commotio spirituum insurgat, et *a fortiori* si persona inordinato amore diligatur. *Ita communiter. S. Alph., n.* 422.

4.° Aspectus in partes minus honestas sed non turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt *per se* peccata mortalia, secluso tamen proximo pravi consensus periculo, quod alioquin facile aderit, si aspectus sit diuturnus. *S. Alph., n.* 423. — Nec graviter peccant, qui, secluso speciali periculo, matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulae aut junioris non adhuc formatae oculos figunt.

5.° Aspectus picturarum obscenarum ex mera curiositate, ut mortalia non habentur, si delectatio turpis aut ejus proximum periculum abest. — In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir aspiciens pudenda mulieris depictae, quia difficulter cavere poterit a delectatione turpi, nisi forte per brevissimum tempus aut in magna distantia fiat, aut nisi picturae vetustas vim artificii imminuerit. *S. Alph., n.* 424. — *Billuart* autem cum *aliis* excusat a mortali, si aspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturae infantes tantum repraesentent; quia picta non commovent sicut naturalia: et hoc improbabile non videtur, nisi forte ob aspicientis fragilitatem aliter judicandum sit.

ARTICULUS III

DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS IMPUDICIS

523. **Principia.** — I. Turpia loqui, canere, scribere, audire, delectationis venereae causa, vel cum proximo periculo consensus in illam, est grave peccatum. Si vero absit prava intentio et periculum consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.

II. Libros omnino obscenos legere absque justa causa est peccatum *mortale*, etiamsi ex curiositate vel recreationis gratia fieri id videatur; quia *per se* haec lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate, ob aetatem pro-

vectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi, grave libidinis periculum non incurrant. *S. Alph., n.* 426.

III. Libros amatorios et *leviter* obscenos legere *per se* non est mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum, praesertim junioribus. Libros autem quadamtenus obscenos, de scientiis tamen tractantes, ex solo scientiae vel utilitatis propriae aut alienae intuitu legere, *per se* non est peccatum, secluso tamen consensus venerei periculo, quod alioquin in junioribus raro aberit.

524. **Resolves:**—1.° Graviter peccant generatim, qui sermones permiscent, etiam ex levitate, de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem..., praesertim si inter juvenes diversi sexus id fiat.

2.° Graviter peccant, qui etiam sola verba turpia proferunt, si id faciunt ob delectationem captam ex ipsa rerum turpium cogitatione. Nec a gravi excusantur, qui jocandi praetextu, verbis aequivocis, sed satis notis, eadem ob eam delectationem exprimunt. *S. Alph., n.* 426.

3.° Graviter etiam peccant, qui ob jactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacentiae, scandali et jactantiae de peccato commisso.

4.° Non est *per se* mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscena, si fiat breviter, per jocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus; quia ad merum jocum ordinarie dicuntur et audiuntur. *S. Alph., n.* 426.

5.° Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. *S. Alph., nn.* 422, 426. – Quid ergo judicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter juniores? Non sunt indiscriminatim omnes culpae mortalis damnandi; quamquam saepe occasio proxima letaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu et accedentibus quibusdam adjunctis, ut si adamantes omnino soli, praesertim per longius tempus, aut noctu, etc., conveniant. *S. Alph.*, Praxis conf., *n.* 63.

6.° Non peccant graviter, qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multae comoediae vel poëmata. — Si vero ob causam legitimam, v. gr. ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant.

CAPUT II

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS

ARTICULUS I

DE PECCATIS CONSUMMATIS JUXTA NATURAM

§ I. *De fornicatione.*

525. — *Fornicatio* est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita jure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. — Constat 1.° ex Scriptura, I Corinth., VI, 9-10: *Neque fornicarii... regnum Dei possidebunt.* — Ephes., V, 5: *Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi.* — 2.° Ex ratione; nam si fornicatio permitteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelinqueretur, unde et subversio ordinis socialis necessario sequeretur.

Ad fornicationem referuntur: 1.° concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta; — 2.° meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutae.

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem saepius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque confessario interroganti aperienda est. *S. Alph.*, *n.* 432.

§ II. *De adulterio.*

526. — 1.° *Adulterium* est copula cum alterius conjuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

2.° Adulterium praeter peccatum contra castitatem aliud includit contra justitiam. Patet ex ratione, constatque ex variis sanctae Scripturae locis.

3.° Adulterium committitur, etiamsi alter conjux consentiat; quia in omni casu violantur jura sacramenti et contractus indissolubilis, quae quidem jura natura ipsa exigit, ut prorsus inalienabilia sint.

4.° Adulterium inter duos conjugatos duplex est et duplicis tori violatio, ac proinde circumstantia haec in confessione expo-

nenda est (*S. Alph.*, *n.* 445). Quia uterque violat non solum matrimonium alterius sed etiam proprium.

§ III. *De incestu.*

527. — *Incestus* est concubitus cum consanguineis aut affinibus (necnon cum cognatis spiritualibus aut legalibus) intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos. Cfr. *Haine*, Theol. mor., *vol.* 1, *pag.* 244.

Incestus specie differt ab aliis luxuriae peccatis, quia graviter repugnat reverentiae naturali debitae parentibus, et consequenter personis, quae proxima conjunctione sanguinis aut affinitatis eis devinctae sunt. *S. Alph.*, *n.* 448.

Utrum specie differat incestus cum consanguineis et incestus cum affinibus, et rursus utrum specie differat incestus pro vario affinitatis et consanguinitatis gradu, atque adeo utrum gradus necessario in confessione exprimendus sit, in *tractatu de Poenitentia*, ubi de circumstantiis peccatorum aggravantibus, dicemus.

§ IV. *De sacrilegio.*

528. — *Sacrilegium*, quatenus est luxuriae peccatum, est violatio personae vel loci sacri per actum venereum.

Sacrilegium, praeter peccatum contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra religionem seu contra reverentiam Deo atque adeo locis sacris debitam.

Resolves: — 1.° Duplex sacrilegium committit persona Deo consecrata cum alia ejusdem conditionis peccans; quia dupliciter religionem offendit. *S. Alph.*, *n.* 456.

2.° Sacerdos simul et religiosus, qui contra castitatem peccet, *probabilius* non committit duplex sacrilegium; quia quamvis ex duplici titulo maneat obstrictus voto castitatis, tamen contra idem praeceptum formale, seu ex eodem motivo impositum, peccat. *S. Alph.*, *n.* 455.

3.° Sacrilegus est, qui personam sacram ad peccatum luxuriae consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet; quia ejus peccato cooperatur.

4.° Pollutio voluntaria in ecclesia est sacrilegium, quamvis secreta sit, et quamvis ecclesia reconciliatione non indigeat, prout in pollutione notoria indiget.

5.° Quoad actus externos non consummatos vide supra, *n.* 373, *q.* 2, *resp.* 2. Actus vero interni, seu cogitationes, vel desideria prava habita in ecclesia non sunt gravia sacrilegia, si desideria peccandi externe in ipsa ecclesia excipias. *S. Alph.*, *n.* 462, *et* Hom. apost., *ibid.*

§ V. *De stupro.*

529. — *Stuprum* est violatio, seu oppressio mulieris, ipsa invita. *Ita communiter.* — Juxta alios sub nomine stupri venit tantum defloratio *virginis* non consentientis. Dicitur etiam stuprum lato sensu quivis concubitus illicitus.

Stuprum, praeter peccatum grave contra castitatem, involvit etiam culpam gravem contra justitiam, in confessione necessario aperiendam. *S. Alph., n.* 443.

Cum agitur vel de *reservatione* casuum, vel de *poenis* per sacros canones in stupratorem infligendis, stuprum semper accipitur stricto sensu, id est, pro *defloratione virginis* non consentientis, vel quae dolo aut alia injusta ratione inducta consentit.

530. **Resolves:**—1.° Stuprum est fornicari cum muliere amente, ebria aut dormiente, quia violatur sine ejus consensu, et proinde gravis ei infertur injuria.

2.° Stuprum est vim inferre etiam mulieri jam corruptae aut viduae; quia consistit in violentia et injuria, quae mulieri infertur, eam invitam opprimendo. Consequenter si quis mulierem conjugatam opprimat, adulterium et stuprum simul committit.

3.° Non est stuprum fornicari cum virgine plane consentiente, etsi prima vice corrumpatur; quia domina est sui corporis, et libere jure suo cedit. Stuprum tamen est, si inducatur ad consentiendum fraude, v. gr. sub ficta promissione matrimonii. Cfr. *Bizzarri*, Collectanea S. C. Ep. et Reg., *pag.* 652.

4.° Circumstantia virginitatis puellae, quae violata est, si ipsa in rem consenserit, non est necessario *per se* in confessione declaranda, quia stuprum *probabilius* consistit tantum in violentia mulieri illata, non vero in violatione integritatis virginalis.

§ VI. *De raptu.*

531. — Raptus est abductio personae nolentis, explendae libidinis causa, e loco *tuto* ad locum *non tutum*, per vim aut dolum; vel etiam personae minoris consentientis quidem sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus. Cfr. *can.* 2353, 2354.

Quoad raptum haec teneto:

1.° Raptus est peccatum speciale, quamvis pravus actus libidinis non sequatur; quia consistit praecipue in injuria, quae infertur in violenta abductione libidinis causa. Unde praeter peccatum luxuriae ex parte *finis* et *intentionis*, adest peccatum injustitiae ex parte actionis.

2.° Si post raptum expleatur libidinis desiderium, praeter peccatum luxuriae (fornicationem, adulterium, etc.), declarandum est in confessione crimen raptus.

ARTICULUS II

DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM

Triplex eorum species datur: 1.° pollutio; 2.° sodomia; 3.° bestialitas. His adnumerandus est etiam *onanismus* seu peccatum *Onan*, quod est copula incepta, sed exterius consummata vitandae generationis gratia, sive inter conjugatos id contingat, sive inter alios. Sed de nefario hoc peccato dicemus in *tract. de Matrim.*, ubi de conjugali debito.

§ I. *De pollutione.*

532. — *Pollutio* est seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio voluntaria, de qua sola agimus, est vel directe, vel indirecte quaesita. Dicitur etiam *mollities*. Differt autem a *distillatione*, quae est effusio levis alterius humoris subtilioris. In pollutione semen ordinarie cum vehementi delectatione magnaque commotione ejaculatur; distillatio autem cum nulla ordinarie aut levi admodum delectatione et commotione habetur.

In *pollutione* (virili) ejaculatur semen elaboratum a testiculis, in quo *per se* continentur *spermatozoides* omnino ad generationem necessarii; cui semini admiscetur *humor* segregatus a glandulis prostaticis, cooperianis (de *Cooper*) et littreianis (de *Littré*). Cfr. *Duval*, l. c., *pag.* 564; *Beauregard-Galippe*, Guide pratique de micrographie, *chap.* XVI (*pag.* 557).

In *distillatione*, hujusmodi solus humor emittitur, minime autem semen.

In *pollutione feminea* effunditur similis humor segregatus a glandulis vulvo-vaginalibus; non tamen *semen verum* emittitur: ovula enim, quae sunt proprie semen femineum, naturaliter dehiscunt dum ad maturitatem perveniunt.

N. B. **Intrinseca malitia pollutionis** probabilius consistit in vehementi illa venerea delectatione voluptatem satiante, habita extra legitimam copulam conjugalem, et quae consequitur seminis effusionem; non autem solum, neque principaliter, in voluntaria seminis frustratione. Ratio inde petitur, quia si haec voluptas, quae a natura conceditur ad alliciendos homines ad matrimonium, extra illud permitteretur, abhorrerent homines a legitimo matrimonio, quod ingentes molestias secum affert, unde naturalis et legitima generis humani propagatio et institutio subverteretur.

Inde est cur *nunquam* talis voluptas extra matrimonium sit licita, cum tamen licita foret medicalis seminis effusio, si obtineri sine delectatione posset, sicut licita est testiculorum amputatio, si ad salvandam vitam fuerit necessaria.

Aliunde si intrinseca malitia pollutionis in seminis frustratione haberetur, eadem ratione esset intrinsece mala ovuli feminei frustratio; quod mirum esset, cum Deus auctor naturae rem ita ordinaverit, ut vel in castissimis virginibus puberibus circiter ab anno 12 ad 45 fere singulis mensibus frustratio ovuli necessario consequatur.

Unde etiam in femina, quamvis non detur veri seminis effusio, datur vera *pollutio* (1), consistens in venerea voluptate plene satiante, quae comitatur fluxum humorum actum generationis juvantium, et quae consequenter specifice differt a voluptate venerea incompleta. *Sánchez*, De matrim., *lib.* 9, *d.* 17, *n.* 16 *seq.*; *Eschbach*, Disp. phys. theol., *pag.* 542 *seq.*, ed. 2.ª (Romae, 1901); *Capellmann*, Medicina pastoralis, *pag.* 74 ed. 2.ae latin.; *Génicot*, *n.* 396.

533. **Principia.** — I. Pollutio *directe* et *perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut nunquam illam procurare liceat. — Ratio est: 1.° quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura, quae seminis effusionem unice ad generationem ordinavit; 2.° quia si aliquando permissa, aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime ob tantam naturae corruptae in luxuriam proclivitatem habitus pollutionis contraheretur, et proinde ordo naturae brevi subverteretur; 3.° constat ex variis sacrae Scripturae textibus, v. gr. I Cor., VI, 10: *Neque molles... regnum Dei possidebunt;* 4.° constat etiam ex proposit. 49.ª ab Innoc. XI damnata, quae sic se habet: *Mollities jure naturae prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona...* Vide *S. Alph.*, *n.* 476.

II. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties *causa proxima*, id est, per se directe et natura sua ad pollutionem tendens, v. gr. cogitationes morosae de rebus valde libidinosis, etc., *sine justa ratione* ponitur (*Scav.*; *S. Alph.*, *n.* 482); est autem veniale, quoties causa, quae ponitur, est *remota* tantum, seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adjungatur. *Ita communiter.* — Ratio utriusque patet. *S. Alph.*, *n.* 484.

III. Pollutio *indirecte* voluntaria omni peccato caret, quoties habetur ratio sufficiens causam ejus ponendi, consensu seu affectu voluntatis in consequentem voluptatem secluso. — Ratio est, quia

---

(1) «Tibullus excipiens confessiones mulierum, quarum viri saepe abesse solent, et quae non facile se continent, docet et suadet easdem mulieres non peccare in sequentibus casibus:

1.° Si desiderando proprium virum absentem, patiantur commotionem sensualem seu pollutionem. 2.° Si desiderent hanc eamdem pollutionem in se experiri ex ardenti amore viri absentis. 3.° Si pollutionem in se excitent tactibus secum habitis, dummodo hos actus referant ad virum absentem.

Sacra Poenitentiaria dilecto in Christo... scribenti subjungit: jam bis hac super re ab hoc sacro Tribunali responsum fuisse, et actus hujusmodi esse graviter illicitos et confessarium eos probantem esse denunciandum.» S. Poenit., 2 sept. 1904. Cfr. *Bucceroni*, Supplem. alterum, *pag.* 41, *n.* 813.

ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa ex se indifferenti, unus malus et bonus alter aut aequivalens, licet ponere causam intendendo bonum et permittendo malum. Major autem ratio pro majori periculo requiritur. *Recole dicta de act. hum.*, *n.* 60. Vide *S. Alph.*, *n.* 483.

534. **Resolves**: — **1.°** Pollutio *omnino involuntaria* nullo modo est peccaminosa, ut patet. Hinc omni culpa vacat pollutio, quam pati potest medicus, chirurgus, vel confessarius munera officii sui obeundo, modo effectum illum non intendat, nec consensum ullum delectationi praebeat.

2.° Pariter culpa vacat pollutio *nocturna*, quia a voluntate libera non oritur, nec ullus ei praebetur assensus, ut supponitur, sed nec animum quidem libidinosum semper denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. gr. ex superfluitate naturae, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum. Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit causata et praevisa, pro majori vel minori advertentia et causae influxu. Sic pravae cogitationes voluntariae, prava colloquia, et alia ejusmodi somnum praecedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo vel in potu, etc. Pariter censeri non debet mortalis pollutio nocturna, quae fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; judicandum autem est, nullum consensum affuisse, vel ad summum valde imperfectum, quando ordinarie in statu vigiliae displicet: quia ex ordinarie contingentibus judicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis teneto.

535. — 3.° Pollutio, quae subsequitur ex tactu, aspectu, vel lectione *graviter turpi*, est peccatum mortale etiam secluso actuali consensu, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia tunc pollutio est voluntaria saltem in causa, cum illa *per se* grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si illa *leviter turpia* sint, modo pollutio praeter agentis intentionem et contra ejus voluntatem saltem directam sequatur; quia tunc in illis non datur periculum proximum consensus neque in pollutionem, neque in veneream delectationem. Attamen periculum *in se* remotum potest *per accidens* alicui, ratione propriae infirmitatis, proximum evadere. *S. Alph.*, *nn.* 482-485.

4.° Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. *Lacroix*, De Poenit., *n.* 1034. — Item mortale est acquiescere delectationi pollutionis etiam brevissimo tempore, et etiam si pollutio praeter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat. *S. Alph.*, *n.* 477. *A fortiori* si pollutio incepta conatu aliquo promoveatur.

5.° Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in confessione, an hic sit persona sacra, cognata, etc...; quia malitiam sacrilegii contraxit, vel incestus, etc. *S. Alph.*, *n.* 476.

6.° Peccatum non est, *per se*, equitare rationabilis recreationis causa, certo situ in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum altero sexu, infirmis inservire, eos in balneis adjuvare, artem chirurgicam exercere, et similia; quamvis praevideatur *per accidens* secutura pollutio, modo non intendatur, et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si accidat, et absit proximum consensus periculum. *S. Alph.*, *n.* 483.

536. — **7.°** Distillatio voluntaria ac *directe quaesita* (v. gr. per tactus repetitos) semper mortale peccatum est, quia continet proximum periculum delectationis venereae et pollutionis. Distillatio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria, *a*) si praevideatur conjuncta cum magna spirituum commotione, erit peccatum grave, leve, vel nullum, sicut de pollutione dictum est supra, *n.* 533, II, III; — *b*) si praevideatur secutura absque venerea delectatione, non magis de ea erit curandum quam de effusione cujuslibet alius humoris. *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 222; *Génicot*, *n.* 401; *Capellmann*, l. c., *pag.* 81; *S. Alph.*, *n.* 477.

8.° Motus inordinati cum venerea delectatione, sive *graves* sive *leves*, sunt peccata mortalia, quoties sunt *directe* voluntarii, vel etiam quoties sponte obortis adhaeret voluntas; quia tunc adest venerea delectatio in se quaesita, quae materiae parvitatem nunquam admittit. — Si autem a voluntate non pendeant, neque in se, neque in causa, ut saepe contingit, nullusque consensus eis praebeatur, ab omni peccato sunt immunes. — Denique, si eorum causa libere ponatur, quin intendatur, de iis sicut de pollutione *indirecte* voluntaria, data tamen debita proportione, dicendum est. Hinc causa levis motuum facile excusabit a gravi peccato, cum id asserant communiter DD. de ipsa pollutione, cum *S. Alph.*, *n.* 484.— Facilius enim poni potest causa talium motuum, quam pollutionis, ut patet.

9.° Licet alicui pruritum magnum patienti in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis acrimonia, ut ordinarie evenit, non vero ex libidinis ardore proveniat. Si enim accidat pollutio, secluso consensus periculo, *per accidens*, et proinde inculpabiliter, accidit. Ceterum adhortandi sunt poenitentes, ut in quantum fieri sine gravi molestia potest, ab hujusmodi tactibus temperent. *S. Alph.*, *n.* 483.

§ II. *De sodomia.*

537. — Horrendum sodomiae crimen est concubitus cum persona ejusdem sexus, vel diversi, sed in vase indebito.

Sodomia, si agitur de *reservatione* casuum, est «concubitus *viri* cum *viro* ex affectu erga sexum virilem, semen effundendo in vas praeposterum». Vocatur vulgo PAEDERASTIA (παιδὸς ἐραστής), quia

saepe cum pueris peragitur. Haec dicitur *perfecta*. Sodomia *imperfecta*, quaeque non cadit sub reservatione, habetur: 1.° in concubitu viri cum viro, ita ut pollutio extra vas peragatur; 2.° in concubitu feminae cum femina: his duobus habetur etiam formalis malitia sodomiae, scilicet affectus carnalis ad sexum indebitum; 3.° in concubitu viri cum femina in vase praepostero (affectus carnalis ad vas indebitum).

Notanda: α) Omnis sodomia specie differt a pollutione.
β) Sodomia perfecta specie non differt ab imperfecta de qua n. 1.°
γ) Ab his duabus differt illa quae est sub n. 2.°
δ) Ab omnibus differt quae est sub n. 3.°

Ubi deest concubitus non habetur sodomia.

Sodomia est crimen multo gravius pollutione simplici. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, tum etiam inauditis poenis a Deo inflictis Sodomae et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

538. **Resolves:** — Probabilius *per se* non est declarandum, quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. *Billuart, cum aliis.* — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. *S. Alph., n.* 468.

§ III. *De bestialitate.*

539. — Infandum et exsecrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est inter luxuriae peccata, quia naturae rationali maxime repugnat. Morte puniebatur in lege mosaica: *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite.* Lev., XX, 15; Exod., XXII, 19. Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia, et specialis ejus deformitas in accessu ad speciem diversam consistit. *S. Alph., n.* 474.

540. — Bestialitas, si de reservatione agitur, est: «concubitus hominis cum bestia cum effusione seminis, sive in alvo sive in alia corporis parte».

Ubi abest coitus, habetur bestialitas tantum *affectiva*, si in pollutione excitata tactu bestiae fovetur *affectus carnalis* ad *brutum*, non autem praecise ad delectationem veneream. Si non fovetur talis affectus, non habetur bestialitas, quamvis tactus turpes fiant cum mutua pollutione. Cfr. *Génicot, n.* 403.

Unde, secluso tali affectu, non videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua jumenti, aut alterius bestiae, voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cujus speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. *Ita communiter. S. Alph., n.* 474.

Hic autem adverte, valde cautum, prudentem et parcum debere esse confessarium in interrogandis poenitentibus de luxuriae pec-

catis, imprimis de iis quae magis horrenda et inconsueta videntur. Vide regulas infra tradendas in *tract. de Poenitentia*, ubi de confessarii muneribus.

DE VII ET X DECALOGI PRAECEPTO

Non furtum facies. — Non concupisces domum proximi tui... non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. Exod., XX, 15, 17.

Septimum Decalogi praeceptum prohibet omnem injustitiam externam in bonis fortunae proximi. — Decimum vero etiam peccata *interna* concupiscentiae, id est, desiderii bonorum proximi et actionis injustae vetat. De variis injustitiae peccatis circa bona fortunae, dicemus in *tractatu particulari de justitia et jure.*

DE VIII DECALOGI PRAECEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exod., XX, 16.
Non falsum testimonium dices. Matth., XIX, 18.

541. — Hoc praeceptum quatenus est negativum prohibet 1.° *praecipue* et *primario*, ne dicatur falsum testimonium tum in judicio, tum extra judicium; 2.° *indirecte* et *secundario*, ne laedatur fama et honor proximi.

Quatenus autem affirmativum est, jubet, ut qualibet sublata simulatione et fallacia, simplex et nuda veritas dicatur.

Hinc prohibet 1.° perjurium in proximum; 2.° mendacium; 3.° detractionem; 4.° contumeliam; 5.° judicium temerarium et suspicionem injuriosam. De singulis dicendum, excepto perjurio, de quo satis in secundo praecepto.

CAPUT I

DE MENDACIO

ARTICULUS I

DE MENDACIO IN GENERE

542. — *Mendacium* est sermo prolatus cum intentione dicendi falsum. Si fiat nutibus vel aliquo facto, *simulatio* vocatur. — Triplex distinguitur mendacii genus: 1.° *damnosum*, quo mediante

injustum damnum alicui infertur; 2.° *officiosum*, quod utilitatis propriae vel alienae gratia profertur; 3.° *jocosum*, quod fit ex joco et sola nugandi causa.

543. **Principia**. — I. Mendacium proprie dictum est semper intrinsece malum. — Ratio est, 1.° quia rectae rationi repugnat vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2.° quia si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis, qui mutuo hominum commercio nititur, omnino subverteretur. Hinc, Coloss., III, 9: *Nolite mentiri invicem. S. Thom.*, 2, 2, *q.* 110, *art.* 3; *S. Aug.*, *lib.* De mendacio et contra mendacium.

II. Mendacium *damnosum* grave est pro ratione damni, quod proximo infertur; idcirco obligatio damnum reparandi ex eo sequitur. *Ita omnes. — S. Thom., ibid., art.* 4.

III. Mendacium *officiosum* peccatum veniale est *per se*, quia in eo gravis deordinatio non apprehenditur. *Ita omnes. — A fortiori* mendacium *jocosum per se* veniale peccatum non excedit. Imo interdum id quod mendacium jocosum dicitur, omni prorsus culpa vacat, quia non est mendacium *proprie* dictum, sed jocus recreationis causa adhibitus absque ulla intentione alium decipiendi, et proinde non ipsi convenit nostra definitio. Hoc autem tantum admitti potest, quando talia sunt rerum adjuncta, ut audientes facile intelligere possint, loquentem tantum jocari velle. *Ita communiter.*

544. **Resolves:** — 1.° Non mentiuntur, qui asserunt falsum, quod credunt verum, sed errant tantum. E contrario mentiuntur, qui verum dicunt, quod falsum reputant, quia contra mentem loquuntur.

2.° Non sunt mendacia locutiones tropicae, ironicae, hyperbolicae, quae ut tales facile ab audientibus accipi possunt, et solent. Multo minus parabolae, quibus tam frequenter ipse Christus utebatur. — Nec sunt mendacia aequivocationes, si non impediant quominus sensus loquentis cognosci queat.

3.° Non mentiuntur, qui fabulas conscribunt, vel ex joco dicunt aperte falsa, ut manifestum est.

4.° Ad mendacium referuntur simulatio, hypocrisis, adulatio et inanis jactantia; quae peccatum veniale *per se* non excedunt; mortale tamen evadere possunt, seu potius mortale accedere iis potest ob aliam peccati speciem, quae superveniat.

ARTICULUS II

DE RESTRICTIONE MENTALI

545. — *Restrictio mentalis* est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis.

Restrictio mentalis est 1.° *pure* seu *stricte mentalis*, si sensus loquentis percipi nullo modo possit; et haec *proprie mentalis* dicitur; 2.° *late* seu *improprie mentalis*, si sensus propositionis ex adjunctis possit colligi.

Ad restrictionem mentalem revocantur aequivocationes seu amphibologiae, quae sunt locutiones habentes duplicem sensum, sed unum magis obvium et alterum litteralem.

546. **Principia.** — I. Nunquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali*, nec amphibologia humano modo non perceptibili; *a fortiori* non licet cum iisdem jurare, quia est simpliciter mendacium. — Constat etiam ex propositionibus 26.ª, 27.ª et 28.ª ab Innocentio IX damnatis. *S. Alph.*, de II praec., *n.* 152.

547. — II. Licet aliquando *ex justa causa* uti restrictione *late* id est *improprie mentali*, et verbis aequivocis, quando sensus a loquente intentus *intelligi* possit. — Ratio est, quia hoc non est malum *in se*, cum proximus non *proprie* decipiatur, sed ex justa causa tantum permittatur ejus deceptio; aliunde ad bonum societatis requiritur, ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando autem aliud medium non suppetit praeter aequivocationem, aut restrictionem *late* seu *improprie* mentalem. — Dixi *ex justa causa;* quia si usus talium restrictionum absque *proportionata* causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humanae societatis damnum cederet (1).

Licet vero uti ejusmodi *lata* restrictione etiam cum juramento; quamquam major causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine judicio usurpandum. *S. Alph.*, *n.* 151.

548. **Resolves:** — 1.° Culpa non caret, qui utitur restrictione etiam non pure mentali, aut aequivocatione aliquo modo perceptibili: 1.° si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2.° si interrogans habeat jus inquirendi aut imperandi veritatis confessionem, quia juri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate (*S. Alph.*, *n.* 154). Adde 3.° si exinde damnum proximi emergeret contra praeceptum charitatis; 4.° quando contractus mutui celebrantur; quo in casu justitia postulat, ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. *Scav.*, De actib. relig. extern., *c.* 2, *art.* 2.

2.° Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio;* quia confessarius id nescit scientia communicabili. Imo etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia communicabili?* respondere adhuc posset: *Nescio.* Ratio est, quia tyrannus bene cognoscit, se jus non

---

(1) Ita communissime theologi. *S. Alph.*, de II praecepto, *nn.* 151, 152; *Lacroix*, *l.* 3, *n.* 287; *Suárez*, *Lugo*, *Laymann*, *Sporer*, *Elbel*, *et alii innumeri*, *teste S. Alph.*, *ibid.*

habere de hoc interrogandi, nec confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei, ac proinde scientia incommunicabili.

3.° Reus a judice non *juridice* aut non *legitime* interrogatus potest respondere se crimen non patrasse, subintelligendo, de quo possit inquiri, seu quod fateri teneatur. *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 154. — Cfr. praeterea *vol.* 2, ubi de reo.

4.° Possunt uti hujusmodi restrictione omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5.° Potest famulus jussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. *S. Alph.*, *n.* 165. — V. **Casus**, *n.* 414 *et seq.*

CAPUT I

DE DETRACTIONE

1.° De vitio detractionis; 2.° de restitutione famae.

ARTICULUS I

DE VITIO DETRACTIONIS

549. — *Detractio* est occulta et injusta violatio famae alienae, seu denigratio injusta famae proximi absentis. Fama autem est bona aestimatio, quam alii habent de vita et moribus alicujus, vel etiam de sapientia, doctrina, ingenio, pulchritudine, notabilitate aliisque bonis sive intrinsecis sive extrinsecis.

Detractio dicitur *simpliciter talis*, si fama proximi violetur revelatione criminis veri; *calumnia* autem denominatur, si famae violatio ex appositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1.° *directe*, si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2.° *indirecte*, negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo aliis laudantibus, vel frigide laudando.

550. **Principia**. — I. Omnis detractio *directa*, sive sit *calumnia*, sive detractio *simpliciter*, est mortalis ex genere suo, quia est con-

tra justitiam; et quidem gravius est peccatum, quam furtum, quia majori bono proximum injuste privat. — Constat ex sensu communi et ex Scriptura sacra, Prov., XXII, 1, ubi dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae;* et ibidem, XXIV, 9: *Abominatio hominum detractor.*

II. Gravitas vel levitas detractionis desumenda est praecipue ex gravitate vel levitate damni, quod proximus ex ea pati potest, et non tantum ex gravite defectus seu criminis, quod de proximo narratur. — Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractionis gravitatem attendendum est ad qualitatem 1.° personae *detrahentis*, scilicet an sit gravis et discreta, an garrula et levis; 2.° personae *laesae*, an sit bonae vel malae famae, etc... Ratio est, quia major fides praestabitur pro majori vel minori loquentis auctoritate; item majus vel minus sequetur famae detrimentum pro ratione majoris vel minoris aestimationis, qua persona laesa gaudet. *S. Alph.*, *n.* 967.

551. — III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere, ut constat ex propositione 44.ª ab Innoc. XI damnata. Licet tamen justa de causa crimen alterius occultum etiam cum jactura famae ipsius manifestare; quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc jus proximi ad famam conservandam a potiori jure eliditur. *S. Alph.*, *n.* 972.

IV. Causae autem propter quas licite crimen alterius revelari *potest*, et aliquando *debet*, sunt sequentes: 1.° utilitas notabilis *revelantis* ipsius, v. gr. ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractionem, etc.; 2.° utilitas *delinquentis*, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem; 3.° utilitas *publica*, uti ad impedienda mala reipublicae vel religioni aut alicui communitati imminentia; 4.° utilitas gravis etiam privata sive *audientium*, sive *aliorum*, v. gr. ut a malis, damnis aut incommodis certe aut probabiliter eventuris liberentur.

Ratio horum est, quia tunc peccata alterius manifestans non laedit justitiam nec charitatem. — 1.° *Non laedit justitiam*, quia proximus non habet jus ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando ejus manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum; 2.° *non laedit charitatem*, quia charitas non obligat cum gravi incommodo; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui quantumvis magnum cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celare. *S. Alph.*, *n.* 968.

552. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An peccet graviter, qui sine justa causa revelat unicum peccatum mortale alterius?*

Resp. 1.° Non est semper peccatum grave revelare peccatum grave alterius, etiamsi pluribus manifestetur. Attendendum igitur

est ad rerum et personarum adjuncta, ex quibus colliges, an aliquis gravem famae jacturam ex peccati revelatione patiatur.

Resp. 2.° Si peccatum graviter dedecoret sive in se sive relative ad infamatum, certo detractor graviter delinquit, quoties hujusmodi peccatum, licet unicum, *pluribus manifestat*, quia grave famae damnum proximo infertur.

Resp. 3.° An vero sit mortale hujusmodi peccatum unico *viro prudenti* et *discreto* revelare, seclusa speciali malitia, *controvertitur*.

I.ª SENTENTIA *communior* et *probabilior* dicit, graviter peccari, nisi inconsiderantia aut magna levitas excuset. Ratio est, 1.° quia laesio famae, etiam apud unam personam gravem, gravis censetur, ut patet ex judicio temerario, quod *per se* grave est; 2.° quia saepe homines aegrius ferunt, se laedi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias.

II.ª SENTENTIA satis *probabilis negat*. Ratio est, quia cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit. *S. Alph.*, *ut probabile* habet, *n.* 973.

Ad rationes prioris sententiae respondetur, in judicio temerario proximum haberi improbum sine solido fundamento; hic vero, ut supponimus, cum solido fundamento, nam peccatum fuit certe cognitum a revelante. Ideoque si scienter vel temere quis imponeret alteri falsum crimen coram uno tantum viro, graviter peccaret; non vero revelando uni crimen certum. *Ita Lessius*, De just., *lib.* 2, *c.* 11, *n.* 68. Cf. *Lugo*, De just., *d.* 14, *nn.* 12, 51 *et* 52.

553. — QUAER. 2.° *An specie differant detractiones in materiis specie diversis?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I.ª SENTENTIA *affirmat*. Ratio est, quia alia est fama, quam quis possidet, v. gr. de castitate, et alia quam habet de justitia; siquidem non est diffamatus in fornicatione, quamvis sit dedecoratus in furto.

II.ª SENTENTIA *negat*. Ratio est, quia licet tales detractiones materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam hominis famam laedunt, eo quod tendunt in unicum objectum formale, sicut contumeliae sunt ejusdem speciei propter unitatem honoris contra quem tendunt. *Lugo*, De Poenit., *d.* 16, *n.* 265, etc.

QUAER. 3.° *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus?*

Resp. Affirm., quia hoc nec contra justitiam videtur esse, nec contra charitatem, sive sit publicum publicitate juris sive publicitate facti. *S. Alph.*, *n.* 974.

554. — QUAER. 4.° *An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco, ubi ignoratur?*

Resp. Affirm., 1.° *probabilius per se*, saltem absque peccato gra-

vi, si agatur de loco vicino, seu de loco *ubi facile* et *brevi publicandum est.* Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magnae aestimationis est, et moraliter loquendo jam abjecta est.

Resp. 2.° Si agatur de locis, ad quae divulgatio non est perventura, aut nonnisi post diuturnum tempus, *distinguendum est:*

1.° Quoad *notorietatem juris.* 1.° Non est contra *justitiam,* quia judex, quando publice aliquem condemnat, intendit reum spoliare fama, ut ceteris ubique sit in exemplum. *Ita communiter.* — 2.° Nec *probabilius* est contra charitatem, saltem graviter, quia ad bonum commune magnopere confert, sententiam ubique vulgari, ut efficacior sit poena, ac reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotae, qui cum illo negotia tractanda habere possent. *Ita communius* cum *Lugo, Salmant., S. Alph., n.* 974.

2.° Quoad *notorietatem facti, controvertitur* inter theologos.

I.ª SENTENTIA valde *probabilis* dicit, non esse *per se* illicitum, quia neque contra justitiam peccatur, neque contra charitatem, saltem graviter, modo agatur de criminibus, quae reddunt hominem *perniciosum.* Ratio est, quia bono publico conducit, facinorosos homines dignosci, ut ab eis cavere omnes possint. *S. Alph., n.* 974; Hom. apost., *n.* 12; *in* Retr., *n.* 12.

II.ª SENTENTIA e contrario dicit, esse peccatum et contra justitiam, et contra charitatem: 1.° *contra justitiam* quidem, quia infamatus in uno loco, non amisit jus ad famam in alio remoto, quo fama criminis non est brevi perventura; ergo ipsi facit injuriam, qui eum ibi diffamat; 2.° *contra charitatem,* quia diffamans nocet proximo in re gravi seu in fama, quam alibi sine ullius injuria possidere pergit. — *Billuart, Antoine.*

555. — QUAER. 5.° *Quandonam crimen seu factum dici possit publicum seu notorium?*

Resp. Juxta Codicem, *can.* 2197, delictum est: 1.° *publicum,* si jam divulgatum est, aut talibus contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri; 2.° *notorium notorietate juris,* post sententiam judicis competentis quae in rem judicatam transierit, aut post confessionem delinquentis in judicio factam; 3.° *notorium notorietate facti,* si publice notum sit et in talibus adjunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit. Valde autem difficile est determinare, quot personarum requiratur cognitio, ut crimen publicum censeri debeat. Varias regulas assignaverunt theologi pro vario numero personarum, quae communitatem componunt. Juxta communiorem sententiam dici potest publicum crimen, si *quindecim* sciant ex communitate *centum* personarum; aut *viginti* diversarum familiarum in communitate *mille* personarum; aut *quadraginta* dispersi in oppido *quinque millium* personarum.

Ita S. Alph., n. 975. — Sed, ut melius inquit *Billuart*, De justitia, *diss.* 15, *art.* 2, § 5. hoc remittitur judicio prudentis, qui attento communitatis numero, hominum garrulitate et aliis circumstantiis, judicet an possibile sit ut res secreta maneat.

556. — QUAER. 6.° *An peccet graviter referens tantum gravia peccata alterius, ut ab aliis audita, v. gr. si dicat: Fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud?*

Resp. 1.° Peccat graviter contra *charitatem* et *justitiam*, si ita referat, ut alii sint verisimilius et merito id crediturі, v. gr. si asserat se, quae narrat, audivisse a persona fide digna; quia tunc causam sufficientem credendi malum praebet; *secus*, si probabiliter fides dictis non adhibeatur, quia nulla infamia inde orietur. — Multo autem facilius graviter peccabit referens, etiam ut mere dubium, peccatum enorme alterius, v. gr. haeresis, sodomiae, etc.

Resp. 2.° Peccat graviter contra *charitatem*, si audita referat coram iis, qui probabiliter ea credent ex levitate aut malitia propria; quia sub gravi quisque tenetur ex charitate tollere occasionem gravis damni alterius, cum facile potest. Non tamen videtur peccare contra justitiam, quia non est causa efficax damni. *S. Alph., n.* 978; *Billuart, ibid., art.* 2, § 4, *et alii communiter.*

557. — QUAER. 7.° *Quomodo peccet audiens detractionem?*

Resp. 1.° Peccat certe graviter contra *justitiam*, qui *efficaciter* inducit alium ad detrahendum.

Resp. 2.° Peccat graviter contra *charitatem*, qui gaudet de detractione gravi ab alio facta, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe, si gauderet tantum de auditione rei novae vel curiosae, non vero de ipsa detractione.

Resp. 3.° Superior peccat contra *charitatem*, si detractionem non impediat in quantum commode potest, etiamsi de ea non gaudeat; quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno subditi infamati obviandi. *Probabilius* autem non peccat contra justitiam: 1.° superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi; 2.° superior infamati, quia ipsi non incumbit ex justitia bono temporali subditi attendere. *S. Alph., n.* 979.

Resp. 4.° Persona particularis plerumque aut omnino aut saltem a gravi peccato excusatur, si detractionem non impediat, sive ex verecundia, aut timore vel etiam negligentia, etiamsi commode possit, modo de illa non gaudeat, nec praeter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia saepe constare nequit correctionem esse profuturam; imo saepe periculosum est, et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producatur. Culpa tamen aliqua non carebit, si facile correctionem efficacem adhibere possit. *S. Alph., n.* 979.

Excusantur autem etiam a veniali, qui ubi advertunt detractio-

nem, discedunt, sermonem expungunt, aut faciem avertunt, atque tristes se ostendunt, juxta illud Prov., XXV, 23: *Dissipat facies tristis linguam detrahentem.*

558. — QUAER. 8.° *An liceat seipsum infamare?*

Resp. Affirm., per se, si recta intentione fiat, secluso scandalo et aliorum damno. Ratio est, quia non est contra justitiam, cum quisque sit famae suae dominus; nec contra charitatem, quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi quantum id exigat salus propria vel proximi.

Per accidens autem peccabis, et etiam graviter, si fama tua necessaria sit muneri tuo, vel si tibi damnum vitae, vel aliis infamiae ex hoc oriri possit. *S. Alph., n.* 983.

559. **Resolves:** — 1.° Grave est peccatum etiam mortuis detrahere in re gravi; jure enim ad famam non spoliantur, licet e vivis excesserint. Unde historiographi ignominiae notam memoriae defunctorum sine causa sufficienti inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, actam poenitentiam non referendo, graviter peccare possunt. *S. Alph., n.* 978.

2.° Letale esse potest de aliquo in conspicua dignitate constituto tam multa, etsi non singula gravia, revelare, ut notabiliter laedatur ejus fama, licet intra longum tempus id peragatur.

3.° Mortale est, si dicas, aliquem esse adulterum, licet de hoc probabilia habeas indicia; quia ejus famae grave nocumentum affers. Imo idem tenendum, etiamsi diceres probabile eum esse talem.

4.° Grave est dicere de sacerdote, quod duellum commiserit, aut sit amans puellarum, aliaque id genus. Saepe autem letale non est id asserere de milite, aut etiam de juvene mediocris famae; nec dicere de puella quod sit garrula, superba, etc. *S. Alph., n.* 967.

5.° Non est mortale de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos; quia nemini gravis injuria irrogatur. Item non est grave, crimen aliquod referre de aliquo, quem audientes non noverunt, nec unquam agnituri sunt, etiamsi nominetur. Imo hoc *per se* omni culpa vacat.

6.° Letale tamen est, saltem communiter loquendo, graviter detrahere alicui monasterio, licet nullus religiosus nominetur, v. gr. si dicatur, in eo pravam duci vitam, grave peccatum fuisse patratum. Ratio est, quia religiosi ejusdem communitatis adeo inter se conjuncti sunt, ut coram externis velut solidarii alii pro aliis censeantur. Hinc tota communitas apud imprudentes et simplices maculari solet. *S. Alph., n.* 979.

560. — 7.° Non est mortale dicere de publico ebrioso, eum hac die *inebriatum esse, etsi occulte fecerit;* imo quandoque nullum adest

peccatum, si quis omnem famam quoad aliquid amiserit, v. gr. si dicas de meretrice, quod fornicata fuerit. Nec est mortale infamem in uno crimine de altero valde affini dedecorare, v. gr. si de adultero dicas, eum litteras amatorias misisse, vel de ebrioso, eum cum uxore rixatum esse; quia talis revelatio non est nova infamia, aut saltem non gravis. De disparato tamen et non connexo crimine aliquem infamare mortale esse potest; quia ille, qui dedecorus est in uno vitii genere, non ideo amisit jus famae quoad reliqua. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 14, *et alii communiter.*

8.° Non peccat, saltem graviter, qui solatii causa tantum, seclusa detrahendi intentione, alicui amico narrat injuriam ab alio sibi factam, etsi inde aliqua infamia auctori proveniat. Hinc probabiliter excusantur, saltem a mortali, famuli detegentes injurias sibi illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, religiosi a praelato, etc.; quia auctor injuriae non potest esse rationabiliter invitus, remque tam difficilem exigere, ut laesus solatio vel consilio necessario careat. Cavendum est tamen, ne dicatur pluribus, atque apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium. *S. Alph.*, *n.* 973.

9.° Non peccat graviter, generatim loquendo, qui revelat defectus naturales animi vel corporis alterius, dicendo, v. gr., quod sit stupidus, ignarus, etc.; quia tales defectus non sunt mortales, nec famam notabiliter minuunt. Excipe, nisi grave damnum inde secuturum sit. Hoc autem maxime ex circumstantiis pendet. *S. Alph.*, *n.* 967.—V. **Casus**, *n.* 420 *et seq.*

ARTICULUS II

DE RESTITUTIONE FAMAE

561. **Principia.** — I. *Detractor* tenetur ex justitia, quantum fieri potest, 1.° ad *reparandam famam* injuste ablatam; 2.° ad *compensanda* omnia *damna temporalia* ex diffamatione provenientia et aliquo modo *praevisa.*

Ratio primi est, quia per ablationem famae irrogata est injuria damnosa; jus enim, quod quisque habet ad famam, auferri *privata* auctoritate nequit; cum itaque necessaria sit boni injuste ablati restitutio, propterea injuria illa resarciri debet. *Ita omnes. S. Alph.*, *n.* 991, *et lib.* 3, *n.* 613.

Ratio secundi est, quia omnia damna provenientia ex detractione tribuenda sunt detractori, ut causae eorum efficaci, sive crimen revelatum sit falsum, sive verum, cum in utroque casu famam injuste detractor laeserit. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 996.

Obligatio restituendi *famam* est *personalis.* Obligatio vero reparandi *damna*, quae ex diffamatione orta sunt, est *realis*, et proinde ad heredes transit.

562. — II. Restitutio famae alio modo facienda est a calumniatore, ac a detractore simplici. Hinc:

1.° *Calumniator* tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum jactura propriae famae, si aliter reparatio fieri nequeat; ratio, quia melior est conditio innocentis quam nocentis, et malitiae suae imputare debet quidquid propterea est passurus.

2.° *Detractor simplex* dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo, v. gr. se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt, juxta illud Prov., XIV, 22: *Errant, qui operantur malum. S. Alph., n.* 992. — Sed saepe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt, verum esse crimen, quod non asseritur aperte esse falsum. Tunc igitur detractor tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum cui detraxit.

563. **Resolves:** — 1.° Qui alium injuste diffamavit verum crimen manifestando, tenetur ad integrum damnum inde proveniens reparandum; quia injusta illius revelatio est causa vera et unica damni. *S. Alph., n.* 994.

2.° Qui detraxerit per libellum famosum, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica retractatione. Item innotescere debet reparatio, si cognoscatur diffamationem ad multos pervenisse, sed ignoretur ad quos pervenerit. *S. Alph., n.* 995.

3.° Item in defectu diffamatoris ad reparationem famae tenentur, qui ad diffamationem propagandam cooperati sunt, iique omnes pariter tenentur de damnis fortunae, si quae acciderint.

Diffamator non tenetur ad veniae petitionem, si famam reparare non possit, nisi famam simul et honorem laeserit; quia per veniae petitionem fama perdita non restituitur; nec ille magis urgetur obligatione veniae petendae, quam qui non potest restituere bona fortunae, in quibus aliquem laeserit. *Ita communiter.*

564. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *Quaenam sint causae a restitutione famae excusantes?*

Resp. Sequentes communiter admittuntur:

1.° Si delictum, quod uni vel pluribus revelasti, ex *alia via publicum evaserit*, aut si fama alio modo reparata sit, v. gr. per sententiam judicis, etc.

2.° Si prudenter judicetur, criminis *memoriam* temporis decursu oblivione *deletam* esse.

3.° Si restitutio famae fieri nequeat sine *vitae periculo;* quia vita est bonum ordinis superioris ac fama: item si restitutio famae sit multo minoris valoris ac jactura, quam pati deberet diffamator, v. gr. si esset homo honoratus et praesertim bono publico vel religioni valde utilis.

4.° Si reparatio sit *moraliter impossibilis* ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quae praesertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur, v. gr. si qui audierunt detrahentem, a praeoccupata opinione revocari non possint.

5.° Si judicetur, detractioni *fidem adhibitam non fuisse* ab audientibus, ut fit saepius, quando in irae calore detrahitur.

6.° Si infamatus obligationem expresse vel tacite *remiserit*, modo remittere possit; imo quandoque sufficit *condonatio praesumpta*. *S. Alph.*, *n.* 1003. Eam autem remittere non potest, quando ex ejus infamia sequitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc., v. gr. si agatur de infamia sacerdotis, magistratus, etc. *S. Alph.*, *n.* 997 *et seq.*

Quaer. 2.° *An detur obligatio restituendi famam sine formali injustitia laesam, v. gr. si quis detrahat ex inconsiderantia?*

Resp. Affirm., quia quisque tenetur reparare damnum ex sua actione proveniens, si commode possit, ut dicemus in tractatu de justitia et jure, *n.* 799, *q.* 3. — *S. Alph.*, *n.* 994.

565. — Quaer. 3.° *An infamans tenearis famam restituere etiam coram iis, qui crimen a te revelatum* mediate *acceperint?*

Resp. Affirm., probabilius, imo et verius, si famam violasti apud audientes, quos praevidebas facile infamiam evulgaturos; quia tunc es vera causa damni; secus non teneris. *S. Alph.*, *n.* 991.

Quaer. 4.° *An excuseris a restitutione famae, si etiam laesus tuam famam violaverit, nec restituere velit?*

Resp. Negant *Navarrus*, *Sporer*, et quidam *alii;* sed *probabilius affirmandum* cum *S. Alph.*, *n.* 999; quia non teneris alteri jus suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.

Quaer. 5.° *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia justitia obligat tantum ad reddendum ablatum, aut aequivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractionem, neque ipsa est famae aequivalens, cum sit alterius ordinis. *S. Alph.*, *n.* 1000, etc.

CAPUT III

DE CONTUMELIA

566. — *Contumelia* est injusta *honoris* laesio *praesenti* et *scienti* irrogata. *Honor* autem est *externa testificatio aestimationis*, quae de alicujus excellentia interne habetur. Praesens vero aliquis esse potest, vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem, perque aliud in quo aliquatenus repraesentetur.

Contumelia autem fieri potest: 1.° *negative*, per omissionem

honoris hic et nunc debiti; 2.° *positive*, tum verbis tum factis aut signis contemptus.

Ad contumeliam referuntur: 1.° *irrisio*, qua quis *verbis* et *risu* contemnitur; 2.° *subsannatio*, qua quis *gestibus* ridiculis irridetur; 3.° *improperium*, quo alicui inopia, defectus, vel ortus obscuritas exprobratur.

567. — *Dico* I. Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Est enim quid gravius detractione, quae *per se* est gravis. Constat praeterea ex verbis Scripturae, Matth., v, 22: *Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennae ignis.*

Dico II. Contumelia *per se* strictam inducit obligationem restituendi honorem et reparandi damna, si qua subsecuta fuerint, saltem si in confuso fuerint praevisa, ut patet ex dictis de restitutione famae. *S. Alph.*, *n.* 966.

Licet autem teneamur contumelias tolerare, animum vindictae abjiciendo; quandoque tamen expediet contumelias repellere, quando nempe tolerantia obesse posset bono communi, v. gr. si praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic subditorum petulantia adaugeretur, etc. *S. Alph.*, *n.* 966.

568. **Resolves:** — 1.° Honor *publice* per contumeliam ablatus, *publice* est restituendus coram illis, qui testes inhonorationis fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per *aliam* personam, quae nomine inhonorantis veniam petat. *S. Alph.*, *n.* 984.

2.° Restitui pariter debet honor laesus per contumeliam occultam, quia verum honoris damnum proximo fuit illatum; reparatio tamen occulte fieri potest. *S. Alph.*, *n.* 985.

3.° Ea honoris restitutio requiritur, quae censeatur sufficiens ad manifestandam aestimationem juxta personae offensae conditionem. Si enim qui inhonoravit fuerit superior, sufficiet si inhonoratum salutet, domi invisat, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit aequalis, vel *a fortiori* inferior, major requiritur satisfactio, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat, etc., si alio modo sufficienter satisfacere nequeat. *S. Alph.*, *n.* 986.

4.° Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. gr. alterum percutiendo, vulnerando..., plerumque pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et aestimationem de altero. *S. Alph.*, *n.* 989. — Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos impacta mutuo fuerint aequalia convicia aut improperia, quia eo ipso fit compensatio.

5.° In praxi multoties expedit, ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide exsistentem circa satisfactionis obligatio-

nem, maxime si praevideat monitionem non profuturam esse; vel si putet eum, qui inhonoratus fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem praesertim publicam, ne memoria injuriae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc... *S. Alph.*, *n.* 988. — V. **Casus**, *n.* 434.

CAPUT IV

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE ET DUBITATIONE TEMERARIA

569. — 1.° *Judicium temerarium* est firmus assensus ex *levibus indiciis* conceptus de aliquo peccato vel defectu proximi; distingui debet ab *opinione*, quae est assensus minus firmus et cum formidine de opposito.

2.° *Suspicio temeraria* est quaedam inclinatio ad assensum de malo proximi ex insufficienti ratione.

3.° *Dubitatio* est suspensio animi in neutram partem se determinantis.

570. **Principia**. — I. Judicium *temerarium* de culpa proximi est peccatum mortale *ex genere suo* contra justitiam. — Quisque enim jus habet ad bonam sui existimationem apud singulos, nec malus praesumi quisquam debet, *donec probetur;* proinde injuriam gravem proximo infert, qui contra eum in re gravi *temere* judicat. Saepius tamen veniale est ob materiae parvitatem aut actus imperfectionem.

II. Ad *gravitatem* judicii temerarii requiritur: 1.° ut sit firmum, seu citra dubium; 2.° ut sit plene deliberatum et voluntarium; **3.°** ut sit in re gravi de persona determinata et cognita (*Lugo*, De just., *disp.* 14, *n.* 26; *Waffelaert*, *vol.* 2, *nn.* 134 *et* 143); 4.° ut innixum sit indiciis, quae uti levia et inepta ad judicandum cognoscantur. Ratio horum est, quia alias non esset verum judicium, neque vere temerarium, neque graviter proximo injuriosum. Saepe autem leve est ob defectum alicujus ex commemoratis conditionibus. *S. Alph.*, *n.* 962.

III. *Suspicio temeraria* et *dubitatio* de labe proximi sunt *venialia* tantum *ex genere suo*. Ratio est, quia ob debilem et facile mobilem adhaesionem ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuant et dubiam reddant. *S. Alph.*, *n.* 963. — Si quis vero, sine ratione, sed ex malevolentia in suspicione vel dubio de re admodum gravi persistat, mortale vix effugiet. *S. Alph.*, *n.* 963.

571. **Resolves**: — 1.° Non peccat graviter, qui de proximo si-

nistre judicat, si judicium innititur indiciis ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria habere quasi certum, quod est valde probabile. *S. Alph.*, *n.* 962.

2.° Non peccat graviter, qui judicando non advertit plene ad motivorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter judicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo judicio. *S. Alph.*, *ibid.*; Hom. apost., *n.* 1.

3.° Non peccat graviter, qui temere judicat de aliquo indeterminato inter plures, v. g. alicujus coetus vel communitatis (nisi forte communitas determinata id aegre latura sit), vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto. *S. Alph.*, *ibid.*; *Lugo*, l. c.

4.° Non temere judicares, si audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multo minus, si suspicareris aut dubitares tantum, quum multo minus requiratur ad prudentem suspicionem aut dubitationem, quam ad prudens judicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso aut erga alterum male affecto.

5.° Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde *extraordinaria* et *gravia* ratione *conditionis personarum*, quas respicit; quia hujusmodi suspicio aut dubitatió major injuria est, quam judicium etiam firmum circa peccata minus gravia. *S. Alph.*, *n.* 964.

6.° Licet damna praecavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. gr., potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tuae commorante; quia etsi non possis positive judicare, hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, quum certo scias, inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur.

APPENDIX

DE VIOLATIONE SECRETI

572. — *Secretum* subjective sumptum est obligatio non manifestandi rem aliquam occultam; objective vero est ipsa res occulta non manifestanda.

Triplex distinguitur secretum:

1.° *Naturale*, si obligatio ab ipsa natura imponatur, v. gr. si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius laesione sive in aestimatione, sive in bonis, etc.

2.° *Promissum*, cujus obligatio oritur ex promissione, v. gr. si

quis arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat postea se id non revelaturum.

3.° *Commissum*, cujus cognitio tibi communicata est sub expressa vel tacita conditione servandi silentium circa illud.

Non est igitur secretum *commissum* illud quod sine ulla conditione communicatur, quamvis *postea* silentium circa illud exigatur, vel promittatur. *Berardi*, Praxis, *n.* 2105; *Génicot*, *n.* 430.

Secretum quod ad petendum auxilium vel consilium communicatur sacerdoti, medico, advocato, etc. qua talibus, i. e. ratione suae professionis, semper habet *tacitam* conditionem de servando secreto, estque propterea secretum commissum quod vocari etiam solet *secretum consilii* aut etiam *secretum professionale.*

573. Principia. — I. Secretum *naturale* in re gravi obligat *per se* sub gravi, et quidem *ex justitia*, nisi justa causa excuset. — Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur *per se* damnum proximi, qui jus habet, ne sine causa rationabili laedatur. *S. Alph.*, *n.* 970; *Salm.*, etc.

II. Secretum *promissum*, ex vi promissionis obligat tantum *ex fidelitate*, et consequenter *sub levi*, nisi promittens voluerit obligationem justitiae in se promittendo suscipere: tunc enim pro ratione materiae poterit et *sub gravi* obligare. Praeter obligationem *voluntarie* susceptam, adesse poterit, ratione materiae ipsius secreti, obligatio propria secreti naturalis, de qua judicandum erit juxta dicta in princ. I.

III. Secretum *commissum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex *justitia*, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum, quia, praeter obligationem naturalem, urget etiam obligatio ex contractu *oneroso* expresse vel tacite suscepta. *S. Alph.*, *n.* 970.

Secretum consilii aut professionale *strictius* obligat quam alia secreta commissa, etenim non modo obligat ratione boni privati sed etiam ratione boni publici, quia ad bonum publicum pertinet ut homines libere possint res suas cum peritis conferre sine timore revelationis. Hinc est, ut tale secretum nec judici interroganti possit manifestari.

«Excipe nisi ille, qui secretum commisit, injuste vexaret rempublicam vel alium innocentem, neque aliter desistere vellet ab injuria; tunc enim posses revelare, etiamsi te obligasses ad potius sustinendam mortem; quia hoc vinculum obligationis esset injustum. *Lugo*, *n.* 141.» *Lacroix*, *lib.* 3, *p.* 2, *n.* 1231.

Sed tunc revelatio iis tantum fieri potest quibus necesse sit ad injustum damnum cavendum, eisque etiam imponenda est obligatio secreti commissi de hac re.

Unde si quis v. gr. syphilide infectus velit matrimonium contrahere, medicus qui id scit, obstare debet; secus infectus pestife-

ram hanc luem comparti communicabit (Cfr. *Dr. Blanc*, La sífilis, *pag.* 13, 97; *Vigouroux*, Traité complet de médecine, *vol.* 4, *pag.* 296 *seq.*). Quod si infirmus non acquiescat, illi significet medicus se debere rem alteri parti manifestare, nisi ille cessare velit a vexatione innocentis. Et, si post monitionem, non desistat, significare poterit comparti ut sibi caveat ab injusta hac vexatione. Ex charitate enim avertendum est malum ab innocente, etiam cum majori malo nocentis. Cfr. supra, *n.* 503 *seq.* et **Casus**, *n.* 438 *a*, *seq.*

574. Quaesita. — Quaer. 1.° *Quaenam sint causae justae secretum quodcumque, etiam commissum, manifestandi?*

Resp. 1.° Consensus recte praesumptus illius, cujus interest secretum occultari. 2.° Divulgatio rei aliunde profecta. 3.° Damnum grave ex secreto *seculturum* reipublicae vel privatis. Attamen si agatur de *damno jam illato*, non potes licite secretum *commissum* revelare, quousque damnificator ipse se prodere non tenetur; secretum vero *naturale* aut *promissum* judici legitime interroganti manifestari debet ad damnum jam illatum reparandum, quia haec obligatio antecedit promissionem, nec per promissionem potest quis se liberare ab illa obligatione. Vide supra, *Resol.* 1-3.° — *S. Alphonsus*, *n.* 971; *Lugo*, *disp.* 14, *n.* 147; *Sánchez*, Consil. mor., *lib.* 6, *cap.* 6, *dub.* 3, *n.* 1.

Quaer. 2.° *An possis revelare* promissum *secretum, si illud promiseris servare etiam cum vitae jactura?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si revelationem exigat *bonum commune*, quia promissio facta contra bonum commune nulla est.

Resp. 2.° *Neg.*, si agatur de tuo proprio damno simpliciter *gravi*, quia praestat servare secretum hoc speciali contractu promissum. *Neg.*, etiam *probabilius*, si agatur de damno tuo *extremo*, quia juri tuo expresse renuntiasti, nec illicitum est omittere vitae conservationem, ut promissum serves. *Ita Molina*, De just., *d.* 37, *n.* 10; *Lugo*, *d.* 14, *n.* 115; *Lacroix*, *l.* 3, *p.* 2, *n.* 1232; *S. Alph.*, *n.* 971. Sed hoc ita videtur admittendum dum negotium secreto servandum *gravissimi momenti* sit; secus enim promissio foret prodiga, quam servare non tenemur. *Ball.*, h. l.; *Waffelaert*, II, *n.* 179; *Marres*, *lib.* 2, *n.* 372. Quod S. Alph. *satis probabile* merito dicit.

575. — Quaer. 3.° *An peccet graviter, qui revelat secretum uni vel alteri viro probo sub eodem secreto?*

Resp. Neg., *probabiliter*, *per se;* quia in hoc casu gravis injuria erga alium committi non videtur. Excipe, dummodo non reveletur personae, *cui* secretum tibi committens, *specialiter* voluisse illud *celari* merito praesumatur. *S. Alph.*, *n.* 971, *et alii.*

Dixi, *per se;* quia in praxi ob circumstantias secreti, revelatio facile gravis evadet, quando scilicet personas, quibus acceptum secretum committis, nimis leviter supponis ita discretas, ut illud sint certo servaturae, praesertim si cum mulieribus agatur. Etenim tibi

commissum est secretum, quia discretus putabaris; si vero illud violes, putasne alium, cui confidisti, te ipso discretiorem futurum esse?

QUAER. 4.° *An* graviter *peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

Resp. Affirm., per se, seu *ex genere suo.* Ratio est, quia jure naturali, et jure gentium obligatio inest secreta litterarum illaesa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. *S. Alph.*, Hom. apost., *tr.* 11, de 8.° praec., *n.* 5, *et alii communiter.*

Excipe casus sequentes: 1.° si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litterae mittuntur; 2.° si cognoscatur vel praesumatur, litteras continere res levis momenti; 3.° si justa de causa fiat, v. gr. ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo ad malum istud propulsandum quis jus habeat litteras aperiendi, nec plus legat, quam ad hunc finem necessarium est (*Scav.*); 4.° si litterae ex levitate aut ex aliqua inconsiderantia aperiantur. *S. Alph., l.* 5, *n.* 70.

QUAER. **5.°** *An ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen occultum alterius revelare, si notitiam acceperis injuste per vim, aut fraudem, puta aperiendo litteras*, etc.?

Resp. Tunc tantum recte admittit Lugo, te posse crimen manifestare, quando esset tibi permissum etiam per vim et fraudem illud exquirere et litteras aperire. *S. Alph., lib.* 3, *n.* 960. Cfr. *Lugo.* De just., *disp.* 14, *n.* 101.

576. **Resolves:** — 1.° Secretum *promissum* nullo modo obligat, quoties alias tenebaris rem manifestare, v. gr. si interrogeris a superiore vel a judice. *S. Alph., n.* 970.

2.° Secretum *commissum* a te servandum est generatim, etiamsi interrogeris a superiore vel judice, etc.; respondere autem debes, te de hoc nihil scire; quippe ejusmodi notitiam perinde habes, ac si eam non haberes. *S. Alph., n.* 970.

3.° Eodem modo servandum est secretum *implicite* vel *tacite* tantum *commissum*, ac si *expresse* commissum esset. Imo *per se* servandum est *strictius*, ut supra, *n.* 573, III, dictum est. Sic ad secretum stricte obligantur consiliarii principum, duces belli, advocati, medici, theologi de aliqua quaestione consulti, omnesque universim, quibus vel consilii vel solatii vel auxilii causa secretum committitur.

4.° Superior religiosus litteras suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive ex religionis statuto, sive ex consuetudine, aut ex prudenti suspicione, quod aliquid minus recti contineant. *S. Alph., n.* 70.

5.° Omnes religiosi, sive viri sive mulieres, libere possunt: *a*) mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem ejusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad

proprios Superiores majores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subjecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium jurisdictione sunt, etiam ad Superiores majores Ordinis; *b*) et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere (*can.* 611). Ratio est, quia gubernandi ratio postulat, ut moderatores cum omnibus subditis libere communicare possint. *S. Alph.*, *ibid.* — V. **Casus**, *n.* 436 *et seq.*

FINIS TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI

TRACTATUS

De praeceptis Ecclesiae

577. — Ecclesia gaudet facultate statuendi praecepta fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam potestatem ei contulit, ut dictum est in tract. de leg., *n.* 150.

Multa exsistunt Ecclesiae praecepta, ut ex jure canonico constat; *praecipua* vero, quae universos respiciunt fideles cujuscumque status aut conditionis, *ad octo sequentia* reducuntur, scilicet: 1.° ut festa auctoritate Ecclesiae instituta fideles colant; — 2.° ut saltem diebus dominicis et festis sacro intersint; — 3.° ut saltem semel singulis annis peccata confiteantur;—4.° ut saltem tempore Paschatis ad S. Eucharistiae sacramentum accedant; — 5.° ut certis diebus a carnibus abstineant; — 6.° ut jejunia statutis temporibus servent; — 7.° ut a legendis libris periculosae doctrinae abstineant;—8.° ut decimas Ecclesiae solvant. De hoc praecepto aliqua tantum hic jam statim attingemus.

DE SOLVENDIS DECIMIS

578. — I. Ecclesia jus habet, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria (*can.* 1496).

Fideles enim tenentur ad cultum publicum Deo tribuendum, et consequenter ad media subministranda pro cultu publico et pro sustentatione ministrorum.

II. Modum satisfaciendi huic obligationi determinavit Ecclesia statuens jam ab antiquo solutionem decimarum (Decretal., *l.* 3, *tit.* 13, *c.* 1, in Sexto). Haec solutio hoc vel alio modo ab Ecclesia probato debetur non modo titulo *religionis*, sed etiam ex *justitiae* titulo.

Ex novo Codice, ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione servari debent (*can.* 1502).

III. Potestas civilis nequit sibi usurpare decimas, nec eas abrogare, nec propria auctoritate aliis vectigalibus supplere.

Verum haec substitutio fieri potest a civili potestate, accedente consensu et auctoritate Sedis Apostolicae, ut res ipsa per se patet.

IV. In **Hispania** decimae abolitae inique et invalide a Gubernio fuerant anno 1837 (29 jul.); postea vero, collatis consiliis inter Gubernium et Sedem Apostolicam, statuta dos fuit pro Ecclesia et cultu in substitutionem bonorum et aliorum jurium ecclesiasticorum. Quare ab hac tractatione breviter nos expediemus.

V. Igitur dum Gubernium solvat Ecclesiae statutam in pactis concordatis dotem, fideles in **Hispania** non tenentur solvere decimas: aequivalenter enim eas praestant dum Gubernio tributa pendunt.

VI. Quod si Status dotem aliquando Ecclesiae denegaret, tunc fideles deberent decimas iterum solvere, modo quo id Ecclesia decerneret (1).

DE I ET II ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE OBSERVATIONE FESTORUM

579. — Sancta mater Ecclesia gaudet potestate festa instituendi eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus praecipiendi, utpote quae accepit a Christo omnem potestatem in ordine ad bonum spirituale filiorum. Nulla de hoc inter catholicos controversia agitatur.

Praeceptum festa celebrandi, si obligationem respicias, qua aliquo cultu venerari Deum interdum tenemur, divinum sane ac naturale est; quod autem spectat ad tempus diesque huic cultui consecrandos, id in veteri lege *caeremoniale* praeceptum, in nova per *ecclesiasticum* sancitur. *S. Alph., l.* 3, *n.* 263.

Solus Papa universae Ecclesiae festa constituere, transferre, abolere (*can.* 1244, § 1) potest, quia solus in Ecclesiam universam jurisdictione gaudet. Episcopi quoque festos dies instituere in propria dioecesi poterant; sed ex disciplina nunc vigente id tantum facere possunt per modum actus (*can.* 1244, § 2), i. e. pro una aliave vice, ita ut tale festum semel, aut bis celebretur, non autem *habitualiter* annis subsequentibus; eodem modo possunt festum aliquod transferre, aut supprimere pro aliquo casu, etc. (2). — Votum

---

(1) Quoad **Amer. lat.**, cfr. Append. VI ad calcem hujus voluminis, et Conc. Plen., *nn.* 829-834. Quoad **Philip.**, C. *Manilan., nn.* 993-997.

Circa decimas vid. *Wernz, vol.* 3, *nn.* 142, 214; *Ball.-P., vol.* 2, *n.* 1157; *Salazar y La Fuente*, Disc. ecles., *vol.* 2, *lec.* 52.

(2) Cfr. etiam *Urb. VIII*, Const. *Universa*, 13 sept. 1642. (*Bull. Rom. Taur., vol.* 15, *pag.* 207); *Ferreres*, apud Eph. *Razón y Fe, vol.* 31, *pag.* 106; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 593; *Laurentius, n.* 729; *Appeltern, q.* 575.

celebrandi no nnulla festa de praecepto cum vigilia et processione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. S. R. C., 19 nov. 1650: *Decr. aut.*, *n.* 932. Cfr. supra, *n.* 412.

Multa olim instituta sunt festa, quae decursu temporum, auctoritate ecclesiastica abolita sunt, sive pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente, sive propter clamorem pauperum, ut constat ex Urbano VIII, Pio VI et Pio X. Cfr. *Ferreres*, apud Eph. *Razón y Fe*, *vol.* 31, *pag.* 105.

580.—I. Nunc autem, juxta novissimam disciplinam in Codice inductam, praeter dies dominicos, servanda sunt *decem* festa, scilicet *quinque* Domini Nostri, *duo* B. Mariae Virginis, et *tres* Sanctorum: nempe festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Joseph ejus sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum (*can.* 1247, § 1).

Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovari debet. (*Ibid.*, § 3).

581. — II. Festum patroni (1) loci non est de praecepto (*can.* 1247, § 2). Locorum Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem (*Ibid.*).

Suppressa etiam sunt e numero festorum cum obligatione sacrum audiendi, festa *ex voto* aut constituto, etiam auctoritate ecclesiastica firmato, sancita (S. R. C., 8 aug. 1911: *Acta A. Sedis*, *vol.* 3, *pag.* 391).

582. — *N. B.* Ex hisce decem festis, festum *Omnium Sanctorum* non viget in **Philippinis** Insulis (C. **Manilan.**, *p.* LXXXIII *seq.*); nec obligat festum *Epiphaniae* in Insula **Cubae** (Boletín of. ecl. de la dióc. de la Habana, febrero de 1907); nec in **Chilensi** Rep. (S. C. Conc., 26 nov. 1913). In **Mexic.** Festum B. M. V. de Guadalupe die 12 dec. est praeceptivum.

In Gallia autem post indultum *Card. Caprarae*, 9 apr. 1802, ex concessione Summi Pontificis *Pii VII*, quatuor tantum festa praeter dies dominicos de praecepto supersunt, nempe 1.° *festum Nati-*

---

(1) Nullo modo est confundendus patronus loci cum titulari ecclesiae.

Titularis ecclesiae ille est sub cujus invocatione seu titulo ecclesia fundata est, et a quo appellatur (S. R. C., 14 jan. 1897). *Patronus* loci a populo eligi debet mediante consilio generali illius civitatis vel loci, accedente consensu expresso Episcopi et cleri illius loci: quae electio a Sede Apostolica confirmari debet (*can.* 1278). Approbatio Sedis Apostolicae praesumitur ex centenaria observantia.

Titularis potest esse Sanctus vel mysterium; patronus debet esse Sanctus, nec potest esse mysterium. Cfr. *Solán*, Pront. Litúrgico, *p.* 1, *sección* 2, *cap.* XI *et* XII. — V. *Ephem. liturg.*, *vol.* 18, *pag.* 115.

Ut Beatus constitui possit patronus requiritur peculiare indultum Sedis Apostolicae (*can.* 1278).

vitalis Domini; 2.° *Ascensionis ejusdem;* 3.° *Assumptionis B. M. Virginis;* 4.° *festum Omnium Sanctorum.*

583. — Pro regno **Hispaniae.** Praeter festa quae ex generali disciplina servanda sunt, etiam observari debet in *universa Hispania* festum S. Jacobi Majoris. In *Aragonia* festum B. M. V. de Columna; *Caesaraugustae* (in civitate) festum S. Valerii; et *Valentiae*, in civitate, festum S. Vincentii Martyris; in antiquo autem regno, festum S. Vincentii Ferrerii (in locis ubi antea erat de praecepto); in *Gadicensi* civ. fest. S. Servandi et Germani MMr. Patronorum, etc. (Cfr. *Ferreres* in eph. *Razón y Fe*, *vol.* 32, *pag.* 369-371, ubi decreta videri possunt).

De requisitis ad dies festos colendos, nempe de audienda Missa, etc., vide quae supra diximus, ubi de tertio Decalogi praecepto.

584. Quaesita.—Quaer. 1.° *Utrum, praeter obligationem abstinendi ab operibus servilibus necnon Missam audiendi, sublata fuerit etiam solemnitas liturgica festorum suppressorum aut translatorum?*

Resp. Neg. Nam S. R. C. pluries respondit: *Quoad chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas*, nihil omnino innovandum *relative ad festa in quibus populus solutus est a praecepto audiendi sacrum.* 18 oct. 1818, in *alifana, aquilana, tarentina;* 23 maj. 1835 in *namurcen.*, 6 mart. 1896. Ita etiam S. C. C., 8 aug. 1911: *Acta A. Sedis*, III, *pag.* 391.

Quaer. 2.° *An et quatenus* **Ordinarii** *locorum ac* **parochi** *dispensare possint a lege communi de observantia* **festorum**, *necnon* **abstinentiae** *ac* **jejunii?**

Resp. Affirm., quoad suos subditos (etiam si sint extra territorium) et quoad peregrinos in suo territorio, sed tantum in casibus singularibus et justa de causa et ita ut dispensatio fiat erga singulos fideles aut familias singulas, etc. (*can.* 1245, § 1). In religione clericali exempta idem potest Superior erga suos subditos, familiares, convictores, etc. (*Ibid.*, § 3).

585.—Imo **Ordinarii** *locorum* ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt totam quoque dioecesim seu locum a jejunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare (*can.* 1245, § 2).

DE III ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE ANNUA CONFESSIONE

586. — Praeceptum hoc continetur in canone 906: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad

usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua (*mortalia*) saltem semel in anno fideliter confiteri.»

Annus computari potest vel a Pascha ad Pascham, vel a confessione ad confessionem, vel a prima jan. ad ult. decembr. Cfr. *Buccer.*, 1.°, *n.* 1558.

587. Quaesita.—QUAER. 1.° *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut praecepto annuae confessionis adstringantur?*

Resp. «Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad S. communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis.»

«Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut nunquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis juris, curabunt ut penitus de medio tollatur.» Ita Pius X, per decr. S. C. C. *Quam singulari*, 8 aug. 1910. Cfr. *Ferreres*, La Com. frec. y la primera Comunión, *n.* 312 *seq.*, 408 *seq.*

Hinc pastores animarum tenentur puerulos etiam ante septennium ad confessionem sensim praeparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium, vel *veniale*, absolvere, saltem intra annum, vi canonis 906. – *S. Alph.*, *l.* 6, *nn.* 662-666; *l.* 3, *n.* 370. In dubio de discretione, absolvantur sub conditione. *S. Alph.*, De poenit., *n.* 666.

QUAER. 2.° *An ille qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia, ratione praecepti annuae confessionis?*

Resp. Neg., ut patet ex verbis canonis 902, ubi dicitur tum mortalia jam directe remissa, tum venialia esse materiam sufficientem sed non *necessariam* sacramenti poenitentiae.

QUAER. 3.° *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus?*

Resp. Affirm. Quia terminus anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam. *S. Alph.*, *l.* 6, *n.* 668.

«Ceterum consequenter ad nostram sententiam videtur dicendum, hanc confessionem sufficere pro hoc anno; praeceptum enim solum est de confessione semel in anno facienda; ergo hoc eodem anno non tenetur ad aliam: alioquin si deberet confessiones etiam praeteritas recompensare, obligaretur aliquis ad confitendum quater in anno pro tribus annis praeteritis, quibus non est confessus. Unde ipse *Suárez*, *n.* 5, fatetur in sententia computante annum a januario ad decembrem, ut nos computamus, ita consequenter esse dicendum.» *Lugo*, De poenit., *d.* 15, *n.* 180. Hoc tenet etiam *S. Alph.*, *n.* 669, si poenitens confiteatur peccata mortalia etiam hujus anni.

588. — Quaer. 4.° *An confessio annua, quae parocho aut alteri ex parochi venia non fit, valida censenda sit?*

Resp. Affirm., in canone enim 905 legimus: «Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit peccata sua confiteri». — Nullibi vero praescribitur ut confessio annua fiat ipsi parocho vel alteri de ejus venia.

Quaer. 5.° *An praecepto confessionis satisfiat per confessionem nullam?*

Resp. Neg., si nullitas fuerit *voluntarie* admissa (*can.* 907), v. gr. si poenitens scienter reticeat grave peccatum quod erat accusandum; *affirm.*, si nullitas fuerit inculpabilis, v. gr. ex defectu jurisdictionis in confessario.

Vide plura de confessione in tractatu de sacramento Poenitentia.

DE IV ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE COMMUNIONE PASCHALI

589. — I. Praeceptum communionis paschalis, non secus ac praeceptum annuae confessionis divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. — Constat de hoc praecepto ex perpetua Ecclesiae praxi, ex innumeris conciliis, et constitutionibus pontificiis, et praesertim ex *Conc. Trid., sess.* 13, *can.* 9: *Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum matris Ecclesiae, anathema sit.*

Quae obligatio confirmatur in Codice his verbis: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad *rationis usum*, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis (i. e. *confessarii*), ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum» (*can.* 859, § 1).

Annus obligationis, juxta communem consuetudinem, a Paschate ad Pascha computari solet. *S. Alph., l.* 6, *n.* 295. — Vide supra, *n.* 477.

590. **Quaesita**. — Quaer. 1.° *Ubi haec communio facienda est?*

Resp. Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curare debent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere (*Ibid.*, § 3). Haec ultima obligatio vel non excedit limites consilii, vel ad summum est sub levi. Obligatio communicandi in propria paroecia omnino sublata est et mutata in consilium.

Quaer. 2.° *Quando facienda est?*

Resp. Tempus pro communione paschali computatur a dominica Palmarum ad dominicam in albis. Ordinarii tamen locorum hoc tempus possunt anticipare etiam pro omnibus suis subditis a quarta dominica Quadragesimae vel prorogare usque ad festum sanctissimae Trinitatis. *Ibid.*, § 2.

In universa **America latina**: «omnes fideles annuae confessionis et communionis praecepto satisfacere *possunt* a dominica Septuagesimae usque ad octavam diem solemnitatis Corporis Christi inclusive». (Const. *Trans Oceanum*, 18 apr. 1897, *n.* VIII). In **Philippinis** ab eadem dominica usque ad festum SS. Petri et Pauli inclusive (Pius X, 11 febr. 1910; C. **Manilan.**, p. LXXIV et LXXVI).

591. — *N. B.* 1.° Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud dicto tempore, quavis de causa, non impleverit (*can.* 859, § 4).

Probabilius qui in Pascha non communicavit, non committit novum peccatum, quamvis differat communionem ad finem illius anni. *Lugo*, *d.* 16, *n.* 69; *Ball.-P.*, 215; *Génicot*, l. c.

Nondum autem coepto tempore paschali, nemo tenetur huic praecepto parere, etsi praevideat se postea impeditum fore; sed incepto tempore illo, tenetur quamprimum obligationi huic satisfacere, si impedimentum praevideat, imo auferre impedimenta etiam gravia, quum sit praeceptum divinum et grave; et iterum communicare, etsi s. communionem, ob impedimentum futurum praevisum, jam anticipaverit. *S. Alph.*, *n.* 297.

Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem (*can.* 801).

Quaer. 2.° *An peccet graviter, qui differt communionem ad I.am vel II.am diem post elapsum paschale tempus?*

Resp. Affirm., per se. Ratio est, quia licet hujusmodi dilatio *in se* parva videri possit, prae tempore tamen paschali est satis notabilis. Nec excusandi sunt a peccato mortali, qui *ex gravi negligentia* accedunt indispositi ultima die temporis paschalis, ita ut a confessario ad aliud tempus remitti debeant. *Per accidens* excusantur, qui bona fide existimant satis esse, si ad confessarium tunc accedant inchoandae confessionis gratia; sed de obligatione communicandi intra paschale tempus instruendi sunt.

DE V ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE ABSTINENTIA ET JEJUNIO

§ I. *De abstinentia et jejunio in communi ex novo Codice.*

592. — *Ad quid obligent abstinentia et jejunium.* — **Abstinentiae lex** vetat *carne jureque ex carne* (caldo de carne) vesci, non

autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe quorumvis animalium (*can.* 1250).

593. — **Lex jejunii** praescribit ut nonnisi *unica* per diem comestio fiat; sed non vetatur *aliquid cibi* mane et vespere sumi, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine (*can.* 1251, § 1). — Nec vetitum est *carnes* ac *pisces* in *eadem refectione* permiscere; nec serotinam refectionem *cum prandio* permutare (*Ibid.* § 2), ita ut hora prandii sumatur collatio, prandium vero sumatur sub noctem.

594. — *Quinam teneantur ad abstinentiam, quinam ad jejunium.* — Abstinentiae lege tenentur omnes qui *septimum* aetatis annum *expleverint.* Lege jejunii adstringuntur omnes *ab expleto* vigesimo primo aetatis anno ad *inceptum sexagesimum* (*can.* 1254, § 1 et 2).

595. — *Quibus diebus servari debeat abstinentia et quibus jejunium.* Lex *solius abstinentiae* servanda est singulis sextis feriis. Lex *abstinentiae simul et jejunii* servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae, feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in coelum receptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. Lex *solius jejunii* servanda est reliquis omnibus Quadragesimae (1) diebus (*can.* 1252, § 1-3).

596. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quid si quis ex memoratis diebus incidat in diem festum sub praecepto?*

Resp. Tunc nec lex abstinentiae neque jejunii obligat; nec pervigilia jam anticipantur quoad jejunium vel abstinentiam, imo nec obligat jejunium aut abstinentia Sabbato Sancto post meridiem (*can.* 1252, § 4).

N. B. 1.° In locis vero ubi aliquod ex illis decem festis non observatur (v. gr. in Gallia, Belgio, **Philippinis**, **Cuba**, Statibus Foederatis Americae Septentrionalis), dispensatio illa non valet nisi pro festis quae de facto observantur (*S. C. C.*, 28 aug. 1911. Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 32, *pag.* 239 *seq.*). E contra ubi aliud festum restitutum vel concessum sit, etiam pro illo valet praedicta dispensatio, quamvis festum incidat in *Quadragesimam.* S. C. C., 21 nov. 1912.

2.° Quoties dies abstinentiae vel jejunio consecratus incidat

---

(1) Pro his qui legitime sumpserint Cruciatam Hispaniae aut Lusitaniae concessa:

Lex *solius abstinentiae* servanda est sextis feriis Quatuor Temporum. Lex *jejunii cum abstinentia*, feriis sextis Quadragesimae et tribus pervigiliis Pentecostes, Assumptionis B. M. V., et Nativitatis Domini N. J. C. Lex *jejunii sine abstinentia*, feriis quartis et sabbatis Quadragesimae. Reliqua vide ad calcem II *vol.* in tractatu de Cruciata.

in festum quod, licet praecepto non subjectum, cum debita populi frequentia devote celebratur, Ordinarii possunt suos subditos a lege jejunii et abstinentiae dispensare, juxta dicta supra, *n.* 585.

3.° Si Nativitas Domini, aut festum SS. Petri et Pauli, etc., incidat in diem lunae, jejunium et abstinentia propria vigiliae illo anno non obligant.

4.° Vi Cruciatae **hisp.** ac **lusit.** pervigilium Nativitatis semper quoad **jejunium** et **abstinentiam** anticipatur, ac remittitur ad sabbatum proxime praecedentium Quatuor Temporum; sed si Nativitas incidat in diem lunae, illo anno non anticipatur, sed supprimitur.

597. — QUAER. 2.° *Quid veniat nomine* **carnis?**

Resp. Ad intelligendum quid veniat nomine carnis, attendendum est: 1.° ad communem aestimationem fidelium singulis in regionibus; 2.° hac deficiente, ad regulam Sti. Thomae, juxta quem nomine carnis veniunt omnia animalia in terra viventia et respirantia et *calidum sanguinem* habentia. Communiter uti pisces habentur *ranae*, *limaces*, *ostrea*, *testudines;* et etiam sat communiter *lutreae* et *castores* (1).

In **Hispania** tamen ex consuetudine vigenti pluribus in regionibus, *ranae* et *limaces* licite eduntur sive ut carnes, sive ut pisces: existimantur enim quid neutrum. Neque una in omnibus **Hispaniae** regionibus videtur esse aestimatio quoad *lutras* (nutrias), cum alicubi piscibus, alicubi carnibus *lutrae* accenseantur.

Aves communiter carni accensentur; disputatur tamen de *fulica*. *Ball-P.*, *vol.* 2, *n.* 1110; *Buccer.*, Casus, *n.* 256; *Génicot*, *n.* 442; *Noldin*, l. c.

QUAER. 3.° *An praedictis Codicis canonibus aliquid derogatum sit de indultis*, *votis*, *constitutionibus religiosorum*, etc.?

Resp. Per eos nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cujuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cujusvis religionis vel instituti adprobati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam absque votis (*can.* 1253).

§ II. *Specialia quaedam de abstinentia.*

598. —I. Praeceptum abstinentiae apostolicum reputatur sicut etiam praeceptum jejunii a quo primis Ecclesiae saeculis non separabatur.

II. Praeceptum abstinentiae obligat *per se* sub gravi, quia materia est *per se* gravis; in eo tamen juxta communem theologorum sententiam admittitur materiae parvitas. *S. Alph.*, *n.* 1030.

---

(1) Cfr. *S. Alph.*, *l.* 4, *n.* 1011; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 1110; *Buccer.*, *n.* 572; *Noldin*, *n.* 664; *Tanquerey*, *vol.* 1, *n.* 1118; *Müller*, *l.* 2, *tr.* 2, § 165, *n.* 9; *Morán*, *vol.* 2, *n.* 1563. Contradicit *Lehmk.*, I, *n.* 1209.

Quemadmodum autem ab aliis positivis legibus, sic etiam ab obligatione ista dantur causae excusantes, scilicet *impotentia*, tum *physica* tum *moralis*, seu magna difficultas, quae in legis observatione reperitur. — *Ita omnes theologi* cum *S. Alph., ibid.*

599. Quaesita. — QUAER. 1.° *An parvulis possint dari carnes illis diebus, quibus prohibentur?*

Resp. Affirm., ante septennium completum, etsi usum rationis habeant; *Neg.* post septennium completum, *si* habeant usum rationis. Cfr. supra, *nn.* 158 et 594.

QUAER. 2.° *Quaenam quantitas carnis requiratur ad peccatum grave?*

Resp. Valde controvertitur. Omnes conveniunt gravem esse materiam, quae notabiliter nutrit; sed ea vix determinari potest. Juxta *plures* materia gravis excedere debet *dimidiam* unciam; sed hanc sententiam rejicit *S. Alph., n.* 1029, ubi refert et videtur approbare, quod dicunt *Salm.*, materiam parvam esse tantum *octavam* unciae partem. Hoc tamen dicunt de diebus, in quibus praeterea jejunium servandum est.

Igitur *ubi de sola abstinentia* agitur, *Reuter* (*p.* 2, *tr.* 3, *c.* 2, *q.* 2, *n.* 167) existimat esse materiam gravem «quod moraliter spectatum superet unciam, et quod minus est, ait, non videtur materia gravis».

Stoz, Trib. poenit., *lib.* 1, *p.* 3, *n.* 528; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 1155; *Tanquerey*, *vol.* 1, *n.* 1120; *Génicot*, *n.* 443, III; *Noldin*, *n.* 660; quibus accedere videtur *Lehmk.*, *n.* 1207, *duas uncias* (fere 60 grammata) existimant *probabiliter* requiri ad materiam gravem constituendam.

QUAER. 3.° *An sit peccatum mortale vesci offa, laclucis, etc., carne conditis?*

Resp. Affirm., si ille cibus sit notabiliter jurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale *communiter* creditur, si jus offae cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Dicunt tamen *Gousset*, I, 301: *Génicot*, l. c., non esse mortale sed tantum veniale edere portionem ordinariam offae jusculo carnis confectae.

Jusculum carnis coctae non comprehenditur nomine condimenti ex adipe. S. Poenit., 30 jan. 1866 (*Coll. S. C. de P. F.*, *n.* 1281); S. C. C., 29 apr. 1911 (*Acta A. Sedis*, *vol.* 3, *pag.* 274-277).

Génicot existimat licere usum *peptonis* (*peptona*) diebus quibus usus carnis non licet; sed rectius videtur distinguendum cum *Il Monitore* (*vol.* 12, *pag.* 124), sc. licere quidem uti substantia illa, quae extrahitur ex *stomacho* animalium, et quam proprie *pepsinam* vocamus; non autem succo carnis concreto, cui, ut facilius digeri possit, pepsina adjungitur (*extracto de carne peptonizado*), quamvis hujusmodi praeparationes *peptonae artificiales* vocari soleant. Ita etiam *Antonelli*, *vol.* 2, *n.* 869 *seq.* (edit. 2). Hae tamen peptonae fere iis tantum praeberi jam solent, qui clysterio nutriuntur: qui-

bus certe quidem licitus erit usus, tam ratione infirmitatis, quam ex nutritionis modo; cum proprie non edant neque bibant. Cfr. *Littré*, Dictionnaire de médecine, V. Peptone; *Antonelli*, l. c.; *Dtrem. Blanc*, epist. cit.

600. — Quaer. 4.° *Quinam a lege abstinentiae excusari censeantur?*

Resp. 1.° Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynae accipiunt, *ut communiter* sentiunt theologi.

2.° Aegrotantes, v. gr. febri laborantes, etc.; ii etiam, qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit. *S. Alph., ibid.*

4.° Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut aegrotantium instar famem non experiantur, cibosque respuant; cujusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigae, qui plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt; non autem ii, qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur.

5.° Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiae eximit, etiamsi a jejunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6.° Excipiuntur denique milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti.

N. B. Quoad milites **hispanos**, cfr. *vol.* 2, *ad calcem*.

SPECIALIA DE JEJUNIO

601. — Jejunium ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quae juxta formam ab Ecclesia praescriptam servanda est statutis diebus.

CAPUT I

DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE JEJUNII

602. — I. *Fideles omnes*, a vigesimo primo aetatis anno completo, tenentur *sub gravi*, ad servandum statutis diebus jejunium, nisi

legitime excusentur, vel a superioribus dispensentur. — Est antiquissima obligatio quae dicitur ab ipsis apostolis tradita.

Dixi 1.° *sub gravi,* quia lex respicit materiam gravem, quippe quae ad salutem animarum admodum conducit. Constat insuper ex propos. 23.ª ab Alexand. VII damnata, quae sic jacet: *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.*

Dixi 2.° *a vigesimo primo anno expleto* (*n.* 594), quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem eorum vires superantem, ut patet ex *can.* 1254.

II. Jejunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet: 1.° unica comestione per 24 diei horas, vespertina refectiuncula et frustulo matutino adjectis; — 2.° abstinentia a carnibus; — 3.° tempore ad refectionem sumendam determinato. — Animadverte tamen, consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam jejunii naturam et obligationem.

ARTICULUS I

DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIUNCULA

§ I. *De unica refectione.*

603. **Principia**. — **I**. Refectio unica est primaria jejunii conditio; — in hoc enim praecipue sita est ejus essentia, qua quidem sublata, nemo unquam jejunare dicitur, dum e contrario jejunium sine abstinentia a carnibus concipitur et nunc frequens est.

II. Parvae autem comestiones, quae praeterea fiant, venialia peccata erunt seorsim sumptae; et saepius eodem die repetitae in gravem materiam coalescere possunt, — ut constat ex propositione 29.ª damnata ab Alexandro VII, quae sic jacet: *In die jejunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium;* merito autem damnata est haec propositio, secus enim de jejunio actum esset.

III. Jejunium non frangitur haustu aquae, vini, aliarumque potionum, quae de se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis juxta primam Ecclesiae disciplinam christiani a vino et similibus liquoribus prorsus abstinuerint. Hinc axioma: *Liquidum non frangit jejunium.* Sic *S. Alph., n.* 1022. — Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod *ex communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc. *S. Alph., n.* 1021.

604. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An vinum ad famem sedandam haustum frangat jejunium?*

Resp. Neg. Ratio est, quia lex jejunii praecipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et juxta *S. Thomam, in* 4, *dist.* 15, *q.* 3, *art.* 4, *q.* 1: *Statutum legis positivae non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in praecepto, sed est finis praecepti. S. Alph., n.* 1022, *et alii communiter.*

Quaer. 2.° *An frangat jejunium potus* cafei *et* theae?

Resp. Neg., nisi nimia sacchari copia admisceatur, quia haec non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae. *Ita communiter.* — *S. Alph., n.* 1022, loquens tantum de thea dicit, eam, posita restrictione modo allata, *probabilius* rationem potus habere. Videtur idem de cafeo tenendum esse.

605. – Quaer. 3.° *An frangat jejunium potus aquae saccharo immixtae vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae?*

Resp. Neg., per se, id est nisi magnam eorum substantiae copiam immisceas, quae rationem cibi habere censeatur. *Ita communiter* cum *S. Alph., ibid.* — Ratio est, quia haec omnia ex communi aestimatione tanquam potiones habentur. Quod intellige, etiamsi haec gelu concreta sint.

Quaer. 4.° *An potio chocolati frangat jejunium?*

Resp. Affirm., si pinguem, uti mos est extra tempus jejunii, tibi praebeat nutritionem. — *Neg.* vero si modica chocolati quantitas sumatur, et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur. *Ita S. Alph., n.* 1023. — Quaenam chocolati quantitas sumi potest *in frustulo matutino?* Dicit S. Auctor, non minus quam unciam cum dimidio chocolati in cyathis ordinariis immitti solere; sic enim ex more ab Ecclesia tolerato, et a piis fidelibus servato communiter fieri solet. Non pauci autem, imminuta chocolati praedicta quantitate, panem pro rata substituunt. At vero totalis cibi illius quantitas duarum unciarum pondus, praecisa aqua excedere non deberet. Cfr. *n.* 610.

606. — Quaer. 5.° *An liceat die jejunii degustare aliquid cibi ante potum, ne hic noceat?*

Resp. Id sane non licet *toties quoties*, ut ajunt, quamvis *Diana, Leander, aliique* id quoque concedant; tunc enim irrisibilis foret lex jejunii. Permitti itaque tantum potest semel aut iterum in die. *S. Alph., n.* 1018.

Quaer. 6.° *An electuaria frangant jejunium?*

Resp. Electuaria dicuntur ea, quae ex electis rebus, v. gr. ex saccharo et junipero, etc., conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus jejunii, si per modum medicinae, et in modica quantitate sumantur. Sufficit autem quaelibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. gr. ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris foetorem tollendum, vocem conservandam, et similia. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 147, *art.* 6; *Sporer, Elbel.* — *S. Alph.*,

n. 1910, addit probabiliter eos quoque excusari, qui aliquid sumunt ne vires deficiant, quando prandium ultra horam communem differre debent. Imo urgebit obligatio aliquid sumendi, si ad jejunium servandum hoc sit necessarium. Nimirum si adhibito hoc praesidio potes ferre jejunium, quod aliter non ferres, ipsa jejunii obligatio a te exigit, ut illud praesidium adhibeas. Vide *Lacroix, lib.* 3, *p.* 2, *n.* 1324.

607. — QUAER. 7.° *Quaenam quantitas cibi censeatur materia gravis, si extra frustulum matutinum, refectionem et coenulam sumatur?*

Resp. Controvertitur. Gravis procul dubio censenda est materia quae vespertinae coenulae addita alteram efficeret refectionem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut materia levis habenda est. Non pauci materiam gravem existimant quantitatem dimidiae coenulae aequivalentem, seu *quatuor uncias* (120 gr. circiter).

QUAER. 8.° *An qui culpabiliter duplicem sumpsit refectionem, graviter peccet, si tertiam superaddat?*

Resp. Neg., saltem *probabilius.* Ratio est, quia praeceptum jejunii urget modo indivisibili, durante die praecepti; proinde qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ergo patrato semel peccato mortali per jejunii violationem, tota lex tali die urgens violata est. Ergo, etc. *S. Alph.*, *n.* 1030; *Mazzotta, Ronc., et alii communiter.*

Qui tamen frangit jejunium pluries comedens (*sine indulto*) carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 20.

608. — QUAER. 9.° *An qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

Resp. Quidam *affirmant.* Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum, non *formaliter* laesit; quare cum primum ad legem jejunii advertit vel causam excusantem cessare videt, eidem legi subjicitur, eamque, ut ceteri, servare tenetur; secus enim eam formaliter violaret. *Ita probabiliter Reuter*, De leg., *n.* 176; *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 20.

Alii tamen *probabilius negant*, quia cum essentia jejunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem jejunium impossibile evadit. — Recole dicta de leg., *n.* 162.

609. — QUAER. 10.° *Quid si die jejunii inconsideranter jentaveris?*

Resp. 1.° Si parum quid sumpseris, v. gr. duas, vel tres cibi uncias, deberes quidem ex more jejunare, quin refectionem ac coenulam consuetis horis deseras: non enim fuit *substantialiter* laesum jejunium.

2.° Si quantitatem sumpseris dimidiae aut integrae coenulae

aequivalentem, transferre debes prandium ad vespertinum tempus, vel a coenula ipsa abstinere, nisi in grave incommodum hoc tibi cedat.

3.° Si tamen ejusmodi quantitas vel duplici fere coenulae vel consuetae refectioni par fuerit, deberes, omisso prandio, vespertinam tantum coenulam sumere, eam tamen maturius, si absque gravi difficultate exspectare nequeas. Hanc insuper coenulam pro necessitatis ratione augere posses.

§ II. *De collatione serotina.*

610. — Praeter consuetam refectionem licet, ex consuetudine universali a multis saeculis introducta (cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 44, *pag.* 375 *seq.*), et ab Ecclesia antea tolerata, nunc expresse etiam in Codice approbata, sumere sub vesperam refectiunculam; necnon mane *frustulum matutinum.*

Regula generalis: Cum haec coenula consuetudine inducta sit, consuetudine maxime regitur, tum quoad *quantitatem* tum quoad ciborum *qualitatem.* Attendenda igitur est in unaquaque regione consuetudo timoratorum. Idem tene de frustulo matutino (1). Cfr. *can.* 1251, § 1, supra *n.* 593 citatum, necnon *n.* 605, *q.* 4.°

611. Quaesita. — Quaer. 1.° *Quaenam cibi* quantitas *in coenula sumi possit?*

Resp. Ex hodierna et communi consuetudine *octo circiter cibi unciae* (fere 240 grammata) rerum vegetalium, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt. *Ita S. Alph.*, *n.* 1025. — Alii vero permittendam ajunt quartam coenae partem, i. e. *justi prandii;* etenim nomine coenae, dum de jejunio est sermo, apud auctores prandium venire solet. Cfr. *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 1123. Verum haec doctrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est. — Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, major autem concedenda iis, quibus haec non sufficeret. *S. Alph.*, *ibid.*; *Elbel*, *Lacroix.* — Sane statui nequit regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem jejunii, etc., attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quae ipsum impediat, quominus officia sua convenienter obeat. *Scav.*, *Gousset.* — Habenda etiam est ratio propriae regionis, sicubi major cibi quantitas necessaria est.

612. — Quaer. 2.° *Qualis* excessus *censeatur gravis in coenula?*

Resp. Omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem. *S. Alph.*, *ibid.* — Severiores cum *Concina* gravem

(1) Res vegetales tantum sumere licet; non pisces, nec ranas, nec limaces. In **America latina** et Ins. **Philippinis** permittitur omnibus, etiam regularibus, nulla petita licentia, sumere lacticinia, *non* ova, salva lege parvitatis, ex Indulto 1 jan. 1910. Habentibus bullam Cruciatae **hispanam** aut *lusitanam* permittuntur ova et lacticinia. Cfr. *vol.* 2, *ad calcem.*

esse docent excessum *duas uncias superantem*. Non pauci requirunt excessum supra coenulam alteri dimidiae coenulae aequivalentem; alii tenent cum *Billuart* requiri excessum, qui seorsim sumptus coenulae integrae aequivaleat. Hoc tamen laxum videtur. Tene igitur doctrinam traditam *n.* 607, *q.* 7.°

Variis in locis, ex inducta consuetudine, in vigilia Nativitatis aut in Coena Domini sumere licet quantitatem duplo majorem; sed haec consuetudo non ubique viget. In **Hispania** generatim non viget, nisi forte in vigilia Nativitatis. Cfr. *Morán, vol.* 2, *n.* 1552 *seq.*

Quaer. 3.° *Quaenam ciborum* qualitas *adhiberi possit in coenula?*

Resp. Panis, fructus quilibet, olera etiam quaelibet, et dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est ex *can.* 1251, § 1, locorum consuetudo. Cfr. supra, *n.* 593. Plura enim permittuntur in variis dioecesibus, vel provinciis, quae alibi interdicuntur; sic, v. gr., in Gallia et alibi generatim caseo vesci licet.

613.—Quaer. 4.° *An liceat comedere* ova et butyrum *in coenula vespertina?*

Resp. Neg., generatim, licet habeatur dispensatio pro lacticiniis, ut constat ex decreto *Bened. XIV* et *Clem. XIII.* Attamen quibusdam in locis, ut diximus, ex hodierna consuetudine licet sumere aliquid butyri, aut casei; imo in universa **America latina** et in Ins. **Philipp.**, vi indulti 1 jan. 1910, omnibus, etiam regularibus, licet uti ovis et lacticiniis. Igitur attendas consuetudines et indulta singulis in regionibus. In **Hispania** generatim nihil horum licet vi consuetudinis. Habentes autem *Cruciatam* sive *hispanam* sive **lusitanam** possunt edere ova et lacticinia. Vide *vol.* 2, in tractatu de Cruciata.

Quaer. 5.° *An in coenula permittantur* pisces?

Resp. Affirm. (ubi talis vigeat consuetudo), si agatur de pisciculis, praesertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus majoribus; putat tamen *S. Alph.*, *n.* 1208, ex hisce duarum vel trium unciarum pondus non esse excedendum. In **Hispania** vero generatim non viget consuetudo utendi piscibus nec pisciculis in coenula (S. C. C., 6 aug. 1910: *Acta A. Sedis, vol.* 2, *pag.* 952 *seq.*), si excipias forte unam alteramve regionem in parte septentrionali, v. gr. inter Gallaicos et Astures. Cfr. *Alsina, vol.* 2, *n.* 371; *Morán, vol.* 2, *n.* 1556; *Synod. Aurien., const.* 328; (anni 1908); *Rev. ecles.* Vallisolet., ann. 1909, *pag.* 427; *Razón y Fe, vol.* 31, *pag.* 227 *seq.*

614.—Quaer. 6.° *An liceat in coenula uti jusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto?*

Resp. Affirm., nec adest ratio hac de re dubitandi.

Quaer. 7.° *An liceat sumere in coenula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem jurulentum* (hispanice *sopa*)*?*

Resp. Affirm., ex hodierna consuetudine, quam sequuntur etiam timorati, approbantque communiter recentiores theologi.

Imo cum jam ubique permittatur condimentum ex adipe, licet tali condimento uti in coenula, quia locum olei tenet in casu. S. Poenit., 11 oct. 1820 (*Collect. S. C. de P. F.*, *n.* 753).

615.—Quaer. 8.° *Quaenam hujusmodi panis cum oleo decocti quantitas permitti possit, aqua praecisa?*

Resp. Dissentiunt theologi; nobis videtur licitum esse sumere *quinque* vel saltem *quatuor* uncias panis sic decocti, non computata aqua neque oleo. Idem tene ex aliis similibus decoctionibus, v. gr. ex farre, oryza, etc. *Ita Gury*, h. l.; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 1129; *Lehmk.*, *n.* 1211; *A. Varceno*, *tr.* 4, *cap.* 2; *Del Vecchio*, *n.* 218; *Aertnys*, *l.* 4, *n.* 14; *Marc*, *n.* 1229; *Sabetti*, *n.* 332; *Buccer.*, *n.* 1600.— Hanc sententiam non improbat *S. Alph.*, *n.* 1029, ubi etiam permittit ut quis sumat *octo* uncias panis, non quidem cocti, sed quem intingat tantum aqua vel vino inter ipsam refectionem: tunc enim, nulla interveniente fermentatione, aqua et vinum nihil sunt nisi potus.

Alii tamen videntur concedere octo uncias *decocti* panis, oryzae, etc., non computata aqua. *Ita Capellmann*, Med. pastor., *pag.* 95 (qui tamen dubitanter loquitur); *Génicot*, I, *n.* 437; *Berardi*, Praxis, *vol.* 2, *n.* 1474; *Antonelli*, l. c., *n.* 495, etc. Rationem afferunt, quia haec decoctio nihil aliud esse videtur quam initium digestionis.— Respondent auctores primae sententiae has decoctiones, etsi forte non magis nutriant, certe magis satiare; Ecclesiamque velle etiam refrenare edendi appetitum.

Igitur quantitas assignata ab auctoribus secundae sententiae, etsi quoad decoctiones cum *sola* aqua (*hervidos*) admitti forte possit, saltem quoad illas cum *aqua* et *oleo*, nobis, cum auctoribus primae sententiae et communi aestimatione, nimis laxa videtur.

ARTICULUS II

DE HORA REFECTIONIS

Nostris his temporibus, ex *universali consuetudine*, licite refectio fere sub meridie sumitur. *S. Alph.*, *n.* 1016; Hom. apost., *n.* 9.

616. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An hora refectionis pertineat ad essentiam jejunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam anticipet?*

Resp. Controvertitur. Duplex est *sententia probabilis.* Affirmant *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 21, *et alii multi.* Negant vero *Laymann*, *Elbel*, *aliique non pauci.* Praxis primae sententiae consona videtur praeferenda, nisi legitima locorum consuetudo aliud permittat.

Certe licitum est serotinam refectionem cum prandio permutare, ut supra, *n.* 593, vidimus.

Quaer. 2.° *Quamdiu prandium protrahi possit?*

Resp. Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur autem absque aliqua culpa protrahi posse ultra duas horas. *S. Alph.*, *n.* 1020; Hom. apost., *n.* 10; *Lacroix*, *Billuart*, etc.

617. — QUAER. 3.° *An frangat jejunium, qui refectionem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?*

Resp. 1.° Si interruptio sit levis, v. g. unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. *S. Alph., ibid.*

2.° Si interruptio sit unius fere horae sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.

3.° Si interruptio sit valde notabilis, v. gr. duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, *nisi justa causa excuset.*

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando praesens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectione transigendam. *S. Alph., n.* 1020.

QUAER. 4.° *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensae accumbere?*

Resp. Affirm., probabiliter, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. *S. Alph., n.* 1020. — Imo, modo non sit ultra duas horas post *inceptum prandium*, videtur adhuc fieri posse sine peccato, quamvis novum ferculum non apponatur, nec convivae adhuc comedant.

QUAER. 5.° *Si quis mane, itineris causa, jentaculum sumpserit, an teneatur jejunare, si postea non proficiscatur?*

Resp. Affirm., per se. Ratio est, quia cum essentia jejunii non sit adhuc destructa, pergit urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionem non possit ille commode reliquo die jejunare. *S. Alph., ibid.* — V. **Casus**, *nn.* 458-467.

CAPUT II

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS

Causae excusantes a jejunio ad tres praecipue revocari solent, scilicet: 1.° ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2.° ad pietatem vel charitatem; 3.° ad dispensationem, sicut de aliis praeceptis dictum est.

618. **Resolves: — 1.°** Excusantur a jejunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde aequam refectionem comparent. Ad hanc vero non sufficiunt panis, et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, unde hi nequeunt se talibus cibis sustentare, nisi pluries in die eos magna quantitate sumant. *S. Alph., n.* 1033; Hom. apost., *n.* 23.

2.° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. gr. qui febri tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii praeterea, qui nisi bis reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiantur. *S. Alph., nn.* 1033, 1034.

3.° Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia hujusmodi. *S. Alph., n.* 1041.

4.° Excusantur famuli et famulae aut alii ejusmodi, quum tot tantisque occupantur laboribus, et jejunium cum his conjungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione. *S. Alph., ibid.*

5.° Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribae, famuli pedisequi, typographi qui praelum non versant, sed characteres tantum disponunt, ceterique similibus operam dantes. *S. Alph.*, 1041. — *Reuter*, etc.

6.° Excusantur etiam mulieres lactantes, praegnantes (*Ball.-P., vol.* 2, 1136; *Buccer., n.* 1616; *Lehmk., n.* 1216); et *probabiliter* etiam menstruantes. *Capellmann*, l. c., *pag.* 93; *Génicot*, *n.* 445, I.

619. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An excusentur a jejunio feminae quinquagenariae?*

Resp. Quod feminae quinquagenariae excusentur, tenet *Sánchez* (Cons. mor., *lib.* 5, *s.* 1. *dub.* 4, *n.* 6), et favent *Ball.-P., vol.* 2, *n.* 1142; *Sabetti*, *n.* 337; *Haine*, *vol.* 1, *pag.* 514; *Bucceroni*, I, *n.* 1619; *Capellmann*, l. c., *pag.* 93; *Noldin*, l. c., *n.* 676; quibus accedit *Dr. Blanc*, in epistola ad *P. Ferreres* data. Fundamentum tamen parum solidum est, ait *Génicot*, *n.* 445, nempe mulieres citius quam viros senescere, ita ut quinquagenariae jam generare nequeant. Etenim, ut notat *Eschbach* (Disp. physiol., *pag.* 51, praes. in nota. Parisiis 1884), cui adhaeret *Villada*, Casus, *vol.* 3, *n.* 92, dum cessat fluxus menstruus, mulieres novas vires acquirere videntur, et virilem induere naturam. — Sed *Dr. Blanc* dicit hanc virium commutationem in melius, raro accidere: communissime enim post menstrui fluxus cessationem prima senilis aetatis signa celeriter apparere solent.

Nihilominus Codex canonicus, qui expresse excusat senes sexagenarios, nihil, saltem expresse, concedit feminis quinquagenariis, imo potius eas videtur comprehendere usque ad annum sexagesimum, sicut viros.

N. B. Quae de jejuniis Ecclesiae hic dicta sunt, applicari possunt sive jejunantibus ex regula, sive iis qui aliqua jejunia hebdomadaria vel menstrua in totam voverint vitam; nisi *expresse* regula vel votum se extendant ultra annum 60.

620. — Quaer. 2.° *An excusentur a jejunio fabri, artifices, etc., si sint adeo robusti, ut jejunare sat facile possint?*

Resp. Affirm., probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes, qui ejusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id, quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et *per se* contingit. Negant autem, etiam *probabiliter*, *Concina*, *Bonacina*, etc. — «Haec secunda sententia (ait *S. Alph.*, *n.* 1043), speculative loquendo videtur probabilior, sed in praxi vix reperietur unus, qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur.»

Quaer. 3.° *An excusentur a jejunio opifices iis diebus, quibus a labore abstinent?*

Resp. Affirm., si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendae lassitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. *Ita communiter.*

Quaer. 4.° *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus jejunii cessare possunt?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia interest reipublicae, ne causa jejunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione *Eugenii IV*, apud *S. Alph.*, *n.* 1042. Neque mens est Ecclesiae ut fideles ab ordinariis occupationibus impediantur. *Ita communiter.*

621. — Quaer. 5.° *An peccent, qui sine justa causa inusitatum laborem et cum jejunio incompossibilem assumunt?*

Resp. Affirm., per se, etiamsi in fraudem legis non agant; lex enim quae jejunium imperat, consequenter jubet, ne absque ratione apponantur causae, quae ejusdem satisfactioni adversentur. *Ita communiter*

Dixi *absque ratione;* quia, justa interveniente causa, suscipere licet laborem cum jejunio incompossibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. gr. ad maximum percipiendum lucrum, etc.

Sola autem meri oblectamenti ratio nunquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat. *S. Alph.*, *n.* 1046.—Contrarium tamen habet *Berardi*, Praxis, II, *n.* 1495.

Quaer. 6.° *Quale iter justa de causa pedibus susceptum a jejunio eximat?*

Resp. Communiter ajunt, requiri ac sufficere iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum (22 kilom.); quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum (fere 9 kilom.). *S. Alph.*, *n.* 1047.

622. — Quaer. 7.° *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et confessarii?*

Resp. 1.° Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a jejunio excusantur. Potiori etiam jure missionarii, qui graviori defatigatione in missionibus exercentur. Generatim loquendo non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada con-

cionantur; sed in hoc standum est judicio prudentum. *S. Alph.*, *n.* 1049; Hom. apost., *n.* 34.

Resp. 2.° Magistri scientiarum excusantur, licet per unam *tantum horam* singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones jam prius ordinatas ac saepius repetitas. *S. Alph.*, *ibid.* — Merito autem censent *Sánchez* et *Azor* contra *Salmant. et alios*, excusari magistros grammaticae, si per 4 vel 5 horas doceant.

Resp. 3.° Confessarii non excusantur *per se*, sed tantum quum extraordinarium laborem subeunt, v. gr. quum pluribus succedentibus diebus confessiones audire debent, ut in missionibus fieri solet; vel cum ita sunt debiles viribus, ut sine gravi incommodo poenitentium frequentiae satisfacere nequeant. *S. Alph.*, *ibid.* — V. **Casus**, *n.* 468 *et seq.*

N. B. Cum intentio Ecclesiae non sit, ut propter jejunia intermittantur alia opera pia et magis necessaria, et aliunde lex ecclesiastica non obliget cum gravi incommodo, quisquis vel «concionari (etiam semel), vel scientias tradere (sive paratas lectiones habeat, sive non), vel confessiones excipere (etiam ad brevem horam) jejunando non possit sine notabili incommodo, mens Ecclesiae non videtur, ut propter jejunium haec exercitia intermittat. Sapienter autem addit S. Thomas: *Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad superioris dispensationem, nisi forte ubi est ita consuetum; quia ex hoc ipso quod praelati dissimulant, videntur annuere.* Quae quidem non ad merum consilium pertinent, quando inspectis omnibus adjunctis causa non appareat sufficiens ad excusandum, licet sufficiens ad dispensandum videatur.» *Ball.*, h. l.

APPENDIX

RESPONSA CIRCA JEJUNIUM ET ABSTINENTIAM A CARNIBUS

623. — Praecipua quae ex diversis responsis SS. CC. eruuntur, haec sunt:

1.° Eo quod paterfamilias a lege abstinentiae sit dispensatus, non censentur reliqua familiae membra habere dispensationem; possunt tamen aliquando excusari propter impossibilitatem servandi legem (S. Poenit., 16 jan. 1834: *Collect. S. C. de P. F.*, *n.* 832; et 27 maji 1863).

2.° Fideles, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, possunt iis diebus, quibus per *indultum* vel per canones esus carnis conceditur, pluries carnes edere, nisi in ipso indulto fiat *pro ipsis* restrictio ad unam solam comestionem (S. Poenit., 16 jan. 1834, et 27 maji 1863).

3.° Omnibus licet etiam sine speciali indulto in (quocumque) die jejunii (in ipsa quoque coenula) ad condiendos esuriales cibos, *uti oleo quo jam caro fricta fuit* (S. Poenit., 17 nov. 1897).

Diebus aut comestionibus (v. gr. in coenula) in quibus esus carnis non permittitur, etiam jusculum carnis prohibetur, quamvis permittantur condimenta ex adipe (S. C. C., 29 apr. 1911: *Acta A. Sedis, vol.* 3, *pag.* 274-277). Cfr. *Ferreres*, ll. cc., et *vol.* 31, *pag.* 227 *seq.*

DE VI ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE CENSURA ET PROHIBITIONE LIBRORUM

624. — Hic titulus in Codice duo capita complectitur, alterum de censura, alterum de prohibitione librorum. Utrumque fere cohaeret, etsi diverso ordine, cum Constitutione Leonis XIII, *Officiorum ac munerum,* 25 jan. 1897.

Antea haec materia in Curia Romana pertinebat partim ad S. Congr. Indicis, partim ad S. Officium (Cfr. *Ferreres,* La Curia Romana, *n.* 637). Nunc vero Benedictus XV Motu proprio *Alloquentes* (25 mart. 1917) integrum munus detulit S. Officio, et S. Congregatio Indicis supressa est. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe, vol.* 48, *pag.* 228 *seq.*

625. — Prohibitio *generatim* non comprehendit: *a*) opera *manuscripta, lithographica, polygraphica*, etc., nisi magno numero multiplicentur et publice instar librorum venalia prostent; neque *b*) scripta non periodica valde exigua (*hojas volantes*), etsi typis mandata sint.

Nomine *libri* significantur scripta non modo *certae molis* (ad minus decem integrorum foliorum seu 160 paginarum, juxta *Noldin*, De Praeceptis, *n.* 701), sed etiam certae unitatis. Unde ex *unitatis* defectu non comprehenduntur hoc nomine folia diaria in volumine collecta, nec calendarium, cujus folium singulis diebus detrahitur.

626. — Libri prohibiti *per se* destruendi sunt; etenim nova hac disciplina jam non praescribitur, ut Ordinario tradantur, quod etiam ante Const. *Officiorum* non multum urgebatur. *Vermeersch*, De prohibitione et censura lib., *n.* 102, 7 (alias 11, 8); *Génicot*, I, *n.* 456.

N. B. Quae in Codice sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis ac aliis editis scriptis quibuslibet applicari debent, nisi aliud constet (*can.* 1384, § 2). Constabit aliud v. gr. cum in uno eodemque canone fit distinctio.

CAPUT I

DE PRAEVIA CENSURA LIBRORUM

627. **Principium**. — Ecclesia habet jus exigendi ne fideles libros publicent quos antea ipsius Ecclesiae praeviae censurae non subjecerint (*can.* 1384, § 1).

Ratio est, quia Ecclesia habet jus et officium arcendi fideles a periculis fidei et morum quibus exponi solent ex lectione librorum pravorum. Ad haec pericula cavenda maxime confert si libri, antequam edantur in publicum, judicio Ecclesiae subjiciantur, ut ipsa eos examinet et decernat an eorum lectio periculum afferat, aut non; ideoque, an sint edendi aut prohibendi.

628. **Quaesita**. — Quaer. 1.° *Quinam libri vel scripta aut imagines subjicienda sint praeviae censurae?*

Resp. 1.° Libri Sacrarum Scripturarum vel eorumdem adnotationes et commentaria.

2.° *a*) Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve hujusmodi *religiosas* ac *morales disciplinas* spectant; *b*) libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque *religiosae, moralis, asceticae, mysticae* aliique hujusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac *c*) generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis *peculiariter intersit.*

3.° Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adjunctas habeant, sive absque illis edantur (*can.* 1385, § 1).

4.° *Indulgentiarum* libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur (*can.* 1388, § 1).

5.° Libri *liturgici* eorumque partes; necnon *litaniae* a Sancta Sede approbatae, ut constet de concordantia cum editionibus approbatis; necnon aliae litaniae (*can.* 1390).

Quaer. 2.° *Quid comprehendant illa verba* (ex can. 1385): «*ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit*»?

Resp. Complectitur omnia scripta (1), etiam folia diaria, imo

(1) «An Orationes quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem Servorum Dei qui cum sanctitatis fama decesserunt, indigeant venia episcopi, ut imprimi ac inter fideles diffundi valeant?» — *Resp. Affirmative* ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum;* attamen, ad tramitem et mentem decretorum S. U. Inquisitionis et sacrorum Rituum Congregationis, episcopus abstinere se debet ab eisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis.» S. C. R., 21 mart. 1914: *Acta*, VI, *pag.* 192.

etiam articulum unius folii, si ea argumenta versent quae propter rerum adjuncta vel aliter, sint tanti momenti pro religione vel morum honestate, ut merito praesumi possit praeviae censurae ex voluntate Ecclesiae esse subjicienda. In dubio standum est pro libertate scriptorum. *Vermeersch*, l. c., *nn.* 117, 118 (alias 21, 2); *Gennari*, h. l.; *Wernz*, l. c.; *Lega*, l. c., *n.* 408. Cfr. supra, *art.* 13, 15, 17, 19, 20.

Attamen Pius X in *Motu proprio* circa actionem popularem christianam diei 18 dec. 1903, *art.* 17, videtur significare, omnia omnino scripta religionem aut mores respicientia esse censurae subjicienda: *tutti gli scritti, che riguardano la religione, la morale cristiana, e l'etica naturale.* Cfr. *Il Monitore*, *vol.* 15, *pag.* 460.

Nihilominus diaria non sunt praeviae censurae subjicienda, nisi forte agatur de aliquo articulo in quo religionis et morum honestatis *specialiter* intersit. Ita jam antea videbatur sentire *Wernz*, Jus Decretal., III, *tit.* IV, *nota* 109. Nunc cfr. Encyclicam *Pascendi*, *art.* IV, ubi Pius X statuit: «Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit censorem designatum habeant. Hujus officium erit folia singula vel libellos, *postquam sint edita*, opportune perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum injungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.» Vide tamen *Villada*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 24, *pag.* 213 *seq.*; 252 *seq.*

629. — Quaer. 3.° *Cui competit concedere licentiam edendi libros praeviae censurae subjiciendos?*

Resp. Nisi approbatio reservetur Apostolicae Sedi, eam concedere potest Ordinarius sive auctoris, sive loci ubi publici juris liber fit, sive loci ubi imprimitur. Quod si unus ex eis licentiam denegaverit, et alius, *inscius denegatae approbationis*, licentiam concedat, haec nulla et irrita erit; ideoque auctor eum certiorem facere debet de denegata ab alio licentia (*can.* 1385, § 2).

Locus *ubi publici juris fit liber* intelligitur locus ubi est *sedes negotii editoris.* Quod si hic locus sit multiplex, v. gr. Romae, Brugiis, Neo-Eboraci, etc., sufficit unius Ordinarii approbatio. Vi hujus approbationis liber ubique legi potest, nisi accedat proprii (legentis) Ordinarii prohibitio.

630. — Quaer. 4.° *Quid specialiter de* **religiosis** *ac de* **clericis saecularibus** *notandum est?*

Resp. 1.° *Religiosi* non modo licentiam Ordinarii sed etiam licentiam sui Superioris majoris antea consequi debent (*can.* 1385, § 3). Quod si Superior licentiam denegat, non licet religioso manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine (S. C. de Rel., 15 jun. 1911: *Acta*, III, *pag.* 270). Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 34, *pag.* 236.

2.° *Clericis* secularibus sine *consensu* suorum Ordinariorum, *religiosis* vero sine *licentia* sui Superioris majoris et Ordinarii loci, ne libros quidem, qui de rebus profanis tractent, publicare licet, *nec* in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere, vel eadem moderari seu dirigere (*can.* 1886, § 1).

3.° In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent (*non modo clerici, aut religiosi, sed*) nec laici catholici quidpiam conscribant, nisi justa ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata (*can.* 1386, § 2).

631. — QUAER. 5.° *Quomodo se gerere debent censores in judicandis libris, et Ordinarii in concedenda licentia?*

Resp. In universis Curiis episcopalibus censores ex officio esse debent, qui edenda cognoscant. — Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habere debent Ecclesiae *dogmata* et *communem* catholicorum *doctrinam*, quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur. — Censores ex utroque clero eligi debent aetate, eruditione, prudentia commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. — Censor sententiam scripto dare debet. Quae si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat, cui tamen praeponatur *censoris judicium*, inscripto ejus *nomine*. Extraordinariis tantum in adjunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio omitti poterit. — Auctoribus censoris nomen nunquam cognitum esse debet, antequam hic faventem sententiam ediderit (*can.* 1393, § 1-5).

QUAER. 6.° *Ubinam licentia imprimi debet, et quid si deneganda videatur?*

Resp. 1.° Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedi debet, *in principio* aut *in fine libri*, folii vel imaginis imprimenda, expresso *nomine* concedentis itemque *loco* et *tempore* concessionis (*can.* 1394, § 1).

Resp. 2.° Si vero licentia deneganda videatur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicari debent (*Ibid.*, § 2). Quod tum praecipue fieri debet, si liber sit *correctionis* vel *expurgationis* capax (S. C. Ind., 3 sept. 1898).

632. — QUAER. 7.° *Pro quibus scriptis publicandis requiritur licentia Sedis Apostolicae?*

Resp. Requiritur licentia Sedis Apostolicae ut publicari liceat: 1.° Quae ad causas *beatificationum* et *canonizationum* servorum Dei quoque modo pertinent (*can.* 1387).

Acta igitur quae respiciunt vitam, virtutes et prodigia servorum Dei, vel Beatorum, quorum causis beatificationis et canonizationis manus apposuit sacra Rituum Congregatio, typis edi ac pu-

blici juris fieri nequeunt, inconsulta eadem sacra Congregatione, et absque licentia *nihil obstat* R. P. D. Promotoris sanctae fidei, vel Adsessoris ipsius sacri Consilii (S. R. C., 12 febr. 1909: *Acta*, I, *pag.* 238). Prohibitio refertur ad solas causas adhuc pendentes; reliquae jam absolutae publicari possunt de licentia Ordinarii. *Ita Pennacchi*, l. c., *n.* 204; *Lega*, l. c., *n.* 394; *Wernz*, l. c., *nota* 99.

2.° Quovis idiomate, tum collectionem authenticam *precum* piorumque operum propter quae Sedes Apostolica *indulgentias concessit*, tum *elenchum indulgentiarum* apostolicarum, tum *summarium indulgentiarum* vel antea collectum, sed numquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum (*can.* 1388, § 2).

3.° *Collectiones decretorum* singularum Romanarum Congregationum (*can.* 1389).

4.° *Versiones Sacrae Scripturae* in linguam vernaculam; nisi edantur sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus praecipue excerptis ex SS. Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus (*can.* 1891).

Igitur approbare versionem notis non instructam pertinet exclusive ad S. Sedem; sed videntur excipi posse aliquae partes alendae fidelium pietati aptiores, v. gr. psalterium, evangelia quae per annum occurrunt, epistolae, etc., quae sine notis Episcopus probabiliter permittere potest. *Vermeersch*, l. c., *n.* 71 (alias 15, 2); *Lega*, l. c., *n.* 356.

Item probabiliter permittere potest versiones paraphrasticas, in quibus virtualiter sunt notae desumptae ex SS. Patribus atque ex ecclesiastica traditione. *Vermeersch*, l. c.

Etiam Episcopus permittere posse videtur editiones in quibus praeter adnotationes virorum catholicorum, etiam acatholicorum notae reperiuntur de re geographica, archaeologica, etc., non vero si rem moralem attingant. *Pennacchi*, h. l.; *Gennari*, h. l.

Nulla est jam obligatio petendi consilium a parocho vel confessario, ut quis possit legere versiones vulgares approbatas. *Wernz*, l. c., *nota* 58; *Gennari*, h. l.; *Lega*, l. c.

Quaer. 8.° *An novae editiones libri jam approbati, aut ipsius versiones in aliam linguam, nova indigeant approbatione?*

Resp. Affirm., in utroque casu (*can.* 1382, § 1).

Attamen excerpta e periodicis capita seorsim edita (*tirada aparte*) censeri non debent novae editiones, atque proinde nova approbatione non indigent (*can.* 1392, § 2).

CAPUT II

DE PROHIBITIONE LIBRORUM

ARTICULUS I

DE NATURA PROHIBITIONIS

633. — I. Ecclesia habet jus et officium prohibendi lectionem librorum perversae doctrinae, a quocumque publicati sint (*can.* 1395, § 1).

Ratio deducitur ex officio quod habet Ecclesia perducendi fideles ad veram sanctitatem et aeternam felicitatem, ideoque arcere eos debet a periculosa lectione quae eorum fidem ac bonos mores corrumpere potest.

II. Haec prohibitio est actus jurisdictionis, ideoque solos subditos prohibentis afficit. Quare hoc munus competit Sedi Apostolicae ac Concilio Oecumenico pro universa Ecclesia; Conciliis particularibus ac locorum Ordinariis pro suo respectivo territorio (*can.* 1395, § 1).

III. Licet ab hac prohibitione detur ad Sanctam Sedem recursus, hic tamen non est in suspensivo (*Ibid.*, § 2); ideoque observanda est prohibitio donec Sedes Apostolica aliud forte statuerit.

IV. Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec *edi*, nec *legi*, nec *retineri*, nec *vendi*, nec in aliam linguam *verti*, nec ullo modo cum aliis *communicari* possit (*can.* 1398, § 1).

V. Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat ejusve superior vel successor (*Ibid.*, § 2).

VI. Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes (v. gr. parochi) opportune monere debent fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum (*can.* 1405, § 2).

634. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An Superior religiosus prohibere possit libros pro suis subditis?*

Resp. Id potest Abbas monasterii sui juris, et *Moderator supremus* religionis clericalis exemptae cum suo Consilio, ex justa causa. Superior major cum Consilio suo id etiam potest, si periculum sit in mora, et cum *onere* deferendi rem quamprimum ad supremum Moderatorem (*can.* 1395, § 3).

QUAER. 2.° *Ad quos pertinet denuntiare Ordinario aut Sedi Apostolicae libros perniciosos, et quomodo in denuntiatione facienda se gerere expediat?*

Resp. 1.° Ad omnes fideles maxime ad clericos aliasque personas in dignitate ecclesiastica constitutas et ad eos qui doctrina praecellant; peculiari autem titulo pertinet ad Legatos Sanctae Sedis, locorum Ordinarios, atque Rectores universitatum catholicarum (*can.* 1397, § 1).

Resp. 2.° Expedit ut non solum libri inscriptio (*portada*) indicetur, sed etiam, quantum fieri potest, causae exponantur cur liber prohibendus existimetur (*Ibid.*, § 2). Ii vero ad quos denuntiatio defertur, gravissima obligatione tenentur nomina denuntiantium secreta servare (*Ibid.*, § 3).

QUAER. 3.° *Quomodo se gerere debeant Ordinarii locorum quoad libros qui in proprio territorio eduntur aut venales habentur?*

Resp. Invigilare debent per se aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idoneos (*Ibid.*, § 4); et quos libros, libellos, etc., noxios deprehendant, proscribant, etsi ab alio Ordinario approbati sint, et e manibus fidelium auferre studeant.

Libros vero qui subtilius examen exigant vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur, ad Apostolicae Sedis judicium Ordinarii deferre debent (*Ibid.*, § 5).

ARTICULUS II

DE LIBRIS PROHIBITIS IPSO JURE

635. — Libri alii prohibentur ipso jure seu ex canonibus Codicis, alii vero per decreta specialia.

Ipso jure prohibentur editiones quaedam Sacrae Scripturae; item alii libri sive ob periculum haeresis, schismatis, superstitionis, violationis castitatis, vel etiam quaedam editiones liturgicae parum fideles.

636. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam editiones Sacrae Scripturae prohibeantur ipso jure?*

Resp. 1.° *Editiones* textus et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae etiam Ecclesiae Orientalis, *ab acatholicis* quibuslibet publicatae; itemque ejusdem *versiones* in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae (*can.* 1399, 1.°).

2.° Item prohibentur quicumque libri Sacrarum Scripturarum vel eorumdem adnotationes et commentaria, si edantur absque licentia (*can.* 1389, 5.°).

3.° Necnon versiones Sacrae Scripturae in linguam vernaculam editae a quocumque sine debita licentia (*can.* 1399, 5.°).

Permittuntur iis dumtaxat qui studiis *theologicis* vel *biblicis quovis modo* operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint, neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata (*can.* 1400).

Studiis THEOLOGICIS vel BIBLICIS dant operam habitualiter, sive in scholis, ut theologiae tirones, sive privatim; non autem si dent operam *tantum* studiis linguae graecae et hebraicae (S. C. Indic., 21, jun. 1893). *Wernz*, l. c., *not.* 57; *Lega*, l. c., *n.* 353. — Contra *Gennari*, *pag.* 35. Dummodo non IMPUGNENTUR CATHOLICAE FIDEI DOGMATA, et consequenter etiamsi *hae* veritates obiter ibi negentur, vel *aliae* impugnentur.

QUAER. 2.° *Quinam libri prohibentur ipso jure propter haeresim aut periculum ipsius vel schismatis?*

Resp. 1.° Libri quorumvis scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes (*can.* 1399, 2.°).

RELIGIONIS FUNDAMENTA, i. e. *religionis verae naturalis et supernaturalis*, ut patet ex eo, quod legislator verbum religionis *naturalis* in veteri Indice adhibitum, studiose omisit, ut clare appareat prohibitionem non restringi ad sola fundamenta religionis naturalis. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *pag.* 119; *Gennari*, *pag.* 30; *Lega*, l. c., *n.* 348.

QUOQUO MODO EVERTERE, sive adductis rationibus, sive irrisionibus, sive imaginibus depictis (*caricaturas*), etc. *Gennari*, h. l.

Hac prohibitione non comprehendi encyclopaedias in quibus, utpote scriptis a viris tam catholicis quam acatholicis, inter multas res bonas reperiuntur aliqui articuli propugnantes haeresim et materialismum, docet *Card. Gennari*. Ratio est, quia, cum in hujusmodi libris res disparatissimae attingantur, singuli articuli veluti tractationes separatae censendi sunt. Igitur nisi longissimi sint ita ut libro aequivaleant, haberi debent veluti *libelli* aut *opuscula*, quae non cadunt hic sub *ecclesiastica* prohibitione, quamvis forte prohibeantur jure *naturali*. Cfr. *Il Monitore*, *vol.* 23, *pag.* 413, 414.

2.° Libri (item *diaria*, *folia*, *libelli periodici*) qui religionem aut bonos mores data opera impetunt (*Ibid.*, 3.°).

RELIGIONEM: «cum lex *indiscriminatim* loquatur *de religione*, sine solido fundamento hoc verbum restringitur ad solam religionem *naturalem*, sed etiam ad supernaturalem sive revelatam est extendendum, ut recte tenent *Pennacchi*, l. c., *pag.* 162 *seq.*; *Gennari*, l. c., *pag.* 57 *seq.*; *Hollweck*, l. c., *pag.* 37». Ita *Wernz*, l. c., *nota* 76, cui consonant, praeter AA. ab ipso citatos, etiam *Lega*, l. c., *n.* 375; *Buccer.*, *n.* 1309; *Palmieri*, h. l.; *Noldin*, De Praeceptis, *n.* 701, *contra paucos*, quorum argumenta antiquata magisque subtilia quam vera, dicuntur ab ipso *Wernz*, l. c. Horum sententiam falsam et non parum periculosam esse probat *Gennari*, h. l. (ed. 3). Nec requiritur ad incurrendam prohibitionem quod folium *universam* religionem impugnet; sed sufficit impugnatio habitualis unius alteriusve *dogmatis;* sicut sufficit in altera parte impugnatio unius

alteriusve praecepti decalogi; secus illusoria redderetur prohibitio. *Wernz*, l. c. (1).

Improbandi sunt sacerdotes qui v. gr. in itinere, in via ferrea, ephemerides liberales emunt et legunt, non sine scandalo fidelium. *Noldin*, l. c.

N. B. In **Hispania** sat communiter prohibitae censentur inter alias sequentes ephemerides matritenses: *El País*, *El Liberal*, *El Imparcial*, *El Heraldo*, aliaeque ejusdem furfuris. Cfr. *Instr. pastor.* Archiep. et Episcoporum prov. eccles. Caesaraug., 10 apr. 1904; id. id. Prov. Compostellanae, 3 oct. 1906; *Instr. pastor.* Episc. Dertusani, 4 aug. 1904. *Conclusiones* aprobadas por la Asamblea nacional de la Buena Prensa, en Sevilla, 18 jun. 1904, *secc.* 4, *punto* 3.°, *concl.* 5.ª *Instr. past.* Episc. Guadicen., aug. 1906, etc.

3.° Libri quorumvis *acatholicorum*, qui ex professo de religione tractant, nisi constet, nihil in eis contra fidem catholicam contineri (*Ibid.*, 4.°).

4.° Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt (*Ibid.*, 6.°).

Detrahitur, dum minuitur bona existimatio, ad quod in casu non requiritur, quod fiat *ex professo;* sed requiritur et sufficit detractio gravis, quae aliquatenus evolvatur. *Vermeersch*, *n.* 74, 3 (alias 13, 4); *Wernz*, l. c.

5.° *a*) Qui duellum vel suicidium, vel divortium licita statuunt; *b*) qui, de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt (*Ibid.*, 8.°).

637. — Quaer. 3.° *Quinam libri, libelli, etc. ob* **superstitionem** *aut periculum superstitionis prohibiti sint ipso jure?*

---

(1) Diaria et ephemerides, ait *Card. Gennari*, h. l., praesertim illae quae religionem attingunt, hodie dividuntur in catholicas et liberales: illae adhaerent Ecclesiae et Romano Pontifici: hae vero ductum sectae massonicae ac *revolutionis* sequuntur. Perspicuum est has posteriores, si paucas forte excipias, includi prohibitione hujus art. 21, cum bellum, quod contra veram religionem gerit secta massonica, manifestum sit. Includuntur quidem, quamvis fucato nomine moderatae appellentur: hae enim, eo periculosiores evadunt ac magis sunt cavendae, quanto majorem in sana principia reverentiam affectare videntur.

Qua in re haec habet *Card. d'Annibale*, *vol.* 3, *n.* 143, *nota* 23: «Vix a letali excusantur, aut ne vix quidem, adolescentes qui ephemerides *liberales*, quas vocant, paucis (et penes nos ferme nullis) exceptis, legunt, confessario inconsulto. Item institutores tabernarum, vel hospitiorum penes quos legendae advenientibus prostant, quippe in proximam eos legendi occasionem conjiciunt; licet ipsi neminem cogant eorum hospitia et tabernas adire, ephemerides legere: quique demum has venditant per vicos et plateas; nisi forte *hi* faciant gravissima egestate coacti. At hi qui eos, quibus superesse debent, non prohibent, et in primis parentes, hos homicidas animarum dixerim, et officii sui proditores.»

Resp. 1.° Libri qui cujusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, *aliaque id genus docent* vel *commendant* (*can.* 1399, 7.°).

2.° Libri quibus divulgantur indulgentiae apocriphae vel a Sancta Sede proscriptae aut revocatae (*Ibid.*, 11.°). Igitur si veras et vigentes indulgentias contineant, etsi editi sint hujusmodi libri absque debita approbatione et consequenter *illicite*, eorum usus non est fidelibus prohibitus. Idem intellige de Collectionibus decretorum sacrarum Congregationum.

3.° Libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus (*Ibid.*, 5.°).

4.° Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Jesu-Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis absonae (*Ibid.*, 12.°).

Sub prohibitione hac non veniunt numismata, statuae nec picturae, sed tantum imagines impressae. Si imagines sint conformes Ecclesiae decretis et publicentur sine competenti licentia, peccat quidem editor, at fidelibus non prohibentur. *Pennacchi*, l. c., *pag.* 29, *Vermeersch*, l. c.; *Gennari*, h. l.; *Lega*, l. c., *n.* 366; *Wernz*, l. c., *nota* 69 (Circa imagines cfr. Bened. XIV, Const. *Sollicitudini*, 1 oct. 1745).

638. — QUAER. 4.° *Quomodo intelligendum sit illud de novis apparitionibus ac novis devotionibus?*

Resp. 1.° Videtur requiri ut liber vel scriptum ea unice tractent vel sat fuse, rem tamquam *manifeste* supernaturalem proponendo, non vero si quaedam obiter tantum interserantur, nullum firmum judicium proferendo de eorum supernaturalitate. Quare non videntur prohiberi diaria, in quibus aliquando facta quaedam miraculosa narrantur, quae in aliqua peregrinatione occurrerint, etc. *Gennari*, h. l.; *Lega*, *n.* 363; *Vermeersch*, l. c., *n.* 14, I; *Génicot*, *n.* 453, 3.°

Resp. 2.° Novae devotiones, quae sat notabiliter differunt sive in objecto, sive in modo ab iis, quas Ecclesia probavit. Cfr. decr. S. Off., 13 jan. 1875, quo improbatur devotio sanguinis B. M. V.; 13 mart. 1901, quo damnatur devotio dicta *de la Mano poderosa*, et aliud ejusdem diei quo improbatur *Nova Crux Immaculatae Conceptionis*, necnon 1 maji 1901, quo jussum est publicari decreta condemnatoria *devotionis erga Ssmam. Animam D. N. J. Ch.* Vide *Razón y Fe*, *vol.* 1, *pag.* 564; *vol.* 37, *pag.* 244, ubi laudatur dissolutio confraternitatis *del Brazo poderoso* facta ab Episcopo Habanensi. Item S. Off., 29 mart. 1916, decrevit, imaginem B. M. Virginis vestibus sacerdotalibus indutae esse reprobandam. *Acta*, VIII, *pag.* 146.

N. B. Posita approbatione competenti, jam non requiritur protestatio juxta decretum Urbani VIII.

639. — QUAER. 5.° *Quinam libri prohibeantur ipso jure ad tuendam praecipue* **castitatem?**

Resp. Qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent (*can.* 1399, 9.°). Ratio est, quia afferunt periculum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent.

Hac prohibitione non comprehenduntur: *a*) libri scientifici, v. gr. de re medica, chirurgica, morali, qui res turpes ex professo tractant, sed pro *peritis* tantum et propter scopum *utilem* et *honestum;* nec *b*) libri, qui res turpes *obiter* tantum attingunt; nihilominus hi, si revera appetitum legenti excitent, prohibentur *jure* naturali.

Prohibitio afficit etiam libros classicos infectos labe lasciviae vel obscenitatis.

640. — QUAER. 6.° *Quaenam editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum prohibeantur ipso jure?*

Resp. Illae in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant (*can.* 1399, 10.°).

Igitur illae tantum editiones prohibentur quae *mutationes* habeant etiam *parvas*, substantiam attingentes. Si vero conformes sint editionibus authenticis, quamvis fiant sine praevia Episcopi approbatione, non prohibentur. Menda typographica non attenduntur ad effectum prohibitionis. Cfr. *Lega*, De jud. ecclesiast., *vol.* 3, *pag.* 1, *n.* 371; *Gennari*, Comm. in Const. *Offic. ac mun.*, § 18; *Pennacchi*, Comm. in hanc const., *d.* 156.

Qui ad recitandum Breviarium adhibet editionem prohibitam ignorans esse prohibitam, suae obligationi satisfacit, modo recitet juxta formam praescriptam. Idem probabiliter dicendum est quamvis prohibitionem cognoscat. *Il Monitore, vol.* 8, *p.* 2, *pag.* 209; *Vermeersch*, De prohibitione librorum, *pag.* 70 *seq.*, edit. 1.ae Cfr. tamen *pag.* 77, edit. 2.ae

ARTICULUS III

DE FACULTATE LEGENDI LIBROS PROHIBITOS

641. — Alii eximuntur a prohibitione ecclesiastica legendi libros prohibitos, alii licentiam legitime obtinere possunt ad eos legendos.

Quaesita. — QUAER. 1.° *Quinam eximantur a prohibitione ecclesiastica legendi libros prohibitos?*

Resp. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii. Qui omnes necessarias cautelas adhibere debent (*can.* 1401). A

PROHIBITIONE **ecclesiastica**, nam si prohibitio est juris naturalis, legendi scilicet libros qui ipsi proximum spirituale periculum creant, uti est ea legendi libros de rebus obscenis, ab ea, *per se*, nemo eximitur, neque contra eam valet licentia a quovis obtenta (*can.* 1405, § 1).

Prohibitio *juris naturalis* cessat etiam in casibus particularibus, ubi cessat periculum; non vero prohibitio juris ecclesiastici, nisi cesset contrarie.

642. — QUAER. 2.° *Quinam et quomodo concedere possint licentiam legendi libros qui prohibiti sunt sive ipso jure sive decreto Sedis Apostolicae?*

Resp. 1.° *Per se* sola Sedes Apostolica, aut qui ab eadem delegatam potestatem ad hoc expresse habeant.

Ordinarii (sive locorum sive religiosorum pro suis respective subditis) hanc licentiam concedere valent pro *singularibus* tantum libris atque in casibus dumtaxat *urgentibus* (*can.* 1402, § 1).

Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu, et justa ac rationabili causa concedere possunt (*Ibid.*, § 2).

Resp. 2.° S. *Officium* concedit ubique licentiam legendi libros qui prohibiti sunt sive a jure sive ab Apostolica Sede.

S. C. de Propaganda Fide eamdem facultatem concedere potest iis tantum qui domicilium aut quasidomicilium habeant in regionibus suo regimini subjectis. Quaenam sint hujusmodi regiones vide apud *Ferreres*, La Curia Romana, *n.* 529 *seq.* Sed hi facultate jam obtenta uti possunt etiam in aliis regionibus, et quamvis priora illa domicilia aut quasidomicilia derelinquant. Idem tene de Magistro S. Palatii quoad subditos Urbis, et de Episcopo concedente hanc facultatem ex jurisdictione delegata quoad suos subditos. *Vermeersch*, l. c., *n.* 95 *bis*, 2 (alias 36, 3); *Gennari*, h. l.; *Lega*, l. c., *n.* 379.

Episcopi aliique praelati obtinentes a Sede Apostolica facultatem, v. gr. *triennalem* concedendi licentiam legendi libros prohibitos, hanc suis subditis idoneis etiam in *perpetuum* duraturam *per se* concedere possunt. Igitur facultas concedendi, in casu, est triennalis; licentia vero concessa potest esse perpetua, sicut si a Papa concederetur. Quod erui videtur tum ex tenore facultatum episcopis a S. C. Indicis antea concessarum, tum ex praxi in Secretaria ejusdem S. C. approbata. *Ita Wernz*, l. c., *nota* 79. Cfr. *Piat*, Comm. in Const. *Apostolicae Sedis*, *pag.* 19, 20. Unde concludas oportet, perpetuas quoque esse licentias sine limitatione concessas sive ab Apostolico Nuntio, sive a Delegatis Apostolicis. — V. **Casus**, *n.* 1138 *seq.*

QUAER. 3.° *An qui gaudet facultate legendi libros prohibitos possit etiam legere pravas ephemerides?*

Resp. Affirm., sed non viceversa. Strictius enim prohibentur libri quam ephemerides; nam illorum lectio est periculosior, tum quia latius et copiosius error illic propugnatur, tum quia libri nati sunt in posterum facilius conservari. *Vermeersch*, l. c. 98, 2 (alias 36, 1); *Gennari*, Comm. in Const. *Officiorum*.

QUAER. 4.° *An qui a Sede Apostolica licentiam obtinuerint legendi libros prohibitos possint etiam legere prohibitos a suis Ordinariis?*

Resp. Neg., nisi in apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos (*can.* 1403, § 1). Insuper gravi praecepto coguntur libros prohibitos ita custodire, ut hi ad aliorum manus non perveniant (*Ibid.*, § 2).

QUAER. 5.° *Utrum regulares exempti teneantur prohibitionibus librorum Ordinarii loci?*

Resp. Disputatur. Prima sententia, cum *Pennacchi*, l. c., *pag.* 191; *Palmieri*, h. l.; *Wernz*, l. c., *nota* 82, affirmat, quia episcopi procedunt tanquam delegati Sedis Apostolicae, et jurisdictio delegata, secundum formulam Conc. Tridetini concessa, non est restringenda ad potestatem *cumulativam* in proprios *subditos*, sed sese extendit etiam in *exemptos*. Negant vero ob contrariam rationem, et quia religiosi, cum sint exempti, non subduntur Episcopo, nisi in casibus expresse determinatis, inter quos hic non reperitur, *Génicot*, I, *n.* 451; *Lega*, l. c., *n.* 387; *Gennari*, h. l.; *Periés*, L'Index, h. l., *pag.* 154; *Piat*, N. R. Th., *vol.* 31, *pag.* 571-582; *Vermeersch*, l. c., *n.* 64 (alias 12), et De relig. inst. et person., *n.* 371; et apud ipsum *Van Coillie*, Comm. in Const. *Officiorum ac munerum*, *pag.* 27.

643. — QUAER. 6.° *Ad quid teneantur librorum venditores?*

Resp. 1.° Libros de rebus obscenis ex professo tractantes, nec vendere, nec commodare, nec retinere possunt. 2.° Ceteros prohibitos non possunt habere venales, nisi ad hoc debitam licentiam impetraverint; neque cuilibet eos vendere possunt, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti (*can.* 1404). Vide supra, *n.* 325 et 341.

CAPUT III

DE INDICE

644. — I. *Sicut regulis* Indicis Tridentini successit const. *Officiorum ac munerum*, et nunc Codex canonicus, ubi nova decreta generalia eduntur, sic veteri Indici jussu Pauli IV confecto ac vulgato anno 1558, quemque Clemens VIII, Alexander VII et Benedictus XIV auxerant, substitutus est novus Index a Leone XIII per breve *Romani Pontifices* diei 17 sept. 1900 approbatus et confirmatus.

«Inter haec Decreta generalia porro et ipsum Indicem haec est convenientia: Utraque eo pertinent, ut doceant, a quibus libris legendis retinendisque sit cavendum. Aliter tamen Decreta generalia huic fini inserviunt, aliter ipse Index. Nam Decreta generalia quam plurimos, et vix non omnes noxios infectosque libros prohibent, quorum ceterum lectio ipsa naturae lege ut plurimum vetatur; Index vero illorum partem tantum, eamque minimam, recenset atque notat. — Decretis sola librorum pravorum genera et classes, Indice vero singuli libri expresso cujusque titulo immo et auctoris nomine proscribuntur» (*Praefatio* Indicis).

Igitur vehementer errant, qui ex solo Indice cognoscere posse existimant libros omnes improbatae lectionis, quum minimam eorum partem tantum Index contineat. Neque ibi quis quaerendos esse putet eos libros, qui in quavis disciplina pravitate quasi emineant; quum generatim ii tantum recenseantur, quos episcopi vel alii ad S. Sedem examinandos detulerunt.

II. Clausula notans alicujus *scriptoris opera omnia: a*) illa tantum afficit «quae aut de religione agunt, aut etsi de ea non agunt, decreto tamen aliquo generali aut speciali proscripta sunt» (*Praefatio* Indicis (1);

b) et quamvis talis prohibitio non comprehendat opera, ab eodem auctore post illud decretum edita, ea «tamen *suspecta* habentur, et in decreti alicujus ex generalibus prohibitionem incidere merito *praesumuntur*, nisi forte de *auctoris resipiscentia constet*» (*Ibid*). Quod etiam fac intelligas de *libello* periodico identidem continuato post decretum, quo ille proscriptus fuit.

III. Prohibito aliquo libro, omnes ejus editiones censentur prohibitae, nisi contrarium *expressis verbis* in ipso Indice enuntietur. *Ibid.*

IV. Clausula: *donec corrigatur* respicit modum tantum prohibitionis, non autem ejus effectus. *Ibid.*

645. Quaesita. — Quaer. 1.° *An lex Indicis, prohibens lectionem quorumdam librorum, obliget de jure naturali, vel de jure positivo tantum?*

Resp. Urget generatim ex utroque jure, saltem *per se;* quia ut plurimum libros non prohibet, nisi quia sunt perniciosi, et proximum perversionis vel peccati periculum inducunt; de jure autem naturali quisque hujusmodi periculum effugere tenetur. Unde etiamsi obligatio Indicis alicubi non agnosceretur, nihilominus lectio librorum in Indicem relatorum sub gravi prohiberetur. Qua de re animadvertit *S. Alph.: Theologi omnes addunt, nec cum licen-*

(1) Immo si de catholico agitur, et «de certo aliquo ejusdem libro constet, eum neque ullo decreto generali, neque alio speciali prohiberi, hunc ab ea generali praescriptione eximi non temere existimaveris.» *Ibid.*, in edit. 3.ª 1911.

tia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri, qui subversionis alicui occasio esse possit. Append. de libris prohibitis, *c.* 1, *n.* 12.

Duo praeterea notanda sunt:

1.° Privati homines debent confessarii mandatis obsequi in his quae lectionem librorum respiciunt. Ita respondit *S. C. Inquisit.* anno 1832 ad Episcopos Helvetiae interrogantes: *An fideles, salva conscientia, legere possint ephemerides vel libros, qui censuram Ordinarii non subierunt?* Resp. *Recurrant ad confessarium.*

2.° Confessarius ipse debet Episcopi directionem sedulo exquirere, et diligenter prae oculis habere gravissimum monitum, quod S. Alphonsus tradidit, nempe: *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi. Cap.* 5, *n.* 8.

Quaer. 2.° *An lex Indicis in Gallia et in Anglia urgeat?*

Resp. Tam constitutio *Officiorum ac munerum*, quam *Index* vim obligandi *ubique* habent, et consequenter etiam in Gallia et in Anglia. Constat: *a*) ex verbis ipsius Constitutionis, ubi legimus «quibusque (decretis generalibus) catholici homines *toto orbe* religiose pareant»; et postea «praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur... *ab omnibus* cujusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter... observari debere decernimus»; *b*) ex const. *Romani Pontifices*, in cujus fine sic loquitur Leo XIII: «Hujusmodi igitur librorum prohibitorum generalem Indicem, jussu Nostro recognitum et emendatum... auctoritate Apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, atque ab *omnibus ubique locorum* integre et inviolabiliter observari praecipimus, sub poenis in Constitutione Nostra *Officiorum ac munerum* sancitis. Mandantes *omnibus locorum Ordinariis*, itemque *regularium quorumcumque superioribus*, omnibusque aliis ad quos spectat, aut in futurum spectabit, ut eumdem Indicem vulgandum et observandum pro viribus curent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.» — Confirmatur ex resp. S. Ind. C., 28 maji 1898: «Utrum dicta Const. (Officiorum) vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur? R. *Affirmative.*» — Quare videntur etiam sublatae oppositae *consuetudines*, quamvis specialis clausula consuetudinis derogatoria non reperiatur. Cfr. *Gennari*, La Constituz. *Officiorum*, *pag.* 24 (ed. 3); *Ferreres*, Los Esponsales, etc., *n.* 655 *seq.*

FINIS TRACTATUS DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

TRACTATUS

De justitia et jure

Tanta est tractationis, quam aggredimur, de justitia et jure necessitas, ut ea inter praecipuas theologiae moralis partes merito reponenda sit; tanta vero difficultas, ut nisi perspicuitas et ordo laborem levent, in plurimis ad hanc materiam pertinentibus vix quisque sese possit expedire. Justitia enim latissime patet ac plurima amplectitur jura et officia, quibus humanae societatis membra invicem devinciuntur. Quanti vero momenti haec tractatio sit ex eo apertum est, quod hisce praesertim temporibus homines multos videre est, sua profundere, aliena invadere, jura omnia subvertere, ut jugem voluptatum famem exsaturare possint. Quibus infestissimis reipublicae malis ut Ecclesiae ministri medeantur, regulas justitiae et juris apprime callere debent. Ipsorum enim est aberrantes ad recta principia revocare, et jurium officiorumque aequitatem summo zelo curare. Quamobrem in hac potissimum tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

Agendum 1.° de natura et principiis justitiae et juris; 2.° de violatione juris, sive de injuria; 3.° de reparatione juris, seu de restitutione.

TRACTATIO PRAEAMBULA

646. — Monitio praevia. In tractatu praesertim de justitia et jure duo prae oculis habuimus, nimirum *a*) retinere ea quae ex jure romano scripserat P. Gury, et, suppressis quae dixerat ex jure gallico, *b*) addere in singulis quaestionibus solutiones ex **hispano** et **lusitano** jure necnon ex CC. propriis **Americae latinae**. Primum omnibus perutile, alterum vero, hispanis ac lusitanis necessarium, latino-americanis in plurimis utilissimum.

Etenim ea, quae ad jus romanum spectant, retinere opus fuit: tum quia adhuc in discutiendis juris canonici quaestionibus non semel jus romanum adhibere necesse est, imo et in *Cathalaunia* etiam in re civili jus romanum adhuc ut supplementarium viget; tum etiam quia sine aliqua juris romani notitia intelligi nequeunt moralistae et alii theologi saeculo elapso antiquiores, qui quaestiones plurimas ex jure romano, tunc fere ubique vigente, solve-

runt; tum denique quia etiam recentiora jura in multis ab ipso jure romano derivantur. Ne igitur quis illorum theologorum solutiones, quae solo positivo romano jure innitebantur, nostris indiscriminatim regionibus applicet, ubi tale jus omni vi obligante jam destituitur; cognoscat oportet quid leges romanae statuant in unaquaque quaestione, quid vero jus patrium pro eadem quaestione praescribat.

Quum ergo nostris in regionibus quaestiones in materia justitiae, non ex jure romano quod, excepta *Cathalaunia*, jam in conscientia non obligat; sed ex patrio jure solvendae sint, hinc necesse fuit solutiones ex jure hispano et lusitano quaerere. Quod etiam utile erit pro regionibus Americae latinae, non solum quia ut plurimum rationes similes sunt etiam pro legibus illarum regionum, sed etiam quia concordantia, vel discrepantia, nostri juris cum juribus illarum, frequentissime ac fere semper adnotatur.

647. Quaesita. — QUAER. 1.° *An hodiernae leges civiles in materia justitiae obligent in conscientia?*

Resp. Affirm. Leges enim civiles regulariter obligare in utroque foro, non modo sententia est communis catholicorum, sed etiam saltem fidei proxima dicitur a *Suárez* (De legibus, *lib.* 3, *c.* 21, *n.* 5 *seq.*), nam fere aperte colligitur ex illo Pauli ad Roman., XIII, 2: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Unde *S. Thomas* ait: «Dicendum quod leges positae humanitus... si quidem justae sint, habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantur secundum illud Prov., VIII, 15: *Per me reges regnant et legum conditores justa decernunt*» (1, 2, *q.* 96, *art.* 4). Secus, ut bene advertit *Lugo* (De just., *d.* 7, *art.* 6), civiles leges non ad sedandas sed ad illaqueandas conscientias deservirent (vide dicta *n.* 169). Atqui nulla est ratio cur haec omnia intelligenda non sint pari ratione de hodiernis legibus civilibus, praesertim in materia justitiae. (Cfr. *Suárez*, l. c., *cap.* 21 et 22, *Santi-Leitner, l.* 1, *tit.* 35, *n.* 8; *Pezzani*, Codex Ecclesiae catholicae, in canon. 803; *Il Monitore*, *vol.* 10, *p.* 2, *pag.* 43). Ergo... — V. **Casus**, *n.* 127 *seq.*

Quare communiter auctores tenent obligare in conscientia leges civiles: *a*) quae jus aliquod vel concedunt, v. gr. patri usumfructum in bonis filiorum, vel restituunt, v. gr. minoribus rescissionem contractuum; *b*) quae statuunt vel quibus formalitatibus perfici contractus debeant ut validi sint, vel quo probationum genere in jure uti oporteat.

Diximus *regulariter*, excipiendae enim sunt: *a*) leges quae sint omnino contra legem naturalem, vel contra legem ecclesiasticam (in materia Ecclesiae nativi juri subjecta); *b*) leges mere poenales. (Cfr. *nn.* 169 *et* 205). Has enim conscientiam non ligare manifestum est. *D'Annib.*, I, *n.* 206; *Alsina*, I, *n.* 86; *Génicot*, *n.* 464; *Marres, not. pr.*, *n.* 17; *lib.* 1, *nn.* 294 *bis*, 367; *lib.* 3, *n.* 29; *Santi-Leitner*, l. c.

QUAER. 2.° *An leges, quae actionem in foro externo denegant, etiam in conscientiae foro obligent?*

Pro hac et sequenti responsione nota certum esse legislatores posse contractus sibi subjectos irritare in utroque foro, et ante omnem judicis sententiam; difficultas tota est in eorum mente interpretanda, an scilicet de facto voluerint irritos ante omnem judicis sententiam, vel solum ad petitionem partis, vel tantum negaverint actionem in foro externo ne forum litibus impleatur Cfr. *Suárez*, De legibus, *l.* 5, *c.* 19 *seq.*, 31 *seq.*; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 247, *nota* 56.

His igitur suppositis,

Resp. 1.° *Neg.*, si denegent actionem ad prosequendum *jus quod a lege naturali profluat.* Tunc enim valent tantum pro foro externo, ne forum litibus impleatur (infra, *nn.* 720, 725), *nisi clarissime appareat hujusmodi leges etiam obligationem naturalem sustulisse. Lugo*, De just., *d.* 22, *n.* 55.

Diximus nisi clarissime appareat hujusmodi leges etiam obligationem naturalem sustulisse. Potest enim lex humana, *sic exigente bono publico*, impedire quominus obligatio naturalis oriatur, vel etiam obligationem ortam auferre. Primum patet in lege irritante, alterum in praescriptione. Nec dicas, legem humanam non posse auferre jus, quod concedit ipsa natura. Nam respondetur, hoc verum esse de jure, quod natura concedat in *sensu composito legis humanae*, non vero de jure, quod concedit *in sensu diviso*, quodque bonum publicum exigit ut per legem auferatur. Cfr. *Suárez*, De legibus, *l.* 2, *c.* 14, *n.* 14 *seq.*; *Vermeersch*, De just., *n.* 326 *seq.*; *Van Gestel*, De just. et lege civili, *n.* 65; *Santi-Leitner*, l. c.; *Sebastianelli*, De rebus, *n.* 351.

Resp. 2.° *Affirm.*, quoties jus profluat ab ipsa lege positiva civili vel canonica. Hoc in casu, si quis jus suum intra tempus a lege statutum non prosequatur, tum jus ipsius tum alterius obligatio lege adimitur. *Lugo*, De just., l. c., *n.* 296; *D'Annib.*, l. c.; *Alsina*, l. c.

QUAER. 3.° *An leges civiles, quae conscientiam ligant, id faciant ante vel tantum post judicis sententiam?*

Resp. Si leges sint *directe* determinativae proprietatis, i. e. si procedant definiendo et stabiliendo dominium, obligant ante judicis sententiam; si vero immediate *respiciant actus* quibus proprietas ab uno in alium transfertur, i. e. si procedant impediendo dominii jam habiti translationem, tunc auctores in plures abeunt sententias, ut dicitur *n.* 919. *Génicot*, l. c.; *Van Gestel*, *n.* 61.

Directe determinativae proprietatis sunt, v. gr. quae domino assignant dimidiam partem thesauri; patri, usumfructum quorumdam bonorum filii suae potestati subjecti; possessori bonae fidei, quosdam fructus; auctori operis, proprietatem litterariam, etc.; heredi-

bus ab intestato, portionem hereditatis: (*probabilius*) filiis et aliis, legitimam. Cfr. *Van Gestel*, l. c. Vide tamen infra, *n.* 974.

648. - **Regulas quasdam** assignabimus, quae in praxi teneri possunt.

I.ª Si actus vel contractus, qui a lege civili dicitur nullus, careat etiam iis requisitis, quae essentialia sunt *jure naturae*, nullus etiam in conscientia habendus est ante omnem judicis sententiam. Hujusmodi sunt contractus hominis ebrii vel amentis, vel in quibus deest consensus, etc.

II.ª Si actus vel contractus, jure naturae validus, a lege civili dicatur nullus *ob incapacitatem legalem* unius e contrahentibus, tunc generatim haberi potest uti validus in conscientia, donec rescissio invocetur ab eo in cujus favorem nullitas statuta sit. Ita expresse **bras.**, *a.* 152. In hoc censu habendi sunt contractus initi a minorennibus, ab uxoribus sine consensu mariti, etc. Hi vocantur nulli a Cod. civ. **arg.**, *aa.* 1075-1077 (1141-1143).

Idem tene de contractibus initis ex *metu*, *errore*, *dolo*, quique vocantur *annullabiles* (*anulables*) jure **arg.**, *aa.* 1079 (1113), 1080 (1114).

Hujusmodi contractus (de quibus in utraque parte hujus regulae II.ªe agimus) appellantur *nulli* jure **hisp.-ph.**, *a.* 1261 *seq.*; **lusit.**, 600 *seq.*, 299, 687 *seq.*; **bras.**, 145; vel annullabiles, **hisp.-ph.**, *a.* 1300 *seq.*; **bras.**, 144, 148, 154; *nulli*, *nullitate relativa* in CC. civ. **aeq.**, *aa.* 1672, 1674; **chil.**, 1682, 1684; **col.**, 1741, 1743; **cost.**, 836, 838; **nic.**, 1682, 1684; **Salv.**, 1668, 1670; **ur.**, 1534, 1535. Jure **per.** vocantur *rescindibiles; nulli vel rescindibiles*, jure **ven.**, *a.* 1076, *seq.*, 1269 *seq.*; *nulli* jure **mex.**, *a.* 420 *seq.*, 1296 *seq.*, 1664 *seq.*; *nulli* sed *non ipso jure*, ex Cod. civ. **guat.**, *a.* 1407 *seq.*, 1412, 1414; **bol.**, *aa.* 708, 898.

III.ª Si actus vel contractus, jure naturae validus, a lege civili dicitur nullus *ob defectum solemnitatum: a*) contrahentes non tenentur in conscientia illum exsequutioni mandare; *b*) si exsequutioni fuerit mandatus, poterit quis tuta conscientia ejus valori stare donec nullitas declaretur; *c*) accedente sententia nullitatis, huic sententiae standum erit etiam in conscientiae foro.

Et haec, saltem probabiliter, valent etiamsi in jure hujusmodi contractus pronuntientur *nulli nullitate absoluta*, ut faciunt CC. civ. **aeq.**, *aa.* 1672, 1673; **arg.**, 1078 (1112), 1081 (1115); **chil.**, 1682, 1683; **col.**, 1741, 1742; **cost.**, 835, 837; **nic.**, 1682, 1683; **Salv.**, 1668, 1669; **ur.**, 1534, 1535; **ven.**, 1279; vel dicantur *infecti*, et *qui nullum producant effectum*, ut facit *cod.* **per.**, *a.* 2278. Hi vocantur *invalidi* vel nulli ex cod. **mex.**, *aa.* 1322, 1323, 1679; *nulli* jure **bras.**, 145; **guat.**, 2364-2369.

In sensu hucusque exposito interpretandae sunt nullitates statutae sive in C. civ. **hisp.-ph.** et **lusit.**, sive in CC. **Amer. lat.**

Quod prae oculis habeas oportet cum horum Codicum articulos citatos reperias sive in hoc *Compendio*, sive in *Casibus*.

Excipe si bonum commune postulet ut lex, ante omnem sententiam judicis, in conscientia irritet ipso facto; tunc enim statim irritat.

«Ex hoc principio, ut absolute irritantes habendae sunt: *a*) leges quibus declaratur nullus actus, quo officio alicui naturali renuntiaretur» (v. gr. conventio, qua quis renuntiaret vel tertio transferret jus ad alimenta; quae conventio nulla declaratur a. 151 cod. **hisp.**); «*b*) irriti etiam sunt contractus de facienda re illicita, antequam actus illicitus positus sit; *c*) plane irritae sunt conventiones quibus derogatur juri aliorum, etiamsi forte hoc jus per solam legem civilem illis sit concessum; tales sunt *plerumque* contractus qui discordant legibus ordinantibus jura conjugum, successiones hereditarias, etc., si per ejusmodi contractus laederentur jura a lege concessa filiis.» *Van Gestel*, l. c., *n.* 76. Vide tamen infra, *n.* 974 (1).

Quae hic dicta sunt, *probabiliter* teneri possunt etiam quoad nullitates statutas a jure *romano* (Cfr. *Sotum*, De just. et jur., *l.* 4, *q.* 5; *Bañes*, 2, 2, praeamb. ad *q.* 62; *Laymann*, De leg., *c.* 17; *Van Gestel*, l. c., *nn.* 70, 80).

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIAE ET JURIS

CAPUT I

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS JUSTITIAE ET JURIS

ARTICULUS I

DE NATURA JUSTITIAE

649. — Definitio. *Justitia* latiori sensu significat aliquam aequalitatem, vel charitatem, aut virtutum universalitatem. Sic Christus ait, Matth., v, 6: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* In strictiori autem sensu est virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad jus suum alteri reddendum. De justitia sic accepta nobis agendum est.

---

(1) Cfr. *Villalón*, Tratado teológico legal de la justicia, *n.* 471 *seq.*, 480 *seq.*, *praes.* 486 *et* 488; *Lehmk.*, Theol. Mor., I, *n.* 1073, Casus, I, *n.* 1920; *Van Gestel*, l. c., *n.* 71 *seq.*, *praes.*, *nn.* 81-87; *Valenzuela*, Comp. del Código civ. (de **Col.**), *n.* 224 *seq.*; *Marres*, *l.* 3, *nn.* 26, 327.

Justitia itaque specialis virtus est, quae debiti solutionem urgere, et debitam aequalitatem inter omnes et singulos homines servare intendit. Ad ipsam igitur pertinet injuste ablata restituere, damnificata reparare, a fraudibus abstinere, fidem datam in pactis custodire; et cuique jus suum integrum servare.

Dicitur in definitione, *alteri*, quia justitia est semper *ad alterum*, atque adeo requirit personarum diversitatem; nemo enim justus erga seipsum dici potest, neque sibi facere injuriam, quae est laesio juris altero, invito. *Lugo, disp.* 1, *n.* 10.

650. — Divisio. Justitia quadruplex distinguitur, scilicet legalis, distributiva, vindicativa, et commutativa.

1.° Justitia *legalis* inclinat quemque ad jus suum reddendum societati, cujus est pars, seu principi jus suum propter bonum commune. Hinc subditum ad communitatem velut partem ad totum ordinat. Vocatur *legalis*, quia *legis* praesertim est ordinare ad bonum commune (*S. Thom.*, 2, 2, *q.* 58, *art.* 6); vel quia habet pro objecto id, quod debetur communitati juxta legem naturalem vel positivam. Ejus *objectum materiale* potest esse quilibet actus honestus utpote referibilis in bonum commune, *et secundum hoc, actus omnium virtutum possunt ad justitiam* (legalem) *pertinere* (*Ibid.*, *art.* 5), ideoque appellatur etiam *justitia generalis. Objectum* vero *formale* justitiae legalis est honestas quae relucet in procurando bono communi.

Haec justitia, ait *S. Thom.* (l. c., *art.* 6), *est in principe principaliter et quasi architectonice* (quatenus eum obligat ad leges ferendas pro communi bono obtinendo), *in subditis autem secundario et quasi administrative* (eos scilicet obligando ad has leges servandas).

2.° Justitia *distributiva* inclinat superiorem ejusve ministros ad *aequalem* seu justam distributionem onerum et bonorum. Hinc ordinat communitatem seu superiorem ad subditos, velut totum ad partes. Est igitur formaliter in superiore, sed etiam potest esse in subditis, quibus distribuitur, in quantum scilicet sunt contenti justa distributione (*S. Thom.*, 2, 2, *q.* 61, *art.* 1, *ad* 3). Et notandum venit cum *Lugo* (De just. et jure, *d.* 1, *n.* 45) quod «justitia *distributiva* in suo objecto quaerit aequalitatem secundum proportionem *geometricam*, non secundum arithmeticam, hoc est, attendit ad aequalitatem inter duas proportiones; nam *commutativa* respicit aequalitatem inter rem et rem, quae dicitur aequalitas *arithmetica;* distributiva vero attendit ad aequalitatem proportionum; ut si sunt duo, quorum unus habet meritum ut quatuor, alter ut octo, posterior excedat priorem in distributione secundum duplum, ita ut si prior accipit viginti, posterior accipiat quadraginta». (Vide etiam *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 61, *art.* 2).

3.° Justitia *vindicativa* inclinat principem ad sontes poenis congruis pro societatis bono plectendos. Consistit igitur in congrua punitione reorum in bonum publicum.

4.° Justitia *commutativa* inclinat voluntatem ad jus suum strictum unicuique privato reddendum, servando aequalitatem rei ad rem. Haec spectat privatos, ut a se invicem distinctos. Potest tamen intercedere inter privatum et communitatem, sed tantum ubi communitas se habeat instar hominis privati, v. gr. si subditus communitati pecuniam det mutuo, vel si damnum per furtum inferat publico aerario. Vocatur autem *commutativa*, quia circa commutationes et contractus praecipue versatur.

De hac sola agemus, quia sola presso sensu nomen justitiae sibi vindicat. Etenim justitia *distributiva* a propria et stricta justitiae ratione in eo deficit, quod non respiciat *jus stricte sumptum*, sed *quamdam condignitatem* ad partem quamdam bonorum communium accipiendam, et ideo, ut infra dicetur, ejusdem justitiae laesio per se non infert onus restitutionis. *Legalis* vero a justitia proprie dicta etiam in eo discedit, quod non sit omnino *ad alterum;* neque enim communitas a membris suis distinguitur, atque adeo haec justitia non ita respicit bonum commune, ut a bono operantis praescindat. *Ball.*, h. l.

ARTICULUS II

DE NATURA JURIS

651. — Definitio. Nomine *juris*, presse sumpti, et quod ad praesens attinet, intelligitur vel *id, quod alteri debetur*, *justumque* dici solet aut *aequale*, et sic est objectum quod justitia intendit, quodque ipsa cuique tribuit; vel accipitur pro titulo, quem justitia respicit ex parte alterius, seu propter quem vult suum cuique tribuere, et sic est *potestas ad aliquid* obtinendum, aut possidendum *in proprium commodum*. Quae duae significationes, cum sint correlativae, propterea penes quosdam nomen obtinuere juris *passivi* et juris *activi*, priori forma significando, quod debetur, posteriori autem rationem seu titulum debiti sive exigentiae. Diximus *in proprium commodum*, quibus verbis exprimitur discrimen inter id quod alicui debetur *ex jure stricto*, et id quod alicui deberi potest ex obedientia, ex fidelitate vel ex amicitia. Unde recte notat *Lugo* (De just. et jure, *d.* 1, *n.* 6), «non quamcumque praelationem in ordine ad aliquam rem esse jus illud quod respicit justitia commutativa, sed praelationem qua in usu talis rei debet hic homo aliis praeferri, quia scilicet *propter peculiarem connexionem quam res habet cum eo, tota debet* ad ejus utilitatem referri et ordinari: quae quidem ordinatio potissimum significatur quando aliquid dicitur meum et tuum». Vide etiam *nn.* 7-17, ubi hanc doctrinam ab objectionibus vindicat.

652. — Sensu autem latiori, vox *jus* sumitur 1.° pro peritia legis

seu jurisprudentia; 2.° pro lege seu regula justi, et sic dicitur jus naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, jus gentium, etc; 3.° pro sententia judicis, et inde vox *judex*, quasi jus dicens; 4.° pro re quae alteri ex quovis titulo debetur, et tunc est jus passivum, seu juris objectum; 5.° pro ipso titulo rei debitae, sic v. gr., nativitas filii dicitur jus ejus ad legitimam paternam percipiendam.

653. — Divisio. Jus praecipue dividitur in jus in re, et jus ad rem.

1.° Jus *in re* est illud vi cujus *res ipsa* manet nobis immediate devincta et obligata. Tale est jus emptoris in re empta ex jure gallico, et empta atque tradita ex jure romano et *hispano*. Hoc jus confert actionem realem, quae scilicet rem ipsam immediate attingit; quocirca quisquis hoc jure gaudet, rem suam repetere potest quocumque transierit. Hinc vocari etiam solet *jus reale*.

2.° Jus *ad rem* illud est, quo non res ipsa immediate, sed persona manet nobis devincta et obligata ad rem illam nobis tradendam. Dat igitur actionem personalem, seu actionem immediatam in personam quam cogere possumus ad rem nobis praestandam, v. gr. per sententiam judicialem; unde dicitur *jus personale* vel etiam jus in *personam*, quia personam immediate attingit.

Contractus *promissionis* confert tantum jus *ad rem*. *Titulus* item emptionis, ex jure romano et hispano, ante rei traditionem confert tantum jus ad rem.

Jus in re facit rem jam *suam; jus* vero *ad rem* tribuit ut *res fiat* sua.

ARTICULUS III

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS ET JUSTITIAE

§ I. *De principiis generalibus juris.*

PROPOSITIO I

Deus solus est vere et absolute dominus omnium.

654. — Res perspicua est. Etenim Deus solus est vere et absolute omnium dominus, cum ab ipso solo res omnes suum esse, exsistere, agere, conservari ac perfici habeant. Hinc Ps. XXIII, 1, dicitur: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Hinc 1.° nullum ens creatum potest esse vere proprietarium respectu Dei; cum nullum ens creatum sit independens a Deo, et quidquid sit et habeat, a solo Deo repetere debeat.

2.° Nullum propterea ens creatum potest uti re qualibet tamquam absolute sua; ens enim creatum non est principium exsistendi erga ens aliud creatum, sed omnia sunt absolute Dei solius.

3.° Proinde jus proprietatis enti creato inesse nequit, nisi a solo Deo; secus enim ens creatum habere posset aliquid ab alio ente independente a Deo, quod absolute repugnat. *Lugo, disp.* 2, *n.* 4.

PROPOSITIO II

Homo potest esse proprietarius erga alium hominem.

655. — *Prob.* Homo potest esse proprietarius respectu aliorum, si nihil obstet neque ex parte ipsius hominis, neque ex parte objectorum possidendorum, neque ex parte Dei. Atqui haec certa sunt. Ergo... (Infra, *n.* 670).

1.° *Ex parte hominis.* Etenim homo quilibet quoad esse suum est independens ab alio homine; individuus enim quilibet a solo Deo esse suum recipit et recipere potest; ergo a nullo alio impediri potest, quin proprietarius fiat.

2.° *Ex parte objectorum.* Quia dantur objecta 1.° de se apta ad providendum sive necessitatibus, sive justis vitae oblectamentis, qualia sunt bona fortunae, honoris, etc.; 2.° libera a jure alieno, ut sunt bona nondum possessa, aut derelicta, vel ab aliis concessa.

3.° *Ex parte Dei.* Quippe non solum Deus non prohibuit homini res terrenas sibi proprias facere, sed e contrario ipse res ita ordinavit, ut ipsius dominio subjicerentur, prout constat ex natura bonorum illorum, ex hominis exigentia, necnon ex jure positivo divino. Sic v. gr. dicitur Gen., I, 28: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.*

Hinc a mundi initio primaevi homines potuerunt pro suo libito bona externa ad suos usus applicare, ut ex sacra Scriptura constat. Unde prima bonorum divisio non facta est jure gentium, ut volunt plures. Aliunde consensus omnium ad divisionem terrae est quid mere gratuitum, non historicum. Cfr. *Leonis XIII* Encycl. *Rerum novarum.*

PROPOSITIO III

Si homo quilibet bona quaedam legitime sua fecerit, in illa jus per se inviolabile acquisivit.

656. — *Prob.* Homo bona externa sua facere non potuit, nisi Deo ita ordinante ad sublevandam naturae humanae indigentiam,

ut ex dictis constat. Atqui non potuit Deus ita res ordinare, nec homini jus possidendi proprium largiri, quin simul statuerit, praedictum jus violari non posse. Ergo...

657. — Hinc 1.° datur *praeceptum naturale* a Deo ipso promulgatum atque sancitum, vetans ne jus alterius laedatur, et praecipiens ut, quando laesum fuerit, in integrum restituatur. Ex dictis enim jus proprietarii est per se inviolabile, Deumque habet naturalem sui auctorem atque sponsorem; sed haec inviolabilitas pessumdaretur, nec Deus ejus naturalis auctor et sponsor censeretur, nisi ipse imponeret sanciretque praeceptum naturale, ipsum conservari jubens et perturbari vetans. Ergo...

2.° Qui injuste rem alienam usurpat, reus fit tum erga proximum, tum erga Deum: 1.° quidem *erga proximum*, siquidem laedit independentiam proximi naturalem, et necessario inviolabilem in bonis justo titulo possessis; 2.° *erga Deum*, violando jus divinum proximo communicatum, et simul praeceptum naturale jus praedictum observari jubens.

658. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *Quomodo facta sit primaeva bonorum divisio?*

Resp. Certum est, in prima rerum origine bona fuisse communia. Adamo enim et ejus filiis terram Deus absque ulla divisione concessit. Constat pariter, divisionem ex primaeva aetate factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius. Patet ex Gen., *cap.* IV, 4, ubi dicitur Abel obtulisse Deo de primogenitis *gregis sui.*

Quomodo autem facta fuerit bonorum divisio, varii varia de hoc excogitarunt systemata. Alii enim hanc divisionem repetunt ab auctoritate paterna; alii ex conventione facta inter homines, vel a jure gentium; alii ex auctoritate civili; alii tandem communius ex simplici occupatione rerum communium, id est, nondum occupatarum. Hoc ultimum verisimilius omnino apparet. Videtur enim ille modus divisionis bonorum, nempe per occupationem, valde naturalis et facillimus, dum alii difficultatibus non paucis subjiciuntur. Conventio praesertim mutua hominum coadunatorum videtur chimaerica et moraliter impossibilis. Legislatio autem civilis et jus gentium post divisionem, maxima saltem ex parte, jam peractam subsecuta sunt.

Quidquid sit de origine proprietatis, certum est jus dominii de se inviolabile exsistere 1.° de jure naturae; nam eo sublato subverteretur societas; 2.° de jure divino, ut patet ex septimo et decimo praecepto Decalogi: *Non furtum facies.* — *Non concupisces domum proximi tui...* Exod., XX, 15-17, etc.; 3.° ex lege ecclesiastica et civili, ut ex utriusque fori legislatione comprobatur.

659. — Quaer. 2.° *Quid sentiendum de systemate* communistarum *seu* socialistarum *circa bonorum divisionem?*

Resp. Systema istud est impium, societati summe noxium, et in se absurdissimum.

1.° *Est impium*, quia sapientissimum rerum ordinem a Deo statutum ac sancitum penitus tollit, suavem divinae Providentiae oeconomiam funditus subvertit, et male hominibus provisum esse arroganter decernit.

2.° *Est societati summe noxium.* Ejus enim totalem subversionem inducit, dum jus proprietatis, sine quo societas humana stare nequit, de medio tollit.

660. — 3.° *Est in se absurdissimum.* Etenim perfecta divisio bonorum inter homines est omnino impossibilis, et proinde stulta est ac ridicula inventio. Quid enim absurdius et impossibilius, quam illa aequalis inter omnes rerum distributio, et praesertim illius stabilitas? Esto enim quod peracta fuerit: quamdiu, quaeso, perdurabit? Nonne otiositate, ludo, crapula, prodigalitate, imperitia, hebetudine, vel contra ambitione, industria aut rapacitate, bono aut malo successo, destruetur illa aequalitas, statim ac stabilita fuerit?

661. — Sed ajunt quidam: Nulla fiat bonorum divisio, nullusque sit proprietarius, possideat omnia bona sola respublica, et cives sint operarii. Verum quale aderit laborantibus incitamentum? Quis laboris genus singulis assignabit? Quomodo victus quotidianus, et vestimentum omnibus subministrabitur? Nonne requiritur legio praepositorum? Sed jam non omnes igitur duris laboribus addicendi erunt. Quibusnam vero incumbet officium praepositorum vel subditorum? Quid de aegrotis, infirmis, senibus, pueris? Quid de familia? quid de officiis mutuis parentes inter et filios? Quomodo discernendi erunt veri infirmi ad laborem inepti ab innumeris qui impotentiam simulabunt? quid de commercio? de artibus? de litteris? de scientiis in societate necessariis, v. gr. juris, medicinae etc.? Quid igitur illa utopia absurdius? Nonne hoc ut absurditatum cumulus est habendum? Quid ergo de communismo dicendum est? Id quod de alio portento perhibuit Poëta: *Monstruum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

662. — Objiciunt communistae: *Terra pro omnibus fructus suos producit.* Ergo... *Rousseau.*

Resp. Sane terra fructus suos pro omnibus producit, et re ipsa omnes a mundi exordio de fructibus terrae victitarunt. Sed titulo aliquo legitimo, v. gr. emptione, commutatione, et imprimis labore et vultus sudore ejusmodi fructus acquirendi sunt. Ante omnia autem servanda est lex divina: *Non furtum facies.*

663. — Inter patronos doctrinae *socialistarum* ardentissimos eminet *Proudhon* stupendo hoc effato famosissimus: *Proprietas est furtum* (*La propiedad es un robo*).

§ II. *De principiis generalibus justitiae.*

PROPOSITIO I

Justitia commutativa obligat sub gravi, et cum onere restitutionis.

664. — *Prob.* I.ª *pars.* Nam justitiae commutativae proprium est servare cuique jus suum. Atqui juris alieni violatio *per se*, seu ex genere suo, gravem inordinationem dicit; ergo, etc. Dixi *per se;* quia hac in re materiae parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est.

Prob. II.ª *pars.* Nam justitia respicit aequalitatem rei ad rem; atqui hujus laesio non potest reparari, nisi per restitutionem. Quamdiu igitur manet inaequalitas, manet obligatio illam reparandi; et laedens peccat servando inaequalitatem, sicut peccavit eam violando.

PROPOSITIO II

Ceterae justitiae species per se obligant etiam sub gravi, sed non cum onere restitutionis.

665. — *Prob.* I.ª *pars.* Etenim laesio earum inordinationem gravem inducit, cum graviter necessario societatis ordini noceat.

Prob. II.ª *pars.* Etenim non obligant sub onere restitutionis, si earum laesio jus strictum nullius violet. Atqui ita est: nam justitia *distributiva*, ut diximus *n.* 650, non respicit jus strictum, sed *quamdam condignitatem* tantum ad partem quamdam bonorum communium accipiendam; justitia vero *legalis* non est perfecte ad alterum, ut ibi etiam diximus, ideoque nec jus strictum respicit. Idem dicendum foret de violatione obedientiae, fidelitatis, amicitiae, ut patet ex dictis *n.* 651. Alias rationes vide apud *Lugo,* De just. et jure, *d.* 1, *nn.* 51-53.

Verumtamen aliae justitiae species saepe junguntur justitiae *commutativae*, et hujus laesio onus restitutionis inducit; sic restituere tenetur magistratus vel judex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quo in casu non solum reus est boni communis, ad quod justitia legalis inclinat, praetermissi; sed etiam violati contractus, quo assumendo officium se *implicite* obligavit ad damna subditorum praecavenda.

666. — Hinc 1.º Princeps non potest sine causa gravissima per legem tollere a subdito rem suam, seu jus acquisitum; quia nihil potest circa bona privatorum, nisi quid ratio boni communis omnino exigat.

2.° Potest tamen princeps, vi *dominii alti* (de quo infra, *n.* 668), si quando id requiratur, ad commune bonum, rem a subdito tollere; quia jus ad finem importat necessario jus ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit, ut aliquis re sua privetur, v. gr. agro pro via publica construenda, etc. Sed tunc princeps, in quantum fieri potest, ad justam compensationem tenetur; quia aequum non est, ut unus spolietur, aliis intactis, prout ex jure naturali et positivo constat.

667. — **3.°** Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit; quia non violat jus strictum dignioris, nec communitatis, quae aliud exigere nequit, nisi ut indigni officiis arceantur. *S. Alph., lib.* 4, *n.* 107, contra aliquos. — Secus vero, si in singulari concursu superior minus dignum digniori praeferret; quia in simili concursu intervenit pactum, ex quo *jus strictum* digniori competit. Cfr. infra, *n.* 807, *resp.* 3.°

4.° Non tenetur ad restitutionem superior, qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem jure suo privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem.

5.° Tenetur ad restitutionem erga communitatem superior, qui officiis publicis indignos destinat; quia *ex quasi contractu* tenetur bonum communitatis promovere. Imo tenetur etiam ad restitutionem erga privatos, qui ex indignis ministris damnum injustum in bonis fortunae patiuntur.

CAPUT II

DE PRAECIPUIS JURIS SPECIEBUS

Praecipuae juris species sunt: dominium, usus, usufructus et servitus.

ARTICULUS I

DE DOMINIO

668. — Definitio. *Dominium* proprietatis seu jus proprietatis est facultas legitima disponendi de re aliqua tamquam sua. — Quidam huic definitioni addunt: *nisi lege prohibeatur;* quibus verbis significatur illam plenam disponendi facultatem posse *impediri*, praesertim per legem civilem, ita ut dispositio sit illicita et aliquando etiam invalida: sic, v. gr. pupillis, minoribus, etc., lex non permittit liberam suorum bonorum alienationem, qui tamen ple-

num dominium servant, quia prohibitio legis non minuit eorum dominium, sed tantum impedit ejus usum. Cfr. *Lugo*, l. c., *d.* 2, *sect.* 1, *praes. nn.* 3 *et* 5; *Bucceroni*, I, *n.* 838; *Génicot*, I, *n.* 465. Quae definitio, cum hac vel simili clausula, est eadem quam tradunt Codices civiles **hisp.-ph.**, *a.* 348; **lusit.**, 2167; **aeq.**, 571; **bol.**, 289; **chil.**, 582; **guat.**, 513; **mex.**, 729; **per.**, 460; **ur.**, 439; **ven.**, 456.

Divisio. Dominium praecipue dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, prout est jus disponendi tum de re ipsa, tum de ejus utilitate, aut de alterutro tantum.

Imperfectum autem subdividitur in *directum* et *indirectum* seu *utile*, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam ejus utilitatem.

Communiter distinguunt etiam dominium *altum* et *humile*. Prius dicitur jus, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando ex gravissima causa de bonis privatorum in bonum communitatis, ut superius, *n.* 666, dictum est. Posterius est dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

Ceterum dominium *altum* non est dominium proprie dictum, seu non est verum dominium proprietatis, cum respublica *per se* non habeat jus strictum in bona subditorum. Sed dominium illud medium quoddam tenet inter *dominium proprietatis* et *dominium jurisdictionis* (quod definitur legitima facultas gubernandi subditos in ipsorum commodum). Poterit ita dominium *altum* definiri: Legitima facultas, quae reipublicae competit, eas restrictiones exercitio juris proprietatis apponendi, quas boni communis necessitas sive utilitas exigat, ita ut vi illius etiam privati cogi possint ad ipsum rerum suarum dominium in publicam utilitatem abdicandum. Igitur ut haec facultas intra limites justitiae contineatur, opus est: 1.° ut privati non cogantur abdicare rerum suarum dominium nisi id manifesto exigente publica necessitate vel saltem utilitate; et consequenter non ultra limites illius necessitatis vel utilitatis.

2.° Ut privatorum damnum quantum fieri possit perfecte compensetur. (Supra, *n.* 666).

Has conditiones exigunt nostri Codices. Sic C. C. **hisp.-ph.**, *a.* 349: «Nemo poterit proprietate privari sua nisi a competente auctoritate, ex causa comprobata utilitatis publicae, et justa praecedente compensatione. Quod si haec compensatio non praecesserit, judices defendent, et si opus sit, in possessionem restituent sic exspoliatum». [Cohaerent CC. CC. **bol.**, 290; **mex.**, *a.* 730; **ur.**, 445; **ven.**, 458. Item Const. **arg.**, *a.* 17, et C. Civ., *a.* 2545 (2579); Const. **chil.**, an. 1833, *a.* 12, inc. 5.° (apud *Villalón*, l. c.); Const. **col.**, *a.* 32; Const. **per.**, *a.* 26, C. C. *a.* 462; C. proces. civ., *a.* 1513 *seq.*].

Quoad **Hispaniam** cfr. praeterea legem sic dictam de *Expropiación forzosa*, 10 jan. 1879, quae in *a.* 36 statuit ut praeter pretium

ipsius rei a peritis definitum, solvendum erit sic coactam cessionem facienti, 3 % quasi pretium *affectionis* erga rem. Quod si pretium indemnitatis statim non solvatur, administratio solvere debet auctarium 4 % donec pretium solvat (Sent. Tr. S., 13 jul. 1898, 13 dec. 1904).

Agendum 1.° de objecto; 2.° de subjecto; 3.° de acquisitione dominii.

§ I. *De objecto dominii.*

669. **Principia.** — I. Homo habet dominium *utile* bonorum quae sibi intrinseca sunt, nempe animae et corporis. Ideo potest absque ullius injuria iis uti ad propriam utilitatem, et in omnem usum a lege non prohibitum.

Non habet tamen dominium *directum* horum bonorum. Constat ex Scriptura sacra; sic Sap., XVI, 13: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* — Item Deut., XXXII, 39: *Ego occidam, et ego vivere faciam.* — Constat etiam ex lege naturali, ut diximus ubi de quinto Decalogi praecepto, *n.* 487 *et seq.*

670. — II. Homo habere potest dominium *utile* et *directum* in bona externa fortunae legitime acquisita. — Constat 1.° *quoad dominium utile,* quia ex una parte bona haec apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus juri divino et humano non adversatur; quinimo Deus ipse praedictorum bonorum saltem utilitatem permisit his verbis, Gen., I, 28: *Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli,* etc. — Et Psal. VIII, 8: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* — Constat 2.° *quoad dominium directum,* quia facultas applicandi bona fortunae ad usus suos nullo jure restringitur; imo expresse permittitur jure humano, ut patet ex variis legibus circa jus possidendi, et jure divino in allatis verbis: *Dominamini,* etc. (Supra, *nn.* 655, 657).

671. Quaesita. — QUAER. 1.° *An homo habeat dominium suae famae?*

Resp. Affirm., juxta sententiam communem; nam etiam circa famam homini competunt primarii actus dominii, ut eam labore acquirere, ejus restitutionem condonare, etc. Ergo... Attamen prudentia exigit, ut non eam prodigat sine justa ratione, et aliquando tenetur *sub gravi* eam sedulo servare ratione scandali, damni familiae removendi, etc. *S. Alph., lib.* 3, *n.* 983; *Billuart, diss.* 3, *art.* 2.

QUAER. 2.° *An homo in alium hominem dominium habere possit?*

Resp. 1.° *Neg.,* quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit, ut constat ex dictis *nn.* 487, 654, 669.

Resp. 2.° *Affirm.,* quoad dominium *utile* seu hominis operas.

Ratio est, quia homo quilibet est dominus propriae operae; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et in dominium alterius tradere. Dominus enim pro arbitrio de objecto dominii sui disponere potest.

Hinc 1.° homo potest de jure naturali etiam in perpetuum se alteri vendere quoad dominium utile. Si enim potest alteri dominium sui utile conferre pro aliquo tempore, idem facere potest in perpetuum, siquidem cedere potest quidquid habet. 2.° *Per se* juri naturae non repugnat *servitus*, seu status subjectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri praestare.

Jure tamen **hisp.-ph.**, *a.* 1583, contractus, quo quis alteri per *totam vitam* operas suas locat, nullus est.

[Item jure **lusit.**, *a.* 1371; **aeq** , 1979; **arg.**, 1539 (2573); **bol.**, 1181; **bras.**, 1220; **chil.**, 1988; **col.**, 2046; **cost.**, 1169; **guat.**, 1755; **mex.**, 2435; **nic.**, 1988; **Salv.**, 1975; **ur.**, 1810; **ven.**, 1578].

672. — QUAER. 3.° *Ex quibus titulis induci possit servitus?*

Resp. Ex quatuor sequentibus titulis: 1.° *Ex pacto*, seu renuntiatione propria. Etenim non repugnat, ut quis renuntiet suae libertati ad propriam inopiam sublevandam, etc. 2.° *Ex jure belli.* Non enim repugnat, victorem hanc quandoque poenam infligere. Quandoque enim posset captivos occidere ob gentis securitatem; ergo *a fortiori* eos in servitutem redigere. 3.° *Ex delicto*, seu ex justa condemnatione. Etenim si reus potest damnari ad mortem, *a fortiori* ad servitutem; cum privatio vitae summa omnium poenarum merito censeatur. 4.° *Ex nativitate* in statu servitutis, quandoquidem de jure servi sunt, qui e servis nascuntur. Ita ex jure gentium juxta communem sententiam, *Lugo*, *disp.* 6, *nn.* 11 *et* 17.

673. — QUAER. 4.° *An licitum sit nigritarum commercium?*

Resp. 1.° Omnino illicitum est ex omni jure, quoties nigritae injuste libertate spoliantur, et turmatim ut vilia pecora a regionibus suis transvehuntur, et venduntur, ut fit in nefario eorum commercio (*trata de negros*). Contra tam immanem negotiationem prodiere variae constitutiones apostolicae, nempe *Pauli III*, *Urbani VIII*, *Benedicti XIV*, et nuper *Gregorii XVI*, in constitutione *In supremo apostolatus*, 3 decembris 1839, ut videre est apud folium publicum dictum: *Ami de la Religion, tom.* 103, *n.* 3219.

Resp. 2.° Si vero agatur de nigris aut aliis in legitima servitute exsistentibus, *per se* illicitum absolute non est, quia semel admissa servitute ut legitima, dominus verum jus in servos, seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere in alios valet. Dixi *per se;* obstare enim possunt circumstantiae, v. gr. si conjux a conjuge esset separandus, vel leges civiles id vetent, prout reapse generatim in Europa servitus interdicitur.

§ II. *De subjecto dominii.*

674. — Subjectum dominii est rei alicujus dominus, seu ille cujus est res aliqua. In terra omnis et solus homo est dominii capax, quia omnis et solus homo cognoscere potest jus et obligationem, et consequenter solus potest *velle* res, si nullius sint, sibi applicare *ut proprias*, «per voluntatem scilicet qua velit *retinere jus* ad rem ipsam, seu *obligare* alios ne eam auferant». (*Lugo*, l. c., *d.* 3, *n.* 1). Nec incapaces sunt dominii parvuli, nec ipsi amentes: habent enim intellectum et voluntatem; ergo juris proprietatis sunt natura sua capaces, quamvis per accidens ab eo per semetipsos exercendo sint impediti. Aliunde cum natura duce jus proprietatis necessarium sit, et ipsius naturae ordo exigat, ut dominia etiam sine actu voluntatis acquirentis in alium, etiam in eum qui nondum natus sit, transferri queant; sequitur leges humanas decernentes vices infantium et amentium, in *exercitio juris proprietatis*, gerendas esse a tutore vel curatore, nihil aliud efficere, nisi jus ipsum naturae explicare atque tueri. Cfr. *Lugo*, l. c., *n.* 14 *seq.*, *et. d.* 66, *nn.* 1-6.

Agendum speciatim de dominio 1.° filiorumfamilias, 2.° uxorum, 3.° clericorum, 4.° auctorum. De dominio autem religiosorum dicetur in *tract. de statibus*, ubi de voto paupertatis.

PUNCTUM I

De dominio filiorumfamilias.

675. — Filiifamilias proprie hic dicuntur illi, qui ex legitimo matrimonio orti, cujuscumque sint sexus, adhuc paternae potestati subjacent.

Diversi generis sunt bona filiorum, juxta diversa populorum statuta.

Ex jure romano distinguuntur bona 1.° *castrensia*, id est, occasione militiae acquisita; 2.° *quasi castrensia*, seu acquisita ex aliquo officio civili, v. gr. judicis, medici, etc.; 3.° *profectitia*, quae filius ex bonis paternis lucratur, v. gr. agendo negotiationem cum pecunia patris; huc spectant etiam bona, quae filio dantur patris intuitu; 4.° *adventitia*, quae filio proveniunt aliunde quam a bonis paternis, nisi donata sint filio intuitu patris.

676. Principia *ex jure romano.* — I. Filius habet perfectum dominium bonorum *castrensium* et *quasi castrensium* (**lusit.**, *a.* 147); impubes tamen eorum administrationem non habet.

II. Pater habet dominium perfectum *profectitiorum*, dummodo filius sit sub paterna potestate: si enim filius emancipatus sit, quod ipsi patris intuitu donetur, non computatur inter bona profectitia. Potest tamen filio usumfructum profectitiorum cedere.

677. — III. Filius habet dominium proprietatis in *adventitia*,

pater vero usumfructum et administrationem (**lusit** , *aa.* 145-146), si quosdam casus excipias in quibus etiam ad filium devolvitur ususfructus, ut videre est apud *Lugo*, l. c., *d.* 5, *n.* 23 *seq.* Si tamen sint consumptibilia, pater de ipsis potest disponere, sed cum onere restitutionis, prouti generatim in casu dominii sic divisi fieri solet.

IV. Si filius negotiatus est bona paterna nomine patris, lucrum est profectitium; si vero nomine proprio, adventitium est. In dubio autem an lucrum venerit ex bonis patris vel alterius, ut profectitium habendum est, quando filius bona paterna administraverit. *S. Alph., ibid.*

V. Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam paternis, lucrum est adventitium; lucrum vero filii laborantis in domo paterna et a patre nutriti, profectitium est. *S. Alph., ibid.*

* *Jure* **hispano** (1): 1.° Pater et, in ejus defectu, mater administrationem habent in bona filiorum, qui sub eorum potestate sunt, *a.* 159. (Etiam CC. **arg.**, 327 (293); **bol.**, 191; **bras.**, 385; **per.**, 287, 5.°; **ven.**, 247).

2.° Bona castrensia et quasi castrensia ab *adventitiis* non distinguuntur, et in haec tria bonorum genera (sicut in quaecumque alia quae filius labore suo vel industria acquirat, aut etiam titulo quocumque lucrativo) filius *non emancipatus*, qui in parentum potestate et convictu vivat, *nudam proprietatem*, pater vero administrationem habet et usumfructum (**bol.**, 191; **ven.** *a.* 246). Quod si filius de consensu parentum independenter ab ipsis vivat, quoad haec bona reputabitur emancipatus et habebit dominium, usumfructum et administrationem, *a.* 160 (**lusit.**, 147; **bol.**, 193; **ven.**, 248, 4.°).

3.° Bona illa *profectitia*, quae filius ex paternis bonis lucratur, patri in perfectum dominium cedunt, sicut in jure romano; sed si parentes filio expresse concedant totalitatem vel partem lucri ab ipso obtinendi, tale lucrum in hereditatem non computabitur, *a.* 161 (CC. CC. **lusit.**, 144; **bol.**, 191; **ven.**, 246).

4.° Bona seu reditus filio dati vel legati pro expensis educationis et instructionis, ad ipsum pertinent; *praeter administrationem*, quae erit penes patrem vel matrem, nisi in donatione vel legato aliud cautum fuerit., *a.* 162 (CC. CC. **lusit.**, *a.* 146; **ven.**, 248, 2.°). Confer praeterea infra *n.* 970, *N. B.*

5.° Pater *nec alienare nec gravare* potest filiorum bona immobilia, nisi ex causa comprobata utilitatis vel necessitatis, et facultate a judice domicilii (2) accepta, *a.* 164 [**lusit** , *a.* 150; **aeq.**, 249; **arg.**,

---

(1) Jure **phil.** administratio bonorum filiorumfamilias pertinet ad tutorem designatum a judice, qui poterit designare patrem vel aliam personam. Ususfructus pertinet ad filium, sed debet solvere expensas omnes suae sustentationis (*a.* 553 *seq. Cod. process. civil.*).

(2) Quinam sit judex domicilii eruendum est ex lege dicta *de Enjuiciamiento civil*, *a.* 64. — Pater tamen repudiare potest hereditatem filio minori relictam,

331 (365); **bras.**, 386; **chil.**, 255; **col.**, 303; **cost.**, 133; **guat.**, 297, et *a.* 92 *de la ley de reform. del C. C.*; **mex.**, *a.* 382; **nic.**, 258; **per.**, 295, 1095, item C. proces. civ., *aa.* 1527, 1532; **Salv.**, 302; **ur.**, 249; **ven.**, 242].

6.° Patres in bona filiorum quos legaliter recognoscunt (*aa.* 119, 129 et 138) vel adoptant, usumfructum non obtinent (**ven.**, *a.* 247); imo neque administrationem habebunt, nisi data cautione (*fianza*), *a.* 166.

678. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio apposita fuerit, v. gr. ad usum determinatum, ut esset pecunia ad libros emendos, etc.

Resp. 2.° Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc., filius non habet generatim nisi dominium utile, quia parentes fere non aliud ipsi conferre intendunt.

QUAER. 2.° *An filius censeatur renuntiare usuifructui, ad quem jus habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo. Ratio est, quia silentium in tantum aequivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset; jam vero quin id facile possit, plerumque metus reverentialis obstat. *Communis.*

679. — QUAER. 3.° *An filius habeat dominium eorum, quae in domo paterna lucratur?*

Resp. 1.° *Affirm.*, in casibus seq.: 1.° si sit emancipatus; 2.° si laboret nomine proprio; sed tunc pater non tenetur eum alere; 3.° si non teneatur ex conditione sua laborare; 4.° si excessu *extraordinario* plus ceteris fratribus operis et laboris impendat.

Resp. 2.° *Neg.* autem, 1.° si labor filii sit necessarius ad vitam parentum sustentandam; 2.° si parvum lucrum faciat, quia vix expensas a parentibus pro se factas adaequaret.

Resp. 3.° *probabilius neg.* etiam, praeter praefatos casus, si filius laboret et lucretur sat notabiliter prae fratribus, non tamen excessu extraordinario; quia filius tum censetur agere ut membrum familiae, et sic lucrum omne bono familiae cedere debet. — Aliunde pax familiarum postulat, ne plus aequo cupiditati filiorum indulgeatur, quo janua litibus innumeris praecludatur. *S. Alph.* (*saltem practice*), *nn.* 488 *et* 544; *Billuart, Laymann, Gousset, n.* 684.

Attamen sat *probabilis* apparet sententia opposita, quia filius non est pejoris conditionis, quam famulus. Sed lucrum illud filius repetere non deberet *per se* ante mortem patris, cum difficile sit

---

quin ad hoc opus habeat licentia judicis (S. T. S. 12 jun. 1906; Resol. de la Dir. Gen. del Reg., 13 jul. 1911: apud *Alcubilla*, Ap. de 1907, *pag.* 631; de 1911, *pag.* 581).

antea adjudicare, utrum filius passus sit damnum, necne. Ita *Pontas*, verbo *Compensation; Lessius, l.* 2, *c.* 12, *n.* 81; *Elbel, n.* 77; *Collet, c.* 2; *Bouvier, c.* 2, *art.* 2; *Carrière, n.* 244; *Vernier, n.* 340; *Ituriaga, t.* I, *cas.* 3. — V. **Casus**, *n.* 498 *et seq.*

Ceterum in praxi *prudenter suadenda* prima sententia, saltem ante factum, ob hallucinationis periculum. Insuper perpendendae sunt circumstantiae, in quibus versantur tum filius tum ejus coheredes, ut judicetur, quid aequalitas juris stricti requirat.

Secunda vero sententia, licet aliquando in praxi teneri saltem post factum possit, tamen minime publice docenda est propter incommoda, quae per abusum inde sequerentur. *Ita Bouvier, ibid.; Carrière, ibid.* — Idem dicendum de prima sententia, propter gravius incommodum injiciendi falsam conscientiam, quod esset aedificare ad gehennam. *Ball.*, h. l.

N. B. Pro **America latina**, vide alia plura in app. IV.

PUNCTUM II

De dominio uxorum.

680. — Bona uxoris sunt triplicis generis, scilicet:

1.° *Dotalia*, quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda.

2.° *Paraphernalia* (παρὰ φερνήν, *praeter dotem*), quae uxor habet praeter dotem, et quae sibi specialiter reservat.

3.° *Communia*, quae pactis conjugum aut determinatione legis in societatem quamdam conferuntur.

Possunt conjuges ante ineundum matrimonium determinare, quibus conditionibus subjicienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis: si haec facere omiserint, lex supplebit.

Dispositiones juris romani.

681. — Uxor habet dominium directum *suae dotis*, maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro, ipsa omnibus creditoribus mariti personalibus praefertur, et etiam in vita dotem juridice repetere potest, si timeat, ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia, aut in rebus quae constent pondere, numero et mensura, aut certe in rebus aestimatis traditis, dotis quidem plenum dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi, translato pro uxore dominio in omnia bona mariti pro rata seu quota suae dotis. *S. Alph., n.* 489.

682.—Uxor tenet plenum dominium et administrationem bonorum *paraphernalium*, ita ut de his maritus, ipsa nolente, nihil disponere valeat.—Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. *S. Alph., ibid.*

683. — Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinent ad utrumque conjugem; sed administratio eorumdem pertinet ad solum maritum. Haec autem communitas bonorum varias conditiones seu restrictiones admittere potest, et idcirco attendendum est ad varias locorum dispositiones. *Elbel*, *n.* 69. — Pro **Cathal.**, vide app. III.

II. *Dispositiones juris* **hisp.-ph.**

684. — I. **Jure hisp.-ph.** *dotem* constituunt bona et jura, quae, *sub dotis ratione*, mulier sive dum contrahit conjugio affert, sive postea acquirit titulo donationis, haereditatis, legati (*a.* 1336). Item bona immobilia tempore matrimonii acquisita: 1.° ex permutatione cum aliis bonis dotalibus; 2.° jure retractus (1) spectante ad mulierem; 3.° ex solutione vel pretio dotis; 4.° titulo emptionis ex pecunia dotali (*a.* 1337).

II. *Paraphernalia* vocantur tum bona quae mulier dum contrahit conjugio affert quin ea in dote includat, tum etiam illa quae postea acquirit et doti non adjungit (*a.* 1381).

III. **Dotem** *quis constituat.* — Pater vel mater, vel qui ex ipsis superstes sit, debent filiae DOTEM constituere, nisi filia *minor* sine parentum consensu nubat (*a.* 1340). Quantitas dotis aequare debet dimidiam partem legitimae praesumptae. Non certo constat an debeat esse dimidium legitimae paternae, vel maternae, an vero utriusque simul.

Quod si filia jam habeat propria bona huic dimidiatae legitimae aequivalentia, obligatio eam dotandi cessabit; vel si bona filiae propria hanc quantitatem non attingant, tenentur parentes supplere tantum ea quae desint (*a.* 1341). Vide etiam *aa.* 1342-1345.

Dotis divisio. — Dos potest esse aestimata vel non aestimata, sicut in jure romano. Non vocatur *aestimata* nisi ejus dominium transferatur in virum, cui onus imponitur soluto matrimonio dotis valorem restituendi (*a.* 1346). Secus vero *non aestimata* dicitur, et retinetur dominium ab uxore, cujus erit tum incrementum, tum, nisi ex mariti negligentia contigerit, etiam detrimentum (*a.* 1361). Idem habetur in C. **bol.**, *aa.* 978, 979.

IV. *Dos quoad hypothecam.* — Illud bene notandum venit, quod scilicet nostro jure, in connubiis post diem 31 dec. 1862 initis (2) *uxor amplius non habet hypothecam tacitam* in omnia bona viri (Conf. *ley hipotec.*, *aa.* 348, 349) neque inter creditores privile-

---

(1) De jure retractus agit Codex, *a.* 1507 *seq.*

(2) Die enim 1 jan. 1863 vigere coepit lex hypothec. juxta R. D. 11 julii 1862. Recenter ex regali decreto 16 dec. 1909 nova editio legis hypothecariae promulgata est in qua plures immutationes factae sunt et etiam ordo articulorum est

giatos recensetur. Suppressae enim sunt *omnes hypothecae generales tacitae* (L. H., *aa.* 157 *seq.*, 168; Cod. C., *a.* 1875. Vide tamen L. H., *aa.* 218 et 220). — [Etiam jure **per.** suppressae sunt omnes hypothecae generales tacitae per legem diei 2 jan. 1888; itemque jure **arg.**, *a.* 3149 (3115); **guat.**, 2043, 2050 *seq.*; **mex.**, 1857, 1869 *seq.*; **ven.**, 1848].

Habet quidem uxor *hyphothecam legalem*, pro valore dotis aestimatae marito coram notario traditae, et pro valore paraphernalium quae marito coram notario tradantur, etc. (L. H., *aa.* 168, 169 *seq.*); sed hypotheca legalis «*nullum aliud jus confert nisi exigendi ut constituatur hypotheca specialis et sufficiens* ut jus suum sartum tectumque servetur» (L. H., *a.* 158; C. C., *a.* 1875). Quae specialis hypotheca, sicut quaecumque alia, vim contra tertium non habebit, nisi, postquam fuerit constituta, in *Regesto* inscribatur, *a.* 159. (Conf. *Galindo* y *Escosura*, Coment. a la legisl. hip., *vol.* 3, *pag.* 396, Madrid, 1891). A fortiori nullam vim contra tertium habebit hypotheca *legalis*, si *specialis*, quacumque ex causa, nedum inscripta sed nec constituta fuerit. Cfr. dicenda *n.* 844.

V. *Dotis alienatio.* — Mulier aetate major poterit bona dotis non aestimatae alienare, gravare, in hypothecam tradere, consentiente marito; vel facultate a judice legitime accepta (cohaeret jus **per.**, *aa.* 182 *seq.*, 1008, 1012), si fuerit minor. Sed si alienaverit, maritus debet hypothecam constituere, sicut pro bonis dotis aestimatae (*a.* 1361).

Dotis onera. — *Bona ipsa dotis* non aestimatae subjiciuntur expensis familiae *quotidianis* et ordinariis solvendis, si factae sint ab uxore, vel de ejus mandato, tolerante marito; sed prius excussio fieri debet bonorum tum communium tum ipsius mariti (*a.* 1362).

VI. *Dotis restitutio.* — Dos restituenda erit dissoluto connubio, vel etiam si nullum fuerit declaratum (*aa.* 72 et 1365, 1.°). Item cum maritus *prodigus* (*aa.* 225 et 1365, 2.°) fuerit declaratus (1); vel ejus mors *ex absentia* juridice praesumatur (*aa.* 192 et 1436); vel civiliter fuerit interdictus (*a.* 1433); denique si, culpa viri, divortii sententia proferatur (*a.* 73, 4.°, et 1436). Alia vide *aa.* 1366-1380.

VII. **Paraphernalium**: *a*) *dominium.* — Mulier *habet dominium paraphernalium* (*a.* 1384) *et* (2) nisi ea *expresse* marito *coram notario* administranda tradat, *etiam administrationem* (*a.* 1384).

---

mutatus. Ad hanc igitur novam editionem nostrae citationes referuntur. Hanc editionem plene adnotatam et illustratam vide apud *Alcubilla*, App. ann. 1910, *pag.* 59 *seq.*

(1) Si maritus *prodigus* fuerit declaratus, administratio bonorum jure **phil.** pertinet ad tutorem designatum a judice. Idem tene infra, n. XII, ubi neque admittitur pactum de administratione bonorum per uxorem.

(2) Jur. **phil.** retinet administrationem.

b) *Onera.* — *Fructus* bonorum paraphernalium, partem constituunt interesse societatis conjugalis, et subjiciuntur oneribus matrimonii sublevandis. Imo et *ipsa bona* subjiciuntur sicut de dotalibus dicitur *a.* 1362; sed tantum in casu quo nec bona mariti nec dotalia sufficiant ad hujusmodi debita solvenda (*a.* 1385). Vide etiam *a.* 1386. Quae omnia vim legis habent, non obstantibus quibuscumque pactionibus a conjugibus ante matrimonium initis. Unde nostro jure paraphernalia, praesertim si administratio marito conferatur, vix a dotalibus non aestimatis differunt.

c) *Alienatio.* — Absque mariti licentia bona paraphernalia alienare, gravare vel hypothecae subjicere nequit uxor, neque in judicio pro ipsis sistere sine competente judicis facultate (*a.* 1387).

VIII. Conjuges *ante matrimonium* possunt pacta inire ex quibus regimen, sub quo bona eorum administrentur, pendeat. Potest esse duplex:

IX. **Primum regimen** appellatur **societas legalis** *lucrorum* (*sociedad legal de gananciales*, *a.* 1315), et locum habet: 1.° cum conjuges illud expresse eligunt, 2.° cum nullum pactum ineunt, et 3.° cum pacta inita nulla fuerint (*aa.* 1315, 1318, 1325).

In hoc regimine omnia lucra durante societate a quocumque conjuge obtenta, dissoluto matrimonio, vir et uxor per partes aequales sua faciunt (*a.* 1392).

Haec societas incipit *ipso* nuptiarum *die*, et stipulatio contraria erit nulla (*a.* 1393); nequit renuntiari durante matrimonio, nisi separatio judicialiter decernatur (*a.* 1394); et regitur ad normam contractus societatis, iis exceptis quae in hoc capite continentur.

X. Sunt *bona propria* uniuscujusque conjugis: 1.° ea quae alteruter ut propria conjugio affert; 2.° quae acquirat perdurante conjugio *a*) titulo lucrativo, *b*) jure retractus (1) vel permutatione cum aliis bonis ipsius propriis, *c*) emptione ex propria illius pecunia (*a.* 1396).

XI. Sunt *lucra communia* seu bona societatis: 1.° bona acquisita durante connubio *a*) titulo oneroso ex communibus bonis, *b*) industria, salario vel labore cujuscumque conjugis; 2.° fructus et reditus percepti sive ex communibus bonis sive ex propriis uniuscujusque (*a.* 1401); 3.° expensae utiles in bonis alterutrius propriis, modo factae sint vel ex bonis communibus vel industria alterutrius; item aedificia in solo unius proprio constructa, sed pretium soli solvi debet conjugi cujus sit solum (*a.* 1404); 4.° lucra obtenta

(1) *Retractus* est facultas alicui competens sive a jure sive ex contractu, vi cujus in casu quo res denuo vendatur eam prae quovis alio acquirere potest, soluto eodem pretio quod primus emptor dederat vel obtulerat et refusis expensis jam a primo emptore factis. Cfr. C. **hisp.-ph.**, *aa.* 1507 *seq.*, 1521 *seq.* N. B. Codex civ. quoad ea quae ad jus retractus attinent viget quoque in Cathal. S. Tr. Sup. 2 mart. 1908 (*Alcubilla*, 1909, *pag.* 321).

sive in ludo sive aliunde, modo restitutionis obligationem non inducant (*a.* 1406); 5.° demum in foro externo reputantur lucra communia quaecumque bona conjugum, modo non probetur esse propria alterutrius (*a.* 1407).

N. B. 1.° Si inter bona unius propria reperiantur *greges*, dissoluta societate quotquot capita gregis excedunt numerum conjugio adductorum, reputantur lucra communia (*a.* 1405); 2.° si uni conjugum competat *jus pensionis* vel ususfructus, jus erit illius proprium, sed fructus vel pensiones inter lucra communia erunt computanda (*a.* 1403); 3.° *credita* unius propria et ipsi per partes solvenda statutis temporibus, non inter communia lucra, sed inter bona illius propria adnumeranda erunt (*a.* 1402).

XII. *Marito* competit *administratio bonorum* communium (*a.* 1412), eaque, *titulo* tantum *oneroso*, alienare vel gravare poterit sine uxoris consensu. Quod si egerit vel contra praescripta Codicis, vel in fraudem uxoris, tum haec tum ejus heredes indemnes servari debent (*a.* 1413). Donationes etiam moderatas facere in opera pietatis vel beneficentiae marito licebit, modo sibi usumfructum non reservet (*a.* 1415).

Ad *uxorem* tamen administratio bonorum communium spectabit: 1.° si ita pactum (1) ante matrimonium fuerit (*aa.* 50 et 1412); 2.° si mariti *tutrix* fuerit renuntiata propter illius incapacitatem (*aa.* 220 et 1441); 3.° si maritus judicialiter fuerit prodigus (2) vel interdictus vel absens declaratus (*aa.* 225, 1441); non tamen poterit bona communia, vel mariti propria alienare, vel in hypothecam tradere, absque auctoritate judiciali (*aa.* 1444 et 188).

XIII. Ex bonis et lucris *societatis legalis* lucrorum *solvi* debent: 1.° debita et obligationes *a*) contracta post matrimonium, sive a viro, sive etiam ab uxore in casibus a jure permissis, *b*) provenientia ex bonis sive propriis sive communibus; 2.° necessaria pro refectionibus *a*) tum majoribus tum minoribus in bonis communibus, *b*) pro minoribus vero tantum in bonis propriis; 3.° expensae pro familia sustentanda et filiis educandis tum communibus tum legitimis alterutrius conjugis (*a.* 1408); 4.° debita in *ludo licito* contracta; 5.° quidquid amissum in quocumque ludo, et jam solutum fuerit ab alterutro conjugum, non minuet jus ejus ad bona et lucra communia (*a.* 1411).

XIV. *Dissoluta societate*, bona et onera in duas partes dividuntur, unde et debita ab utroque conjuge, vel ab eorum heredibus, solvenda erunt. Vide quomodo hac in partitione procedendum sit, *aa.* 1418-1431.

XV. **Aliud regimen** appellatur *simpliciter* **societatis conjuga-**

(1) Jure **phil.** non admittitur pactum in contrarium.

(2) In hoc casu administratio pertinet ad tutorem jure **phil.**, ut dictum est.

lis (*a.* 1315). In eo haberi poterit major vel minor bonorum communitas, vel etiam perfecta bonorum separatio, juxta diversas pactiones (*capitulaciones*) a conjugibus *ante matrimonium* libere initae (*a.* 1315). Hac in re quidquid a conjugibus *ante matrimonium* in pactum deductum fuerit, vim obtinebit, modo *a*) non sit contra leges vel contra bonos mores, vel contemptibilem reddat auctoritatem quae conjugibus in familia debetur sua (*a.* 1316), *b*) et constet scriptura *ante matrimonium* publica auctoritate firmata (*a.* 1321). Alia vide in *aa.* 1317-1320, 1322-1326.

N. B. Specialia aliqua tum singularum regionum **Hispaniae**, tum diversarum nationum **latino american.**, vide in append. V.

685. **Resolves:** — 1.° Uxor habet jus strictum ad sustentationem ex bonis communibus; illam ergo sibi comparare potest, si maritus renuat, vel aegre admodum consentiat.

686. — 2.° Non peccat uxor subducendo aliqua pro victu, vestibus, ceterisque familiae necessariis, quae mariti saepe non curant, et frustra ab illis peterentur. *S. Alph.*, *n.* 541.

3.° Si maritus in detrimentum familiae bona dilapidet vel prodigat, potest uxor ea abscondere, et in bonum familiae reservare.

687. — 4.° Non injuste agit uxor, si, inscio marito, nonnulla sibi sumat, quae facile ac certo maritus concederet, si rogaretur; adest enim licentia praesumpta et aliquando justa causa non petendi, ne cogatur sese ostendere ut ancillam. *Reuter*, *n.* 47.

5.° Uxor potest in defectu mariti ex bonis communibus expendere, quae necessaria sint ad impediendum grave damnum familiae impendens. *Lugo*, *disp.* 16, *n.* 67.

In his tamen et similibus caute agendum est, ne uxoribus laxentur habenae, cum propensae sint ad jura sua plus aequo extendenda.

688. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An uxor ex bonis communibus vel ex fructibus suae dotis eleemosynas facere possit?*

Resp. Affirm., etiamsi alioquin habeat bona propria, modo id fiat juxta consuetudinem aliarum mulierum ejusdem conditionis. —Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. Deinde maritus merito praesumitur consentire in ea, quae fiunt ab uxore juxta honestum regionis atque conditionis morem; et si invitum sese exhibeat, talis dissensus censetur irrationabilis, quia maritus uxorem privare nequit jure ei legitima consuetudine concesso. *Ita communiter* cum *Lugo*, *S. Alph.*, *n.* 340.

689. — QUAER. 2.° *An teneatur ad restitutionem maritus, qui notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendit?*

Resp. Disputatur. I.ª SENTENTIA, *probabilis*, affirmat. Ratio est, quia licet maritus habeat administrationem bonorum, uxor tamen habet dominium dimidiae partis illorum, et proinde jus illud vio-

latur, si, ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur. *Ita Antoine*, *p.* 3, *c.* 5; *Collet*, De just., *p.* 3, *c.* 4; *Pontas*, *v.* Communauté; *Conf. d'Angers*, De matr. et cont. civili, *q.* 2; *Gousset.*

II.ª SENTENTIA, etiam *probabilis*, negat *generatim*, id est nisi maritus excedat limites juris sibi a lege concessi. — Ratio est, quia uxor ex lege non habet jus strictum nisi ad dimidiam partem bonorum, quae, soluta communitate, exstabunt; nec tenetur maritus reddere rationem suae administrationis. Unde quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios, non tamen peccat contra justitiam proprie dictam, quae restitutionis obligationem inducit. Sed uxor praecavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quae ipsi conceditur a lege, separationem bonorum juridice postulandi. *Ita Lacroix*, *n.* 1020, De furto; *Carrière*, *n.* 276.

Excederet autem limites juris sui maritus ex *jure* **hisp.-ph.**, et ad restitutionem certo teneretur, si daret aliqua bona communia titulo gratuito, aut ea alienaret vel gravaret contra praescripta Codicis Civilis, vel ageret in fraudem uxoris aut heredum ejus (*a.* 1413). Excipe moderatas donationes pro operibus piis (*a.* 1415). Vide supra, *n.* 684 XII.

690. — QUAER. 3.° *An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis communibus aut de fructibus dotis ad sublevandam necessitatem parentum, vel filiorum qui ex primo matrimonio suscepti fuerint?*

Resp. Neg., si *paraphernalia* non habeat, nec vir necessaria dare velit, quia jure naturae tenetur uxor praedictos consanguineos alere, et maritus in id consentire debet. *S. Alph.*, *n.* 542, *cum aliis.* Jure **hispano** in regimine *societatis legalis* lucrorum, filii ex primo matrimonio ex bonis *communibus* sustentandi sunt. Supra, *n.* 684 XIII, 3.° Item **mex.**, *a.* 2044.

QUAER. 4.° *An uxor bona hoc modo accepta restituere teneatur, cum venerit in mariti hereditatem, cum dotem suam recuperaverit?*

Resp. 1.° *Neg.*, si bona haec sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynae communes, quae, si fiant moderate, restitutionis onus secum non ferunt. *Ita omnes.*

Resp. 2.° Negant itidem plures, etiamsi bona subtracta sint majoris momenti, quia onera omnia, quae stante matrimonio uni conjugum obveniunt, alteri communia censentur. Sed sententia affirmativa videtur tenenda cum *S. Alph.*, *n.* 543; Hom. apost., *n.* 33. — V. **Casus**, *n.* 505. — Jure **hisp.-ph.** et **mex.**, in regimine *societatis legalis* certum est non esse restituenda bona necessaria pro sustentandis filiis prioris matrimonii.

N. B. 1.° Cum ex jure **aeq.**, *a.* 1730; **arg.**, 1309 (1275); **chil**, 1740; **col.**, 1796; **nic.**, 1740; **Salv.**, 1726; **ur.**, 1739, *ascendentes* et *descendentes* legitimi, quamvis unius tantum conjugis, sustentandi sint ex bonis *communibus*, sive societatis conjugalis; tum huic quae-

sito, tum quaesito superiori respondendum erit *negative*, pro iis qui tali jure regantur.

2.° Pro **Amer. lat.**, vide plura in app. V, ad calcem voluminis.

PUNCTUM III

De dominio clericorum.

691.—Bona clericorum quadruplicis generis distinguuntur, scilicet: 1.° *patrimonialia*, quae proveniunt ex paterna hereditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc.; 2.° *quasi patrimonialia*, quae acquiruntur occasione et intuitu functionum, v. gr. Missam colebrando, concionando, etc.; vocantur etiam *quasi ecclesiastica*, vel *casualia;* 3.° *ecclesiastica*, quae ex beneficiis Ecclesiae, v. gr. ex reditibus beneficiorum, etc., percipiuntur; 4.° *parsimonialia*, quae clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quae honeste vivendo consumere posset.

692. Principia. — I. Clericus dominium *perfectum* habet: *a*) bonorum patrimonialium, *b*) quasi patrimonialium, et *c*) parsimonialium.—Ratio: quoad *a*) quia clericus est per se dominii vere capax, nec ulla lege prohibetur, quominus de praedictis bonis libere disponat. Imo jus illud sexcentis locis juris canonici et civilis supponitur. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 186.

Quoad *b*) quia bona haec non sunt fructus beneficii, neque pretium muneris sacri, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur clericus, aut etiam quaedam largitio a fidelibus ad clerici sustentationem erogata. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 491; *Lugo*, *d.* 4, *n.* 23, etc.—Constat etiam ex responsione S. Poenitentiariae data die 9 aug. 1824, qua declaravit oblationes fidelium non esse bona ecclesiastica, ut infra referetur, *n.* 696.

Quoad *c*) quia clericus jus strictum habet ad honestam sustentationem ex fructibus beneficii; ergo quidquid ex ea tollit parcius vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera ejusdem potestate manet; quippe jus illud omnino absolutum est. *S. Alph.*, *n.* 491; *Lessius*, *c.* 4, *et alii communiter*. Cfr. *Wernz*, l. c.

II. Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus qui ad ejus honestam sustentationem sint necessarii; obligatione autem tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis (*can.* 1473). — Ratio 1.ⁱ est, quia Ecclesiae ministrans de Ecclesiae bonis honeste vivere potest; siquidem ad hunc praesertim finem beneficia instituta sunt. Ratio 2.ⁱ eruitur ex Ecclesiae praecepto.

693. Quaesita. — QUAER. 1.° *An teneantur ad restitutionem clerici male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?*

Resp. Neg., probabiliter, quia quamvis constet de praecepto Ecclesiae, non tamen constat de obligatione ex justitia. Imo ex *Conc. Trid.* colligi videtur, eos *facere fructus suos*, licet cum obligatione in eleemosynas aut alia pia opera superfluum erogandi. Dicit enim *Conc.* de clericis non residentibus: *Non faciant fructus suos. Lugo, Billuart, Lessius, S. Thomas*, etc.

Affirmant tamen *probabiliter* alii, quia clerici sunt tantum administratores et oeconomi bonorum ecclesiasticorum. *Collet, Laymann, Antoine.* — Prima sententia, id est, negativa, ait *S. Alph.*, in Retract., *q.* X, non minus probabilis videtur in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem *S. Thomae*, 2, 2, *q.* 185, *art.* 7. Quod vero attinet ad culpam violati Ecclesiae praecepti, ad materiam gravem requiritur quantitas multo major quam in furto. *S. Alph., n.* 491, IV.—Demum nota cum *Génicot* (I, *n.* 476) hanc obligationem PROBABILIUS *personalem* esse, non *realem*, et consequenter non transire ad heredes, qui forte a clerico superflua ecclesiastica acceperint; plures tamen contrarium tenent, v. gr. *Lehmk.*, II, *n.* 902; *Wernz*, III, *nn.* 186, 288; *Noldin*, De praecept., *n.* 769; *Aichner*, § 233, et videtur confirmari ex a. 31 Concordati pro **Hispania.**

694. — QUAER. 2.° *Quid intelligatur per superfluum?*

Resp. Superfluum censetur, quod honestae sustentationi superest. Porro honesta clerici sustentatio ea est, quae clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Quocirca non excludit honestas recreationes, moderatas donationes et alias ejusmodi expensas, sed haec prudenti timoratae conscientiae judicio, potius quam generali regula determinari possunt. *Billuart, art.* 5.

QUAER. **3.°** *An clerici possint servare superfluum in futurum?*

Resp. Affirm., quia *per se* nulla est obligatio subito erogandi superflua, imo laudabiliter servari possunt ad fundationem piam, modo bona fide procedatur, et absit periculum, ne postea ad usus profanos convertantur. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 185, *art.* 7; *S. Alph., n.* 491. — «Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est et inordinata ut aliquis in futurum conservet, quod Dominus prohibet (Matth., VI, 34) dicens: *Nolite solliciti esse in crastinum.*» S. Thom., *ibid.*, ad 3.

695. — QUAER. **4.°** *An clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus beneficii se sustentare possit?*

Resp. Affirm., ut patet ex principio II. Ratio est, quia justum est, ut ille, qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur, et per accidens omnino est, quod dives sit aut pauper. Non igitur ratione paupertatis, sed laboris clericus ad sustentationem jus habet. Unde clericus potest patrimonio parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suae dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis Apostoli, I Cor., IX, 7-13: *Quis militat suis stipendiis unquam?... Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

QUAER. 5.° *An etiam pensionarii superfluum in pauperes erogare debeant?*

Resp. Neg., quia S. Pontifex, justa de causa pensiones de fructibus beneficii extrahendo, jam eosdem fructus ad usus pios applicat; unde fructus isti obligationem alterius applicationis secum non ferunt. *Lugo, d.* 4, *n.* 32; *S. Alph., n.* 491.

696. — QUAER. 6.° *An pensio, quae in* **Hispania** *episcopis, canonicis, parochis aliisque beneficiatis a Gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat?*

Resp. Affirm. Prob. 1.° quia ex Concordato an. 1851 et ex aliis pactionibus inter Sedem Apostolicam et Gubernium hispanum initis, praesertim illa diei 25 aug. 1859, pensio praedicta debetur *ex justitia* et in *perpetuum*, et *statuta est in compensationem bonorum ecclesiasticorum*, quae diversis temporibus vel subrepta sunt, vel ab Ecclesia cum Gubernio commutata. Ergo eamdem habet naturam ac bona quibus substituitur. Ita expresse dicitur in R. D. 15 jan. 1875, clerum scilicet directe a Gubernio dotem percipere in compensationem jurium et bonorum, «quae Ecclesia Statui concessit pro bono generali et publico promovendo». Cfr. etiam *aa.* 4, 8, 9, Convent.-leg. (*convenio ley*) 5 apr. 1860. — 2.° Probatur ex hisce S. Poenit. responsis, quae *a pari* valent pro **Hispania**:

«1.° An salaria, quae in Belgio solvuntur a Gubernio pastoribus et canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhaerentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiae sub poena *non faciendi fructus suos*?

Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, respondit: *Jam alias a Sancta Sede, de consilio secretae Congregationis, responsum fuisse affirmative.*

Datum Romae, die 19 januarii 1819.»

«2.° Sacra Poenitentiaria consulta, an illa responsio applicari debeat salariis, quae pastoribus et canonicis regni Galliarum a Gubernio solvuntur, respondendum censuit: *Affirmative.*

Datum Romae, in sacra Poenitentiaria, die 19 augusti 1821.»

«3.° An responsio pro Belgio diei 19 januarii applicari debeat solis salariis fixis, 1.000 libr. pro parochis, et 750 libr. pro deservientibus, vel extendi debeat ad oblationes fidelium?

Sacra Poenitentiaria super noviter expositis respondendum censuit: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Datum Romae, die 9 aug. 1824.»

N. B. Quoad **Amer. lat.**, haec notat Conc. Plen., *n.* 843: «Pensiones, quae a Guberniis solvuntur beneficiariis, rationem redituum beneficialium habent.»

697. — Quaer. 7.° *An sint reputanda bona ecclesiastica supplementa seu pensiones, quae hodie multis in regionibus a parochiis, seu municipiis erogantur?*

Resp. Neg., nisi sint debita ex stricta justitia, et constet dari ab auctoritate publica ex conventione cum Sede Apostolica et in commutationem antiqui beneficii. Quare 1.° non sunt bona ecclesiastica supplementum seu pensiones, quae clericis tribuantur ex oblationibus liberis et privatis fidelium; 2.° nec probabilius quamvis dentur a municipiis *permittente* Gubernio ut antea in Gallia, sed non *imperante* ex vi Concordati; 3.° nec pensio in **Hispania** et aliis regionibus a Gubernio coadjutoribus data, generatim hanc naturam induit, quia coadjutores antiquitus non habebant beneficium: aliud erit dicendum de coadjutoribus beneficiatis qui, in corona Aragoniae praesertim, instituantur; 4.° nec computandae sunt inter bona ecclesiastica pensiones, quae tribuuntur a Gubernio caducis presbyteris, aut religiosis e monasterio olim ejectis: sunt enim auxilia vel compensatio quaedam, bonis patrimonialibus omnino aequiparanda.

698. — **Resolves:** — 1.° Distributiones, quae fieri solent pro assistentia in choro, annumerandae sunt inter bona *quasi patrimonialia;* quia licet distributiones illae dentur beneficii occasione, attamen non dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali, et tamquam stipendium personae. *Ita probabilius; Lugo, d.* 4, *n.* 25; *S. Alph., n.* 491; *Salmant.*, etc.

2.° Idem dicendum est de juribus stolae, ut ajunt, id est, quae debentur parocho ut parocho, v. gr. quae afferuntur cum pane benedicto, vel quae ipsi tribuuntur pro funeralibus, licet iis nullatenus astiterit, etc... Ratio est, quia dantur parocho ut quoddam stipendium sui laboris et suae sollicitudinis; nec videntur fideles haec conferre Ecclesiae, sed parocho, ut sua sint sine ullo onere. *S. Alph., nn.* 490 *et* 491.

3.° Oblationes, quae fiunt in capsulis ad certum usum expositis, sunt certo ad usum illum adhibendae, nec proinde potest parochus eas sibi vindicare, quia satis constat de voluntate offerentium. Idem etiam dicendum est de collectis, quae sive intra sive extra ecclesiam ad certum finem fiant.

Ex praxi satis communi saltem hodierna, solae fere oblationes, quae in Missa ad altare fiunt, et quae occasione administrationis sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, pro exequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter afferuntur, ad parochum spectant. Ceterae autem oblationes ipsis ecclesiis, altaribus, aut aliis certis finibus, ex consuetudine aut fidelium intentione applicari debent. — V. **Casus**, *n.* 507.

APPENDIX

DE JURE ECCLESIAE ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA,

PRAESERTIM IN **Hispania** (1).

699. — I. Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum jus habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos (*can.* 1495, § 1).

Ratio desumitur: 1.° Ex natura ipsius Ecclesiae: est enim ex divina institutione societas perfecta et plane independens. Etenim habet tamquam proprium finem, ultimum, ad quem ceteri ordinantur. Ergo habet nativum ac legitimum jus ad media necessaria pro fine suo obtinenda. Atqui inter haec media necessaria sunt bona temporalia, siquidem Ecclesia hominibus constat. Ergo... — 2.° Ex *praxi* constanti ab ipsis temporibus apostolicis. Cfr. *Many*, De locis sacris, *n.* 1. — 3.° Ex communi consensu omnium theologorum et canonistarum. Quod jus, nulla ratione ad sola *mobilia* circumscriptum dici potest.

Quum vera Ecclesia, ut dictum est, societas sit perfecta (Syll. prop. 19) et independens, sequitur hoc jus acquirendi ac possidendi nulli civili auctoritati subjici. Ex quo jam apparet quam sint *odiosae*, *injustae* ac *per se* nullae leges civiles *amortisationis*, ut ajunt, nisi accedat consensus R. Pontificis. — Cfr. *Wernz*, III, *n.* 135 *seq.*; *Sanguineti*, Juris eccles. instit., *n.* 435. — V. Conc. Pl. **Amer. lat.**, *n.* 824 *seq.*

II. Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus, quae ab ecclesiastica auctoritate in juridicam personam erectae sint, jus competit ad normas sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi (*can.* 1495, § 2). Id igitur competit monasteriis, capitulis, confraternitatibus ecclesiasticis.

III. Ecclesia (aliaeque personae morales ecclesiasticae) acquirere bona temporalia potest omnibus justis modis sive ex jure naturali sive ex jure positivo, quibus id aliis licet (*can.* 1499, § 1).

IV. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Nota Ecclesiam catholicam etiam juxta civiles leges posse possidere bona mobilia in Ins. **Philipp.** Cfr. Synodum Tuguegaraoan., App. XV (Manila, 1912, *pag.* 135 *seq.*).

Quaesita. — QUAER. 1.° *An Ecclesia in* **Hispania** *etiam vi legum civilium bona immobilia acquirere et possidere possit?*

Resp. Affirm. Hoc enim, *a*) *Concordatum*, anno 1851, inter Pium IX et Elisabetham II, Hispaniae reginam, initum; hoc, *b*) *Decretum concordatum*, die 4 april. 1860 firmatum; hoc tandem, *c*) ipse *civilis Codex*, anno 1889 recognitus ac confirmatus, apertissime statuunt.—*a*) Adsit primo loco Concordatum, in quo, cum certa lege restitutio bonorum omnium ecclesiasticorum, quae penes Statum, sedatis civilibus perturbationibus, permanserant, decernatur; haec habet 40.us art.: «Se declara que todos los expresados bienes y rentas pertenecen en propiedad a la Iglesia, y que en su nombre se disfrutarán y administrarán por el clero»; et in 41.° adduntur: «Además, la Iglesia tendrá el derecho de adquirir por cualquier título legítimo; y su propiedad, en todo lo que posee ahora y adquiriere en adelante, será solemnemente respetada.»

b) His accedit decretum concordatum, vulgo *Convenio-ley* appellatum, in cujus 3.° art. haec Catholicae Majestatis Gubernium profitetur: «Primeramente el Gobierno de S. M. reconoce de nuevo formalmente el libre y pleno derecho de la Iglesia para adquirir, retener y usufructuar en propiedad y sin limitación ni reserva toda especie de bienes y valores: quedando en consecuencia derogada por este convenio cualquiera disposición que le sea contraria, y señaladamente y en cuanto se le oponga, la ley de 1.° de mayo de 1855.»

c) Quae omnia in suo prorsus robore permanere civilis quoque Codex statuit ad art.um 38.um: «Las personas jurídicas pueden adquirir y poseer bienes de todas clases... La Iglesia se regirá en este punto por lo concordado entre ambas potestades...» Tandem in art. 746 sancitur: «Las Iglesias y los cabildos eclesiásticos... pueden adquirir por testamento con sujeción a lo dispuesto en el artículo 38.»

Unde liquido constat ex modo allatis, vi legum in Hispania exstantium, sive concordatarum sive civilium, dominium proprietatis bonorum immobilium inviolabile esse penes Ecclesiam.

QUAER. 2.° *Quid statuat jus* **hispanum** *concordatum circa bonorum Ecclesiae immobilium commutationem?*

Resp. Notandum est: 1.° Rom. Pontificem Pium IX et Gubernium, conventione inita anno 1851, statuisse mutuo consensu, quantitatem redituum percipiendorum in Hispania ab Ecclesia et personis ecclesiasticis (*Concord., aa.* 31-35). 2.° Hanc redituum quantitatem esse obtinendam, *a*) ex paucis bonis Ecclesiae a Gubernio restitutis post tot tantasque dilapidationes, *b*) ex eleemosynis obtentis ex Bulla Cruciatae, *c*) ex reditibus quibusdam ordinum militarium, *d*) ex quadam contributione, cujus contributionis onus in se postea suscepit Gubernium (*Ibid., a.* 38; R. D. 5 oct. 1855,

a. 1; *Alcubilla*, *v.* Concordatos, *pag.* 1856; *Convenio-ley*, 4 apr. 1860, *aa.* 14-16).

Jam vero, cum bona Ecclesiae restituta dotem vel *dotationem* cultui et clero assignatam, propter specialia adjuncta, non satis firmam constituerent; nova inita conventione R. Pontifex concessit ut haec bona, factis quibusdam exceptionibus, Gubernio essent tradenda, traditis prius Ecclesiae ab ipso Gubernio titulis debiti publici juxta bonorum valorem. Quae autem deessent doti, de qua in Concordato conventum erat, a Gubernio esse supplenda. Unde hodie Gubernium suscipit in se onus supplendi quidquid ad dotem cultui ac clero statutam in Concordato desit, reditibus perceptis ex titulis debiti publici acceptis (vel qui Ecclesiae essent tradendi), propter bona commutata vel commutanda, et ex eleemosynis Cruciatae. Ex quo illud sequitur, quod si hodie deprehendantur a Gubernio aliqua bona commutationi subjecta, tunc Gubernium dat vel debet dare titulos debiti publici juxta valorem horum bonorum; deinde vendit illa bona et ex venditione accipit pretium titulorum, quos Ecclesiae dederat, unde servet se indemne. Sed illud obtinet bonum: cum enim ex novis titulis Ecclesiae datis, reditus Ecclesiae augeantur, eadem proportione imminuitur quantitas a Gubernio supplenda. In praxi *multoties* neque *titulos* solet dare; sed pretium integrum sibi Status servat. Excipe nisi bona illa, onera missarum, etc., adnexa habeant; ut infra dicetur. En igitur cur quaerit illam bonorum commutationem seu, ut ajunt hispanice, *desamortización*.

His igitur praenotatis, dicendum:
α') de ipsa commutatione,
β') de bonis exceptis,
γ') de solemnitatibus servandis.

α') **Quoad ipsam commutationem** haec leguntur in art. 4.° Conventionis legis anni 1860: «En virtud del mismo derecho (*de quo in* 1.° *quaesito egimus*), el Gobierno de S. M. reconoce a la Iglesia propietaria absoluta de todos y cada uno de los bienes que le fueron devueltos por el Concordato. Pero habida consideración al estado de deterioro de la mayor parte de los que aún no le han sido enajenados, a su difícil administración y a los varios, contradictorios e inexactos cómputos de su valor en renta, circunstancias todas que han hecho hasta ahora la dotación del clero incierta y aun incongrua; el Gobierno de S. M. ha propuesto a la Santa Sede una permutación, dándose a los obispos la facultad de determinar, de acuerdo con sus cabildos, el precio de los bienes de la Iglesia situados en sus respectivas diócesis, y ofreciendo aquél, en cambio de todos ellos, y mediante su cesión hecha al Estado, tantas inscripciones intransferibles del papel del 3 % de la Deuda pública consolidada en España, cuantas sean necesarias para el total valor de dichos bienes.» Permutatio ergo generatim exsequenda imponitur; nam praeterquam quod nulla in genere fit exceptio in hoc art., ad occulta etiam, quae deinceps apparuerint, extendi constat plane ex art. 1.° legis die 7 apr. 1861 datae, ubi dicitur: «Los bienes de la Iglesia que el Estado tiene derecho a adquirir por efecto de la permutación acordada en el convenio celebrado con la Santa Sede en 25 de agosto de 1859, continuarán enajenándose...»

β') Jam vero ad alterum quod attinet, **bona immobilia quae ab injuncta permutatione liberantur** sunt sequentia: 1.° *Omnia bona quocumque titulo ab Ecclesia post diem 4 april. 1860 acquisita;* ita enim constat ex articulis praedictae conventionis-legis sub numeris 3.° et 4.°, nuper relatis. Id ipsum valide firmatur ex sententia a Directione generali proprietatum, lata die 16 februarii 1883, in qua haec ut certa omnino consideranda praemittuntur:

«Considerando que según el art. 41 del Concordato de 1851 y el 3.° del Convenio-ley de 4 abril 1860, el Gobierno reconoció de nuevo y formalmente el libre y pleno derecho de la Iglesia para adquirir, retener y usufructuar en propiedad y sin limitación ni reserva toda especie de bienes y valores, y expresamente derogó en el artículo citado cualquiera disposición que fuese contraria al convenio elevado a ley, y señaladamente y en cuanto se le oponga, la de 1.° de mayo de 1855:

»Considerando en su virtud, que no es aplicable esta ley, ni las disposiciones a ella referentes, tratándose como se trata de bienes adquiridos por la Iglesia con posterioridad a la publicación del mencionado convenio-ley, por lo que no puede decirse con fundamento legal que el Estado tenga interés en los bienes de que se trata:

»Considerando, finalmente, que ni dicho convenio, ni ninguna otra disposición exige que los bienes que adquiere la Iglesia hayan de enajenarse, invirtiendo el precio en láminas intransferibles al 3 %; puesto que este precepto se limita, según el art. 4.° del citado convenio, a los bienes que fueron devueltos al clero por el Concordato de 1851, y en manera alguna se refiere a los que haya adquirido la Iglesia con posterioridad al convenio-ley o que adquiera en lo sucesivo, etc.»

2.° *Illa bona, quae in art.* 6.° praedictae conventionis *recensentur,* in quo dicitur: «Serán excluídos de la permutación y quedarán en propiedad a la Iglesia en cada diócesis, todos los bienes enumerados en los artículos 31 y 33 del Concordato de 1851, a saber: los huertos, jardines, palacios y otros edificios que en cualquier lugar de la diócesis estén destinados al uso y esparcimiento de los obispos. También se les reservarán las casas destinadas a la habitación de los párrocos, con sus huertos y campos anejos, conocidos bajo las denominaciones de iglesiarios, mansos y otras. — Además, retendrá la Iglesia en propiedad los edificios de los seminarios conciliares con sus anejos, y las bibliotecas y casas de corrección o cárceles eclesiásticas, y en general todos los edificios que sirven en el día para el culto, y los que se hallan destinados al uso y habitación del clero regular de ambos sexos, así como los que en adelante se destinen a tales objetos.

»Ninguno de los bienes enumerados en este artículo podrá imputarse en la dotación prescrita para el culto y clero en el Concordato.» Cfr. *Regal. Ord.* 19 febr. 1900.

3.° *Bona* (sive immobilia sive census, etc.) *pertinentia ad capellanias collativas familiares.* Familiae, quae jus patronatus vel passivum vel, in harum defectu, activum *(Sent. Trib. Suprem.* 12 april. 1884; Lex diei 19 augusti 1841, *aa.* 1.°-4.°) habeant, possunt bona acquirere, servatis ex jure servandis, sed *postquam titulos respondentes debiti publici (Sent. Trib. Suprem.* 1 april. 1886) *Ecclesiae dederint;* vel possunt permittere ut Ecclesia perstet in possessione horum bonorum. Gubernium autem in haec bona nullum prorsus jus habet: imo nec familiae, nisi post factam commutationem. Aperte enim id constat ex regali decreto, quod, approbante Nuntio apostolico, promulgatum est 12 octobris 1895. Haec imprimis referuntur in expositione praeambula: «Mientras no tenga lugar la conmutación de los bienes de una capellanía, no puede haber duda de que sus dotales están espiritualizados y corresponden de hecho y de derecho a la Iglesia, y su administración exclusivamente a los prelados; hallándose dispuesto en el

vigente Concordato y confirmado en el convenio, la aplicación que aquéllos han de dar a los sobrantes de rentas y frutos producidos en las vacantes. Y no sólo el derecho canónico, sí que también la legislación concordada y aun disposiciones administrativas coinciden en que la Iglesia es la única propietaria de los bienes y rentas de las capellanías hasta su conmutación por títulos de la deuda pública.»

Porro in parte dispositiva ejusdem decreti, sub 1.° articulo statuitur: «Tanto los frutos de las capellanías subsistentes, como los de aquellas otras que deben desaparecer luego que se haga la adjudicación de bienes a los *parientes*... corresponden exclusivamente a la Iglesia, la cual los percibe y aplica por el prelado respectivo, a quien incumbe delegar la administración y cobrar las cuentas.» Deinde in sequenti articulo affirmatur: «Todas las cuestiones relativas a la administración y entrega de frutos de los bienes de capellanías administradas por los reverendos prelados o sus delegados, corresponden a los tribunales eclesiásticos.» Cfr. *Alcubilla,* Ap. de 1895-96, *pag.* 88.

Cum his omnibus cohaerent, quae regius Gratiae ac Justitiae minister collegae suo in gubernio significavit, cum ad eum querimonias detulit carthaginensis Episcopus ob venditioni publicae datos quosdam fundos ad capellanias familiares pertinentes: «Excelentísimo Señor: El ministro de Gracia y Justicia dice con esta fecha al de Hacienda lo que sigue: — De real orden tengo el honor de remitir a V. E. la adjunta comunicación que el Reverendo Obispo de Cartagena dirige a este Ministerio reclamando contra el proceder de los delegados de Hacienda de la provincia de Murcia y Albacete, que están vendiendo en pública subasta como propios del Estado, bienes que pertenecen a la dotación de capellanías colativas familiares de sangre, que quedaron subsistentes por virtud del art. 3.° de la ley-convenio de 24 de junio de 1867, permitiéndome llamar la atención de V. E. acerca de lo conveniente y lo justo que sería, el que hiciera cesar lo más pronto posible un estado de cosas, que además de ser ineficaces para los intereses del Estado, pues no pueden prevalecer tales providencias si de ellas se reclama en forma; constituyen una perturbación para los particulares que puedan tener interés en la permutación, y para la administración por los prelados; así como también pueden acusar falta de consideración con la Iglesia, a la que exclusivamente corresponden tales bienes. — Y la propia real orden comunicada por el expresado señor Ministro, la traslado a V. E. para su conocimiento y efectos consiguientes. — Dios guarde a V. E. muchos años. — Madrid, 7 febrero 1896. — El subsecretario, Antonio García Alix.»

Idem confirmat resolutio a Gubernio data ad quaestionem circa capellanias pertinentem; en postrema verba: «Y considerando que los bienes pertenecientes a capellanías colativo-familiares están exceptuados de la desamortización con arreglo a la ley de 11 de julio de 1857, aun no habiéndose solicitado su exención en los términos prescriptos por el real decreto de 12 de agosto de 1871; esta Dirección general, de conformidad con lo propuesto por el Negociado y Sección correspondiente y lo informado por la de lo Contencioso del Estado, ha resuelto desestimar la denuncia hecha por D. Juan del Valle del *censo* en cuestión.

«Lo que comunico a V. E. para su conocimiento, el de los interesados y muy principalmente del Rmo. Prelado de esa archidiócesis (de Sevilla)...»

Vide etiam apud *Alcubilla, S. Trib. de lo C. A.,* 2 marzo 1898 (Ap. de 1898, *pag.* 647), et etiam *S.,* 20 nov. 1899 (*Ap.* 1900, *pag.* 700). Cfr. *López Peláez,* Derecho español, § 32; *Ruiz de Velasco,* Memorias y Capellanías, *secc.* 2, *c.* 14, *sig.*

Bona omnia hucusque enumerata non computantur in dote Ecclesiae per Concordatum assignata; ideoque quicumque sit horum

bonorum valor, numquam Gubernium potest imminuere quantitatem supplendam.

N. B. Bona pertinentia ad *capellanias* collativas *non familiares*, permutationi subjiciuntur; sed non computantur in dotatione Ecclesiae. Unde Gubernium debet dare *titulos* respondentes, quin imminuat quantitatem supplendam.

4.° Etiam ex bonis per se commutationi subjectis et cultui divino *in genere* destinatis, i. e. si non constituant piam fundationem cum oneribus missarum, etc., semper Episcopus jus habet quoscumque fundos, prout ipsi bene visum fuerit, sibi reservare: valor autem talium fundorum in dote Ecclesiae computatur, ideoque Gubernium imminuit quantitatem; sic enim prosequitur dictus art. 6.us: «En fin, siendo la utilidad de la Iglesia el motivo que induce a la santa Sede a admitir la expresada permutación de valores, si en alguna diócesis estimare el Obispo que por particulares circunstancias conviene a la Iglesia retener alguna finca, sita en ella, aquella finca podrá eximirse de la permutación, imputándose el importe de su renta en la dotación del clero.»

5.° *Onera missarum, anniversariorum, festorum*, etc., *super bonis privatorum imposita*, item **census** *ad haec onera sublevanda destinati*, excipiuntur a commutatione cum Gubernio facienda. Haec omnia *redimi* possunt; sed apud Ordinarium tantum, non apud Gubernium, nec computantur in Ecclesiae dotatione a Gubernio supplenda. Cfr. *Convenio-ley* 24 jun. 1867, *aa.* 7.° et 8.°; *Resolución de la Dirección de los Registros*, 30 oct. 1875; *R. O.* 18 abril 1868; *Sent. Tr. Supr.* 5 febr. 1890; 18 en. et 21 dic. 1894; 21 marz. 1895 (*Alcubilla, v.* Capellanías, *pag.* 289 y 275, *vol.* 2, Madrid, 1892. Cfr. etiam Ap. de 1895-1896, *pag.* 90; necnon *L. Peláez*, l. c., § 33; *Ruíz de Velasco*, Memorias y Capellanías, *secc.* 1, *c.* 13, *sig.*).

Census *vero ad Ecclesiam pertinentes* et *qui non habent adnexa onera missarum*, etc., subjiciuntur commutationi; redimi debent apud Gubernium et computantur in dotatione Ecclesiae assignata. R. D. S. 26 apr. 1863 (*Alcubilla, v.* Desamortización, *vol.* 4, *pag.* 348). Vide etiam *Sent. Trib. Suprem.* 19 abril 1869 (*Ibid., pag.* 350).

γ') Quoad **solemnitates** tandem **in bonis commutandis servandas**, clare haec in art. 7.° exprimuntur; sic ille: «Hecha por los obispos la estimación de los bienes sujetos a la permutación, se entregarán inmediatamente a aquéllos, títulos o inscripciones intransferibles, así por el completo valor de los mismos bienes, como por el valor venal de los que han sido enajenados después del Concordato. Verificada la entrega, los obispos, competentemente autorizados por la Sede Apostólica, harán al Estado formal cesión de todos los bienes que con arreglo a este convenio están sujetos a la permutación.

»Las inscripciones se imputarán al clero como parte integrante

de su dotación, y los respectivos diocesanos aplicarán sus réditos a cubrirla en el modo prescripto en el Concordato.»

700. — **Consectaria:** Ex quibus concordatis legibus, hucusque nulla ex parte derogatis, non ancipiti illatione haec licet inferre consectaria:

1.um Bona exempta a permutatione cum Gubernio facienda, esse vere et proprie ecclesiastica, ideoque usurpatores, quicumque illi sint, incurrere poenas contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum.

2.um Bona permutationi cum Gubernio faciendae subjecta, esse pariter bona ecclesiastica, donec cessio ab episcopis ad tramites legum concordatarum fiat, ideoque si Gubernium ante dictam cessionem bona hujusmodi usurparet, vere et proprie esset usurpator bonorum ecclesiasticorum, ideoque poenas incurreret contra tales usurpatores ab Ecclesia statutas.

3.um Quandocumque et quorumcumque bonorum facienda sit permutatio, numquam in eam posse devenire sive episcopum sive ministrum regium, quin hujusmodi prius servatae fuerint solemnitates: 1.ª Episcopus ipse, ad quem pertineat, aestimationem faciet rei ecclesiasticae, quae permutationi subjicienda sit; 2.ª eidem episcopo tot titulos debiti publici perpetui tradet Gubernium, quot aestimatae rei valori aequivaleant; 3.ª episcopus, sibi a Sede Apostolica facta potestate, formalem tunc rei ecclesiasticae cessionem Gubernio faciet. — Quae solemnitates, nisi ad unguem serventur, nec valida erit permutatio, nec bona Ecclesiae dominio aut possessione alienata habenda erunt, quamvis concors fuerit episcopi et regii ministri voluntas: non enim bona alienari possunt sine facultate a R. Pontifice accepta; Romanus vero Pontifex eam non concedit, nisi sub hac conditione, ut solemnitates supra descriptae religiose serventur. Unde si Gubernium ea bona sibi usurpet vel vendat ut propria, antequam cessio ad juris tramites fuerit facta, habebimus nudam et simplicem bonorum ecclesiasticorum usurpationem.

Hoc quod ratio ipsa per sese docet, positive statutum est, implicite primo in ipso Concordato et in Conventione-lege; planius deinde in regali decreto, haud multo post ipsam lato, die nempe 21 aug. 1860, ubi, pactione conventa inter Reginam et Nuntium apostolicum Pii IX, singillatim solemnitates ac tramites processus ad permutationem praevii, designantur; et, ut videre est praesertim ex articulis 1.°, 2.°, 3.°, 8.°, et 10.°, illud sanctum ac inviolatum haberi jubetur, nihil aut in inventaria bonorum redigatur, aut valore aestimetur a Gubernii delegatis, quod non fuerit ab episcopis, ad quos ecclesiastica bona pertinuerint, recognitum atque approbatum; en in speciem art. 8.um:... «Los gobernadores de provincias dirigirán a los M. Rdos. Arzobispos y Rdos. Obispos un ejemplar de estas relaciones, correspondiente a su respectiva diócesis, a fin de que manifiesten si están en debida forma, o hagan, en caso contrario, las observaciones que crean convenientes.»

Tandem 5.us haec habet: «Los bienes de la Iglesia que no estuviesen comprendidos en los inventarios de que hacen mención los arts. 1.°, 2.°, 3.°, 8.° y 10.° y apareciesen después de hecha por los prelados la formal cesión de los incluídos en aquéllos, serán permutados en los propios términos y con las mismas formalidades marcadas en los artículos anteriores.»

Quae omnia in suo prorsus vigore perstare luculenter confirmatur ex his, quae die 4 februarii 1888, omnibus ad quos pertinebat in memoriam revocabat Directio generalis proprietatum juriumque Status, his inter alia verbis: «De observar es también que no se cumplen las prescripciones del convenio de 25 de agosto de 1859 y real decreto de 21 de agosto de 1860, dictado para la ejecución de aquél; toda vez que, según el espíritu y letra de estas disposiciones legales, no puede el Estado proceder a la enajenación formal ni aun a la incautación de bienes comprendidos en la permutación, y no incluídos en los inventarios; sin que previamente *se instruya y resuelva el oportuno expediente,* en la forma descrita por el real decreto citado, y obtenida la cesión canónica del prelado y expedida una lámina adicional a la general de permutación, quede facultada la Administración para disponer de dichos bienes. El completo olvido en este punto, de las disposiciones concordadas, particularmente en lo concerniente a bienes de capellanías, es origen de repetidas protestas y reclamaciones de los prelados, que apoyados en el texto y espíritu del art. 40 de la instrucción de 25 de junio de 1867, dictada para la ejecución del convenio del propio mes y año, reivindican el derecho que esta disposición les concede, para oponerse a la incautación de bienes de capellanías, si previamente no se lleva a cabo su permutación.»

Unde meridiana luce clarius elucescit, nulli prorsus civili auctoritate fungenti fas esse, non modo usurpare aut vendere proprio nutu bona quaecumque ad Ecclesiam in Hispania pertinentia, quin poenas usurpatorum bonorum ecclesiasticorum incurrat; sed ne ea quidem decernere permutationi obnoxia, saltem auctoritative et efficaciter, donec id, juris tramitibus servatis, praelato ordinario conscio et approbante, constet. Cfr. *n.* 891 *seq.* — V. **Casus,** *n.* 509 *a, seq.*

N. B. Pro **Amer. lat.,** vide app. VI, ad calcem voluminis.

PUNCTUM IV

De dominio auctorum.

701. — Certum est, hominem quemlibet ex jure natarali jus habere in opus suae industriae et sui ingenii, et consequenter in fructus qui inde colligi possunt. Si enim res fructificat domino, *a fortiori* hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quilibet igitur in suum commodum uti potest iis, quae suo ingenio in scientiis excogitavit. Inventor igitur artis alicujus strictum jus habet, ne secretum suum surripiatur, et se invito in publicum divulgetur, et *lucro* quod a vulgatione sperari possit fraudetur; quod si fiat, damnificator pro ratione injuriae illatae ad restitutionem omnino tenetur. Difficultas autem est, utrum auctor, operibus semel in lucem emissis, ea sibi propria servare, et alios ab eorum usu quem auctor operis sibi reservat, excludere queat. Hinc

702. Quaesita. — Quaer. 1.° *An violet jus alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?*

Resp. Affirm. Hoc enim juri naturali aperte repugnat; et apud omnes constat, opus quamdiu in lucem emissum non fuit, sub dominio prorsus auctoris remanere. Nullum igitur dubium est, quin talis usurpator ad restitutionem et ad damnorum compensationem teneatur. *Carrière, n.* 61.

Quaer. 2.° *Quid dicendum de eo, qui typis ederet lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris?*

Resp. Respondendum est, ut in quaestione praecedenti. Etenim publice docere aut concionari non est tradere opus suum alteri ad edendum vel vendendum. Cohaeret *jus* **hispanum**, *a.* 8 legis sic dictae *de propiedad intelectual* (10 jan. 1879), ubi dicitur: «Nemo igitur sine auctoris facultate, jus habet edendi opus scientificum, litterarium vel artisticum quod stenographice scriptum, adnotatum vel transcriptum fuit cum legebatur, exsecutioni dabatur vel, sive publice sive privatim, exponebatur; neque orales explicationes.» Ita etiam jus **lusit.**, *a.* 573 *seq.*; **col.**, 12 legis 32 an. 1886; **mex.**, 1134.

703. — Quaer. 3.° *An ille, qui librum typis edidit, jus habeat impediendi, ne quisquam illum praelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolae, cui auctor jus suum transmisit?*

Resp. 1.° *Affirm.*, de jure positivo vigente in **Hispania**, et in plerisque aliis locis. In **Hisp.** enim (*a.* 6 leg. cit.), **Lusit.** (*a.* 576 *seq.*), **Bras.** (*a.* 649 *seq.*) et in **Columb.** rep. (*aa.* 9 et 15 leg. cit.) auctoribus conceditur jus proprietatis durante eorum vita; heredibus autem per annos *octoginta* (quinquaginta ex **lusit.**, *a.* 579; *sexaginta* ex **bras.**, *a.* 649) a morte auctoris. Transmitti etiam potest per actus inter vivos: jus sic quaesitum durat adhuc post mortem auctoris non habentis heredes necessarios *annis octoginta:* viginti et quinque vero, si tales heredes habeat; ad quos postea jus devolvitur per annos *quinque* supra *quinquaginta.*

Eodem jure potiuntur auctores *versionum*, *compendiorum* aliorum operum, *adnotationum*, *editores* operis nondum editi, auctores operis musici, pictorici, photographici, etc.

[Jure **per.** auctori conceditur proprietas operis per totam vitam; heredibus vero ac cessionariis per annos *viginti:* vel etiam per *triginta*, si opus fuerit *postumum* (*aa.* 1 et 2 legis 31 oct. 1849). — Qui in fraudem agunt gravibus mulctantur poenis (*Ibid.*, *aa.* 6 et 7, et C. poen., *a.* 253). Quoad proprietatem litterariam, artisticam, et dramaticam in rep. **mex.**, confer *aa.* 1132-1371 C. civ.].

Resp. 2.° Si agatur de jure naturali, *controvertitur.* 1.ª *sententia affirmat*, quia auctor dum opus typis edidit *unice* concessit usus qui sibi non praejudicant, v. gr. descriptionem privatam. *Ita Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 53; *Lehmk.*, I, *n.* 904 *seq.* — 2.ª *sententia neg.* habere jus strictum, quia opus semel in publicam lucem emissum fit mentis

proprietas ad omnes usus per se licitos. *Ita Bucc.*, I, *n.* 878. — Pater *Génicot* adhaeret priori sententiae, si damnum auctori inferatur in lucro convenienti quod rationabiliter sperat ex *prima* libri editione; quoad reliquas editiones existimat non satis constare.—De hac quaestione cfr. *Van Gestel*, De just. et leg. civ., *n.* LXI, 5.°

Quaer. 4.° *An typis mandari possit in regno vicino liber recenter vulgatus, sine licentia auctoris?*

Resp. Non constat ex jure naturali hoc esse contra *jus strictum* auctoris, ut a fortiori patet ex dictis in quaesito superiori. Minus adhuc constat si de *versione* sit sermo. Ceterum multis in locis optime provisum est per tractatus inter varias nationes admissos, quorum vi auctor eodem jure alibi ac in propria patria gaudere potest.

A) Sic **Hispania** pactum proprietatis litterariae habet cum **Lusitania** (5 aug. 1860, et 9 aug. 1880), cum Hollandia (31 dec. 1862), cum Rep. **Salv.** (23 jun. 1884), cum Rep. **col.** (28 nov. 1885), cum Stat. foeder. Amer. septemtr. (3 mart. 1891), cum Rep. **guat.** (25 maj. 1893), **cost.** (20 jun. 1896), **arg.** (10 april. 1900), **paraq.** (28 maj. 1900), **mex.** (12 sept. 1903), **aeq.** (15 nov. 1904), **panamen.** (25 jul. 1912); necnon cum Imp. Austriaco (1 apr. 1912).

B) Praeterea **Hispania,** Germania, Belgium, Dania, Gallia, Anglia, Italia, Japonia, Liberia, Helvetia, Hollandia, Norwegia, *Montenegro*, Luxemburgum, *Monaco*, *Tunez*, Suecia et Rep. **haitiana** conventionem *mutuam* habent, ex qua civis unius nationis in aliis jura proprietatis litterariae vel artisticae servat eodem modo ac si harum subditus esset; at duratio juris auctoris *a*) pro operibus editis ante 13 nov. 1908, non potest esse major quam sit in illa natione in qua opus publici fit juris; quod si publici juris fiat simul in pluribus harum nationibus, ad eam attenditur in qua duratio minor fuerit; *b*) pro editis postea durat toto tempore quo auctor vivit, ac quinquaginta annis post ejus mortem, nisi brevior sit in loco originis operis (4 maji 1896, 13 nov. 1908 ratih. Matriti, 7 sept. 1910). Cfr. *Alcubilla*, *App.* 1910, *pag.* 524 *seq.*; *App.* 1912, *pag.* 646.

N. B. Hujusmodi leges et conventiones, utpote determinativae juris proprietatis, obligant in conscientia, ante sententiam judicis. *Waffelaert*, I, *n.* 103. Cfr. dicta supra, *n.* 647.

§ III. *De acquisitione dominii.*

Dominium praecipue acquiri potest: 1.° occupatione; 2.° inventione; 3.° praescriptione; 4.° accessione; 5.° contractibus, de quibus in tractatu particulari dicetur.

PUNCTUM I

De occupatione.

704. — *Occupatio* est realis apprehensio rei, quae nullius sit, cum animo eam sibi acquirendi. — Est legitimus modus dominium acquirendi, modo adsint conditiones requisitae, scilicet: 1.° ut res sit dominii privati capax, nec ullius sit; 2.° ut occupans velit rem suam facere, cum eam de facto apprehendit; 3.° ut nulla lex humana ejus dominium alteri applicet (infra, *n.* 711, III).

Casus frequentiores in praxi occupationem animalium respiciunt; de ea igitur sola sermo erit.

Triplicis autem generis animalia distinguuntur, scilicet *silvestria*, *mansueta* et *mansuefacta*. 1.° Silvestria seu fera ea sunt, quae naturali fruuntur libertate, et nullius subsunt dominio, uti lepores, cervi, pisces, aves, etc. 2.° Mansueta seu domestica sunt, quae naturali non gaudent libertate, quaeque hominum subsunt dominio, uti oves, equi, gallinae, etc. 3.° Mansuefacta sunt, quae ad naturalem quidem libertatem nascuntur, hac tamen hominis industria privantur, ejusque dominio subjiciuntur, uti aves, quae arte et industria mansuefiunt, columbae, apes, etc.

705. **Principia**. — I. Animalia *silvestria* seu *fera*, fiunt *primi occupantis*. — Res enim, quae nullius sunt, jure naturali licite occupantur, et proinde fiunt primi occupantis, saltem nisi aliqua lex positiva id prohibeat. In dominium autem alicujus redacta, tamdiu sub dominio manent, quamdiu custodia retineantur, nec naturalem libertatem recuperaverint. Recuperasse autem libertatem censentur, cum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio *difficilis sit;* et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti si numquam dominum habuissent.

II. Animalia ex natura sua *silvestria*, sed *mansuefacta*, prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint, aut consuetudinem revertendi non amiserint. — Ejusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. Sic insuper omnia jura statuunt. At vero si custodiam domini evaserint, aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam primam naturam recuperarunt. Sic jus *romanum.*

Jure hisp.-ph. dominus reclamare potest haec animalia *intra viginti dies* ex quo capta ab alio fuerint; his transactis, fiunt capientis et retinentis, *a.* 612. Cfr. tamen infra, *n.* 709, 2.°

III. Animalia *mansueta* seu *domestica* remanent prioris domini, quamvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari. — Ratio est, quia animalia domestica numquam possunt dici recuperasse suam

libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habere existimentur. Quoad illa igitur occupationi locus numquam dari potest.

706. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An et quomodo peccet, qui venatur aut piscatur contra legis prohibitionem?*

Resp. I.ª SENTENTIA, *probabilis, negat,* eum peccare contra justitiam vel etiam contra obedientiam, quia ex consuetudine et communi hominum aestimatione lex illa omnino poenalis videtur.— *Sic Roncaglia, tract.* 13, *c.* 5; *S. Alph.*, De leg., *n.* 145, etc.

II.ª SENTENTIA, item *probabilis*, tenet, illum peccare tantum venialiter contra obedientiam, minime autem contra justitiam. Etenim 1.° *peccat contra obedientiam*, quia semper obtemperandum est principi justa de causa praecipienti. **2.°** *Non peccat contra justitiam* sibi retinendo praedam, quia leges, licet venationem prohibeant, non tamen irritam declarant praedae acquisitionem. 3.° *Peccat venialiter* tantum *per se*, quia generatim talis violatio legis non videtur graviter noxia sive reipublicae, quae magnum detrimentum inde non patitur, sive privatis, in quorum fundo fit venatio. *Lugo, disp.* 6, *n.* 64; *Bouvier*, De just., *c.* 2; *Carrière, n.* 301; *Lyonnet*, etc.

Datur etiam tertia sententia paucorum, qui dicunt venantem, prohibente lege, peccare *graviter* tum contra obedientiam, tum contra justitiam; sed ut minus probabilis communiter habetur.

707. — QUAER. 2.° *An peccet* contra justitiam commutativam, *qui venatur aut piscatur in fundo alterius absque ejus licentia?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si fundus ille sit pervius; nullum enim peccatum committitur, nisi ex hoc aliud damnum proveniat; ratio, quia ferae minime habendae sunt ut fructus fundi.

Resp. 2.° *Neg.*, si fundus sit omnino clausus, ita ut ferae non possint inde exire, et *facile capi ibi queant*, quia hae tunc censentur amisisse libertatem suam et ad fundi dominum pertinere. *Lugo, disp.* 6, *n.* 72.

QUAER. **3.°** *An dominus fundi accipere possit praedam ab alio occisam, vel impedire ne ab illo capiatur?*

Resp. Neg. ad utrumque, quia quamvis dominus habeat jus impediendi, ne alter venetur in suo fundo, fera tamen occisa ad occisorem pertinet. Dominus tamen habet jus ad compensationem pro damno, quod venator forte intulerit. *Lugo, n.* 70. Ita etiam **lusit** , *a.* 389 *seq.; art.* 16 *legis veniationis* **hisp** , 18 maji 1902.

[*N. B.* Jure **aeq**., 599; **arg**., 2577 (2543); **bras**., 598; **chil**., 610; **col**., 689; **nic**., 610; **Salv**., 680; **ur**., 686, *affirm.* ad utrumque esset respondendum, in casu quo quis venatur absque domini facultate (ita **ur**.) in fundo clauso, aut exculto, aut in quo dominus expresse venationem prohibuerat. Haec tamen juris dispositio censenda est poenalis].

708. — QUAER. **4.°** *Cujus sit fera laesa, vel laqueo capta?*

Resp. ad 1.um Est vulnerantis, si laeserit illam quantum satis est ad ipsam capiendam (**per.**, 486), et sit moraliter certus, eamdem se facile apprehensurum; sic enim eam moraliter jam apprehendit. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 71; *Lugo.*

[Ita expresse jus **lusit.**, 388; **aeq.**, 606; **chil.**, 617; **col.**, 693; **nic.**, 617; **Salv.**, 687].

Cohaeret **lex hisp.** *venat.*, *a.* 37, juxta quam est etiam vulnerantis, quamvis leviter, modo feram persequantur ipse [ita **arg.**, 2575 (2541); **bras.**, 595]; vel canes ejus. (Item jus **ur.**, *a.* 689, modo fera laesa maneat in conspectu vulnerantis). Ex *a.* vero 38, si quis feram non laedit, sed excitat eamque persequitur et alius eam occidit, dividenda erit inter ipsos.

Resp. ad 2.um Est ejus, qui laqueum posuit, si ita laqueo capta sit, ut non sit evasura; ratio, quia per ipsum instrumentum satis occupatur. *S. Alph.*, *n.* 604.

[Jus **lusit.**, *a.* 388; **aeq.**, 606; **chil.**, 617; **col.**, 693; **nic.**, 617; **per.**, 486; **Salv.**, 687].

Notat *P. Ballerinius* quod si «fera capta sit laqueo, quem quis, invito fundi domino, posuerit, videtur dominus posse praeda potiri; ratio est, quia sicut jus habet, ne ingrediaris ad laqueum ponendum, ita etiam ut ne ad eximendam quidem feram introeas. Posset igitur ipse feram dimittere; sed dimittendam plane potest occupare. Ergo...»

QUAER. 5.° *An quis occidere possit columbas alienas agro suo nocentes?*

Resp. 1.° *Neg.*, si non inferant damnum grave, vel si facile abigi possint. *Ita communiter.*

Resp. 2.° *Affirm.*, juxta communem sententiam, si *graviter* noceant; quia fas est unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde alteri sequatur *indirecte* damnum aequale illi, quod vult *directe* a seipso avertere. Columbae autem non praesumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum. *Lugo*, *Billuart*, *Elbel.*

QUAER. 6.° *Si quis extrahat alterius ovem ex ore lupi, potestne eam sibi propriam facere?*

Resp. Neg., quia ovis etiam in ore lupi *clamat ad dominum*, pergit scilicet esse in ejusdem dominio, etsi certo amittenda nisi ab alio salvetur. Idem dicendum est de eo, qui rem quamlibet extrahat ex incensa domo, etiamsi ibi certo esset peritura. Attamen si damnum aliquod passus fuisset, hujus compensationem exigere posset, nisi damnum valorem rei superet.

709. **Resolves:** — 1.° Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo remanet, nec difficilis tibi evasit ipsius prosecutio. (Ita etiam jus **ur.**, *a.* 689). Aliter fit primi occupantis.—Ex jure **hisp.-ph.**, *a.* 612; **lusit.**, 402, do-

minus persequi potest examen etiam in fundo alieno (facultate accepta a domino fundi, si hic fuerit clausus); sed reparare tenetur illatum damnum. Quod si ab examine persequendo cessat per *duos dies*, examen fit illius cujus est fundus in quo illud quiescat.

[At jure **aeq.**, *a.* 609; **chil.**, 620; **col.**, 696; **nic.**, 620; **Salv.**, 690, examen censetur recuperasse pristinam libertatem ex quo evolarit ex alveo tuo et in arbore aliena sedem fixerit].

2.° Columbae fugientes proprio motu, quin fraude attractae sint, fiunt ejus, in cujus columbario sedem figunt (si recognosci nequeant, ex **lusit.**, 401). Secus, si fraude, v. gr. cibo omnino extraordinario, seu valde exquisito attractae fuerint. *Lugo*, *d.* 6, *n.* 42, etc.; **lusit.**, *a.* 401.

[Ita etiam jus **aeq.**, *a.* 610; **arg.**, 2626 (2592), 2627 (2593); **chil.**, 621; **col.**, 687; **nic.**, 621; **Salv.**, 691]. Cohaeret jus **hisp.-ph.**, 613, et **ven.**, 481, ubi idem statuitur quoad *cuniculos* et *pisces* (et praeterea *apes*, ex **ven.**).

3.° Venator egrediens terminos suos, et vicina aliorum loca adiens, ordinarie non peccat, quia vicini proprietarii hoc sciunt, ipsique vicissim idem faciunt, contenti mulcta, si deprehendant. *Reuter.*

4.° Qui a Gubernio emit jus in flumine quopiam piscandi, non potest jure isto privari sine injustitia; unde teneretur ad damnum illatum compensandum, qui tantam piscium multitudinem caperet vel destrueret, ut emptoris jus notabiliter laederet: secus autem, si non tam multos pisces caperet; quia jus locatarii non inde vilius redditur, neque singulos pisces rigorose attingit, cum hi e loco exire valeant, vel ibi non sint certo capiendi. — V. **Casus**, *n.* 510 *et seq.*

PUNCTUM II

De inventione.

710. — Quadruplicis generis distinguuntur bona, quae inveniri possunt, scilicet thesauri, res nuper amissae, bona derelicta, et bona vacantia.

Thesaurus, ex jure *rom.*, est summa pecuniae abscondita, cujus memoria non exstat. — Attamen ex communi interpretatione, nomine thesauri veniunt etiam aliae res pretio aestimabiles, quae infossae reperiuntur. — Ex jure **hisp.-ph.**, *a.* 352, nomine thesauri intelligitur pecunia, vel res quaecumque pretiosa, abscondita et cujus dominus ignoratur.

Res *amissae* eae dicuntur, quae a domino involuntarie relinquuntur. A thesauro differunt, quia non sunt absconditae neque infossae, sed ordinarie sunt recenter perditae.

Bona *derelicta* ea sunt, quae dominus abjecit cum animo non amplius ea possidendi. Bona autem *vacantia* dicuntur ea, quae a moriente absque testamento et heredibus relinquuntur.

711. Principia. — I. Thesaurus ab ipso fundi domino repertus, totus cedit inventori. Thesaurus vero in alterius fondo inventus, ex jure positivo (quidquid sit de jure naturali) inter proprietarium fundi et inventorem aeque dividi debet, *si fortuito repertus* sit; si autem *ex industria* et inscio fundi domino, atque adeo sine hujus consensu, huic totus cedit (Ita jus. *rom.*, Inst., *l.* 2, *tit.* 1, § 39; Cod., *l.* 10, *tit.* 15, leg. un.; **hisp.-ph.**, *a.* 351; **aeq.**, 615; **arg.**, 2584 (2559) *seq.*; **bras.**, 607 *seq.*; **chil.**, 626 *seq.*; **col.**, 701; **cost.**, 498 *seq.*; **guat.**, 563-565; **mex.**, 759 *seq.*; **nic.**, 626; **Salv.**, 696; **ur.**, 496; **ven.**, 513. Item statuit jus **bol.**, *a.* 441, sed praeterea jubet ut sexta thesauri pars Statui tradatur; **lusit.**, *a.* 424, tribuit in primo casu $^2/_3$ domino, inventori vero $^1/_3$).

Tamen ante sententiam judicis poterit inventor, qui de industria thesaurum quaesivit, sibi non totum sed dimidiam ($^1/_3$ ex **lusit.**) thesauri partem retinere: lex enim quae hac dimidia thesauri parte hujusmodi inventorem privat, censetur poenalis. — Quae diximus *de domino fundi* intelligenda sunt, saltem nostro jure, sive dominus sit persona privata, sive Status, sive municipium, sive Ecclesia. Ita dimidia pars ($^2/_3$ ex **lusit.**) cedit *domino*, non usufructuario (CC. CC. **hisp.-ph.**, *a.* 471; **aeq.**, 773; **arg.**, 2902 (2868); **bol.**, 335; **chil.**, 786; **col.**, 845; **cost.**, 343; **mex.**, 767; **nic.**, 786; **per.**, 1097; **Salv.**, 814; **ur.**, 846; **ven.**, 513); sed in fundo emphyteutico cedit domino *utili*, non directo (*a.* 1632; **lusit.**, 424; **bras.**, 609). *Contrarium* valet jure romano, Dig., *lib.* 43, *tit.* 9, *leg.* 1; Inst. *lib.* 2, *tit.* 1, § 39. In fundo beneficii ecclesiastici, spectat ad ipsum *beneficium* in cujus favorem pretium invertiri debet; non ad *beneficiatum*. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 185. [Jure **per.**, 524, thesaurus etiam de industria in fundo alieno repertus, videtur ex aequo dividendus inter proprietarium fundi et inventorem].

Thesaurus autem in loco publicis usibus destinato, v. gr. in platea, in via publica, in foro, sive ex industria sive casu inveniatur, **nostro jure** cedit totus inventori. Vide *a.* 351, simul cum *aa.* 338-341; item *Bucc.*, I, *n.* 889. Ita etiam ex jure **per.**, *a.* 522. Idem probabiliter censeri potest secundum jus romanum. Cfr. *Lugo*, De just. et jure, *d.* 6, *n.* 115; *Less.*, De just. et jure, *l.* 2, *c.* 5, *n.* 53; *Bucc.*, l. c., *Génicot*, I, *n.* 484; *D'Annibale*, II, *n.* 130.

N. B. 1.° *Jure* **hisp.-ph.**, res sunt in dominio publico vel privato. Res *dominii publici* sive *publicae* dicuntur *quae publicis usibus destinantur*, nempe viae, littora, portus, sinus maris, fodinae *antequam alicui concedantur*, flumina, torrentes, muri, munitiones et iis similia. Reliquae res sunt in *dominio privato* sive Status, sive provinciae, sive municipii, sive Ecclesiae. Cfr. *aa.* 338-340.

[2.° Eadem, vel fere, statuunt CC. CC. **lusit.**, 380, et **Amer.**; v. gr. **aeq.**, 578-581; **arg.**, 2373-2377 (2339-2343); **bol.**, 283-287; **bras.**, 65 *seq.*; **chil.**, 589-605; **col.**, 674-677; **cost.**, 261-264; **guat.**, 509; **nic.**, 589-592; **per.**, 459; **Salv.**, 659-662; **ur.**, 429-439; **ven.**, 449-453].

II. Res nuper amissae, domino, si inveniatur, reddi debent, quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum. Insuper juxta axioma ab omnibus receptum, *ad retinendum sufficit sola intentio; ad occupandum autem requiritur realis apprehensio cum legitima habendi intentione;* atqui nemo habere potest *intentionem legitimam* accipiendi vel retinendi sibi rem, quam scit ad alium dominum cognitum pertinere; igitur ipsi restituere illam debet. Hinc effatum: *Res clamat ad dominum.*

N. B. Opportuna sunt, quae adnotat *P. Ballerini* in h. l. quoad princ. II, scilicet: «Circa rem a quopiam, sive noto sive ignoto, amissam, quam forte reperias, multiplex adesse potest obligatio.

»Nam 1.° obligare te potest charitas ad curam rei suscipiendam, si praevideas, secus rem quomodocumque domino perituram.

»2.° Itidem charitas exiget, ut si quando tibi constet de re ab alio aut inventa aut amissa, id aliis aperias, quando prudenter judices profuturum, ut res in manus domini redeat.

»3.° Si rem forte inventam ipse accipias, justitia teneris imprimis diligentem rei curam gerere, eamque custodire. Cujus quidem obligationis mensuram ex iis deducere pronum est, quae DD. communiter tradunt de illa specie *quasi contractus*, quae *gestio negotiorum* dici solet. Qua de re vid. *Molina*, De just., *tom.* 2, *disp.* 553, 554.

»4.° Pariter si ignotus tibi est rei dominus, ex justitia teneris rem non occultare; quam obligationem violabis, non modo si caute rem ita abscondas, ut rescire dominus non possit, rem apud te latere, sed etiam si media idonea non adhibeas, ut notitia rei apud te exsistentis ad dominum perveniat.»

III. Bona derelicta et vacantia, de jure naturali *primi occupantis* fiunt. Ratio, quia nullum amplius dominum habent; cedunt ergo primo occupanti, haud secus ac illa, quae numquam dominum habuerunt. *Ita communissime theologi.* — De jure autem positivo alicubi, v. gr. in rep. **Columb.** (*aa.* 706, 707 Cod. civ., et *a* 82 legis 153 an. 1887) municipio vel reipublicae tribuuntur. Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia et ad animalia majora restringendum videtur, saltem ante judicis sententiam. *Valenzuela*, *n.* 75. In **Hisp.-ph.**, bona derelicta, si mobilia sint, fiunt primi occupantis (*aa.* 609, 610). Quoad bona vacantia vide infra, *n.* 967, *q.* 2.°, 8.°

712. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An qui suspicatur, in agro esse thesaurum, et illum emit communi pretio, thesaurum ibi inventum totum sibe retinere possit?*

Resp. Affirm. Quia thesaurus ille, cum non sit pars fundi et la-

teat, non auget illius valorem. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 66, *art.* 6; *Lugo*, *d.* 16, *n.* 126; *Billuart*, etc., contra *alios.*

QUAER. 2.° *An opifex, qui in domo aliqua laborando invenit in quodam angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniae, illius partem retinere sibi possit?*

Resp. Dist. Si adsint vestigia, ex quibus judicetur, pecuniam hanc esse cujuspiam personae vel familiae, tota huic reddi debet; quia pecunia haec reputanda est ut bonum nuper amissum; secus, dimidiam partem sibi retinere potest, quia tunc rationem thesauri habere videtur.

713. — QUAER. 3.° *An inventor rei amissae, eam sibi retinere possit, si diligentia sufficienti adhibita, dominus non compareat, nec sit spes ulla ipsum inveniendi?*

Resp. I.ª SENTENTIA *negat.* et censet rem inventam tunc esse pauperibus, vel aliis usibus piis impendendam. Ratio est, quia dominus, solo amissionis facto, jus in rem suam non amisit; si autem remanet dominus, res illa impendi debet eo modo, quo velle praesumitur; porro haec ejus voluntas praesumenda est, ut res in ejusdem utilitatem meliori modo impendatur, et consequenter in pia opera erogetur. *Billuart*, *diss.* 4, *art.* 2, § 6; *Collet*, *Habert*, etc.

II.ª SENTENTIA, *probabilior*, *affirm.* Ratio est, quia res illa tunc pro derelicta habenda est. Quippe in hypothesi licet dominus non dimittat seu abdicet dominium proprie dictum in rem suam, penitus tamen amisit facultatem re sua utendi, et de ea disponendi, atque adeo res desinit esse in ejusdem dominio. Non est igitur quaerenda voluntas prioris domini, utpote qui, amisso moraliter dominio, nihil de ea disponere potest. Ergo res illa moraliter ut derelicta habenda est; ergo *primi occupantis* fieri potest. *Ita S. Alph.*, *n.* 603, ubi dicit hanc esse sententiam veriorem; *Lugo*, *disp.* 6, *n.* 140; *Lacroix*, *n.* 80; *Elbel*, *n.* 171, etc.

714. — QUAER. 4.° *Quid agendum, si tandem dominus compareat, quando res fuit in pios usus impensa, vel consumpta?*

Resp. 1.° Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, quando dominus censebatur jam non amplius inveniri posse, nulla facienda est restitutio, quia res pro derelicta haberi jure poterat, et proinde a primo occupante fuit legitime acquisita.

Resp. 2.° Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, cum adhuc spes affulgebat inveniendi dominum, tunc damnum est reparandum. Ratio est, quia in casu vel res conservanda erat, vel saltem ejus pretium, cum adhuc dominium maneret penes dominum. *S. Alph.*, *nn.* 590, 603; Hom. apost., *n.* 69. — V. **Casus**, *n.* 516 *et seq.* — Quantum temporis exspectandum sit post adhibitam sufficientem diligentiam, ut, domino non comparente, aequiparari possis possessori bonae fidei et praescriptionem incipere, non est definitum. Videntur sufficere duo anni. *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 91. Cfr. infra, *n.* 722.

Jure **hisp.**, 615, 616 (1); **ven.**, 696-699, res inventa statim tradenda est praefecto municipii (*alcalde*), qui duabus dominicis proxime sequentibus inventionem consueto more publicare faciat. Elapsis ab ultima publicatione *duobus annis* (uno, ex **ven.**), et domino non comparente, res adjudicatur inventori, fitque illius propria, ut videtur, quin opus habeat praescriptione; si vero dominus compareat intra id tempus, *decimam* partem valoris rei inventori dabit. Quod si rei pretium excedat 2000 libell., pro excessu dabit tantum *vigesimam* partem.

Jure **lusit.**, 415 *seq.*, rei inventae notitia deferenda parocho est, qui edicto ad valvas ecclesiae affixo rem denuntiabit; praeterea in ephemeride officiali provinciae nuntium divulgabitur si valor rei excedat 43 franc. (3000 reis). Quod si dominus non comparuerit, inventor rem suam faciet intra 45 dies; tres, sex, aut duodecim menses prout valor rei sit infra 43 fr., infra 85, infra 170, vel ultra 170.

[Jure **guat.**, *a.* 566 *seq.*, inventor rei amissae praefecto municipii vel provinciae illam consignare debet, qui peractis diligentiis praescriptis, si dominus non compareat, eam dividet in tres partes, quarum prima erit pro inventore, reliquas duas tribuet Universitati nationali. Quod si inventor aliter se gesserit, tenetur de dammis; et quasi reus furti conveniri et puniri potest (570); nec unquam rem illam potest praescribere (655). — Cum jure **guat.** cohaeret fere jus **mex.**, *aa.* 710, 727 *et* 1090; sed inventori tribuit tantum quartam partem valoris rei inventae, non comparente domino; reliquum vero, domibus beneficentiae].

Quoad reliquos CC. **Amer. lat.**, cfr. **aeq.**, 618-624; **arg.**, 2567-2574 (2533-2540); **bras.**, 603-606; **chil.**, 629-634; **col.**, 704-710; **cost.**, 501-505; **nic.**, 629-634; **Salv.**, 669-704; **ur.**, 700-704.

PUNCTUM III

De praescriptione.

715. — Praescriptio est ratio seu jus aliquod positivum acquirendi dominium, aut se liberandi ab aliqua obligatione, per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege praefixis (CC. **hisp.**, *a.* 1930; **lusit.**, 505; **aeq.**, 2474; **arg.**, 3981 (3947); **bras.**, 161 *seq.*; **chil.**, 2492; **col.**, 2512; **guat.**, 629 *seq.*; **mex.**, 1059; **nic.**, 2492; **per.**, 526; **Salv.**, 2441; **ur.**, 1162; **ven.**, 1928).

Hinc duplex distinguenda est praescriptio: altera *acquisitiva*, per quam res aliqua aut jus aliquod acquiritur; altera *liberativa*, quae ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat.

(1) Dubium est an hi duo articuli 615, 616 vigeant in Ins. **Philipp.**

716. **Principia.**—I. Lex humana potest vi praescriptionis dominium rerum ab uno in alium transferre, etiam sine domini consensu. — Ratio est, quia id non modo utile est, sed plane necessarium ad bonum commune societatis, ad praecavendas nimirum vel dirimendas lites, quae alioquin saepius orirentur ex incerto possessionis jure. Aliunde aequitati naturali non repugnat, cum ante omnem eventum lex constituta sit, et hoc ipso omnibus et singulis parem lucri damnive sortem exhibeat.

II. Praescriptio debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia. — Constat ex sensu genuino verborum quibus lex fertur. Dicitur enim *dominium trasferri, acquiri*, etc. Aliunde auctoritas humana finem intentum, nempe publicam securitatem et conscientiarum pacem, nullatenus obtineret. Constat insuper ex novo Codice ubi legimus: «Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum [1509-1512] qui sequuntur» (*can.* 1508) et quos hic exponimus.

III. Quinque haec ad legitime praescribendum requiruntur, scilicet: res praescriptibilis, possessio, tempus requisitum, titulus, bona fides. Hic vulgares versiculi:

> Non usu capies, ni sint tibi talia quinque:
> Si res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
> Possideas juste, completo tempore legis.

Quaer. *Quando praescriptio dominium transferat?*

Resp. Communissima auctorum sententia tenet praescriptionem transferre dominium ipso jure ante omnem judicis sententiam, etiamsi id ignoret praescribens. Unde docent, si hic ignorans suum jus antiquo domino reclamanti restituat rem praescriptam, hunc teneri ad restitutionem in favorem praescribentis. Cfr. *Schmalzgrueber, lib.* 2, *tit.* 26, *n.* 14; *Ballerini*, Opus morale, *vol.* 3, *n.* 138.

Aliqui tamen contrarium docent, scilicet praescriptionem non favere nisi eam invocanti, ideoque in hoc casu antiquum dominum non posse servare rem ut suam, non obstante praescriptione. Ita *Delama*, De justit. et jure, *n.* 6, in fine: «Adnotandum est quoad ea jura, quae a sola lege civili constituuntur, quod, si is, cui leges favent, ad illas non provocet, pars altera, cui eadem nocent, non tenetur earumdem rationem habere et eo minus compartem, forte legis ignaram, de suo errore admonere; quia, uti ajunt: *leges allegantem tantum juvant et vigilantibus jura scripta sunt.* 1. *Pupillos* Dig. *Quae in fraudem creditorum.* Ita v. gr. bonae fidei possessor usucapere rem potest ejusdemque acquirere proprietatem: at si qui rem usucapit, sui juris ignarus, rem restituat priori domino eam petenti, hic juste eam accipit atque retinet.» Huic sententiae sub-

scribit *Valenzuela*, l. c., *n.* 116. saltem quoad jus Columbianum, eidemque sententiae favere videtur *Palmieri*, apud *Ballerini*, l. c., *nota*.

Nostro jure videtur standum primae sententiae. Cfr. *aa.* 1934-1937.

I. *Res praescriptibilis.*

717. — Omnes res sive corporales sive incorporales, mobiles sive immobiles, publicae vel privatae praescribi possunt; nisi ex natura rei aut speciali juris dispositione excipiantur.

Praescriptioni obnoxia non sunt: 1.° Quae sunt *juris divini* sive naturalis sive positivi. 2.° Quae obtineri possunt *ex solo privilegio apostolico*. 3.° *Jura spiritualia*, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum. 4.° *Fines certi et indubii* provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius*. 5.° Eleemosynae et onera *missarum*. 6.° *Beneficium ecclesiasticum* sine titulo. 7.° *Jus visitationis* et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato jam subsint. 8.° Solutio *Cathedratici* (*can.* 1509).

QUAER. *An et quatenus res sacrae praescribi possint?*

Resp. 1.° Res sacrae (v. gr. *calices*) quae in dominio privatorum sint, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad usos profanos; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos (*can.* 1510, § 1).

Resp. 2.° Res sacrae, quae in dominio privatorum non sint, non a persona privata, sed a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt (*can.* 1510, § 2).

II. *Possessio.*

718. — Possessio dicitur detentio rei nomine proprio, vel juris alicujus exercitium (*a.* 430). Haec possessio requiritur ad praescribendum. Constat ex jure civili, tum romano, tum **hispano, lusit.** et **Amer. lat.** Accedit probatio etiam ex jure can. deprompta; sic enim jacet regula 3.ª in 6.°: *Sine possessione praescriptio non procedit.*

Variis autem conditionibus gaudere debet possessio. Debet enim esse: 1.° *dominativa*, seu res debet haberi animo proprietarii, non vero depositarii, etc. (S. T. S., 19 nov. 1910: *Alcub.*, Ap. 1911, *pag.* 861); — 2.° *publica*, i. e. manifesta; non clam, v. gr. si locatarius Titii fundum Cajo vendat, et in fundi possessione remaneat ut

locatarius Caji, praescriptio Caji non procedit. *Buccer.*, *n.* 917; *D'Annibale*, II, *n.* 145; *Cod.* **hisp.**, *a.* 444; **lusit.**, 517, 523; — 3.° *tranquilla*, ita ut nulla litis contestatio de re intercesserit; — 4.° *certa*, hoc est, non *aequivoca*, «qualis forent actus proprietarii exerciti ab eo qui rem indivise cum aliis possidet, et postea iis actibus inniteretur ut se solum rei dominum probaret». *Génicot*, I, *n.* 490, 4.°; — 5.° *continuata*, seu non *interrupta*, donec tempus requisitum compleatur. C. C. **hisp.**, 1941; **lusit.**, 517, et **Amer. lat.**

III. *Titulus.*

719. — Titulus dicitur causa *per se* ad dominium transferendum sufficiens, v. gr. emptio, donatio, etc. Ex jure romano quadruplex titulus distingui solet, nempe: verus, coloratus, putatus seu existimatus, et praesumptus.

Non requiritur quidem *titulus verus*, ut patet; secus enim possessor praescriptione non indigeret ad rem acquirendam; sufficit itaque *coloratus*, id est, qui prae se speciem veri tituli ferat, licet in se ob occultum vitium verum non sit (Cfr. S. T. S., 30 nov. 1910: *Alcubilla*, Ap. 1911, *pag.* 861). — Pro praescriptione *triginta annorum* nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit, etiam in conscientia, modo adsit bona fides; seu potius tunc habetur titulus praesumptus in ipso facto possessionis *tranquillae* per tantum temporis intervallum. Ita etiam **lusit.**, 529. Cfr. *Waffelaert*, I, *n.* 249, et Étude, *pag.* 247 *seq.*; *Van Gestel*, LXI, 6.°; *Marres. l.* 1, *n.* 423; *Allegre*, ad art. 2279.

Ex jure autem **hisp.-ph.**, *a.* 464, «possessio bonorum mobilium, bona fide obtenta, *aequivalet titulo*»; quae verba tantum significant, actionem vindicatricem judicio exercendam esse et probandam, quasi dirigeretur contra possessorem habentem justum titulum, quod difficilius est quam si exercenda et probanda foret contra possessorem justo titulo carentem. (Cfr. *Sánchez Román*, Estudios de derecho civil, *vol.* 3, *pag.* 475, Madrid, 1891. — Vide etiam *pag.* 121). Cum jure **hisp.** cohaeret jus **bol.**, *a.* 1559; **per.**, *a.* 546.

Jure **lusit.**, 532, in rebus mobilibus justus titulus semper praesumitur.

Nostro jure contra titulum inscriptum in *regesto proprietatis* praescriptio *ordinaria* non procedit in damnum tertii, nisi vi alterius tituli ibi pariter inscripti. CC. CC. **hisp.**, *a.* 1949; **aeq.**, 2487; **chil.**, 2505; **col.**, 2526; **nic.**, 2505; cfr. etiam **Salv.**, 2454.

N. B. Jure **hisp.** non censetur titulus translativus dominii in ordine ad praescriptionem sententia judicialis qua decernitur certa bona alicui pertinere. S. T. S., 18 nov. 1910 (*Alcubilla*, Ap. 1911, *pag.* 861).

IV. *Tempus requisitum* (1).

(Pro **Cathal.**, vide app. III, ad fin. vol.)

720. — Quoad praescriptionem *acquisitivam:*

1.° Pro rebus *immobilibus*, sine speciali titulo possessis, jure *rom.* requiruntur *triginta anni* (20, jure **mex.**, *a.* 1086) ad praescri-

---

(1) Circa praescriptionem haec specialia statuit C. *Process. civilis* Insularum **Philipp.**, *a.* 40 *seq.* (Manila, 1906).

a) Per **17** annos praescribit jus heredis reclamandi bona quae, quasi vacantia, adjudicata fuerint municipiis (*a.* 759). Tempus computatur in casu a lato decreto adjudicationis.

b) Actiones circa bona immobilia aut jura circa ipsa bona praescribuntur **decem annis** (*a.* 40).

c) Possesio realis, vel immobilis (*terrenos*), clara, publica, continua per **decennium**, animo dominativo, excludens quodcumque aliud jus, et adversa omnibus aliis reclamantibus, quocumque modo incepta fuerit, confert dominium (*a.* 41).

d) Quod si dum incepta est causa possessionis, dominus rei praescriptae erat minor aetate vel mentaliter incapax, vel carcere detentus, requiritur praeterea ad praescribendum contra ipsum **triennium**, *post decennium* completum (*a.* 42).

e) Spatio etiam **decem** annorum praescribuntur actiones circa conventiones, contractus aut promissiones scriptas (*a.* 43) aut circa sententiam aut mandatum alicujus tribunalis vel circa indemnitatem in casibus de quibus aliter nihil disponitur in hac lege (*a.* 44).

f) **Sex** annis, actiones circa contractum *non* scriptum, expressum aut tacitum, circa obligationem inductam per legem, dummodo non agatur de mulcta aut confiscatione (*a.* 44, 2.°).

g) **Quatuor** annis, actiones pro damnis illatis rei immobili, pro invasione juris proprietatis, pro recuperandis bonis mobilibus, aut pro damnis ipsis bonis aut personis illatis (nisi agatur de injuria personae factis illata aut de carceratione injusta), pro damnis juribus actoris illatis, de quibus aliud hic non statuatur; item pro indemnitate contra fraudem, quo in casu tempus currit a die quo fraus detecta fuerit (*a.* 44, 3.°).

h) Spatio **unius** anni, actiones circa injurias verbales, calumniam in scriptis aut divulgatam, injuriam verbis aut factis personae illatam, carcerationem injustam; actionem concessam a lege qua decernatur confiscatio aut commissum in favorem illius qui injuriam passus est, si id petierit in respectivo judicio, et nisi alium terminum lex ipsa praescribat (*a.* 43, 4.°).

i) Personis, de quibus dicitur in *a.* 42 (vide hic *d*), conceditur ut ultra duos annos a cessatione impedimenti possint instituere praedictas actiones, de quibus hic, *e-g*; vel intra annum, de quibus hic, *h*. Vide *a.* 45.

j) Si persona, contra quam actio exercenda est, fuerit extra Insulas Philippinas, aut fugerit vel sese occultaverit, et in ipsis Insulis bona cognita non possederit, tempus praescriptionis non currit, toto tempore, quo res ita se habent (*a.* 47).

k) Si factum dans jus ad actionem, in alia natione vel statu ortum habuerit, et juxta illius regionis leges actio jam sit praescripta, etiam in Ins. Philippinis praescripta erit (*a.* 48).

N. B. Jus **phil.** nihil dicit de *bona fide* necessaria ad praescribendum, quod intellige de solo foro externo. Valet tamen in Philippinis jus **hisp.** quoad possessorem bonae vel malae fidei prout explicatur infra, *nn.* 771-788.

bendum.—Cum titulo autem speciali, *decem anni* requiruntur et sufficiunt, si verus dominus sit praesens; si autem verus dominus sit absens, anni absentiae duplicantur. Cohaeret *jus* **hisp.**, *aa.* 1957, 1959; [**aeq.**, 2490; **bol.**, 1556; **bras.**, 177 et 551; **chil.**, 2508; **col.**, 2529; **nic.**, 2508; **Salv.**, 2457; **ur.**, 1178. Juxta C. C. **guat.**, sufficiunt quinque anni inter praesentes et decem inter absentes. Jure **cost.**, *a.* 680; **mex.**, *a. cit.*, decem sive inter praesentes sive inter absentes; quindecim vero exigit jus **lusit.**, 528, at si possessio, aut titulus fuerint inscripti, 5 aut 10 anni sufficiunt ex *aa.* 526, 527]. Jure *cathal.* requiruntur *triginta anni*, sive cum titulo et bona fide, sive absque illis; *octoginta* vero si agatur de rebus patrimonii regis.

Jure **hisp.**, *a.* 1958, absens dicitur ille qui moratur in exteris nationibus. Item jure **aeq.**, 2490; **chil.**, 2508; **col** , 2229; **guat.**, 653 (et 125 *de la ley de reformas del C. C.*); **nic.**, 2508; **Salv.**, 2457; **ur.**, 1179. Si partim fuit praesens et partim absens, duo anni absentiae unico anno praesentiae aequivalent. Annus absentiae debet esse integer et continuus, secus non computatur absentia jure **hisp.**, et **ur.**, *ibid.* Jure autem **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **Salv.**, duo *dies* absentiae computantur quasi unus praesentiae.

Dies in quo possessio incipit semper computatur, sed ultimus, ut computari possit, debet esse integer, jure **hisp.**, 1960; **lusit.**, 562; **cost** , 881; **mex.**, 1128; **ur.**, 1177.

2.° Servitutes *activae*, si sint continuae et apparentes, praescribuntur cum titulo sicut immobilia [cohaeret jus **aeq.**, 873; **bol.**, 418; **bras.**, 698; **chil.**, 882; **col.**, 939; et *a.* 9 *leg.* 95 *an.* 1890; **nic.**, 882, **ur.**, 607, 1178]; atque adeo triginta annis, si specialis titulus desit. Servitutes autem *activae non apparentes*, praescriptioni non sunt obnoxiae *absque titulo*. Dicuntur autem *non apparentes*, quae *per se* non patent, ut v. gr. est prohibitio aedificandi in tali fundo, vel aedificium ultra talem altitudinem extollendi. — An vero cum titulo praescribi possint decennio ut immobilia, *controvertitur*.

Jure **hispano** servitutes *continuae et apparentes* acquiruntur praescriptione *viginti* annorum, *a.* 537; vide etiam *a.* 538. [*Decem* jure **cost.**, 860. Jure **mex.**, 1086, *decem* ann. (etiam inter absentes); *viginti*, absque titulo et bona fide].

Servitutes sive *discontinuae*, sive non *apparentes*, praescriptione acquiri nequeunt (**hisp.-ph.**, 539). Cfr. *Falcon, vol.* 2, *pag.* 180. [Cohaeret jus **aeq.**, 873; **bras.**, 697; **chil.**, 882; **col.**, 935 et *a.* 9 *leg.* 95, *an.* 1890; **cost** , 379; **mex.**, 1034; **nic.**, 882; **ur.**, 608. Jure **bol.**, 419, praescriptione *immemoriali* acquiri possunt].

3.° Pro rebus *mobilibus* jure *romano* requiruntur *tres* anni cum titulo, *triginta* vero sine titulo. Cohaeret *jus cathal.;* **aeq.**, 2490, 2493; **chil.**, 2508, 2510; **col.**, 2529 *seq.;* **nic.**, 2598, 2510; **ur.**, 1186 (etiam inter absentes).

Jure **hispano** (et **lusit** , 532) sufficiunt tres anni cum bona fide

(ita etiam **bol.**, 1559; **cost.**, 862); sex vero (*decem* ex **lusit.**) cum sola possessione, *a.* 1955. Cohaeret jus **ur.**, 1186, 1188.

[Jure **mex.** *tres* anni cum bona fide et justo titulo, quae semper praesumuntur; *decem* absque titulo et bona fide. Jure **per.**, tres anni (etiam inter absentes) et quadraginta, respective].

Sed, ubi desit bona fides, hoc intellige de solo foro externo.

4.° Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad praescribendum computare potest omne tempus, quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat, quando praescriptionis tempus completur. Cohaeret *jus* **hisp.**, *a.* 1960; [**aeq.**, 705, 2482; **bol.**, 1536; **bras.**, 496 et 552; **chil.**, 717; **col.**, 778; **cost.**, 863; **mex.**, 1077; **nic.**, 717, 2500; **per.**, 548; **Salv.**, 780, 2449; **ur.**, 1180].

N. B. Praescriptio contra bona ecclesiastica regitur jure canonico, non civili, cum sola Ecclesia de suis bonis disponere possit legesque ferre.

Ex jure autem canonico res immobiles, mobiles pretiosae, jura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio *centum annorum* praescribuntur. Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio *triginta* annorum (*can.* 1511, § 1 et 2).

II. Quoad praescriptionem *liberativam* (jure *rom.*, et *cathal.* ex «usaje» *omnes causae*):

1.° Omnes *actiones* tam reales quam personales per 30 annos absque titulo praescribuntur.

2.° *Servitutes passivae*, census, et omnia debita, supposita bona fide, extinguuntur post triginta annos. *S. Alph.*, *n.* 513; *Lugo*, etc.

Sunt etiam aliae praescriptiones breviores.

Jure autem **hispano**: — A. Praescribuntur *actiones:*

α) *reales* in bona immobilia, 30 ann., *a.* 1963 (cohaeret jus **ur.**, 1189).

β) *hypothecariae* (etiam in *Cathal.*) id est, jus obtinendi ex ipsa re per hypothecam oppignorata solutionem crediti, cum debitor statuto tempore non solvit, 20 annis, L. H. *a.* 128, et C. C. *a.* 1964 (cohaeret jus **per.**, *a.* 650).

γ) *personales* 15 ann., nisi minus sufficiat, *a.* 1964 (cohaeret jus **per.**, 560).

δ) *reales* in bona mobilia, 6 annis a possessione amissa, *a.* 1962.

ε) spatio 5 ann. praescribuntur actiones exigendi pensiones alimentitias, pretium conductionis praedii vel domus, et ea omnia quae solvi deberent singulis annis, vel breviori spatio sed periodice, *a.* 1966. [Cohaeret jus **lusit.**, *a.* 543; **arg.**, 4061 (4027); sed jure **ur.**, *a.* 1196, sufficiunt 4 ann.].

ζ) spatio vero 3 ann. [etiam ex jure **bol.**, *aa.* 1567, 1568; **mex.**, 1095; **per.**, 560; quod tamen nihil dicit de tabernariis et merca-

toribus; sed ex C. **guat.**, *a.* 661, praescribuntur 2 ann.] — *a*) actiones exigendi honoraria judicum, advocatorum, etc., et expensas factas in exercitio sui muneris (duobus **lusit.**, 540), item *b*) exigendi ea quae debentur farmacopolis propter medicinas, honoraria professorum, magistrorum [cohaeret jus **aeq.**, 2503; **chil.**, 2521; **col.**, 2542; **nic.**, 2521; **Salv.**, 2470; at ex cod. **arg.**, *a.* 4066 (4032), et **ur.**, 1197, sufficiunt duo anni, imo ex **arg.** unus tantum requiritur quoad honoraria profess. vel magistr.] — *c*) item actiones exigendi ea quae debentur famulis, artificibus, operariis pro salario et expensis factis in exercitio artis vel officii; debita tabernariis pro sustentatione et hospitio, et mercatoribus pro mercaturis [pro iis praescriptionibus *duo anni* requiruntur ex jure **aeq.**, 2504; **chil.**, 2522; **col.**, 2543; **nic.**, 2522; **Salv.**, 2471; *unus* vero ex **arg.**, *a.* 4069 (4035); imo ex **lusit.**, *aa.* 538-539; **ur.**, 1198, 1199, sufficiunt *sex menses*, nisi agatur de famulis, artificibus et operariis, qui contractus locationis *ad annum inivere*, quo in casu requiritur 1 ann.; pro mercaturis requiruntur 2 ann., *a.* 1197]; — tempus quoad *b*) et *c*) computatur a die quo servitia cessarunt, *a.* 1967; in aliis a die in quo actio exerceri potuit, *a.* 1969 (Cfr. Sent. Trib. S. 16 febr. 1899: *Alcub., pag.* 640, *n.* 144, 5.°).

γ) spatio 1 ann. praescribuntur actiones: 1.° recuperandi aut retinendi possessionem; 2.° exigendi civilem reparationem pro injuria vel calumnia, et pro damnis illatis ex culpa vel negligentia: tempus currit a die quo offensus haec cognoverit, *a.* 1968; **lusit.**, 539.

B. *Servitutes* passivae extinguuntur per non usum 20 annis, *a.* 546. [Ita etiam **aeq.**, 876; **chil.**, 885; **col.**, 942, et **nic.**, 885.— **Ven.**, 649, et *cathal.*, 30 annis; — jure **cost.**, 381, 368; **guat.**, *a.* 225 *leg. reform.* C. C; **ur.** 618, praescr. 10 *annis*. Item **arg.**, 3093 (3059; **bol.**, 432, et **Salv.**, 917; quae tamen exigunt 20 ann. inter absentes. Item **per.**, 1180, quoad continuas; secus, 15 et 30 respective. Jure **mex.**, 1051, servitutes continuae et apparentes praescr. 5 annis cum bona fide, 10 sine illa; reliquae 10 et 15 respective.]

721. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quandonam praescriptio dicatur interrupta?*

Resp. Quando ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest: 1.° *naturaliter*, si praescribens amittat possessionem per tempus anno integro majus (C. **hisp.**, *a.* 1944; **lusit.**, 552; **cost.**, 895; **mex.**, 117), aut si mala fides superveniat; 2.° *civiliter*, si lis moveatur *juridice* circa possessionem, nec interpelatio a judice rejecta fuerit. — *Si jus rom.*, **hisp.**, **lusit.** et **Amer. lat.**

Differunt vero (*Wirceburg.*, De just. et jure, *n.* 431) interruptio naturalis et civilis maxime: 1.° quod naturalis interrumpat praescriptionem *absolute*, ac respectu adversariorum omnium; civilis vero tantum respectu actoris, sive ejus qui litem movit. 2.° Natu-

ralis sic interrumpit, ut amplius connecti non possit, civiliter vero interrupta tum solum interrupta manet, si contra possessorem secuta est sententia condemnatoria; at si possessor victor fuerit, vel recessum sit a lite pacto vel transactione, praescriptio pergit, ac si interrupta numquam fuisset vel numquam mota lis.

Jure **hisp**. et *cathal.*, interrumpitur *civiliter: a*) citatione judiciali, etiamsi judex non fuerit competens, *a.* 1945; *b*) actu conciliationis, modo *intra duos menses* petatur coram judice possessio vel dominium, *a.* 1947; *c*) si possessor quocumque modo, expresse vel tacite jus domini recognoverat, *a.* 1948. Cohaeret jus **cost.**, 876; **mex.**, 1117.

Sed nota citationem judicialem nullam haberi nec interruptionem producere: 1.° si caret necessariis solemnitatibus; 2.° si actor ab actione desistat; 3.° si possessor absolvatur, *a.* 1946. Cfr. etiam *aa.* 1973-1975. [Ita etiam jure **lusit.**, *a.* 552; **aeq.**, 2485; **arg.**, 4021 (3987); **bras.**, 172 *seq.;* **chil.**, 2503; **col.**, 2524 (et *a.* 29 *de la ley* 95 *de* 1890); **cost.**, 877; **guat.**, 677; **mex.**, 1117; **nic.**, 2503; **per.**, C. civ., *a.* 550 *seq.*, et C. Comm., 955; **Salv.**, 2452; **ur.**, 1211; **ven.**, 1949].

Jure *aragon.* interrumpitur praescriptio etiam ob citationem extrajudicialem (Sent. Trib. Supr. 20 apr. 1888, ap. *Alcubilla*, *vol.* 2, *pag.* 492).

Quaer. 2.° *Quandonam dicatur praescriptio suspensa?*

Resp. Quando *impedimentum* ei objicitur, ne procedat ulterius; scilicet: 1.° dum judicia exerceri nequeunt, v. gr. tempore pestis, belli;— 2.° contra ecclesiam dum caret rectore seu superiore;— 3.° contra pupillos toto tempore, quo pupilli remanent;—4.° contra quemlibet, qui jus suum prosequi nequit *Sic jura communius.* — Jure **hisp.**, *a.* 1932, iis qui rerum suarum administrationem non habent conceditur actio contra eorum legitimos vices gerentes, quorum negligentia causam praescriptioni dedit.

[Jure autem **aeq.**, *a.* 2491; **chil.**, 2509; **col.**, 2530; **nic.**, 2509; **ur.**, 1217; **Salv.**, 2458, suspenditur praescriptio ordinaria pro omnibus qui sunt sub potestate paterna vel *maritali*, sub tutore vel curatore]. Ex **arg.**, *a.* 4000 (3966) non suspenditur contra feminam conjugatam; sed quidem contra alios hic citatos.

722 (1). — Quaer. 3.° *An valeant in conscientia praescriptiones trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis, ut ferunt jus gallicum* (*a.* 2279) *et* **hisp**. (*aa.* 464 *et* 1955)?

Resp. 1.° *quoad res furtivas:* 1.° fur, seu possessor malae fidei, numquam praescribere potest, etiamsi lapsu temporis oblitus fuerit se rem injuste accepisse, cum possessionem mala fide inceperit (C. **hisp.**, *a.* 1956); 2.° emptor autem aut donatarius, qui rem bona

(1) Doctrina hujus n. 722 videtur vigere jure **phil.**, ita tamen ut ad praescribendum requirantur **quatuor anni** juxta *a.* 41 *C. process. Philipp.*

fide a fure accepit, praescribere potest (sex annis ex **lusit.**, 533), si adsint ceterae conditiones ad praescriptionem requisitae. Vide dicenda *n.* 723.

Resp. 2.° *quoad res inventas.* Secundus possessor, seu successor inventoris titulo emptionis, donationis, etc., praescribere potest (sex annis ex **lusit.**, 337), ut de successore furis dictum est. — An vero primus possessor rei inventae dici possit bonae fidei, praemissa debita diligentia ad dominum inveniendum, et ita praescribere, *controvertitur.* Affirmandum autem videtur; quia si spectatis circumstantiis, adhibitaque debita diligentia, dominus inveniri nequeat, nec affulgeat spes ulla eum inveniendi, hic rei dominio ita excidit, ut res nullius esse censeatur, atque adeo primi occupantis fiat. Inventor igitur in eo casu incipere potest rei possessionem cum animo eam retinendi ut propriam. *Elbel*, *n.* 172; *Sporer*, De inventione, *n.* 187. — Igitur, peracta sufficienti diligentia, et domino per notabile tempus (v. gr. duorum annorum) non comparente, inventor est possessor bonae fidei, et incipit tempus praescribendi. In **Hisp.**, peracta diligentia, de qua *a.* 615, et transactis duobus annis, domino non comparente, res statim fit inventoris et non eget praescriptione. Cfr. supra, *n.* 714.

[*N. B.* 1.° Jus **per.**, 547, exigit ad praescribendas res furtivas vel inventas, praeter justum titulum, spatium 12 annorum; nisi forte res hujusmodi emptae fuerint in nundinis vel mercatu, aut publice sub hasta, vel saltem ab eo qui res similes vendere solet, quibus in casibus sufficiunt *sex* anni.

2.° Jure **guat.**, successor inventoris praescribere quidem potest; minime vero ipse inventor (*a.* 655 reform. juxta legem 20 febr. 1832). Idem statuit C. **mex.**, *a.* 1090].

723. — Quaer. 4.° *An valeant in conscientia dispositiones juris* (1) **hispani** (*a.* 464), *juxta quod, quamvis res forte fuerint furtivae,* a) *si emptae sunt in apothecis vel tabernis publico commercio apertis, statim praescribuntur ab emptore* (*a.* 85 codic. commer.); b) *si emptae bona fide in publica venditione* (2), *ita fiunt emptoris, ut verus dominus eas recuperare non possit, nisi possessori solvat pretium quo eas acquisivit;* c) *si in pignus datae sint montibus pietatis legaliter erectis, repeti a legitimo domino non possint nisi solvendo non modo quantitatem propter quam res fuit in pignus data,*

---

(1) Doctrina hujus n. 723 videtur etiam vim retinere in Ins. **Philipp.**

(2) Non dicimus, ut in aliquibus ex praecedentibus editionibus, in publico mercatu, sed in publica venditione, ut melius exprimatur loquutio hispanica *en venta pública.* Haec complecti quidem videtur subhastationes sive coactas sive voluntarias, sive judiciales, sive notariales, etc., pro quibus cives publicae praemonentur de tempore subhastationis, deque natura rerum quae vendi debent; non vero, venditiones quascumque, quae fiant in mercatu ordinario vel in nundinis.

sed insuper reditus? (Cfr. etiam Cod. Commerc., *aa.* 64, 67, 86, 324, 545, 560 et 573).

Resp. 1.° Imprimis notandum est hic non agi proprie de praescriptione sed de translatione dominii, quod clare apparet ex eo quod nullus temporis lapsus requiratur. — *Resp.* 2.° Hanc dominii translationem existimamus valere *probabilius* in conscientia, *supposita bona fide.* Quod sic probamus: Status potest etiam in foro interno transferre dominium, si hoc conferat ad bonum publicum. Atqui in casu, *a*) vult transferre dominium, et *b*) haec translatio confert ad bonum publicum. Ergo... *Maj.* patet ex dictis de praescriptione. Ad *min.*, quoad *a*) constat ex ipsis verbis legis; quoad *b*) prob., 1.° quia sic prospicitur *securitati commercii* rerum mobilium, *pactorum stabilitati,* paci et tranquillitati possessionum; 2.° nec laeditur jus prioris domini sine debita compensatione, cum lex ante omnem eventum feratur et omnibus aeque utilis esse possit. Aliunde cum alteruter, i, e. sive prior dominus sive emptor, debeat in casu detrimentum pati, non videtur iniquum si lex statuat sustinendum detrimentum esse ab eo qui facilius illud cavere potuit; atqui facilius potuit dominus cavere ne sibi res auferatur, quam emptor cavere ne res quam emit in publica taberna sit furtiva; ergo non existimamus iniquum, si lex huic dominium rei adjudicet, vel saltem priorem dominum obliget ad pretium emptori bonae fidei refundendum, priori domino actionem reservando in ipsum furem.

3.° Probatur auctoritate multorum recentiorum, ut *Bouvier; Gousset,* Le Code civil, *a.* 2280; *Allegre,* ibid.; *Carrière,* De just., *n.* 1041; *Gury* (hic) in simili casu, quoad jus gallic., *a.* 2280; *Bucceroni, n.* 922, 2.°; *Vermeersch, n.* 285; *Génicot,* I, *n.* 492, 3.°, *d*); *Waffelaert,* De just. et jure, *t.* 1, *n.* 249; Étude de Théol. mor. sur l'obligation en conscience des lois civiles, *pag.* 241 *seq.; Marres, l.* 1 *n.* 423, *l.* 2, *n.* 23; *Van der Moeren,* De just., *n.* 28 (*pag.* 61). Et haec valent a fortiori pro praescriptionibus de quibus diximus *n.* 722.

N. B. 1.° Quoad res emptas in apothecis vel tabernis publico commercio apertis, cum jure **hisp.** cohaeret jus **per.** (C. Comm., *a.* 85). Pro hoc effectu, vocantur apothecae et tabernae publico commercio apertae (*almacenes o tiendas abiertas al público*): 1.° omnes quae instauratae sint a mercatoribus inscriptis; 2.° instauratae a quocumque alio mercatore etiam non inscripto, modo *a*) per octo dies non interruptos apertae maneant, *vel b*) per inscriptiones illic appositas, vel publice distributas, aut per nuntia in localibus ephemeridibus inserta, de illarum instauratione emptores moneantur (*C. Comm. H., a.* 85; **per.**, 85).

2.° Quod statuitur jure **hispano** quoad res emptas publica venditione, idipsum statuunt CC. CC. **lusit.**, 534; **aeq.**, 881; **bol.**, 1561;

bras., 521; **chil.**, 890; **col.**, 947; **cost.**, 481; **guat.**, 656; **nic.**, 890; **Salv.**, 920; **ur.**, 1187, quoad res emptas in nundinis vel in publico mercatu, vel ab eo qui res similes vendere solet. Cfr. etiam *aa.* 327, 328, C. **cost.**

3.° Hujusmodi dispositiones juris **hisp.**, valent etiam in regionibus quae forali jure reguntur, v. gr. in *Cathal.*, quia sunt harmonicae cum C. juris commercii et quia nihil est contrarium in jure forali.

724. — Quaer. 5.° *An valeant in conscientia praescriptiones liberativae quinque annorum ex jure* **hispano?**

Resp. 1.° *Neg.*, generatim, si de primo debitore agatur, quia in eo supponi nequit bona fides, quae ignorantiam debiti omnino requirit. Si vero quis bona fide per totum illud tempus errore invincibili putet se debitum solvisse, videtur etiam posse praescribere. *Marres, l.* 3, *n.* 982.

Resp. 2.° *Affirm.*, quoad primi debitoris successores, si debitum auctoris ignoraverint. *Gousset, n.* 719; *Waffelaert, vol.* 1, *n.* 255, in simili casu, quoad jus gallicum.

Quaer. 6.° *An praescriptiones liberativae triennales vel etiam triennio minores valeant in conscientia?*

[*Resp.* 1.° *Neg.*, quoad jus **cost.**, **ur.** et **ven.**, quia in talibus praescriptionibus legislator intentionem non habet dominium transferendi. Sic clare supponitur in CC. citat., juxta quos ii, qui praescriptionem opponunt, tenentur jurare (**ur.**, *a.* 1201; **ven.**, 1965), vel saltem fateri (**cost.**, *a.* 872), se debitum revera solvisse, vel scire fuisse solutum ab antecessore. Item intellige de praescriptionibus liberativis quatuor ann., *a.* 1196 Cod. **ur.**].

Resp. 2.° *Affirm.*, probabiliter, ex jure **hisp.**, *aa.* 1967, 1968; **lusit.**, 535 *seq.*; **guat.**, 661 *seq.*; **mex.**, 1095; **per.**, 560 *seq.*; saltem quoad successores debitoris, supposita bona fide. Lex enim eodem modo loquitur sive de his sive de aliis praescriptionibus longioribus.

[Idem ob eamdem rationem videtur dicendum ex jure **aeq.**, *a.* 2503 *seq.*; **arg.**, 4066 (4032) *seq.*; **bol.**, 1567 *seq.*; **chil.**, 2521 *seq.*; **col.**, 2542 *seq.*; **nic.**, 2521 *seq.*; **Salv.**, 2470.

Dices: jure **aeq.**, 1460; **arg.**, 549 (515); **chil.**, 1470; **col** , 1597; **nic.**, 1470, et **Salv.**, 1456, inter obligationes *naturales* recensentur illae quae extinctae sunt per praescriptionem: ergo mens legislatoris fuit tantum extinguere actionem, minime vero obligationem in conscientia. *Dist.*: recensentur inter obligationes naturales, quatenus quis *teneatur* in conscientia illis satisfacere, *neg.*; quatenus, si quis velit libere eis satisfacere, conferant alteri jus retinendi quidquid ratione illarum solutum fuit, *conc.* — Ratio solutionis est 1.° ipsa definitio obligationis naturalis data in ipsis CC. et aa. citatis; 2.° quia etiam inter obligationes naturales recensentur ibi illae quae contractae fuerint ab iis qui inhabiles sunt ad contrahendum,

v. gr. ab uxore sine venia mariti, a minoribus, etc., et obligatio solvendi legatum relictum in testamento informi (*Ibid.*); atqui *probabilius* ii non tenentur in conscientia hujusmodi obligationibus satisfacere; ergo...; 3.° quia inter modos extinguendi obligationem recensetur solutio, condonatio et *praescriptio* (**aeq.**, 1557; **chil.**, 1567; **col.**, 1625; **nic.**, 1567).

Cfr. *Villalón, nn.* 324, 423 *seq.*; 483, 484; 498, 2 *et* 3; *Marres, l.* 3, *n.* 379 *seq.*; *Waffelaert*, l. c. — Contrarium docet, *non improbabiliter*, *P. Valenzuela, n.* 111, loquens de jure **Columb.**].

V. *Bona fides.*

725. — Bona fides in hac materia est firma persuasio, qua quis prudenter judicat, rem a se possessam esse suam.

I. Haec bona fides omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex praescriptione. — Ratio est, quia quisquis advertit, se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, cum res aliena tum jure naturali, tum etiam positivo, sive divino sive humano, scienter neque subripi, neque retineri possit. Constat etiam ex novo Codice, ubi declaratur: «Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito» (*can.* 1512). Unde dispositiones juris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valent, et velut mera denegatio recursus, id est, *actionis* contra alium sunt habendae.

II. Requiritur autem bona fides non solum ad praescriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eaedem rationes et auctoritates aeque urgent.

Verumtamen juxta multos theologos et juristas, bona fides non requiritur ad se liberandum ab aliqua *servitute passiva*, seu potius dicendum, bonam fidem in hoc consistere, ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu juris sui impediatur. — Ratio est, quia praescribens nullo ligatur debito erga eum, contra quem praescribit; nec tenetur, decurrente praescriptionis tempore, monere alium, ut contra ipsum servitutis jure utatur. Quod verissimum est si ad hujusmodi praescriptiones nullus actus praescribentis requiratur, sed tantum non usus illius cui jus servitutis competit. *S. Alph., n.* 513; *D'Annibale*, II, *n.* 152; *Ball., hic; Marres, l.* 3, *n.* 385 *seq.* Cfr. tamen *Sancti-Leitner, lib.* 2, *tit.* 26, *n.* 22.

726. Quaesita. — QUAER. 1.° *An praescribat heres, qui dubitat de bona fide antecessorum?*

Resp. Affirm., quia mala fides *per se et ordinarie* praesumi non debet, cum nemo malus praesumatur, nisi probetur. *Ita communiter.*

QUAER. 2.° *An* jure romano *mala fides antecessoris semper impediat successorem a praescriptione?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si heres succedat ex titulo universali. Ratio est, quia *fictione juris* romani, heres repraesentat semper personam defuncti cum omnibus suis vitiis, cum quibus decessit et consequenter cum illa mala fide (*Lugo*, De just., *d.* 7, *n.* 60). Et hoc tenendum est etiam quoad praescriptionem 30 annorum, et *probabiliter* quoad heredem mediatum.

Resp. 2.° *Neg.*, si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu. *S. Alph.*, *n.* 516.

QUAER. 3.° *An jure* **hispano** *mala fides antecessoris semper impediat successorem a praescriptione?*

Resp. Neg., quamvis succedat titulo universali; sed potest praescribere etiam ordinaria praescriptione. Ratio est, quia jus hispanum non admittit, nec tenebatur admittere, illam *fictionem* juris romani, sicut non admittit necessitatem instituendi heredem ut testamentum valeat, etc. Unde C. C., *a.* 442, statuit: «Successori titulo hereditario nullum praejudicium afferet mala fides antecessoris, nisi probetur hujus malam fidem illi fuisse notam; sed nec propria bona fides illi proderit nisi a die mortis antecessoris.» Idem eruitur ex *aa.* 1940, 1950 et 1952. Vide etiam *Alsina*, Th. mor., *vol.* 2, *n.* 49, *R.* 2.° — [Idipsum tene ex jure **aeq.**, 706 et 2482; **chil.**, 717 et 2500; **col.**, 778, 2521; **guat.**, 534; **mex.**, 1078, 1079 *seq.*; **nic.**, 717, 2500; **per.**, 548, 536, 467 (sed in quibusdam casibus requiruntur in heredibus ad praescriptionem 20 anni inter praesentes, et 30 inter absentes, juxta *a.* 553); **Salv.**, 780 et 2449; **ur.**, 1180; **ven.**, 1959. — Attamen tum C. **arg.**, *aa.* 4038; 4039 (4004, 4005), tum **bol.**, 1524, statuunt heredem praescribere non posse].

Scholion. — Bona fides, de qua hucusque dictum est, *theologica* appellari consuevit; sed est alia quae vocari solet *juridica* vel civilis, estque fides vel persuasio talis qualem exigit lex civilis. *D'Annibale*, *vol.* 2, *n.* 140; *Vermeersch*, *n.* 267.

Bona fides juridica requiritur etiam ad praescribendum in conscientia, quoties illam lex civilis exigit; ratio est, quia tota vis praescriptionis a lege civili in casu est repetenda; ergo praescriptio vim non habet deficientibus conditionibus a lege statutis. At vero cum lex civilis bonam fidem non exigit, sufficit ad praescriptionem, et requiritur, bona fides theologica.

Jam vero cum bona fides hac in re semper supponat aliquam ignorantiam sive juris sive facti, hanc postremam cohaerere non modo cum bona fide theologica sed etiam cum juridica omnes ultro concedunt. Sed disputatur **utrum cum ignorantia juris invincibili stare possit bona fides juridica**. Cum illa bonam fidem theologicam stare posse, pro comperto est. Cui quaestioni

Resp. 1.° *Neg.* probabilius quoad jus *rom.*, *l.* 31, *Dig.* De usuc.; **aeq.**, *a.* 694; (**arg.**?, 4041 (4007); **chil.**, 706; **col.**, 768; **nic.**, 706; **Salv.**, 769. Ratio, quia ex jure romano, l. c., «numquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest»; ex citatis vero CC. **Amer.** «error juris constituit malae fidei praesumptionem, quae probationem in contrarium non admittit». *Van der Moeren*, *n.* 27; *Waffelaert*, I, *n.* 237; *Valenzuela*, l. c., *n.* 104; *Villalón*, *n.* 222. — Verum opposita sententia videtur etiam *probabilis.* Ratio, quia lex ideo praescriptionem in foro externo non admittit, ubi adest ignorantia juris, quia *praesumit* abesse bonam fidem. Sed praesumptio cedit veritati. Ergo si revera ignorantia juris cöexsistit cum bona fide theologica, legislator non vult excludere praescriptionem in conscientia. Praesumptio enim importat ut, eo absente quod praesumitur, cesset ratio eorum, quae ex tali praesumptione decernuntur. *Ita Lugo*, *d.* 7, *n.* 32 *seq.*; *Ball.-P.*, *vol.* 3, *nn.* 153, 154; *Bucc.*, *n.* 927; *Vermeersch*, *n.* 267; *Waffelaert*, l. c.; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 308.

Resp. 2.° *Affirm.*, probabilius, ex jure **hisp -ph.**, 433; **hisp.**, 1951; **bol.**, 295, 1522 *seq.*; **cost.**, 285, 853; **guat.**, 517, 646; **mex.**, 830, 831, 1079; **per.**, 467, 540, 549; **ur.**, 1181, 668; **ven.**, 684, 685; *D'Annibale*, II, *n.* 140; *Bucc.*, *n.* 927; *Marres*, *l.* 1, *nn.* 388, 389. Cfr. etiam *Waffelaert*, *n.* 237; *Allegre*, ad art. 2265.

Coroll. — Igitur in praxi, et ante sententiam judicis, satis erit attendere ad bonam fidem theologicam tum ex jur. *rom.* tum ex **hisp.-ph.** et **Amer. lat.** Cfr. *Marres*, *l.* 2, *n.* 31.

PUNCTUM IV

De accessione.

(Cfr. CC. CC. **hisp.-ph.**, 353-383; **lusit.**, 2289-2308; **aeq.**, 632-658; **arg**, 2601-2634 (2567-2600); **bol.**, 291-318; **bras.**, 536-549; **chil.**, 643-669; **col.**, 713-739; **cost.**, 505-519; **guat.**, 580-628; **mex.**, 773-821; **nic.**, 643-669; **per.**, 490-535; **Salv.**, 713-739; **ur.**, 706-732; **ven.**, 464-494).

727. — Accessio est modus acquirendi dominium in rem aliquam propterea quod res illa a nostra producatur, vel rei nostrae adjiciatur. Accessio autem fieri solet variis modis, scilicet:

1.° *Nativitate*, seu quando ex animali nostro aliud nascitur, etsi conceptum de masculo ad alium pertinente. Qui enim habet matrem jus habet ad omnes ejus partus. Hinc axioma: *Partus sequitur ventrem.* Idem intellige de fructificatione agrorum et de fructibus civilibus, i. e. de pensionibus locationis, censuum, juxta aliud axioma: *Res fructificat domino.*

2.° *Alluvione*, seu quando vi aquarum incrementum alicui praedio paulatim accedit. Non autem alluvione repentina dominium

acquiri potest. Insula e fluvio emergens domino ripae, vel cui inhaeret, vel cui proximior est, obvenit; si vero in medio sit fluminis, dominis utriusque ripae acquiritur. At jure **hisp.-ph.**, **lusit.**, et **Amer. lat.**, insulae emergentes in flumine navium capaci obveniunt Statui.

3.° *Adjunctione*, seu quando res duae ad diversos dominos pertinentes ita in unum quid coalescunt, ut separari sine detrimento non possint, v. gr. si annulo aureo gemma aliena adjungatur; tunc totum compositum est illius, cujus materia est in re composita praestantior sive magnitudine, sive pretio; sed hic alterum indemnem facere debet.

4.° *Specificatione*, seu quando ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur. Tunc, si species ad priorem materiam redire non possit, res pertinet ad artificem, qui tenetur pretium materiae solvere, et damna, si quae sint, compensare.

5.° *Commixtione*, seu *confusione* duarum rerum aeque principalium ad diversos pertinentium dominos. Tunc si res mixtae possint dignosci et separari, separentur; si vero non possint dignosci, res communis erit, et dividenda pro rata quantitatis propriae singulorum. Attamen dominus materiae praestantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione; si autem res mixtae sint circiter aequales, compositum pertinet ad utrumque dominum in communi, et vel cumulus vendi, ut pretium dividatur, vel dividi pro rata potest.

N. B. Hucusque dicta valent tum jure *rom.*, tum jure **bol.**, **cost.** et **ven.**, imo etiam jure **hisp.-ph.**, **lusit.** et reliq. CC. **Amer. lat.**, si (de quibus hic 3.°-5.°) bona fide peractae sint, vel saltem utroque domino sciente.

At si peractae fuerint mala fide et altero ignorante, qui mala fide egit, jure **hisp.-ph.**, **aeq.**, **chil.**, **col.**, **guat.**, **mex.**, **nic.**, **Salv.**, **ur.**, rem suam amittet et damna illata, si quae sint, reparare debet. Excipe jure **hisp.-ph.**, **guat** et **mex.**, casum quo mala fide egerit dominus rei principalis: tunc dominus rei accessoriae, vel hujus separationem repetere potest quocumque damno domini rei principalis, vel pretium illius rei exigere; et in utroque casu jus habet etiam ad damnorum reparationem. (Jure **per.**, dominus rei principalis debet solvere *duplum pretii*, si mala fides ex parte sua se teneat; dimidium vero, si ex parte alterius).

728. —6.° *Aedificatione*, seu quando construitur aedificium ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in fundo alieno, vel ex aliena materia in fundo alieno. Generatim jure *rom.*, **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, dominium fundi secum trahit quidquid est supra vel infra positum. Aedificium igitur est illius, cujus est solum, praestita debita compensatione. Idem fere dicendum de *plantatione* et *satione*. Hinc vulgares versus:

Quidquid plantatur, seritur, vel inaedificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Quoad indemnitatem haec statuuntur jure **hisp.-ph.**, **guat.** et **mex.**: 1.° qui in fundo *suo* aedificavit, plantavit vel alia opera fecit ex materia *aliena*, *a*) si egit *bona fide*, debet tantum solvere pretium materiae. [Cohaeret jus **lusit.**, **aeq.**, **arg.**, **bol.**, **chil.**, **col.**, **cost.**, **nic** , **per.**, **Salv.**, **ur.**, **ven.** Jure *rom.*, solvet duplum pretii].

b) Si *mala* fide, et ignorante domino materiae, tenetur, praeter pretium, ad compensationem damnorum. [Cohaer. jus **lusit.**, **arg.**, **aeq.**, **bol.**, **chil.**, **col.**, **cost.**, **nic.**, **Salv.**, **ur.**, **ven.** Jure **per.**, solvere debet duplum pretii. Item jure *rom.*, sed dominus materiae (praeter duplum pretii) materiam forte aedificio exemptam sibi vindicare potest, vel etiam, si juncta illa manet, datur domino actio ad vindicandam materiae aestimationem, adeo ut alter, praeter duplum, solvere rursus etiam pretium materiae debeat].

2.° Qui in fundo *alieno* aedificavit, plantavit, etc., ex materia *sua*, *a*) si *bona fide* egit, poterit dominus fundi vel praevia materiae et operis compensatione, opus, plantationem, etc., sibi retinere (ita etiam **arg.**, *a.* 2622 (2588); **bol.**, 300; **bras.**, 547; **cost.**, 508; **ven.**, 463); vel soli pretium ab aedificante, et ab eo qui plantavit exigere, aut ab illo qui seminavit repetere reditus annuos, *a.* 361. [Cohaeret jus **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **per.**, **Salv.**, **ur.** Jure *rom.* et *cathal.*, materiae dominus pretium illius repetere potest].

b) Si *mala* fide, et ignorante domino fundi, omnia amittit sine ulla compensatione (ita *rom.*, *cathal.* et etiam **bras.** et **per.**, quoad plantationem et seminationem); imo dominus fundi exigere potest ut aedificium destruatur, plantationes evellantur et res in pristinum statum reponantur, expensis illius qui aedificavit, plantavit, etc., *a.* 363. Vide praeterea, *aa.* 364 et 365 [Jure **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **ur.**, idem statuitur ac in casu praecedenti, 2.° *a;* ita tamen ut si dominus fundi velit sibi servare aedificium, etc., teneatur compensare dumtaxat materiam, si haec separari possit absque fundi detrimento, et juxta valorem quem separata haberet. Jure **lusit.**, **arg** , **bol.**, **cost.**, **ven.**, dominus fundi potest sibi servare aedif., etc., facta compensatione materiae et laboris, vel exigere ut destruatur, etc. Ita etiam **per.**, quoad aedificationem].

ARTICULUS II

DE USU ET USUFRUCTU

(Cfr. CC., **hisp.-ph.**, 467-529; **lusit.**, 2197-2261; **aeq.**, 751-806; **arg.**, 2841-3003 (2807-2969); **bol.**, 319-371; **bras.**, 713-745; **chil.**, 764-819; **col.**, 823-878; **cost.**, 335-369; **guat.**, 1309-1394; **mex.**, 865-941; **nic.**, 764-819; **per.**, 1081-1124; **Salv.**, 794-847; **ur.**, 469-524; **ven.**, 495-554).

N. B. Quae in toto hoc art. dicuntur vim habent non modo jure *rom.*, sed etiam **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, nisi aliter notetur.

Usus est jus utendi re aliena, salva ejus substantia. *Ususfructus* est jus utendi simul et percipiendi fructum e rebus alienis, salva pariter earum substantia.

729. **Principia**. — I. *Usufructuarius* plenum usum ac fructum rei alienae habet, ita ut omnes fructus rei suos faciat, et de ipsis pro nutu suo disponere possit, sive per se, sive per alium. — Ratio est, quia usufructuarius personam proprietarii quoad dominium utile agere censetur.

II. *Usufructuario* incumbit onus tum custodiam praestandi, tum expensas, si modicae sint, subeundi, ut res in integro suo statu conservetur, tum etiam faciendi sumptus, ut naturales fructus ex ea percipiat. Tenetur etiam ad solvenda onera ordinaria, quibus gravatur res usufructuaria, qualia sunt salaria, tributa annua et similia.

Quoad reparationes necessarias extraordinarias, si faciat eas dominus, jus habet exigendi ab usufructuario *reditus* legales capitalis impensi, toto tempore quo ususfructus duret; si vero hic, domino negligente, eas perfecerit, finito usufructu, poterit a domino repetere augmentum valoris, quod habet res ex tali reparatione. Ita jure **hisp.-ph.**, **lusit.** [**aeq.**, **bol.**, **chil.**, **col.**, **cost.**, **nic.**, **per.**, **Salv.**, **ur.**, **ven.**, quibus fere accedunt **guat.**, 1352 *seq.*, et **mex.**, 904 *seq.* — Jure **arg.**, 2922, 2923 (2888-2889), nemo tenetur ad extraordinaria: si usufructuarius ea fecerit, non habet jus ad compensationem].

III. *Usufructuarius* uti debet re aliena tamquam bonus paterfamilias, eamque talem reddere, qualis reperiri debet post bonam administrationem. Proprietarius autem nihil facere potest, quo deterior fiat conditio usufructuarii, quia *patitur frui.*

IV. *Jure* **hisp.-ph.**, 527; **guat.**, 1386, 1387; **mex.**, 940, 941; **per.**, 1121: *a*) Si *usuarius* omnes fructus rei consumat, vel totam domum in quam jus habitationis habet, occupet, tenetur ad onera subeunda sicut de usufructuario dictum est princ. II. — *b*) Si vero partem fructuum tantum consumat, vel partem domus occupet, non tenetur ad ulla onera usuarius modo reliqui fructus, vel pars domus libera ad praedicta onera sufficiant. Secus supplere debet id quod desit. — [Jure autem **lusit.**, 2259, 2260; **aeq.**, 805; **arg.**, 2991, 3002 (2957, 2968); **bol.**, 371; **chil.**, 818; **col.**, 877; **cost.**, 369; **nic.**, 818; **Salv.**, 846; **ur.**, 523; **ven.**, 542, tenetur uterque concurrere pro rata fructuum; at si pauperi ex charitate concedatur usus vel habitatio, hic liber erit ab expensis quibuscumque subeundis ex jure **aeq.**, **chil**, **col.**, **nic.**, **Salv.**].

730. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *Quomodo acquiratur ususfructus vel usus?*

Resp. Acquiritur: 1.° ex lege, et tunc dicitur *legalis:* talis est usufructus parentum ex bonis filiorum, vel mariti ex bonis uxoris; 2.° ex conventione vel contractu, et ideo *conventionalis* nuncupatur; 3.° jure **hisp.-ph.**, *a.* 468, et **Amer. lat.**, potest etiam constitui praescriptione.

QUAER. 2.° *Quomodo cesset usufructus vel usus?*

Resp. Cessat 1.° morte naturali (aut *rom.* civili) usufructuarii; 2.° tempore statuto; 3.° interitu totius rei; 4.° consolidatione, v. gr. si usufructuarius fiat dominus rei; 5.° omnimoda mutatione, v. gr. si pratum fiat stagnum; 6.° renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum; 7.° (jure **hisp.-ph.**, **lusit.** et **Amer. lat.**), praescriptione; 8.° abusu [ita jure *rom.*, **aeq.**, 796, 799; **bol.**, 355, 366; **bras.**, 739; **chil.**, 809, 812; **col.**, 868, 871; **nic.**, 809, 812; non autem jure **guat.**, 1379, 1382; **mex.**, 932, 935; **ur.**, 515; **Salv.**, 833 *seq.*]; at jure **hisp.-ph.**, cessat usus, non usufructus.

731. **Resolves:** — 1.° Si veniant sub usum et usumfructum res primo usu consumptibiles, hoc ita est intelligendum quatenus res hujusmodi absumere usufructuarius potest et deinde aestimationem earum reddere, vel, si aestimatae non sint, reddere in eadem specie, pondere vel mensura easdem res, vel quod sit earum pretium tempore quo usufructus cesset.

2.° Usufructuarius facultatem habet percipiendi quidquid in fundo nascitur, segetes scilicet, fenum, fructus arborum, etc.; ad ipsum quoque pertinent proventus piscationis, fetus animalium, eorum lana, lac, etc. Item potest in silvis certam lignorum portionem caedere, quam nempe paterfamilias caedere solet.

3.° Potest usufructuarius jus suum titulo venditionis, locationis vel donationis alteri cedere. Idipsum autem dici nequit de usuario; qui tamen, si jus habeat domo aliqua utendi, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore, quo usum acquisivit, conjugatus non fuerit. [Attamen jure **arg.**, 2993 (2959), cedi potest jus percipiendi fructus acquisitum titulo oneroso].

4.° Fructus *naturales* et *industriales* (cfr. infra, *n.* 772, *q.* 1) initio pendentes percipit usufructuarius sine onere solvendi pro cultura, vel semine, etc... Et reciproce, si discedat ante maturitatem fructuum, nihil reclamare potest. Fructus vero *civiles* de die in diem acquiruntur, ac proinde dividi debent pro rata temporis, quo usufructus duravit. Ita jus *rom.* et **Amer. lat.** v. gr. **bras.**, 721. — Cohaeret jus **hisp.-ph.**, *aa.* 472-474, et **lusit.**, 2203-2205, ita tamen ut si usufructus cesset ante maturitatem fructuum, dominus debet solvere ex fructibus pendentibus, expensas ordinarias culturae, seminum, etc.

N. B. Clericus sui beneficii veluti usumfructum habet, ejusque fructus omnes sive naturales sive industriales, sive civiles, detractis oneribus, facit suos pro rata temporis quo beneficium obtineat.

S. C. C. *in Signina*, 20 dec. 1873 (Thes. Resol. S. C. C., *vol.* 132, *pag.* 749; *vol.* 133, *pag.* 138); *in Mathelicen.*, 28 jan. 1882 (Thes., *vol.* 141, *pag.* 1 *seq.*).

ARTICULUS III

DE SERVITUTE

732. — Definitio. Servitus *realis* (de qua hic unice sermo est), *passive* sumpta, est onus rei impositum in utilitatem alterius. — *Active* autem sumpta, est jus quod quis habet in re alterius, ut sibi vel rei suae serviat.

Divisio. 1.° Servitus *ratione originis* est vel *naturalis*, vel *legalis*, vel *conventionalis*, prout vel ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventione oritur.

2.° *Ratione objecti*, est *urbana*, vel *rustica*, prout instituitur in utilitatem praedii urbani vel rustici.

3.° *Ratione modi*, est *continua*, vel *non continua*, prout durare potest absque hominis facto, ut est servitus aquaeductus; aut sine eo exerceri nequit, v. gr. servitus itineris. Iterum est *apparens*, vel *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, v. gr. janua, fenestra, etc., aut tali signo caret, ut est v. gr. prohibitio aedificandi in quopiam loco, etc.

733. **Quaesita.**—Quaer. 1.° *Quaenam sint jura et obligationes servitutum?*

Resp. Generatim loquendo ea pendent a natura rei, seu a lege vel a conventione; haec autem praecipue statuuntur: 1.° Is, qui *active* jus habet ad servitutem, omnia opera perficere potest, quae necessaria sunt ad ea utendum, atque ad illam conservandam. 2.° Si dividatur fundus, ad cujus utilitatem constituta est servitus, haec cuique parti istius fundi debetur. 3.° Dominus praedii servientis nihil agere potest, ex quo servitutis usus minui possit; et vicissim is, cui debetur servitus, nihil facere potest, unde conditio praedii servientis gravior fiat. Ita fert naturalis aequitas, cui etiam jura consonant.

Quaer. 2.° *Quomodo extinguantur servitutes?*

Resp. 1.° Elapso statuto tempore, vel impleta conditione; 2.° renuntiatione expressa vel tacita; 3.° consolidatione, qua dominus praedii dominantis fiat simul dominus servientis, aut vice versa; 4.° praescriptione, seu non usu juris servitutis tempore requisito, juxta dicta supra, *n.* 720.

734. **Resolves:** — 1.° Si agatur de servitutibus naturalibus, seu de servitutibus, quae ex naturali locorum dispositione sequuntur, non potest dominus praedii inferioris aggerem struere, ut aquae praedii superioris non amplius per fundum suum defluant; sicut

nec dominus praedii superioris quidquam facere valet, ut aquarum fluxus insolite augeatur.

2.° Ad acquirendum praescriptione jus servitutis, v. gr. jus viae, aquaeductus, etc..., per alienum fundum, debet praescribens exercere actus positivos, quibus tale jus acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat jus illud ad se pertinere. Cfr. dicta supra, *n.* 720.

3.° Qui agros possident ad ripas fluminum navigabilium, obstare non possunt, quominus aperiatur via necessaria ad navigiorum cursum. Idem dicendum de iis, quorum praedia viis aut aliis publicis operibus adjacent; ii enim tenentur ad servitutem patiendam, quamdiu necessaria est ad praedictorum operum confectionem vel reparationem. At in utroque casu proprietarii laesi jus habent ad indemnitatem quamdam, si fieri possit.

4.° Dominus praedii servientis non potest mutare positionem, v. gr. viae, aquarum, rivuli, nisi servitus gravior evaserit, aut impediat, quominus reparationes praedio utiles fiant.

PARS SECUNDA

DE VIOLATIONE JURIS SEU DE INJURIA

CAPUT I

DE INJURIA IN GENERE

735. — Definitio. Injuria est juris alieni violatio.

Divisio. Est 1.° *formalis*, vel *materialis*, prout fit scienter et voluntarie, aut absque cognitione et consensu.

2.° *Gravis*, vel *levis*, prout ex ea proximus damnum grave vel leve tantum patitur.

3.° *Directa*, vel *indirecta*, prout intenditur in se, aut in causa tantum praevidetur et permittitur.

736. **Principia**. — I. Datur praeceptum naturale a Deo promulgatum atque sancitum, vetans ne laedatur jus strictum alterius; unde omnis injuria juri naturali adversatur. — Ratio patet ex dictis supra, *n.* 655 *et seq.* Quandoquidem enim quispiam factus sit legitimus quorumdam bonorum dominus, necessario jus inviolabile in ea habere debet; secus jus ipsius esset illusorium, seu non esset jus; quod contradictionem involvit.

II. Injuria seu laesio juris alieni est peccatum grave *ex genere suo*. — Ratio est, quia rectae rationi, bono ordini et legi divinae graviter adversatur.

III. *Scienti et volenti non fit injuria;* — quia volens cedit e jure suo, et proinde jus servare non vult. Hinc de essentia injuriae est, ut erga nolentem seu in invitum exerceatur.

Excipe casus nonnullos, in quibus homo jus suum cedere nequit, quantumvis volens: sic conjugatus nequit consensu suo impedire, quin violatio uxoris suae sit adulterium, quia natura postulat, ut jus conjugale sit prorsus inalienabile. Adde pro christianis jus sacramenti, quod violari nequit. Hinc damnata est sequens propositio ab Innoc. XI, sub n. 50: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

737. **Resolves**: — 1.° Consentienti ex dolo vel metu injuste incusso fit injuria, quia consensum aut nullum re ipsa praestat, aut non praestat libere, sed tantum ad se redimendum ab injusta vexatione.

2.° Peccat itidem contra justitiam, qui alium occidit volentem occidi; ratio, quia vitae humanae dominium sibi reservavit Deus, homo vero est mere usufructuarius, qui idcirco jus in vitam abdicare a se nequit; unde sin minus hominis, certe jus Dei violatur.

3.° Usurarius injuriam facit mutuatario solventi usuras, sicut venditor emptori pretium ultra summum pro merce concedenti.

4.° Tortores martyribus injuriam fecerunt, etsi martyres mortem desideraverint et libenter pertulerint.

738. **Quaesita** — Quaer. 1.° *Quaenam materia censeatur gravis vel levis* in injuria?

Resp. Gravis censetur ea materia, quae ex natura sua, vel ex hominum aestimatione, apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad charitatem mutuam dissolvendam. *Ita Lacroix, n.* 972; *Reuter, n.* 436, *et alii.* Ratio est, quia cum finis justitiae sit pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuumque amorem per conservationem jurium promovere, gravis merito censetur illa materia, quae ex natura sua, vel hominum aestimatione, mutuum amorem dissolvere cum pacis communis jactura, seu tristitiam difficile sedandam causare potest.

Dixi *ex natura sua*, etc.; quia in regula generali statuenda attendi illud debet, quod communiter in hominibus temperato judicio atque affectu utentibus usuvenit, non vero quod affectuum tumultus et intemperantia in iis adjunctis suggerit; justitia enim rationis ductum et prudentiae dictamen sequitur.

Quaer. 2.° *An injuria alteri inferri effective possit per actum mere internum?*

Resp. Affirm. Quia aliquando solo actu interno jus strictum alterius laedi potest. — Patet exemplo judicii temerarii, quo juxta communem sententiam justitia erga proximum violatur; quando-

quidem quisque jus strictum ad bonam sui existimationem apud singulos habet. Recole dicta *n.* 569. — Ceterum in hoc casu nulla est *specialis* difficultas; siquidem cum injuria mere interna nullum damnum externum laeso inferat, nulla exterior reparatio facienda est, sed imprudens dumtaxat mentis judicium est abjiciendum.

739. — QUAER. 3.° *An actus internus efficere per se possit ut actus externus evadat injustus?*

Resp. 1.° *Neg.*, si actus externus *per se* materialiter jus alterius non laedat, non obstante prava nocendi intentione in agente. Ratio est, quia ubi nullum jus laeditur, nulla potest esse injuria. Hinc non peccat contra justitiam recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur. *Ita communissime.* — *Lugo*, *d.* 8, *n.* 78, et *d.* 18, *n.* 98; *Vogler*, *n.* 400; *Marres*, *l.* 2, *n.* 8, contra *paucos.*

Resp. 2.° *Neg.*, pariter quando agens jus habeat directe ponendi actum externum, qui est alteri nocivus, etiamsi ex intentione nocendi agat. Ratio est, quia intentio prava facere nequit injustum, quod *de se* justum est, siquidem naturam actus externi mutare non potest. Hinc non peccat *actu externo* contra justitiam judex homicidam ex odio ad mortem promeritam damnando; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet. *Ita communissime juxta Vogler*, *n.* 402, cum *Lugo*, *d.* 8, *n.* 79, et *d.* 18, *n.* 98; *Marres*, l. c.

Resp. **3.°** *Affirm.* autem, si opus externum de se indifferens *duplicem* effectum pro diversa agentis intentione habere possit, alterum *injustum*, *justum* alterum. Tunc actus internus, ut patet, efficere potest ut actus externus de se indifferens evadat injustus. Itaque non peccas quidem contra justitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituas; secus vero, si accipias, ut retineas. Nec injuriam facis amico, ejus librum tollendo ut illum obiter percurras; secus vero, si ut subripias. *Marres*, l. c.

740. — QUAER. 4.° *Quid si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, non sit tamen vere probabile quod secuturum damnum sit?*

Resp. Controvertitur inter gravissimos theologos. Clarior autem patebit status quaestionis ex sequentibus exemplis: 1.° Aliquis ponit venenum aut laqueum in loco, in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione ut occidatur, si forte transeat. 2.° Medicus adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur, sed non vult majorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quaeritur, an illi causa sint injustae mortis, si de facto sequatur? Duplex est sententia. — I.ª SENTENTIA, quae communior videtur, *negat.* Ratio est, quia ex una parte actus externus non est injustus, quum mera damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debeat; ex altera parte actus internus non efficitur injurius ratione intentionis, cum intentio non influat in efficaciam causae, seu in periculum damni.

Quocirca dicenda est causa mere *per accidens*, nec prava intentio ejus naturam mutat. *Ita Lessius*, *lib.* 2, *c.* 9, *n.* 113; *Vogler*, *n.* 404, *et alii non pauci.* — II.ª vero SENTENTIA *affirmat*, non infirmo fundamento innixa. Ratio est, quia in praefatis casibus homicidium est sane contra justitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Ideo enim, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa; sed intentio illam connexionem supplet, et facit, ut operans vera illius causa sit, quippe ad rationem causae multum conducit intentio operantis. Ergo, etc... *Ita Lugo*, *d.* 8, *n.* 75; *Salmant.*; *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 340 *seq.* Advertit porro Lugo in praefatis casibus ad rationem injuriae non sufficere praevisionem possibilitatis damni, sed requiri etiam intentionem illud procurandi.

Prima sententia est solide probabilis, eamque tenent, praeter *Lessium* (l. c. et *c.* 7, *n.* 25), *S. Alph.*, *n.* 636; *Lehmk.*, I, *n.* 979; *D'Annibale*, *vol.* 2, *n.* 200, *not.* 54; *Génicot*, 1, *n.* 517; *Marres*, *l.* 2, *n.* 54; *P. Llobera* (hic in script. lithograph.). Eam etiam ut probabilem habet *Valenzuela*, l. c., *n.* 442.

CAPUT II

DE INJURIA IN SPECIE SEU DE PECCATIS CONTRA JUSTITIAM

Hic tantum de injuriis in bonis fortunae agendum est, scilicet de furto et ejus speciebus. — De aliis enim injuriis, in bonis scilicet corporis, honoris et famae, sat dictum est in tractatu de quinto et octavo Decalogi praecepto.

Agendum 1.° de natura et gravitate furti; 2.° de causis a furto excusantibus.

ARTICULUS I

DE NATURA FURTI

741. DEFINITIO. *Furtum* est ablatio rei alienae domino rationabiliter invito.

DIVISIO. *Furtum* sic distinguitur:

1.° Furtum *simpliciter*, si fiat *occulte*. — 2.° Rapina, si fiat *aperte* cum vi domino illata. — 3.° Sacrilegium, si fiat circa rem sacram.

Principia. — I. Furtum, quocumque nomine appelletur, peccatum grave est *ex genere suo*, – quia graviter *per se* legi naturali adversatur, ut patet tum ex ratione, tum ex Scriptura sacra, in qua

adnumeratur peccatis, quae e regno caelorum excludunt. Sic enim Apost., I Cor., IV, 10: *Neque fures... neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

II. Furtum sacrilegum et rapina speciem malitiae diversae constituunt: illud, quia praeter justitiam violat religionem; ista, quia injustae ablationi rei alienae addit injuriam personae illatam. Ceteri autem modi, vel alia objecta furti, speciem non mutant, quia per ista damnificationis natura non mutatur.

742. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam materia censeatur gravis* in furto?

Resp. 1.° Materiae gravitas in furto desumenda est ex gravi detrimento *finis* propter quem proprietas bonorum externorum indicta est. Cum vero his finis duplicem habeat respectum, unum ad singulos homines, ut scilicet inter eos servetur *pax* et *concordia*, alterum ad societatem, ut nempe in ea vigeat *securitas* et *necessarium incitamentum* ad industriam laboresque sustinendos; inde eruitur, gravitatem furti oriri posse ex alterutro respectu.

Ex primo respectu desumitur gravitas *relativa*, attendendo scilicet ad varias hominum conditiones et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem. Ratio est, qua gravitas *relativa* furti; sicut gravitas cujuslibet injuriae (supra, *n.* 738), pendet praesertim a majori vel minori privatione, dolore et reluctatione voluntatis, quam patitur ille, cui surripitur; jam vero nemo non videt, eamdem materiam nunc levem nunc gravem causare contristationem, prout dominus, cui aufertur, dives est vel pauper, vel prout persona, quae aufert, magis vel minus conjuncta sit cum domino, v. gr. uxor, filius, ancilla, extraneus, etc. — Attendendum tamen est ad reluctationem voluntatis, ut inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines majori vel minori amore pecuniae allectos. *Ita communiter* cum *S. Alph.*, *n.* 526; *Lehmk.*, I, *n.* 931; *Génicot*, I, *n.* 506. — Haec relativa gravitas attenditur in furtis contra personas privatas, nisi hae ingentes habeant divitias.

Ex altero respectu desumitur *gravitas absoluta:* securitas enim societatis et necessarium incitamentum ad laborem exigunt ut sit aliqua materia absoluta, quam numquam sine culpa gravi praetergredi liceat, quamvis gravem rationabilemque tristitiam ejus furtum non inferat personae ditissimae vel communitati, a qua talis summa forte ablata est. Secus furta hujusmodi multiplicarentur, falsas vendendo merces, falsis utendo mensuris ac ponderibus, etc. Vide etiam quae habet optima Lugo, *d.* 16, *n.* 21 *seq.*, 35, etc.

743. — *Resp.* 2.° Ad gravem vero materiam *relative* spectatam (attentis praecipuis Europae locis, et temporum nostrorum adjunctis) requiri videntur: 1.° circiter valor unius vel duorum francorum relative ad pauperes, et aliquando minus pro majori gradu

necessitatis; 2.° circiter duo vel tres franci, seu 40 vel 60 asses relative ad operarios, qui labore diuturno victum sibi comparant; 3.° circiter septem vel decem franci relative ad homines mediocriter divites vel quorum fortuna ignoratur; 4.° quindecim vel viginti franci relative ad divites sat opulentos.

Materia *absolute* gravis, quae scilicet talis sit respectu cujuscumque personae (quamvis optime variari possit respectu *temporis* et *regionis*) videtur nostris diebus assignanda pro diversitate regionum inter 20 francos quos assignat *Lehmkuhl*, 30 ex sententia *Bucceroni* et *D'Annibale*, et 40 quos pro Belgio statuit *Waffelaert*, cui adhaeret *Génicot*. Nec magna videri debet haec summa, si attendas ad valoris pecuniae immutationem post S. Alphonsum, qui jam assignabat pro materia absolute gravi duos aut tres aureos, i. e. 10 vel 15 francos.

744. — QUAER. 2.° *Quaenam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum et famulorum gravia evadant?*

Resp. 1.° Certum est apud omnes, in furtis uxoris et filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneorum, quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori, et saepe invitus est magis quoad modum (quod clam accipiatur), quam quoad substantiam. (*S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 32). Addunt autem *probabilius* requiri pro iis *summam duplo majorem*, quam pro extraneis, quamvis sit paterfamilias rationabiliter invitus etiam quoad substantiam; sed nulla regula generalis assignari potest, res enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque definienda erit.

Resp. 2.° Pro famulis pendet etiam a majori liberalitate vel tenacitate dominorum, ex qualitate vel situ rei subreptae, v. gr. si sit esui apta vel non, custodita vel aperta..., etc... Juxta multos, per furta minuta facta a famulis in esculentis et poculentis, quae non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo haec non vendantur aut e domo educantur, aut sint pretii extraordinarii. Si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios. Imo hujusmodi furta severius lege civili puniuntur, ob fidelitatis defectum, qui in illis intervenit. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 34. Quae tamen non sunt extendenda ad furta minutissima, v. gr. alicujus oboli in quotidiana emptione victus pro heris.

745. — QUAER. 3.° *An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam, etiamsi patrata non sint cum intentione perveniendi ad summam gravem?*

Resp. 1.° *Affirm.* prorsus, si agatur de furtis adversus eamdem personam commissis, quia unita facile damnum grave domino in-

ferre possunt. Constat etiam ex hac propositione 38.ª ab Innoc. XI damnata: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* — Ergo obligatio gravis datur, summam gravem per minuta furta ablatam restituendi, et proinde furta minuta coalescunt.

Resp. 2.° *Affirm.*, cum sententia communi, etiamsi agatur de furtis minutis in damnum diversorum commissis. Ratio est, quia talis fur, si non individuis singillatim sumptis, certe communitati grave damnum infert. *S. Alph.*, *n.* 534; *Lugo, disp.* 16, *n.* 37. Cfr. dicta *n.* 738.

746. — Quaer. 4.° *An minuta furta adhuc coalescant si inter ipsa magnum ponatur intervallum?*

Resp. Neg., juxta sententiam communiorem. Ratio est, quia posito magno intervallo, furtula ex communi hominum aestimatione moraliter uniri non censentur, nec proinde unum objectum in genere moris constituunt. Insuper tunc non apparet grave damnum domino illatum, cum vix illud persentire possit; adeoque graviter invitus non censetur. *S. Alph.*, *n.* 530; *Vogler*, *n.* 133.

Quaer. 5.° *Quandonam intervallum censeatur magnum?*

Resp. Probabilius tenendum est, furta non amplius coalescere ultra spatium *duorum mensium*, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent. *S. Alph.*, *ibid.*

Aliqui tamen intervallum *anni unius* requirunt, ut furtula coalescere desinant, alii vero contendunt sufficere, si *mensis unus* intercedat, aut etiam tempus brevius, si agatur de furtulis valde minutis. Sed priores in rigorem, et posteriores forte in laxitatem aliquam declinare videntur. «Hac in re, ait Ballerinius, dissensio ipsa DD. ostendit, normam aliquam certam vix tradi posse. Addi potest, hoc judicium non a solo spatio temporis singulis furtis interjecto sumendum esse, sed et ex comparatione animi illius qui surripit, aliisque adjunctis e quorum diversitate est repetenda diversa pro diversis casibus hominum de hac re aestimatio. Ita v. gr. reprehenduntur quidem qui per agros, uvas, ficus, fabas, poma, etc., leviusculis furtis saepe surripientes vorant; at vix reperies, qui notam laxitatis timeat, si etiam post plures hujus consuetudinis annos scrupulum ipsis gravis furti ob materiam coalescentem non injiciat.»

Ceterum furta minuta etiam posito quocumque intervallo ex omnium sententia coalescunt, quoties patrata sunt *cum intentione* ad summam notabilem perveniendi; quia per hanc intentionem vere inter se uniuntur. *S. Alph.*, *n.* 530; *Billuart*, etc.

747. — Quaer. 6.° *Quandonam evadat materia gravis in furtis minutis?*

Resp. 1.° Si furta minuta eidem fiant diversis vicibus, materia

erit gravis quando sit *duplo major* quam sufficeret si simul auferretur. *Ita communiter.*

Resp. 2.° Si furta minuta fiant diversis personis, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo major, quam summa ad furtum *absolute* grave communiter requisita. *S. Alph., l.* 3, *n.* 530, *et alii multi.*

QUAER. 7.° *An retractatio voluntatis impediat, quominus furtula sequentia cum praecedentibus uniantur?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si retractatio fuerit efficax, id est, si de facto prius ablata fuerint restituta, quia semel reparata jam hic et nunc amplius non exsistunt. *Ita communiter.*

Resp. 2.° Rursus *affirmative*, si furtum subsequens ex aliquo particulari motivo fieret; tunc enim non videretur efficaciter destruere praecedentem restituendi voluntatem; vel etiam si fur expresse et serio iterum simul proponat prius surrepta restituere; quod tamen vix in praxi admitti potest; quandoquidem qui serio proponit restitutionem, hic et nunc furta non iterat. — *Negatur* tamen, ubi haec voluntas quodammodo revocari videatur per novum furtum; etenim in hoc casu nihil obstat, quominus retineatur summa notabilis, et furta in unum coalescant. Cfr. *Lugo, d.* 16, *n.* 40.

748. — QUAER. 8.° *An graviter peccet, qui post completam materiam gravem leve quid adhuc furatur?*

Resp. Videtur dicendum cum *Génicot, n.* 510, 6.°: Si immemor sit prioris materiae, peccat leviter; si recordatur et animum restituendi non habeat, novum furtum cum prioribus in unum peccatum mortale furti coalescit.

749. — QUAER. 9.° *An graviter peccet, qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eumdem inchoatam?*

Resp. 1.° *Neg.*, si nescivit furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati. *Ita omnes.*

Resp. 2.° *Neg.*, saltem *probabilius*, etiamsi damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso tamen casu conspirationis. Ratio est, quia parum quid tollens neque est per se causa gravis nocumenti, neque in causa est, quod alii alia acceperint; ergo nullo modo illi imputari debet grave damnum, quod dominus patitur. — Nec dicas, quod talis fur tam graviter peccet, quam homicida mortem inferens ictu levi homini ab aliis jam innumeris levibus vulneribus percusso; nam postremo huic vulneri mors debetur, quae alias secuta non fuisset. Aliter autem se res habet in casu furti, neque enim ob ultimum furtulum notabilis aliqua calamitas seu damnificatio accedit. *Lugo, d.* 16, *n.* 53 *et seq.; Lessius, lib.* 2, *cap.* 2, *n.* 52, *et alii communiter* contra *Bonacina et alios.*

750. — QUAER. 10. *An si plures sine communi consilio, sed exemplo, levia furta committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?*

Resp. Neg. probabilius ratione *justitiae*, etsi peccare possint contra charitatem. Ratio est, quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum. *Ita S. Alph.*, *n.* 537; *Lessius*, *ibid.*, *n.* 52, *et alii communius* contra *nonnullos.*

QUAER. 11. *Quomodo ex parte furis ablatio rei levis fiat peccatum grave?*

Resp. Fit triplici modo, scilicet: 1.° per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem; 2.° per *multiplicationem*, si furta minuta ad summam gravem perveniant; 3.° per *conspirationem* ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

751. **Resolves: — 1.°** Si fur intendit pervenire per furtula ad summam gravem, quamvis propositum multis ac diversis vicibus exequatur, haec omnia furta, *quia eadem intentio moraliter perseverat*, in unum peccatum grave coadunantur in ordine ad confessionem. Cfr. dicta *n.* 244, 5.°

2.° Qui a domino aufert exiguam rem ipsi valde caram, v. gr. florem rarum ac singularem, primos fructus ex arbore ad aliquem praecipuum virum honorandum destinatos, praevidetque simul, dominum graviter ex tali amissione affligendum, graviter peccat contra charitatem, contra justitiam vero leviter, nisi forte grave damnum inde secuturum videatur.

3.° Graviter peccant mercatores falsis ponderibus utentes, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudent; quia ad materiam gravem intendunt pervenire, aut certe norunt, se ad eam perventuros esse.

4.° Sartores et ipsorum famuli letaliter peccant contra justitiam, ubi retinendo sibi aut vendendo panni, quae supersint, fragmenta, alioquin dominis adhuc utilia, ad materiam gravem pervenerint. Excipe, nisi alicubi vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant; aut nisi constet, dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare. *S. Alph.*, *passim.* — V. **Casus**, *n.* 553 *et seq.*

ARTICULUS II

DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS

Causa duplex assignatur: 1.° necessitas; 2.° occulta compensatio.

§ I. *De necessitate a furto excusante.*

Necessitas alia est extrema, alia gravis, et alia communis. — *Extrema* dicitur in qua vita ipsa periclitatur, aut gravissimum malum imminet; *gravis* vero, in qua vita valde molesta ducitur; *communis* autem, in qua pauperes mendicantes communiter versantur.

752. **Principia.** — I. Homo potest in extrema necessitate uti bonis alienis, quantum satis est ad se a tali necessitate eximendum. — Ratio est, quia divisio bonorum, quomodocumque evenerit, non potest derogare juri naturali, quod cuique competit, ut sibi provideat, dum extrema necessitate laborat. In tali itaque casu omnia fiunt communia; adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contingebat. Ergo furtum non committit. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 66, *art.* 7; *S. Alph.*, *n.* 520.

II. Ut quis aliena surripere possit, non sufficit *gravis* nec a *fortiori communis* necessitas; — in his enim adjunctis domini sunt rationabiliter inviti, et secus facilis direptionibus aditus pateret.

753. **Resolves:** — 1.° Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sibi est necessarium. Unde si sufficiat solus usus rei, v. gr. equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 15.

2.° Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis; quia necessitas non exigit, ut accedat rei proprietas, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 19.

3.° Qui vero in extrema egestate rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nullam probabilem spem habuit, fore ut aliquando restituere posset, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.* Cfr. infra, *n.* 856.

4.° Quae de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate *quasi extrema* seu gravissima. Talis autem necessitas tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, aut subeundi poenam triremium vel gravissimum aut perpetuum morbum. In his quippe casibus necessitas extrema jam est moraliter praesens. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 15.

5.° Dives res suas occultans, vel alia utens industria, ne pauperi in extrema necessitate succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia mere peccat contra charitatem. Quod si dives *per vim* pauperem a re sibi sumenda impedivisset, tunc peccasset quidem contra justitiam, sed cessante necessitate, etiam jus pauperis et consequenter onus restitutionis cessasset, quia necessitas etiam extrema tamdiu confert pauperi jus ad usum rei alienae, quamdiu ipsa necessitas urget. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 20; *Lugo*, De just., *d.* 16, *n.* 143.

754. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriae, sed etiam alienae?*

Resp. Affirm., cum S. Thom., 2, 2, *q.* 66, *art.* 7, *et aliis communiter.* Ratio est, quia tunc gerit quodammodo vices indigentis, et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum.

755. — QUAER. 2.° *An ille, qui est occidendus a latronibus nisi talem summam pecuniae tradat, vel ille cui immineret perpetua aut gravissima captivitas vel aliud simile infortunium, dici possit ita versari in extrema vel quasi extrema necessitate, ut ei liceat sumere rem valde pretiosam, aut ingentem pecuniae vim, ad vitam servandam, libertatemve tuendam?*

Resp. Controvertitur. Affirmant *non pauci* cum *S. Alph.*, *n.* 520. Ratio est, quia illa necessitas consistit in gravissimo seu extremo periculo, quod imminet, quando quis est ad maximam miseriam redactus, aut jam jam moriturus, non solum ex penuria ciborum, sed ex alia qualibet causa. — Negant autem *alii*, asserentes tunc solum bona evadere communia, quando quis versatur in extrema necessitate ex causis naturalibus, non autem ex pravitate hominum. *Ita Concina*, De eleem., *c.* 9, *q.* 4.

Videtur dicendum cum prima sententia huic homini licere quidquid liceat aliis in quacumque extrema vel quasi extrema necessitate constitutis; sed *probabilius* his omnibus negamus licere accipere rem pretiosam vel tantam pecuniae vim, quae constituat medium omnino *extraordinarium* et *exquisitum*. Ratio est, quia media *exquisita* et *extraordinaria* noluit natura communia esse omnibus, quamvis media *communia* et *ordinaria*, quibus haec bona communiter conservantur, voluerit omnibus esse communia ad eorum bonorum communem conservationem. *Lugo*, De just., *d.* 16, *n.* 154.

Unde *certum* est neminem teneri ad danda hujusmodi bona, quae constituunt medium extraordinarium et exquisitum; *probabilius* vero nec cuiquam sibi ea sumere ab alio licet. Cfr. infra, *n.* 824, *resp.* 3.°

§ II. *De occulta compensatione.*

756. — Duplex distinguitur compensatio, *legalis* et *extralegalis*. Prior locum habet, quando duo sibi invicem debitores alter rem alteri debitam reservat sibi: v. gr. si tibi debeam 100 fr. pro panno, et tu 100 pro vino mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur. Haec compensatio manifeste licita est, et ipsa lege confirmatur. Posterior, quae *compensatio occulta* dicitur, est rei propriae recuperatio per alienae occupationem. De hac sola nobis est agendum.

757. **Principia**. — I. Occulta compensatio aliquando justa et licita esse potest, si requisitis conditionibus non careat, id est, si nulla fiat injuria debitori, neque ulla sequatur perturbatio ordinis

juris, neque reipublicae. Atqui haec tria haberi possunt. Ac 1.° nulla injuria fit debitori; nam ex hypothesi in tali compensatione accipis tantum id, quod certo tuum est, seu quod ex stricta justitia tibi debetur. — 2.° Nulla est ordinis juris perturbatio, siquidem supponitur, vel judicem adiri non posse, saltem sine notabili incommodo, vel eum jus suum parti laesae restituere non valere. Non enim praetermitti id dicitur, quod incassum quaereretur. — 3.° Nulla est perturbatio, seu damnum reipublicae, satis enim ei consulitur per cautiones in conditionibus apponendis. *Ita S. Alph.*, *n.* 521; *Lacroix*, *n.* 959; etiam *Antoine*, *c.* 5, *q.* 9, ubi dicit: *Est communis sententia;* et *Collet*, De justitia, *p.* 3, *c.* 4, ubi dicit: *Ita pene omnes theologi.*

758. — II. Conditiones autem requisitae sunt sequentes: 1.ª Ut agatur de debito e *stricta justitia* vel pietate, non autem ex mera congruentia, vel mera fidelitate. *Berardi*, Praxis, II, *n.* 51, *seq.*; *Génicot*, *n.* 504.

2.ª *Ut debitum sit certum*, saltem moraliter; secus ex communissima sententia melior est conditio possidentis. — Ratio cur non liceat compensatio si debitum sit tantum *probabile*, videtur desumenda ex frequenti periculo hallucinationis et injustitiae, quod facile adesset si talis compensatio permitteretur.—Sequentes exceptiones adnotat *S. Alph.* (*lib.* 3, *n.* 521), e quibus tamen ipse primam et tertiam non videtur admittere (Cfr. *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 293, *nota*): «Licet ad compensationem requiratur certitudo crediti..., quamplures tamen et graves auctores... admittunt, posse fieri compensationem cum credito tantum probabili in tribus casibus, scilicet quando compensatur fama cum pecunia; infamia cum infamia data; et legatum relictum in testamento non solemni.» *Vide etiam Génicot*, I, *n.* 504, 2.° Has omnes exceptiones admittunt *Salmant.*, *tr.* 13, *c.* 1, *n.* 319 *seq.*, cum aliis auctoribus quos citant. In tribus hisce casibus supponitur certum esse factum infamiae illatae aut legati relicti.

3.ª *Ut debitum non possit aliter recuperari*, saltem sine gravi incommodo. Nam si creditor possit per meram petitionem vel recursum ad judicem obtinere quod sibi debetur, jam se compensando injuriam publicae potestati facit, adeoque contra juris ordinem delinquit.

4.ª *Ut sumatur res in eadem specie*, si fieri possit. Secus enim res debitoris sine ejus consensu, et proinde injuste, permutatur.

5.ª *Ut damnum debitoris praecaveatur*, scilicet procurando ut debitor periculo bis solvendi non exponatur, si forte restituturus sit. Hinc si casus ille aliquatenus praevideatur, aliquo modo monendus est, v. gr. per fictam renuntiationem, seu condonationem, etc. Quod si ex monitione gravia incommoda timeantur, omitti monitio poterit. Si autem facta compensatione restituat,

ipsi iterum erit *occulte* restituendum. Ceterum casus ille rarus erit, siquidem compensatio licita non est, nisi ubi nulla adest spes probabilis debiti recuperandi sine gravi aliquo incommodo. *S. Alph.*, *n.* 521.

759. **Quaesita.** — Quaer. **1.°** *An famuli judicantes salarium esse infra operam a se praestitam, uti possint occulta compensatione?*

Resp. Famulis licet compensatio, sicut reliquis omnibus, quando debitae adsint conditiones, ad quod non sufficit quod ipsi *putent* tales conditiones adesse. Possunt tamen facile hujusmodi conditiones exsistere: 1.° Si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale. — 2.° Si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio jam juste non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit. — 3.° Si invitus operibus indebitis gravetur. Vide prop. 37 damn. ab Innoc. XI. Cfr. *Il Monitore, vol.* 11, *pag.* 308 *seq.*

Quaer. 2.° *An saltem famulus, augens operas debitas, se compensare possit?*

Resp. 1.° *Neg.*, si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad sibi conciliandam domini gratiam.

Resp. 2.° *Affirm.*, si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua de jure censetur. *S. Alph.*, *n.* 523. — Quaenam autem compensatio justa sit, judicio etiam famuli relinqui quandoque potest, si timoratus sit ac prudens, et proprii amoris periculum absit; quod tamen admodum raro eveniet. *S. Alph.*, *n.* 524.

760. — Quaer. 3.° *An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a judice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit?*

Resp. Affirm., quia sententia judicis est injusta, utpote innixa falsa praesumptione facti, ac proinde in conscientia obligare nequit. Licet enim standum semper sit sententiae judicis in *materia juris*, nisi de lege seu sententia evidenter injusta agatur; secus tamen, secluso scandalo, si judex certo erret *circa factum*, quod ex errore verum putat; aliunde vero judex non habet facultatem dominium transferendi; neque qui sententiam favorabilem obtinuit, etiam detecto errore, rem sibi adjudicatam servare potest. *Ita communiter. Moullet.*, *t.* I, *pag.* 491.

761. — Quaer. 4.° *An graviter et contra justitiam peccet, qui se compensat, quin prius ad judicem recurrerit?*

Resp. 1.° Non peccat *per se contra justitiam*, modo tantum accipiat, quantum sibi debetur, nec proinde ad restitutionem tenetur. Ratio patet, quia, facta hac compensatione, restituitur aequalitas inter ipsum et debitorem. Dixi *per se;* quia quandoque sequi posset detrimentum pro debitore ex privatione cujuspiam rei determinatae, v. gr. equi, rei pretiosae, etc. *Lugo, d.* 16, *n.* 91, *et alii.*

Resp. 2.° Nec peccat *graviter*, generatim loquendo; quia ordinarie non sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum, nec gravis reipublicae perturbatio. *Lugo, ibid.*

Resp. 3.° Nullo modo peccat, si difficilis sit recursus ad judicem, si scandali sit periculum, aut sumptus extraordinarii, etc.; quia tunc recursus est moraliter impossibilis. — V. **Casus**, *n.* 573 *et seq.*

PARS TERTIA

DE RESTITUTIONE

SECTIO I

DE RESTITUTIONE IN GENERE

Agendum 1.° de obligatione restitutionis; 2.° de radicibus restitutionis; 3.° de circumstantiis restitutionis; 4.° de causis a restitutione excusantibus.

CAPUT I

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS

Restitutio, quoad nomen, idem sonat ac positio rei in pristinum statum. Quoad rem est *juris alieni laesi reparatio.*

762. **Principia.** — I. Restitutio *in re*, vel saltem *in voto*, absolute ad salutem *per se* necessaria est, si de materia gravi agatur.

1.° Constat ex principiis supra statutis, *n.* 664. Nam justitia constitutiva necessario exigit, ut violatio juris alieni cesset; atqui cessare nequit nisi per restitutionem. Ergo...

2.° Constat etiam ex Scriptura sacra. Sic Ezech., XXXIII, 14-15: *Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et* PIGNUS RESTITUERIT *ille impius,* RAPINAMQUE REDDIDERIT.. , *vita vivet et non morietur.* — Et *epist.* S. Jac., V, 4: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

3.° Constat ex unanimi consensu SS. Patrum. Sic *S. Aug., ep.* 153, *ad Macedonium: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.* — Haec verba S. Doctoris inserta sunt juri canonico (*Decret. Gratiani, cap. Si res aliena* 1, *causa* 14, *q.* 6);

et exinde regula 4.ª juris in 6.°: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Dixi *in re vel in voto:* restitutio enim non est necessaria necessitate medii ad salutem *in re;* quae si impossibilis est *in re,* saluti non obstat; sed nemo a restitutione *in voto* excusari potest; et quisquis jus alienum laesit, semper firmum habere debet propositum restituendi quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret, sicque in peccato habituali versaretur. *Ita omnes.* — Hinc *S. August.* in textu modo citato dicit, *cum restitui potest.*

763. — II. Praeceptum restitutionis est primario *negativum,* secundario autem *affirmativum.* — Ratio 1.mi est, quia restitutionis praeceptum immediate fundatur in obligatione non violandi jus alienum, seu in obligatione rem alterius neque accipiendi neque retinendi. Haec autem obligatio est primario *negativa,* ut patet, ac proinde urget *semper* et *pro semper,* id est, urget quolibet momento usquedum restitutio facta fuerit. — Ratio 2.di est, quia obligatio rem alienam non recipiendi nec retinendi, in qua primario et immediate fundatur praeceptum restitutionis, non potest impleri, quin inde fiat actio positiva, qua domino id reddatur, quod suum est.

III. Non datur obligatio restitutionis, nisi ob violationem juris *stricti,* seu justitiae *commutativae;* secus vero ob violationem juris honestatis simpliciter. — Ratio est, quia restitutio efficit, ut res proximo debita exaequet jus illius injuste violatum; jam vero hoc fieri nequit, cum de violatione juris honestatis sermo est. Si quis enim jus laedat superioris sui vel proximi, illi denegando obedientiam, huic charitatis officia, violatio illa stricte reparari nequit, quia novus actus obedientiae vel charitatis non repararet jus violatum, sed satisfaceret tantum praecepto, quod semper urget, obediendi scilicet superiori, et proximum in angustiis sublevandi.

764. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An impotens restituere ex bonis ejusdem ordinis, teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis; ergo nec dari potest compensatio. Et sane discerni numquam posset, quantum *arithmetice* restitui deberet, siquidem inter bona diversi ordinis non datur mensura communis. *S. Alph., n.* 627; *Lacroix,* etc..., *et alii communius.*

Affirmant tamen quidam alii, quia (inquiunt) qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem, quam potest. *S. Thom.,* 2, 2, *q.* 62, *art.* 2. — Hanc sententiam dicit probabilem *S. Alph.,* sed primam ut probabiliorem habet.

Attamen per justitiam vindicativam potest a judice vel a superiore imponi, ut quis pro injuria circa unum bonorum genus, aliquid praestet in bonis alterius ordinis; *probabilius* tamen ratione

poenae tantum, non vero ratione justitiae. Laesus insuper jus habet apud judicem denuntiandi illum, a quo injuriam accepit; adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic v. gr. mulier ab aliquo violenter oppressa violatorem ad judicem compellere potest, vel pecuniam a nebulone exigere, ut juri suo renuntiet.

765. — QUAER. 2.° *An inducatur obligatio restitutionis ex laesione affectiva tantum, non vero effectiva juris alieni?*

Resp. Neg. prorsus; quia nulla injuria *realis* proximo infertur, quamvis agens graviter peccet *actu interno* contra justitiam. Hinc ab onere restitutionis eximendus est judex molevolus proferens sententiam, quam putat injustam, si re ipsa justa est; vel ille qui rapit rem, quam existimat alienam, dum sua ipsius est. *S. Alph.*, *n.* 556. — Recole dicta supra, *nn.* 738, 739.

QUAER. 3.° *An multiplicentur peccata dilatione restitutionis?*

Resp. Neg., *probabilius*, si habitualiter perseveret mala voluntas non restituendi. *S. Alph.*, *l.* 5, *n.* 40. — Recole dicta in tract. De peccatis, *n.* 247.

766. — QUAER. 4.° *An furtula diversis personis facta ad restitutionem* SUB GRAVI *obligent, si ad gravem materiam pervenerint, et utrum* DOMINIS IPSIS *etiam* SUB GRAVI *restituendum sit?*

Resp. ad 1.um *Affirm.*, quia praeceptum non furandi non solum prohibet ne damnum alteri inferatur, sed etiam ne quis *injuste* ditescat re aliena. *Ita communiter.* — Recole dicta supra, *n.* 745.

Resp. ad 2.um *Neg.*, *probabilius.* Ratio est, quia ex hypothesi nullus dominus gravem injuriam passus est. — Potest ergo, etiamsi domini sint noti, sine gravi cujusvis laesione restitutio fieri pauperibus vel locis piis; imo si causa rationabilis accedat, v. gr. necessitas urgens pauperum, etc., veniale quoque aberit. *S. Alphonsus*, *nn.* 534, 535. Si vero domini sint ignoti, sub gravi pauperibus seu locis piis restituendum est. *S. Alph.*, *ibid.*

QUAER. 5.° *An* SUB GRAVI *restituere teneatur, qui in furtis minutis non graviter peccavit, sed ex inadvertentia ad materiam gravem pervenit?*

Resp. Affirm., quia quamvis graviter non peccaverit furando, est tamen injustus possessor materiae gravis, et proinde graviter peccavit rem surreptam retinendo. Hoc valet, etiamsi furta diversis personis facta fuerint; secus enim ille injuste re aliena absque gravi peccato ditescere posset, quod ex dictis non licet.

767. — QUAER. 6.° *An fur, qui gravem pecuniae summam surripuit, teneatur eam integram sub gravi restituere?*

Resp. Neg. Tenetur enim sub gravi tantum *id* restituere, *quod materiam gravem complet*, quia hoc restituto materia retenta jam gravis non est. Hinc potest quis obligari sub gravi ad materiam levem restituendam; sed tunc obligatio non ex re levi, sed ex quantitate grave oritur. *S. Alph.*, *n.* 553.

QUAER. 7.° *Utrum anima defuncti, ut ajunt, detineatur in purgatorio, donec ab illius heredibus facta fuerit restitutio?*

Resp. Neg. Hic error vulgi exortus est ex quibusdam fictis aut male intellectis revelationibus quibus perhibentur animae in purgatorio degentes apparuisse et pro restitutione exorasse, ut a flammis liberarentur. Ratio patet. Nemo enim in altera vita punitur, nisi pro culpa, quam personaliter commisit in vita praesenti; nemo vero plectitur ob culpam heredum. Attamen si heredes solliciti fuerint restitutionem peragere ut satisfactionem aliquam pro anima debitoris exhibeant, pie confidendum est Deum hanc pro ipsa, ex parte saltem, benigne accepturum esse.

768. **Resolves:** — 1.° Qui versatur in impotentia rem alienam aut ejus valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit, et interim comparare, si quid possit, ut obligationi suae quamprimum satisfaciat.

2.° Si quis totum nequeat restituere, et de re divisibili agatur, ad partem, quam possit, tenetur. Persona enim laesa jus habet ad singulas partes, sicuti ad totum.

3.° Qui leve damnum proximo intulit, tenetur ad restitutionem erga dominum laesum *sub levi*, et cum incommodo rei proportionato; debet enim reparari injustitia levis sub levi, sicut gravis sub gravi. Facilius tamen adesse tunc potest ratio excusans a restitutione, praesertim ipsi domino facienda. Si autem de re levissima agatur, difficultas quaecumque sufficiet, ut pauperibus restitutio fieri possit. *S. Alph., n.* 534.

4.° Absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem promittere; qui heredibus suis curam restituendi relinquit, dum per seipsum id facere potest; qui aere alieno gravatus, in victu, vestitu, famulatu... ejusmodi expensas subit, ob quas praevidet se postea debitorum suorum solutioni imparem fore. Idem dicendum de illo, qui bona gaudens fortuna, non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat. Cum eo autem, qui bis vel ter re restituturum pollicitus, promissis minime stetit, prudentis confessarii erit judicare, an restitutio ante absolutionem exigenda sit, necne.

5.° Nec absolvendi sunt, qui futiles praetextus afferunt ad restitutionem differendam, v. gr. qui dictitare solent: *Non afferam bona mea in tumulum...; restituent heredes...; statuam in testamento faciendam esse restitutionem...;* vel: *Jam praecepi filiis meis, ut quamprimum ipsi restituant...* Male enim dispositi reputandi sunt, qui facere nolunt hic et nunc, quidquid moraliter possunt ad proximo satisfaciendum: 1.° quia indesinenter urget restitutionis praeceptum, et creditor injuriam et saepe etiam damnum ex dilatione patitur; 2.° quia male providetur restitutioni faciendae, hanc committendo heredibus; et isti enim similiter ad vitae suae finem pro-

trahere eamdem possunt; 3.° quia forte deerit tempus testamentum condendi, vel, si condatur, forte etiam variis de causis aut praetextibus exsecutioni illud non mandari continget.

6.° Caute agere debet confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiis. Sic autem procedere poterit: 1.° Si poenitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur non profuturam esse monitionem, hac omissa erit absolvendus. 2.° Si vero fructus monitionis speretur, aut si poenitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. 3.° Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, erit inducendus aeger ad summam pecuniae sibi confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secrete committatur, vel ad eam summam in testamento ipsi relinquendam, omissa restitutionis mentione. 4.° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, confessarius efficiat, ut per heredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam, etc. — V. **Casus**, *n.* 580 *et seq.*

CAPUT II

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS

769. — Radices restitutionis dicuntur causae, ex quibus oritur obligatio restituendi. Ex triplici autem capite desumuntur, scilicet: 1.° ex acceptione rei alienae; 2.° ex injusta damnificatione; 3.° ex injusta cooperatione, quae tamen quoad rem in alterutrum e praecedentibus recidit.

ARTICULUS I

DE ACCEPTIONE REI ALIENAE

770. **Principium generale.** — Solus rei dominus *per se* habet jus eam possidendi, *nec* rei dominium amittit ad cujuscumque manus illa demum deveniat. — Dicitur *per se;* quia alius possessor quilibet etiam bonae fidei, nonnisi *per accidens* et ex errore invincibili jus habet rem possidendi. *Ita omnia jura statuunt.*

Ex hoc autem generali principio sponte sua fluunt quatuor haec notissima axiomata, quae saepe saepius in decursu hujus tractationis recurrent, scilicet:

1.° *Res clamat domino*, id est, domino competit jus strictum rem suam recuperandi, ubicumque eam inveniat.

2.° *Res fructificat domino;* quia usus et fruitio necessario in idea dominii perfecti includitur.

3.° *Res naturaliter perit domino;* quia deficienti dominii objecto, evanescit et ipsum dominium. Si tamen exsistat adhuc *in aequivalenti*, istud *aequivalens* domino competit.

4.° *Nemo ex re alterius locupletari injuste debet;* vel aliis verbis: *Mensura restitutionis est quantitas rei alienae sine causa detentae.* Ratio patet; soli enim domino rei competit *utilitatem* ex eadem percipere.

Verum haec principia praeterquam quod aliquando juxta diversas locorum leges diversam sortiuntur applicationem, insuper modificantur pro diversa possessoris conditione. Quippe potest quis rem alienam possidere vel cum bona, vel cum mala, vel cum dubia fide. Dicendum itaque 1.° de possessore bonae fidei; 2.° de possessore malae fidei; 3.° de possessore dubiae fidei.

§ I. *De possessore bonae fidei.*

Possessor *bonae fidei* ille est, qui *invincibiliter* ignorat, rem a se possessam esse alienam, ac prudenter judicat esse suam, v. gr. quia illam acquisivit titulo dominii *de se translativo*, puta, hereditatis, legati, donationis aut emptionis. Supponitur autem, illam rem possessam nondum praescripsisse; secus enim jam non esset detentor *rei alienae*, sed suae.

771. **Principia**. — I. Possessor bonae fidei, statim ac novit, rem a se possessam esse alienam, tenetur eam adhuc exstantem in toto vel in parte, vel in emolumento, domino restituere; — secus enim *bonum alienum*, invito rationabiliter domino, retinet, et proinde illius jus strictum violat. *Ita omnes.*

II. Possessor bonae fidei ad nihil prorsus tenetur, si durante bona fide rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, *modo ditior inde non evaserit.* — Etenim non tenetur ratione rei acceptae, quae amplius non exstat; neque ratione injustae acceptionis, aut consumptionis, aut destructionis, quia rem bona fide possidebat. Hoc etiam valet, si de industria rem destruxerit, aut ex ejus negligentia illa perierit. Ratio est, quia nulli injuriam inferebat, rem, quam credebat suam, destruendo, aut negligendo. Jure etiam positivo confirmatur. Sic enim *l.* 31, § 3, *ff.* de petit. hered.: *Qui quasi rem suam neglexit, nulli querelae subjectus est.*

Dixi, *modo ditior inde non evaserit;* quia id, in quo ditior factus esset, loco rei succederet: est autem contra jus naturale, ut quis cum alterius injuria ditescat, juxta regulam 48 juris in 6.°: *Locupletari non potest aliquis cum alterius injuria seu jactura.*

His principiis stare in conscientia possumus etiam ex jure **hisp.**, **lusit.** et **Amer. lat.** (v. gr. **hisp.-ph.**, 457; **lusit.**, 495; **aeq.**, 897;

arg., 2465 (2431); **bras.**, 510; **chil.**, 906; **col.**, 963; **mex.**, 852; **nic.**, 906, etc. Cfr. tamen **chil.**, 1678, 1679; **col.**, 1737, 1738, etc.).

772. Quaesita. — QUAER. 1.° *An possessor bonae fidei teneatur restituere fructus, quos durante bona fide percepit.*

Resp. Distinguendi sunt fructus. Nam 1.° alii sunt *naturales*, qui ex ipsa rei substantia, sine ulla aut modica hominis opera proveniunt, ut sunt gramina, etc. — 2.° Alii sunt *industriales*, qui potissimum industriae possessoris tribuuntur. — 3.° Alii *mixti*, qui sunt partim naturales et partim industriales, ut segetes, etc. — 4.° Alii demum *civiles*, qui non sunt fructus proprie dicti, sed ut tales a jure habentur, ut sunt reditus annui, pretium locationis domus, etc. Hi etiam *naturales*, *industriales*, vel *mixti* esse possunt.

Dico 1.° Possessor bonae fidei *nulla* ratione tenetur restituere fructus mere *industriales* (nec *mixtos*, qua parte *industriae* debentur); — quia isti ratione industriae ad possessorem omnino pertinent. *Ita omnes.*

Dico 2.° *Ex jure naturali* possessor bonae fidei restituere debet omnes alios fructus, sive *naturales*, sive *civiles*, expensis tamen et laboribus deductis. — Ratio est, quia ex jure naturali fructus ad eum pertinent, ad quem causa ipsa *fructifera* pertinet, cum ex re ipsa proveniant, juxta axioma: *Res fructificat domino. S. Alph.*, *n.* 610.

Dico 3.° *Ex jure romano*, juxta communem interpretationem, restituendi sunt fructus *naturales percepti* et adhuc exsistentes, licet jus non semper adeo clarum sit. *Controvertitur* autem quoad fructus non amplius exstantes seu *consumptos*. Quidam censent, nihil esse restituendum, licet possessor ex iis ditior evaserit, quia restitutionis obligatio probari non potest, neque ex *jure*, quod silet, vel non sat clarum est, neque ex praxi tribunalium, quae possessori favet. — Excipiunt tamen si quis possederit alienam hereditatem, quae fuerit evicta; tunc enim ex jure evidenter tenetur reddere id omne ex quo ditior factus est. *Vide Carrière*, *n.* 1502. — *Communius* vero theologi, saltem ex jure naturali, obligant ad restituendum id omne ex quo possessor ditior factus est. *Ita S. Alph.*, *n.* 610.

Dico 4.° Ex jure **hisp.-ph.**, *a.* 451; **lusit.**, 495; [**aeq.**, 898; **arg.**, 2457 (2423) *seq.*; **bol.**, 293, 294; **bras.**, 510; **chil.**, 907; **col.**, 964; **cost.**, 327 328; **guat.**, 519, *n.* 5.°; **mex.**, 834, 837, 838; **nic.**, 907; **per.**, 470, 5.°, *et* 473; **Salv.**, 937; **ur.**, 624, 669; **ven.**, 686], omnes fructus *percepti* sive exstantes sive consumpti assignantur possessori bonae fidei.

Quoad fructus *pendentes*, jure **hisp.**, *a.* 452, et **lusit.**, 495, in potestate domini est vel eos omnes possessori cedere, vel huic solvere expensas pro illorum cultura factas, et cum eo dividere tam productionem liquidam quam reliqua onera, pro rata temporis possessionis.

[CC. **Amer. lat.** hic citati (**bras.**, 511) tantum obligant dominum, cui omnes fructus pendentes adjudicant, ad solvendas expensas factas pro cultura. Praeterea C. **cost.** etiam illum obligat ad refundendum pretium, quod pro ipsa re possessor bonae fidei solverit].

Hujusmodi dispositiones (sicut jus gall. quod fere idem statuit) valere in conscientia nobis cum *P. Gury* videtur *probabilius*. Ita etiam *Génicot*, *n.* 527; *Vermeersch*, *n.* 284; *Van der Moeren*, *n.* 37; *Van Gestel*, De just. et leg. civ., *n.* 61; *Marres*, *l.* 2, *n.* 30; *Vaffelaert*, *vol.* 1, *n.* 59, cum fere omnibus recentioribus, quoad jus gall.; *Bucceroni*, *n.* 1337, quoad *gall.* et **hisp.-ph.**; *Alsina*, *n.* 268; *Valenzuela*, *nn.* 470, 482; *D'Annibale*, II, *n.* 241. Potest enim Status transferre dominium sic exigente bono publico, ut in praescriptione. Atqui in casu, hoc videtur exigere bonum publicum. Prob. min., *a*) quia sic vitantur lites et querelae et inextricabiles difficultates quoad fructus reddendos, et an possessor quoad consumptos ditior evaserit, et quosque fructus respondeant industriae, etc., etc.; *b*) consulitur etiam paci conscientiarum, utilitati commercii; et *c*) demum facilior redditur obligatio restituendi rem bona fide possessam nunquam non difficultatibus plenissima. Unde et ipsi domino consulitur, quia secus forte rem non obtineret. Aliunde nullum est incommodum timendum, cum hic favor pro possessore tantum bonae fidei allegetur. Igitur huic juris dispositioni in utroque foro standum videtur, ita ut dominus laetetur ipsius rei inexpectata possessione, et possessor bonae fidei solatium aliquod ex fructibus accipiat, quo levior ei reddatur necessaria exspoliatio rei bona fide hucusque possessae.

773. — QUAER. 2.° *Ad quid tenetur possessor bonae fidei si rem alienam alteri donaverit?*

Resp. Ad nihil tenetur, si ditior minime factus sit, ut sequitur ex dictis supra in principio II. Secus restituere debet id, in quo ditior evasit, ut in principio I constat.

QUAER. 3.° *An facta donatione, et errore detecto, teneatur monere donatarium, ut rem domino reddat, vel ipsum dominum, ut rem suam recuperare valeat?*

Resp. Tenetur certo ex generali charitatis principio, si facile id praestare possit. Sed videtur etiam teneri ratione justitiae, ex generali obligatione, quam incurrit injustitiae etiam mere materialis auctor.

774. — QUAER. 4.° *Ad quid tenetur possessor* bonae fidei *si rem a fure emptam alteri vendiderit?*

Res. 1.° *In casu evictionis*, id est, si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur. Ratio est, quia venditio est omnino irrita, tum ex jure naturali tum ex jure positivo; interveniente ergo evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit;

quippe rem emptori tradendo se implicite obligavit ad damnum reparandum, si forte futura esset evictio. — Item ob eamdem rationem dicito in casu spontaneae restitutionis ab emptore factae. *S. Alph.*, *n.* 601; *Salm.*, *n.* 89, etc. — Hoc tamen negat *Lugo*, *d.* 17, *n.* 109, cum *Lessio*, *lib.* 2, *cap.* 14, *n.* 28, *si damnum illatum sit* venditori per acceleratam et *spontaneam* restitutionem, quae sit *causa* cur pretium suum recuperare non possit. — Idem dicendum est, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, et ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum persequendi, ut pretium solutum recuperent.

Resp. 2.° *Extra casum evictionis*, vel juxta quosdam, etiam spontaneae restitutionis ex parte emptoris, res difficultate non caret et acriter *controvertitur*. Sic nobis resolvendum esse videtur:

1.° *Ex jure romano*, venditor ad nihil tenetur, saltem *probabilius*, nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienae cum bona fide non habetur in jure omnino irrita. Licet enim per eam non transferatur dominium rei in emptorem, transfertur tamen dominium pretii in venditorem. Et hic quidem *etiamsi* **deinde** *detegat*, *rem venditam alienam esse*, *non tamen tenetur aut monere dominum*, *ut rem suam recuperare possit*, *aut indicare emptori*, rem esse alienam. *Ita communius.* — *Lugo*, *d.* 17, *n.* 108; *Salm.*, *c.* 1, *n.* 88; *Vogler*, etc., contra *Billuart*, *art.* 10, *et alios*, qui venditorem obligant ad pretium domino vel emptori reddendum; quia (ajunt) venditio rei alienae est prorsus invalida.

2.° *Ex jure gallico*, *a.* 1599, et **lusit.**, 1555, crescit difficultas, quia irrita declaratur venditio rei alienae. Si igitur (ajunt) contractus plane irritus fuerit, emptor pretii dominium in venditorem non transtulit, nec proinde venditor jus ullum habet ad pretium illud servandum. Ergo pretium videtur refundendum in dominum, si ille rem suam ab emptore repetere nequeat. *Ita Carrière*, *n.* 1047, *cum aliis*, quoad jus gallicum.

Attamen merito contradicunt alii, quorum sententia *sat probabilis* videri debet. Neque enim plane constat, etiam ex jure gallico, venditionem rei alienae nullos omnino effectus habere. Ex citato namque artículo haec mere deduci possunt: 1.° dominum rei jus suum in eam servare; 2.° emptorem subjici evictioni; 3.° venditorem in casu evictionis aut restitutionis ex parte emptoris, obligari ad pretium emptori restituendum. Nihil praeter haec aliud ex praxi tribunalium deduci potest. Ceterum quid causae habetur inter venditorem et dominum rei? Qualem recursum, hic in illum sibi tribuere potest? Non actionem *personalem*, quia nulla fraus intercessit, neque actionem *realem*, quia rem iste non habet. Insuper durissimum foret, eum, qui nec rem alienam amplius habet, nec ex ea ditior factus est, ad tantum incommodum sponte sub-

eundum obligari. Domino itaque ad jus suum aut violati juris reparationem consequendum, in actualem quidem rei possessorem, aut in furem recursus superest, in alios autem nullo modo. *Ita Gousset, n.* 929; *Buccer., n.* 1339; *Waffelaert*, II, *n.* 234; *Marres, l.* 2, *n.* 24, *et alii.*

3.° A fortiori hoc ultimum dicendum erit tum ex *jure* **hisp.**, juxta quod venditor ad nihil aliud tenetur nisi ad reddendum *indemnem* emptorem in casu *evictionis* (cfr. *a.* 1474 *seq.*); tum ex jure **Amer. lat.**, ex quo praeterea venditio rei alienae generatim validos aliquos effectus habet. Cfr. infra, *n.* 889, 4.°

775. — QUAER. 5.° *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit?*

Resp. 1.° *In casu evictionis* tenetur emptori damnum rependere, ut in casu praecedenti.

Resp. 2.° *Extra casum evictionis*, quando scilicet res a domino recuperari nequit, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste amplius non comparet, venditor juxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet. Ratio est, quia ex toto illo pretio vere ditior factus est, nec proinde ullam jacturam illius occasione patitur, dum e contrario dominus re sua injuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Unde hic indemnis servandus est ex lucro, quod venditor absque ullo titulo percepit. *Vogler, n.* 66, *et alii innumeri.*

Aliqui tamen venditorem ab omni obligatione liberant, quia in eum nullum recursum habere potest dominus, haud secus ac in casu praecedenti. *Ita Gousset, n.* 930; *Bucceroni, n.* 1341; *Noldin, n.* 440, *b; P. Carolus Llobera* (in adnot. lithograph., ad *n.* 638); et hoc *jure* **hisp.-ph.**, **lusit.** et **Amer. lat.** videtur teneri posse saltem ante judicis sententiam. *Valenzuela*, l. c., *n.* 476 *seq.* A fortiori id erit dicendum in casu quo venditor rem gratuito acceperit ab eo qui titulo oneroso illam acquisierat.

Attamen *jure* **hisp.-ph.**, si bona fide vendiderit, *a*) vel *heres* depositarii rem, quam ignorabat esse depositam, *b*) vel ille qui bona fide *rem sibi indebitam* recepit, tenetur uterque vel ad restituendum pretium acceptum, vel ad cedendam actionem contra emptorem, si hic nondum pretium solvit: *aa.* 1778 *et* 1897.

776. — QUAER. 6.° *Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit et majori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur?*

Ex jure *romano. Resp.* 1.° *Neg.*, si lucrum istud industriae extraordinariae tribuendum sit, v. gr. si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem rem carius vendendi inveniret, etc. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris.

Affirm., e contrario, si res ex natura sua, aut ex communi ho-

minum aestimatione, non vero ex detentoris industria, creverit, quia in eo casu domino crescit

Resp. 2.° In aliis vero casibus *controvertitur*. Alii affirmant, quia ex eo lucro possessor ditior factus est. *Billuart*, etc.

Negant vero alii, *communius* et *probabilius;* quia totum illud lucrum fructus industriae possessoris esse videtur. *Ita Lugo, diss.* 17, *n.* 20, *et alii sat communiter*, ut fatetur *Billuart.*

Ex jure autem **hisp.-ph.**, **lusit.** et **Amer. lat.**, lucrum retinere poterit, quia erit vel fructus industriae, vel fructus rei. Atqui possessor bonae fidei utrosque jam perceptos servare potest. Ergo... Cfr. *n.* 772, *Dico* 4.° Vide **Casus**, *n.* 608.

777. — QUAER. 7.° *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit?*

Resp. 1.° Si rem *ex titulo oneroso* habuit, *probabilius* ad nihil tenetur, ut sequitur ex dictis in quaesito quarto. Etenim 1.° non tenetur *ratione rei*, cum illam jam non habeat; 2.° neque *ratione damni*, cum non sit causa ejus interitus, nec aliunde ullo modo formaliter cooperatus ablationi rei fuerit.

Resp. 2.° Si rem habuit *ex titulo gratuito*, haud ita facilis evádit solutio, quia ditior evasit. In varias sententias quoad istam quaestionem abeunt theologi, et tibi undique adstant ambages. Triplex sententia praecipue distinguitur:

I.ª SENTENTIA, quae probabilior videtur, docet pretium *emptori* restituendum esse. Etenim illud servare nequit venditor, cum ex illo ditior evaserit. Aliunde istud domino reddere non tenetur, quia res domino periit. Insuper si primus possessor malae fuerit fidei, ut saepius accidit, ille de rei valore erga dominum tenetur. Aliunde vero cum venditio invalida fuerit, emptor jus habet ad suam pecuniam recuperandam. *Bouvier*, *Carrière*, etc.

II.ª SENTENTIA, *sat probabilis*, tenet pretium *domino* esse restituendum. Ratio est, quia cum injuste re sua spoliatus sit, indemnis fieri debet. Re autem jam non exsistente, aequum est ut accipiat id, quo res repraesentatur. Atqui repraesentatur pretio, quod habet venditor. Ergo... Aliunde nullitas venditionis emptori minime nocet; quia ei non magis nocet, quam si contractus validus foret; porro si validus esset, nihil posset repetere. Ergo... Excipiunt plures recte, si res aeque periisset apud dominum, v. gr. ex vitio intrinseco, aut ex vetustate; tunc enim revera ipsi periisset.

III.ª SENTENTIA dicit, *venditorem posse pretium sibi retinere*, quia nec domino, nec emptori illud restituere debet. Ac 1.° *non domino*, quia res ipsi periit in omni casu; 2.° *non emptori*, quia pecunia, quam venditor accepit, non praecise rem repraesentat, sed potius obligationem, quam in se suscepit servandi indemnem emptorem in casu evictionis. Sed emptor non fuit evictus; ergo venditor pretium retinere potest ratione rei derelictae.

Haec sententia *probabilis* videtur *PP. Génicot, n.* 525, 2.°; *Bucceroni, n.* 1341; *Noldin*, De praecept., *n.* 439; *Sabetti-Barrett, n.* 418, *q.* 3; *Valenzuela, nn.* 476, 479; *Llobera*, l. c.: eam amplectitur *Lehmk.*, I, *n.* 951, pro casu quo res eodem modo apud dominum periisset, et certe probabilior est quam illa quae ultimo loco recensetur, *n.* 775.

778. — QUAER. 8.° *Quid agendum, si inter varios possessores bonae fidei unus malae fidei adfuerit?*

Resp. Illa circumstantia nihil prorsus conditionem aliorum possessorum immutat, quemcumque tandem locum in serie possessorum ille occupaverit. Singulis enim incumbit eadem obligatio erga dominum, ac si possessor ille bonae fidei fuerit, siquidem mala ejus fides in alios nullatenus redundat. Iste autem tractandus erit prouti mox de possessoribus malae fidei dicetur.

QUAER. 9.° *Quid agendum, si possessor bonae fidei detegat quidem rem a se possessam esse alienam, sed dominus non compareat?*

Resp. De hoc statuendum est sicut de re inventa. *Probabilius* igitur possessor rem illam servare sibi potest. Recole dicta *n.* 713.

779. — QUAER. 10. *An possessor bonae fidei subducere possit expensas necessarias, quas in re conservanda vel augenda subiit?*

Resp. Deducere potest omnes expensas *necessarias*, illas nempe, quae, si factae non essent, res aut periisset aut deterior evasisset, imo et *utiles*, quae nempe rem meliorem fecerunt; secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. Nihil autem repetere potest pro expensis *mere voluptuariis*, seu quae speciem dumtaxat ornant, non etiam fructum augent; quia aequum non est, ut dominus solvat expensas, quae nullam sibi utilitatem afferunt. Sed ubi intacta rei substantia separari possunt, poterit has expensas, v. gr. statuas et alia ornamenta, secum afferre, nisi novus possessor maluerit horum pretium solvere. Cfr. *n.* 781. — Cohaeret jus **hisp.-ph.**, *a.* 454, item *calhal.*; **lusit.**, 498; **aeq.**, 900 *seq.*; **arg.**, 2467 (2433) *seq.*; **bol.**, 294; **bras.**, 516; **chil.**, 907 *seq.*; **col.**, 965-967; **cost.**, 328; **guat.**, 526; **mex.**, 842 *seq.*; **nic.**, 909 *seq.*; **per.**, 473; **Salv.**, 938 *seq.*; **ur.**, 674 *seq.*; **ven.**, 687.

Inter expensas autem deducendas non sunt computandi *casus fortuiti;* nec damna *per accidens* causata, v. gr. si in colendo agro alieno perierint equi tui; nec expensae factae pro cultura et collectione fructuum, *quos possessor sibi servat.*

780. — QUAER. 11. *An qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?*

Resp. 1.° *Neg.*, si compareat dominus rem suam ab illo repetens, tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui jactura; quia de jure naturali dominus rem suam occupare potest, ubicumque eam reperiat. Actio tamen emptori datur in furem.

Excipe ex *jure* **hisp.-ph.**, **lusit.** et **Amer. lat.**, casus de quibus

diximus *nn.* 722 et 723. Vide etiam *Bucceroni, n.* 1343; *Marc*, Inst. mor., I, *n.* 996 (Romae, 1902).

Resp. 2.° Si dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, *probabilius* potest emptor rem furi remittere ut pecuniam recuperet; quia emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno. *Ita. S. Alph., n.* 569; *Lugo, Lessius, Waffelaert, vol.* 2, *n.* 238; *Marres, l.* 2, *n.* 26, etc. — *Negant* tamen *alii probabiliter*, quia res clamat domino. Sic *Lacroix, Laymann, Carrière, n.* 1042, etc.

Resp. 3.° Si fur aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec In proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. Recursum autem in venditorem servat. Quod si eum invenire nequeat, damnum ipsi est subeundum. — V. **Casus**, *n.* 599 *et seq.*

§ II. *De possessore malae fidei.*

Possessor *malae fidei* ille est, qui congnoscit rem, quam accipit aut possidet, non esse suam.

781. Principia. — I. Possessor malae fidei restituere debet rem ipsam in *individuo*, si exsistat, vel in *aequivalenti*, si non exsistat, et insuper id omne, quo factus est ditior, i. e. omnes fructus rei naturales et mixtos qua parte rei, non industriae, debentur. Ita etiam jus **hisp.**, **lusit.** et **Amer. lat.**

II. Tenetur praeterea ad compensandum omne damnum ex acceptione injusta proximo illatum, etiamsi ditior non fuerit factus. — Ratio est, quia per acceptionem *formaliter* injustam ac per se damni efficacem, violavit jus proximi. Requirit autem justitia commutativa, et jus violatum integre reparetur. Ergo...

III. Potest tamen retinere fructus omnes industriales, et deducere expensas tum necessarias, tum utiles; imo et mere voluptuarias, ubi intacta rei substantia separari possunt, nisi in poenam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit. *S. Alph.*, Hom. apost., *nn.* 74, 77. — Huic doctrinae stare in conscientia possumus etiam jure **hisp.-ph.**, **lusit.** et **Amer. lat.**, quamvis *a)* jure **hisp.-ph.**, possessor malae fidei *videatur* privandus expensis *utilibus*, *aa.* 453, 455, 356. (Cfr. *Sánchez Román, vol.* 3, *pag.* 456 *seq.*); [— *b)* jure **lusit.**, 502; **bras** , 517; **cost.**, 330, privetur voluptuariis; — *c)* jure **aeq.**, 899-902; **chil.**, 908-911; **col.**, 965; **nic.**, 908-911; **Salv.**, 938-941; **ur.**, 670-679 (et, ut videtur, etiam **bol.**, 293, 294, 299, 300) expensae utiles hoc in casu voluptuariis assimilentur; — *d)* jure **guat.**, 525, 526; **per.**, 472, 473, nihil statuatur de voluptuariis, et expensae utiles assimilentur voluptuariis romanis; — *e) cathal.* et **mex.**, 842-845, privetur *voluptuariis*, et utiles assimilentur etiam voluptuariis romanis. **Arg.**,

2469-2475 (2435-2441), et ven., 687, 688, cohaerent omnino cum principiis traditis].

782. **Quaesita.**—QUAER. 1.° *An teneatur ad restitutionem fur qui surripuit rem secus certo perituram?*

Resp. Affirm., deductis tamen expensis factis cum pretio operae adhibitae ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit.

Excipiunt plures, *probabiliter*, si fur consumat rem *in certo periculo remanentem*, v. gr. esculenta vel poculenta incendio jam peritura; quia res non liberata a periculo nullius est valoris pro domino. *Lugo, d.* 18, *nn.* 77, 144 *et seq.; S. Alph., n.* 620; *Elbel, n.* 80.

Plures hoc extendunt ad casum, in quo res aliena proximo periculo subducitur et *statim* consumitur: v. gr. si sumas vinum alienum jam jam incursu hostili certo invadendum, illudque cum familia aut amicis bibas. *Lugo, Elbel, ibid.*

783. — QUAER. 2.° *An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?*

Resp. 1.° *Affirm., absolute*, si perierit culpa furis vel alterius cujuslibet, quia fur fuit causa damni efficax, sive ipse sive alius rem ex negligentia culpabili perdiderit aut consumpserit, donaverit, destruxerit. *Ita omnes.*

Resp. 2.° *Affirm., generatim*, si pariter res periit apud furem, etiam absque ulla ejus culpa. Ratio est, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit. *S. Alph., n.* 620.

Resp. 3.° *Neg.* tamen, si res fuisset peritura apud dominum eodem tempore et casu, seu ex vitio ejus intrinseco, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur. *Probabilius* hoc valet, etiam si res certo peritura fuisset *eodem tempore et in eodem periculo* communi, quo apud furem periit, v. gr. in eodem incendio, vel in eadem publica calamitate. Ratio est, quia tunc furtum non fuit causa damni, sed res aeque et eodem modo et tempore periisset. *Ita communiter. S. Alph., n.* 620; Hom. apost., de VII.° praecepto, *n.* 79; *Lugo, disp.* 18, *n.* 141; *Vogler, n.* 501, contra *Concina, etc.*

Dixi 1.° *Si res peritura fuisset eodem tempore apud dominum;* quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est quod non perierit, jam ad dominum, dum penes furem manebat, semper clamabat, nec periisset si jam fuisset restituta; ergo fur ad restitutionem tenetur; si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem restituendi contraxit.

Dixi 2.° *eodem periculo*, quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine ejus furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen

subiisset. *S. Alph., n.* 620. — Aliqui tamen contradicunt, quia (ajunt) perinde est sive res in isto, sive in alio periculo intereat, quando utrumque discrimen simul coëxsistat. *Ita D'Annibale*, II, *n.* 240; *Génicot*, I, 529, *et plures alii.*

Haec videtur etiam sententia *Lacroix*, *l.* 3, *p.* 2, *n.* 218, et *S. Alph.*, l. c., ad finem. Cf. etiam **lusit.**, 497; **arg.**, 926 (892); **bras.**, 515; **bol.**, 896; **mex.**, 853, 854. Idem tenet *jus* **hisp.-ph.**, 1896; **arg.**, 823 (789); **guat.**, 2355; **mex.**, 1552, 853, 854; **per.**, 2274; **ven.**, 1265, quoad eum qui *mala fide* rem sibi *indebitam* recepit.

Ex jure civili *rom.*, et **hisp.-ph.**, *a.* 1185 (excepto casu *a.* 1896), quocumque modo res perierit in manibus possessoris malae fidei, ad restitutionem hic tenetur. [Idem quoad furem statuunt **aeq.**, 1666; **chil.**, 1676; **col.**, 1735; **cost.**, 832; **guat.**, 2357; **per.**, 2276; **nic.**, 1676; **Salv.**, 1663; **ur.**, 1527; **ven.**, 1265]. Attamen non videtur ad restitutionem obligandus ante judicis sententiam, nisi illum jure naturali obligari constet. *Carrière*, *n.* 1072; *Gousset*, *n.* 933; *Lehmkuhl.*, *n.* 955; *Valenzuela*, *n.* 484.

784. — QUAER. 3.° *Ad quid teneatur possessor malae fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis?*

Resp. Restitutio ita est facienda ut nec dominus detrimentum capiat, nec possessor malae fidei ditior evadat, vel commodum reportet ex tali possessione. Unde:

1.° Si res *apud furem deterior* facta fuerit, restituenda est secundum valorem, quem habebat quo tempore sublata est. Secus enim dominus non reciperet id omne, quod suum erat.

2.° Si res *apud furem crevit*, restitui debet cum omnibus incrementis hic et nunc exsistentibus; quia res semper ad dominum pertinet, et pro ipso crescit.

3.° Si dominus rem suam fuisset venditurus eo tempore, quo fuit sibi ablata, et fur eodem tempore eam vendiderit, aut consumpserit, tenetur tantum restituere valorem, quem habebat, quando illam surripuit.

4.° Si res apud furem *creverit et postea decreverit*, et constet dominum, eo tempore, quo *majoris erat pretii*, venditurum illam fuisse aut consumpturum, fur ad totum majus pretium reddendum tenetur.

5.° Si fur rem a domino non servandam consumpserit tempore minoris pretii, non tenetur ad restitutionem incrementi, sed tantum ad valorem quem habebat cum sublata fuit, saltem *probabilius*, quia non ditescit ex re aliena, nec injuriam infert domino. *Ita communius*, contra aliquos. — Excipe, si dominus emere non potuisset eodem pretio rem consumptae similem. *S. Alph.*, *n.* 621.

6.° Si fur rem a domino non servandam vendidit vel consumpsit tempore *majoris pretii*, tenetur illud pretium domino reddere,

licet aliud dominus de re facturus fuisset; quia res domino suo *fructificat. Lugo, d.* 18, *n.* 126; *S. Alph., n.* 621. — Alii tamen probabile putant, satis esse si in casu restituatur pretium quod res habuit illo tempore, quo a domino fuisset consumpta. Cfr. *Ball.-P., vol.* 3, *n.* 433.

In praxi cum fere non innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola urgenda est compensatio valoris quem tempore furti res habebat.

785.—Quaer. **4.°** *An fur praeter pecuniam furtivam etiam restituere debeat* INTERESSE (los intereses)?

Resp. Affirm., si constet vel praesumatur, quod dominus illud lucrum fuerat percepturus, quia hic respectu possessoris malae fidei omnino indemnis fieri debet; secus vero *probabiliter* in alia hypothesi, quia non constat dominum ad illud auctarium jus habere. Hodie communiter solvendum esse videtur interesse, saltem nisi constet dominum pecuniam otiosam habiturum. *Ball.-P.*, l. c., *n.* 434, *not.; Génicot, n.* 530, III.

Quaer. 5.° *An teneantur restituere, qui, ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes; vel veri pauperes, qui dicunt se probos, cum non sint?*

Resp. ad 1.um *Affirm.* Ratio est, quia isti nullum jus habent ad eleemosynas; qui enim erogant eas, *veris* tantum pauperibus opitulari intendunt. Igitur restituendum est vel danti, vel saltem *vere* pauperibus. *Probabilius* sufficit si pauperibus restituatur. Non videtur tamen urgenda restitutio, si de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim dantur, agatur; quia erogantes quoad eas sunt minus inviti. *Ita communiter. S. Alph., n.* 622. — V. **Casus**, *nn.* 183, *a-c*, 221, 222.

Resp. ad 2.um *Neg. generaliter*, quia sola indigentia, non vero probitas, est conditio, ad quam donator attendit aut attendere praesumitur. *Ita communiter.*

786. — Quaer. 6.° *Quid, si res aliena per manus plurium malae fidei possessorum transierit, ex donatione aut venditione?*

Resp. 1.° *Quoad rem*, haec restituenda est ab eo, qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, ceteri per aequas portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in ceterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

Resp. 2.° *Quoad rei fructus* et damna, singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit; si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae injusti possessores. *Ita communiter.*

QUAER. **7.°** *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure, possit ipsam huic reddere ad pretium recuperandum?*

Resp. Controvertitur, fere ut in casu simili possessoris bonae fidei, de quo supra, *n.* 780. *Communius* negatur, quia emendo mala fide, *in se* periculum rei suscepit; aliunde nemini fraus sua debet patrocinari. — Verum *affirmant* alii ut *probabile*, cum *S. Alph., n.* 570; *Waffelaert*, II, *n.* 239; *Marres*, *l.* 2, *n.* 26, quia licet iste peccaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen jus habet, haud secus ac possessor bonae fidei, ad contractum rescindendum; nec rem furi reddens, hanc in pejori, ac ipse illam invenerit, ponit conditione, e qua insuper nec tenebatur sane ex justitia ipsam liberare.

787. — QUAER. 8.° *Ad quid teneatur ille qui furatur chartam in qua jus continetur ad praemium in sortitione* v. gr. *loteriae?*

Resp. 1.° Si abstulit ab eo qui tales chartas venales habet, tenetur restituere pretium emptionis, tam si praemium tali chartae obtigerit (quod poterit sibi reservare), quam in casu contrario. Ita enim, et tantum ita, plene reparat damnum illatum.

Resp. 2.° Quod si charta erat illius qui ad praemium obtinendum eam emerat, tunc *a*) si furem poeniteat ante sortitionem, statuere tunc in animo potest vel in omni eventu restituere domino pretium emptionis, ut in casu praecedenti dictum est; vel praemium totum, si obtineat, dare domino; sin autem, nihil. Si vero *b*) ante sortitionem nihil cogitavit de restitutione, illa peracta, restituere debet praemium si obtinuit: res enim fructificat domino; secus nihil, quia res nihil jam valet, nec valeret penes dominum si furtum non fuerit patratum. **Casus**, 621 *a*, *seq.*

QUAER. 9.° *An et quatenus ad restitutionem teneatur ille qui mala fide monetam falsam sive metallicam sive papyraceam* (BILLETE DE BANCO) *alteri quasi legitimam in debiti solutionem vel pro satisfactione obligationis justitiae* etc. *intrudit?*

Resp. 1.° Tenetur ad restitutionem, non modo si ille fuit auctor falsificationis, ut planum est, sed etiam quamvis ipse illam ab alio uti bonam acceperit in debiti solutionem: qui enim ab uno deceptus est, non eo ipso jus habet alteri damnum inferendi.

Restitutio *per se* illi facienda est cui tu falsam monetam dedisti, nisi constet illum nullum damnum expertum fuisse, quia v. gr. alteri eam et ipse intrudit. Hoc enim in casu illi restituendum esset qui damnum de facto passus est, si de ipso constat; secus restitutio fieri debet pauperibus aut causis piis, sicut aliis in casibus in quibus creditor est ignotus. **Casus**, 656 *a*, *seq.*

QUAER. 10. *Quid vero si quis bona fide falsam accepit monetam titulo oneroso eamque alteri tradidit eadem bona fide?*

Resp. Non tenetur restituere nisi ab eo reclamaverit ille ipse cui ille eam dedit, idque probaverit. Erga alios ad nihil tenetur, quia

nec fuit *culpabilis* causa damni aliorum, nec factus est ditior, nec cum illis inivit contractum. Cfr. *Sánchez*, Decal., *lib.* 2, *c.* 23, *n.* 23; *Lugo*, De contr., *disp.* 28, *sect.* 2, *n.* 6; *La Croix*, *lib.* 3, *p.* 2, *n.* 960; *S. Alph.*, *lib.* 3, *n.* 855; *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 855; *Gennari*, apud *Il Monitore*, *vol.* 23, *pag.* 463. **Casus**, l. c.

788. **Resolves:** — 1.° Possessor malae fidei non tantum tenetur ad compensandum damnum domino emergens ex carentia rei suae, et in confuso saltem praevisum, sed et omne lucrum cessans; scilicet non illud tantum, quod dominus ob rei suae carentiam re ipsa amisit, sed illud etiam quod modo licito fuisset percepturus.

2.° Qui frumentum alienum surreptum transvexit in alium locum, ubi vendidit majori pretio, quam dominus erat venditurus, non tenetur augmentum pretii domino tribuere. *S. Alph.*, *n.* 618.— Quod si idem frumentum fur in agro suo seminaverit, tenetur solum ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnis servetur. Item si quis aliena ova supponat gallinae suae incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur.

3.° Si quis furatus sit triticum, quod dominus tempore majoris pretii vendendum servabat, illudque minoris pretii tempore consumpserit, ad illud pretium restituendum tenetur, quod dominus exspectabat, nisi forte tam mature fiat restitutio, ut dominus minori pretio simile triticum emere et sine incommodo in tempus pretii majoris reservare possit.

4.° Si quis raptum agnum occiderit, aut aliam rem hujusmodi furto ablatam consumpserit, id tantum pecuniae (*saltem probabilius*) solvere tenetur, quod valori harum rerum tempore occisionis aut consumptionis respondebat; nisi forte dominus eadem pecunia rem ejusdem valoris jam non potuerit emere, simulque voluerit rem illam servare, ut majorem pecuniae summam ex ejus venditione obtineret. *S. Alph.*, *n.* 621.

5.° Si fur subripuit et consumpsit triticum, quod dominus usque ad ultimum venditionis tempus servaturus erat, post furtum vero modii valor primo quidem crevit, sed deinde, cum fur vult restituere, decrevit iterum ad eum valorem, quem furti tempore habebat, satis est (*probabilius saltem*) pretium huic valori respondens solvere. *Reuter*, *n.* 330. — Vide dicta *n.* 784, *Quaer.* 3.°, *Resp.* ad 2.um — V. **Casus**, *n.* 610 *et seq.*

§ III. *De possessore dubiae fidei.*

789. **Principia.** — I. Possessor dubiae fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponat. — Ratio patet; secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia sua retinendi.

II. Si diligenti inquisitione facta dubium perseveret, *probabilius* rem totam retinere potest, si ante obortum dubium bona fide

possidebat. — Ratio est, quia *in pari casu vel dubio melior est conditio possidentis;* et possessio cum bona fide incepta creat de se maximam praesumptionem de justitia possessionis, et possessori jus certum attribuit, quod nisi aliis rationibus vel praesumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno tum externo praevalere debet. *S. Alph., l.* 1, De consc., *n.* 34; *Lugo, d.* 17, *n.* 86; *Lacroix, n.* 663; *Carrière, n.* 1094, *et alii communiter*, contra *aliquos*, qui dicunt rem pro rata dubii esse dividendam.

III. Si dubium praecesserit possessionem, distinguendum est. Nam qui in dubio incepit possidere *spoliando* alium possessione sua, tenetur rem totam restituere priori possessori *si dubium postea perseveret*, quando non constet hunc mala fide incepisse rem possidere; quia in pari causa melior est ejus conditio, utpote possidentis. *Lugo, d.* 17, *n.* 80; *Carrière, n.* 1100.

Qui vero rem accepit alio titulo, v. gr. emptionis, si post examen diligens adhuc dubium perseverat, an ille, a quo accepit, ejus sit dominus, restituere debet, pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum, cum dubitet utrum res sit aliena. *S. Alph., n.* 625; *Lugo, ibid.*

Attamen *Bucceroni, n.* 1327, probabiliter putat nihil esse restituendum, quia potest tunc formare conscientiam ex principiis reflexis, v. gr. nemo malus nisi probetur, etc., et aliunde constat non esse imponendam obligationem nisi de ea certo constet. Hoc *Lugo, d.* 17, *n.* 81 *seq.; Lehmk.*, I, *n.* 959, 3.°; *Waffelaert*, I, *n.* 236; *Génicot, n.* 534, etc., admittunt pro casu quo rem acceperis ab eo, qui bona fide possidebat: tunc enim succedis in jure illius, quia tibi totum suum jus transtulit.

790. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *Ad quid teneatur, qui accepit rem aliquam mala fide, ratus eam esse alienam, et postea dubitat, an res sua sit necne?*

Resp. Aequiparandus est ei, qui possessionem cum dubia fide incepit; prior enim aestimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur utrum sua possessione alterum spoliaverit, necne, et resolve juxta dicta in principio III.

QUAER. **2.°** *Quid, si talis possessor (qui bona fide incepit possidere) inquirere neglexerit ab initio dubii supervenientis, et postea non possit amplius rei dominus inveniri?*

Resp. Videtur aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. *S. Alph.*, De consc., *n.* 31; *Lugo; Lacroix, lib.* 3, *p.* 2, *n.* 564.

Alii ut *Rebell., Bonac., Castropal., Diana*, apud *Lacroix*, l. c.;

Bucceroni, 1353; *Génicot*, *n.* 534, V, putant nihil debere restitui, quia adhuc favet possessio certa: et post inquisitionem nunc prout fieri potuit factam, videtur redire bona fides. Quod probabile dicitur a *Lugo*, *d.* 17, *n.* 85; *Tamburin.*; *Lehmk.*, I, *n.* 957, quando in genere dubitatur an res fuerit aliena, non vero si dubitetur de jure alicujus in particulari. Videtur consentire *Lacroix*, l. c.

791. — Quaer. 3.° *Ad quid teneatur possessor dubiae fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?*

Resp. Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malae fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei resarcienda. *Lessius*, *c.* 14, *n.* 83; *Carrière*, *n.* 1088, *et alii communiter.*

Excipiendus videtur is qui incepit possessionem bona fide, et deinde, oborto dubio, inquirere neglexit, putans dominum difficilius inveniri posse; hic enim possessori bonae fidei aequiparandus foret.

792. — Quaer. 4.° *An possessor dubiae fidei praescribere possit, si, facta inquisitione debita, dubium perseveret?*

Resp. 1.° *Affirm., probabilius*, si bona fide incepit possidere; quia dubium illud perseverans, non obstante diligentia adhibita, invincibile est, et proinde, etiam illo manente, conscientia formari potest ex illo praesertim principio: *Melior est conditio possidentis.*

Resp. **2.°** *Neg.* autem, si dubia fide incepit possidere, quia bona fide ad praescribendum requisita destituitur. *S. Alph.*, *n.* 504. Vid. supra, *n.* 725. — Contrarium tenent *Wirceburg.*, *d.* 4, *c.* 2, *art.* 3; *Bucc.*, *n.* 1327, *cum aliis.*

Quaer. 5.° *An possessor dubiae fidei, qui bona fide incepit possidere, ad restitutionem teneatur, si facta inquisitione, inveniat rem probabilius alienam esse?*

Resp. Neg., probabilius, quia ex possessione certa jus moraliter certum oritur. Insuper donec alter jus suum certum probaverit, valet axioma: *Melior est conditio possidentis. S. Alph.*, *l.* 1, *n.* 35, *et alii communissime* juxta *S. Alph.*, contra *aliquos*, qui docent tunc esse pro rata restituendum.

Quaer. 6.° *An debitor, in dubio de peracta debiti solutione, integre vel ex parte solvere teneatur?*

Resp. Generatim attendendum est ad varias rerum circumstantias, ut dignoscatur, cuinam faveat praesumptio.—Vide dicenda de causis a restitutione excusantibus, *n.* 859.

793. **Resolves:** — 1.° Si bona fide possederis rem alienam, et superveniente dubio, eoque post inquisitionem remanente, innixus principio possessionis, illam consumpseris, deinde vero dominus ex improviso compareat, id solum teneberis restituere, in quo ditior factus es. Sequitur ex dictis. *S. Alph.*, *nn.* 607, 608.

2.° Quando nemo eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint

domini, rem ipsam de facto possidet, si dubium aequale sit, res aequaliter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inaequale, dividenda videtur juxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad jus unicuique ceterorum reddendum; aut etiam in sortes conjicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit. *Lacroix*, *n.* 556; *Sánchez*, Decal., *l.* 2, *c.* 23, *n.* 173; *Carrière*, *n.* 1101, *et alii*.

3.° Si dubites, an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes, re perpensa, et perseverante dubio, hereditatem nihilominus accipere et retinere, dummodo constet, cum bona fide possedisse. Etenim si axioma *in dubio melior est conditio possidentis*, favet antecessori tuo, etiam tibi successori favet; nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiae fidei, qui possessionem bona fide incepit, quandoquidem antecessor et successor unicam personam moralem ex jure efficiunt.

4.° In dubio an aliquis possessionem bona vel mala fide inceperit, praesumendum est in favorem possessoris; quia delicta non praesumuntur, sed probari debent. Attamen si quis reperiatur actu in mala fide, et dubitetur an inceperit cum hac mala fide possidere, praesumi debet, eum malae fidei ab initio fuisse; quia *semel malus semper praesumitur esse malus*, juxta reg. juris 8, in 6.° *Ita Lacroix*, *n.* 567; *Lugo*, *d.* 18, *n.* 16. — V. **Casus**, *n.* 622.

ARTICULUS II

DE INJUSTA DAMNIFICATIONE

794. — Damnificator injustus dicitur, qui jus alienum laedit, et proximo in bonis suis nocet, nec tamen inde ditior evadit.

Duplex distinguitur culpa, qua damnum inferri potest, nempe culpa *theologica* et culpa *juridica*. — Culpa *theologica* est, quae includit offensam Dei, id est, peccatum formale, sive mortale sive veniale. — Culpa vero *juridica* est omissio diligentiae, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non. Cfr. **bras.**, 159. *S. Alph.*, *n.* 549.

Culpa autem juridica, ex communi interpretatione juris *romani*, est vel lata, vel levis, vel levissima. Culpa *lata* est omissio diligentiae, quam *communiter* adhibere solent homines in similibus negotiis. *Levis* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines *prudentiores* et diligentiores. *Levissima* est omissio diligentiae, quae adhiberi solet solum a *prudentissimis* et diligentissimis (paulo aliter **aeq.**, 39; **chil.**, 44; **col.**, 63; **nic** , 44; **Salv.**, 44). *Scav.* 2.°, 258. Sed haec culparum distinctio expresse non comme-

moratur *in jure* **hisp.-ph.** (1), juxta quod culpa, quae obligationem restitutionis inducit, est omissio *diligentiae*, vel quam bonus paterfamilias adhibere solet (*aa.* 1104 et 1903), vel quam exigunt natura rei et adjuncta personarum, temporis et loci (*a.* 1104. Vide etiam *a.* 1103).

In Codice etsi expressis verbis non proponatur haec distinctio culparum, nihilominus tota doctrina reperitur in can. 2303, § 1, ubi in prima parte agitur de culpa levi aut levissima, in altera vero de culpa lata. Sic se habet: «Si quis legem violaverit ex omissione debitae diligentiae, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti judice ex adjunctis determinando; quod si rem praeviderit, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo.»

795. **Principia.** — I. Injustus damnificator restituere tenetur: 1.° totum aequivalens rei damnificatae; ita v. gr., si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum ejus pretium domino rependere debet; 2.° totum aequivalens damnis praevisis praeter rei damnificationem, si quae ex ea provenerint. — Hinc v. gr. si opifex solitam operam aliquo tempore omittere cogatur, propterea quod instrumentum ei necessarium destruxeris, illum non modo de valore instrumenti, sed etiam de lucro cessante teneris compensare.

Hujusce principii ratio patet ex dictis *nn.* 664 et 762. Etenim dominus laesus *omnino indemnis* fieri debet. Ad hoc autem non satis est, si damnificator intrinsecum pro re pretium ei solvat, quando alia detrimenta ex privatione rei suae passus alter fuerit; siquidem non recuperaret id omne quod ex injusta damnificatione amisit. Neque obstat, quod nullum damnificatori commodum ex damno obvenerit; nam tota restitutionis ratio non ex percepta utilitate de aliena re, sed ex damno illato petenda est.

796. — II. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, jure naturae requiritur *triplex conditio*, nempe ut sit injusta, causa damni efficax, et theologice culpabilis; scilicet, ut sit *vere*, *efficaciter* et *formaliter* injusta.

1.° *Injusta.* Obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum. Jus autem strictum violari nequit, nisi per actionem injustam seu justitiae commutativae oppositam, juxta dicta supra, *n.* 664, etc.

2.° *Causa damni efficax*, scilicet, 1.° ut actio *per se* influat in damnum, ita ut hoc inde vere consequi censeatur; 2.° ut tali agenti

---

(1) Cfr. Sent. Trib. Sup. 21 oct. 1910; in qua absolutus a *culpa* (theologica) a tribunali juratorum, damnatur a tribunali civili ad damna reparanda propter negligentiam (aut culpam juridicam). Vide *Alcubilla*, Ap. de 1913, *pag.* 232, 233, ubi plures aliae citantur sententiae similes.

possit imputari. Ratio utriusque perspicua est. Actio enim imputari nemini potest, nisi sit ipsius propria; nec potest detrimentum actionis cuipiam adscribi, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax *physice* et *moraliter*.

Hoc autem fit, quando ponitur actio, quae ex natura sua, vel ex circumstantiis, cum damno connexionem habet saltem probabilem. Hinc 1.° non sufficit ad restitutionem *causa occasionalis* tantum damni, quia non est causa efficax, sed tantum occasio causae efficacis. Unde si occasione furti a te patrati alius accusatus fuerit et damnatus, nulla obligatione damni ejus reparandi teneris. — Nec 2.° sufficit ad restitutionem *causa accidentalis;* nam haec ea est quae, in se spectata, attentisque circumstantiis, connexionem probabilem cum eventu non habet, adeoque causa efficax non est dicenda. Unde, si tradas gladium Titio absque praevisione probabili ejus abusus, non es injustitiae reus, si ille homicidium cum eo gladio patraverit.

3.° *Theologice culpabilis*. Etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiae, nisi in eodem foro injuria commissa fuerit, neque conscientia ligari potest obligatione reparandi injuriam, quam ipsa non intulit; secus etiam dormientes et amentes, si damnum quodpiam intulerint, ad restituendum in conscientia tenerentur, quod absurdum est. Porro nulla est injuria in foro interno, ubi nulla est culpa theologica; ad injuriam enim requiritur voluntas nocendi saltem indirecta, seu praevisio aliqua saltem *confusa* damni injusti. Ergo, etc.—*S. Alph., n.* 551 *et seq.;* Hom. apost., *nn.* 39 *et* 41.

797. — III. Tamen etiam ex culpa *mere juridica* adesse potest restituendi obligatio in conscientia *post sententiam judicis*.—Obediendum enim est justae judicis sententiae; secus leges securitati publicae non providerent, et inanes forent. Porro sententia, de qua agitur, est justa. Ista enim lex fertur pro bono communi et tendit *ad homines cautiores reddendos*, ne aliis damnum inferant. Insuper ante omnem eventum omnibus civibus aeque favet. Nemo igitur de ea conqueri potest. Ergo, etc. *Ita communiter. Billuart, diss.* 8, *art.* 4; *S. Alph., n.* 554.

798. Quaesita. — QUAER. 1.° *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienae, quae detinebatur ex* CONTRACTU *aliquo, v. gr. locationis, depositi vel commodati, etc.?*

Resp. Duplex ex sententia probabilis.

I.ª SENTENTIA, quae *probabilior* apparet, *affirmat absolute*, requiri culpam theologicam. Ratio est, quia non sufficit culpa mere juridica ad obligationem in conscientia inducendam, ut constat ex supra dictis in principio II, nisi speciale pactum intercesserit. Porro de hujusmodi pacto nullatenus constat; imo non praesumitur

contrahentem voluisse in conscientia sub gravi tantam suscipere obligationem cum sola culpa juridica. *Ita Lugo, d.* 8, *n.* 106; *Lacroix, n.* 177; *Marres, l.* 2, *n.* 62; *Roncaglia;* et hanc sententiam vocat valde probabilem *S. Alph., n.* 554.

II.ª SENTENTIA *negat*, opus esse theologica culpa, ut quis oneri subsit restitutionis; additque requiri et sufficere *juridicam* culpam *latam*, si contractus cedit in solam utilitatem illius qui rem tradit, ut in deposito, etc.; sufficere *levissimam*, si cedat in commodum solius recipientis; requiri et sufficere *levem*, si cedat in commodum utriusque. Ratio 1.mi est, quia cum res aliena alicui committitur, aequitas postulat ut eam diligenter custodiat. Unde videtur intercedere pactum implicitum, quo rei detentor se obligat ad eam speciali cura custodiendam, vel ad reparandum detrimentum quod ex hujus curae omissione res subire possit. — Ratio 2.di est, quia aequitas etiam postulat ut, ubi majus est commodum, major adhibeatur diligentia. *Antoine, cap.* 3, *quaest.* 2, 5; *Collet, c.* 2, *art.* 4, *n.* 119, etc.

N. B. Si ex natura rei et ex pacto saltem implicito quis teneatur ad hujusmodi diligentiam utut accuratissimam, ejus *voluntaria omissio* erit theologice culpabilis, et consequenter obligatio restitutionis, spectato solo naturali jure, tantum oritur ex culpa theologica, ut dicebat prima sententia.

Igitur absque culpa theologica (et quidem gravi, si de re gravi agitur) non adest obligatio restituendi nisi ex *vi pacti expliciti* inter contrahentes (et tunc urget jam obligatio ante sententiam judicis), vel ex *auctoritate legum* hoc onus imponentium per modum poenae legalis, aut poenae conventionalis aut assecurationis (ideoque solum post sententiam judicis). — Nota etiam stare bene posse, ut quis committat culpam *juridicam levem* tantum vel *levissimam*, et simul culpam *theologicam gravem:* si enim ratio contractus obligationem accuratissimae diligentiae imponat, nihil mirum si ejus *voluntaria omissio*, quae culpam juridicam levissimam tantum inducit, gravem culpam theologicam importet. Cfr. *Lugo*, De just. et jure, *d.* 8, *n.* 100 *seq.;* et cod. civ. **hisp.-ph.**, *aa.* 1104, 1105 *et* 1902; **aeq.**, 2209, 2226; **chil.**, 2222, 2239; **col.**, 2247, 2263; **guat.**, 1959-1962; **nic.**, 2222, 2239; **Salv.**, 2179, 2196.

799. — QUAER. 2.° *An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo seu in* QUASI CONTRACTU *servando, v. gr. si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum aegroto praebuerit?*

Resp. Affirm., probabilius, ut in quaesito praecedenti. Ratio est, 1.° quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere juridicam in officio seu in quasi contractu, sive ex jure naturali, sive ex lege positiva, sive ex partium conventione; 2.° quia talis obligatio esset nociva bono publico; inde enim fieret ut viri probi

et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, necnon ab officiis publicis arcerentur. *S. Alph.*, *n.* 555; *Billuart*, *diss.* 8, *art.* 6; *Lacroix*, *n.* 184, et ipse quoque *Antoine*, *quaest.* 4.

QUAER. **3.°** *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia quisque tenetur ex justitia impedire, ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire ne malum ex actione sua secutum perseveret, si id impedire *moraliter* possit, i. e. sine magno suo proportionato incommodo. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 564; *Marres*, *l.* 2, *n.* 61. — Vide tamen *Villada*, Casus, *vol.* 1, *pag.* 155, *nota* 5.ª

Hinc 1.° qui inculpabiliter subjecit ignem domui alienae, quando advertit ad incendii periculum, ex justitia illud impedire tenetur, si possit; 2.° pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet; 3.° item qui errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere; et ni faciat, peccat graviter et obligatur ad reparationem omnium damnorum, quae ex hoc proveniunt.

800. — QUAER. **4.°** *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata, quando damnum infertur?*

Resp. Affirm., saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie praecognitum. Sic v. gr. si quis voluntarie alteri venenum propinaverit, et postea ejus effectum impedire non possit, utut facti poenitens maxime velit, damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere. *Ita communiter.*

QUAER. 5.° *An reparari debeat damnum* PER ACCIDENS *quidem, sed vacando operi* illicito, *illatum?*

Resp. Neg., quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem praevisum fuerit. Nec refert, quod actio fuerit illicita; hoc enim ad justitiae rationem nihil pertinet. Sic clericus, qui venationi contra Ecclesiae prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis injustitiae reus est quam laicus qui hoc fecisset. Imo damnum *per accidens* illatum ne reparari quidem debet, etiamsi occasione actionis *injustae* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat, nec praesentem sciebat, dum sclopetum in Cajum dirigeret. *Ita communissime. Vogler*, *n.* 170; *Lugo*, *d.* 8, *nn.* 72 *et* 83; *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 39.

801.— QUAER. 6.° *An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. gr. si incendas domum Caji, quam putas esse domum Titii, inimici tui?*

Resp. Affirmandum videtur. In eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitae ad restitutionem urgendam, scilicet actio injusta, causa damni efficax, et culpa theologica. Nec dicas, actionem tuam non esse injustam relative ad Cajum, cujus damnum noluisti, nam rem istam, omnino determinatam, destruere intendebas; porro eam destruendo suscepisti onus eamdem reparandi. Nihil porro refert, cujusnam sit; nam quaestio non est de *nomine*, sed de *re*. Error igitur non afficit actus *substantiam*, sed quid mere *accidentale*. *Ita communiter*, ut fatetur *S. Alph.*, etsi dissentiat. *Vogler*, *n.* 202; *Bonacina*, De rest., *d.* 1, *q.* 3, § 2, *n.* 1; *Sánchez; Busemb.*, *tr.* 5, *c.* 2, *dub.* 6, *art.* 3, *n.* 2, etc. Et inter recentiores *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 441 *seq.*; *Waffelaert*, *vol.* 2, *n.* 9; *Lehmk.*, 1, *n.* 977, *Marres*, De just., *l.* 2, *n.* 68; *Wermeersch.*, De just., *n.* 165; *Noldin*, De praecept., *n.* 453.

Plures tamen negant cum *S. Alph.*, *n.* 629, nempe *Lugo*, *d.* 17, *n.* 75 *seq.*, *d.* 18, *n.* 86; *Lacroix*, *lib.* 3, *p.* 2, *n.* 200 *et seq.* Item *Leander*, *Molina*, *Tamburini*, *Sporer*, etc., apud *S. Alph.* Ratio horum est, quia actio non fuit *formaliter* injuriosa erga damnificatum, sed tantum *materialiter*, cum processerit ex inculpabili ignorantia juris ejus.

Prima sententia videtur *probabilior;* secunda *solide probabilis*, unde in *praxi* teneri potest. Hanc ut *probabiliorem* amplectitur *D'Annibale*, II, *n.* 232, eamque probabilem vocant *Buccer.*, *n.* 1370; *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 317, *q.* 6.°, et *Génicot*, *n.* 522, II, 2.°, *vol.* 1.

802. — Quaer. 7.° *An teneatur reparare damnum Titius qui volens nocere Cajo, ejus domum incendit, invincibiliter ignorans esse assecuratam?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*. Ratio est, quia actio Titii fuit materialiter et formaliter injuriosa in Cajum, cujus domum voluit destruere et revera incendio vastavit. Per accidens est quod Cajus habuerit aliunde jus ad indemnitatem contra societatem assecurationis, quod jus pecunia emerat sua. Ita *PP. Villada* et *Bucceroni* a P. Ferreres consulti. Unde *per se* restitutio facienda esset Cajo; verum quia communiter facienda est occulte, et assecurati, post perceptam indemnitatem, omnia sua jura cedunt societati assecurationis, huic videtur restituendum (1). Imo in *praxi* restitui potest pauperibus; et probabiliter etiam datur locus compositioni, ut ex dicendis infra, *n.* 1095, patebit.

P. Génicot, Casus, *vol.* 1, *pag.* 280, innuere subobscure videtur Titium, paritate desumpta ex casu praecedenti, excusari posse ab obligatione restituendi, quia fuit tantum materialiter, non vero formaliter injustus in societatem assecurationis.

---

(1) Sic Cod. commerc. **hisp.**, *a.* 413: «El asegurador, pagada la indemnización, se subrogará en los derechos y acciones del asegurado, contra todos los autores o responsables del incendio, por cualquier carácter y título que sea.»

803. — Quaer. 8.° *Ad quid teneatur ille, qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. gr. defectu advertentiae,* etc.?

Resp. Probabilius ad nihil tenetur. Etenim obligari non potest neque sub gravi, neque sub levi: 1.° non *sub gravi;* gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet; 2.° neque *sub levi;* quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. *Ita S. Alph., n.* 552; *Lugo, d.* 8, *n.* 56; *Vogler, n.* 109; *Marres,* l. c., *n.* 65; *Lessius, Roncaglia,* etc.

Alii tamen eum obligant ad totum damnum sub gravi reparandum. — Alii ad totum quidem, sed sub levi. — Alii tandem ad aliquam partem tantum, juxta culpae proportionem. Sed maxima incommoda hae sententiae videntur inducere.

804. — Quaer. 9.° *An qui* grave *damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur* sub gravi *totum illud damnum reparare?*

Resp. 1.° *Affirm.,* si damnum illatum est *eidem personae,* licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio est, quia hic tenetur reparare *totum damnum voluntarie et libere commissum.* Porro totum damnum libere illatum est, et insuper grave est in hypothesi; ergo illud totum sub gravi reparandum est. *Vogler, nn.* 124 *et* 126; *Lugo, d.* 8, *n.* 69; *Marres,* l. c., *n.* 66, etc. Et haec est sententia multo communior: communissima dicitur a *Génicot* et multo probabilior.

Non tamen audemus oppositam dicere improbabilem. Eam tenent *Diana, Viva, Lessius, Sa, Wirc., Lehmk., Giné,* nec displicet *P. Génicot, n.* 519, 2.°, II, R. 1.° — Ratio: quia damnum grave, in casu, *ut grave non est cognitum;* ergo non est voluntarium. Ergo non datur obligatio illud reparandi, quia nemo tenetur sub gravi reparare damnum sibi involuntarium. — Ceterum etiam in opposita sententia monet *S. Alph., n.* 553, quod sufficit ad vitandum mortale, ut restituatur materia illa parva gravem materiam complens.

Resp. 2.° *Neg.* autem, *probabilius,* si damna minuta *diversis personis* illata fuerint. Ratio est, quia ex una parte nemo grave damnum patitur, et ex alia parte damnificator re aliena injuste non ditescit. Nec valet paritas deducta cum eo, qui per furta minuta summam gravem a diversis abstulit. Nam «ratio haec a communi securitate et bono deducta minus stringens videtur, quando non acquiritur summa notabilis injuste acquisita; sed tantum nocumenta prorsus praeterita reparanda sunt». Ita *Génicot, n.* 519, *q.* 2.°, R. 3.° Nempe commodum proprium perceptum *in furto* magis allicit, quam damnum proximi sine proprio commodo, ut accidit in *damnificatione.*

Quaer. 10. *An existimans ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse ac revera sit, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. gr. si quis projiciat in mare gemmam alterius valentem* 100, *dum credit eam* 10 *tantum valere?*

Resp. Probabiliter tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti; quia non censetur volitum damnum, quod invincibiliter est ignoratum. *S. Alph., n.* 613; *Elbel, n.* 90; *Vogler, n.* 189; *Carrière, n.* 1151, contra alios.

Dabitur tamen obligatio reparandi totum damnum, si quando ob majoris pretii suspicionem, saltem in confuso obortam, totum damnum evadat voluntarium.

805. — QUAER. 11. *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si ex culpa theologica in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim ex jure naturali tenetur animalia sua diligentur custodire, ne damnum aliis inferant, sicut praecavere debet ne actionibus suis proximo detrimentum eveniat.

Resp. 2.° Seclusa vero culpa theologica, non tenetur quidem ante judicis sententiam, ut patet ex principio II, *n.* 796; bene vero post prolatam sententiam, ut ex principio III constat.

QUAER. 12. *An ille teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si praeviderit pravi exempli efficaciam?*

Resp. I.ª SENTENTIA, *probabilior, negat*, quia qui dat pravum exemplum, non est causa damni, sed mera occasio. Neque enim actio mala *per se* ad id tendit, ut alios ad eam imitandum excitet. Ergo alii damnificatores ex se omnino determinantur ad damnum inferendum. *S. Alph., n.* 537, *et l.* 2, *n.* 45; *Salmant., Laymann, Sánchez, Lugo*, etc.

II.ª SENTENTIA *affirmat*, quia praebens pravum exemplum cum praevisione contagionis, haberi potest ut causa efficax damni, quippe aliquo modo influit in determinationem eorum, qui damnum inferunt; et experientia docet, homines magis moveri exemplis quam consiliis, juxta axioma: *Verba movent, exempla trahunt. Antoine, p.* 2, *c.* 3, *q.* 13; *Billuart, diss.* 8; *Cuniliati*, etc.

Tenenda videtur prima sententia, quae est *communis* (nisi *adsit conspiratio*), quamvis praevideas efficaciam mali exempli, imo quamvis eam intendas. Cfr. dicta *n.* 740. — Nempe ratio desumitur ex eo, quod exemplum non tendit *per se* ad alios excitandos. Vide *Génicot, n.* 517, *qq.* 1.° et 2.°

806. — QUAER. 13. *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat an damni causa ipse fuerit?*

Resp. 1.° *Negative.* Unde *nec* qui dubitat an calumnia sua damnum alteri intulerit in negotiatione, *neque* ille qui scit damnum sequutum, sed dubitat utrum id quod dixerit vera fuerit calumnia an justa occulti delicti manifestatio, tenetur ad restitutionem. *Marres, l.* 2, *n.* 74; *Génicot*, 521, 1.°

Resp. 2.° Iterum *negative*, quamvis constet de damno et de calumnia, sed dubites an *unum ex alia* provenerit vel aliunde. Hoc

est *probabile* cum *S. Alph., n.* 562, contra *Lugo, Lessium, Sánchez*, etc. Sed si causa non esset moralis, ut in allato exemplo, sed physica, ut si constet de vulnere letali et de morte sequuta, vix esset unquam ratio PROBABILIS dubitandi. *Marres*, l. c., *n.* 75; *Waffelaert, vol.* 2, *n.* 321; *Génicot, n.* 521, 2.°

Imo quamvis constet de damno illato et de causa per se efficaci ad damnum, sed *dubitatur de damni auctore.* — Alii obligant, quia ponendo causam damni per se efficacem, unusquisque una cum aliis causat incertitudinem, ideoque damnum certum inferunt ei, qui alias a certo auctore totius damni reparationem postulare potuisset. *Lehmk., n.* 978. Sed cum fere nunquam attendant (extra casum conspirationis) ad tale nocumentum, in foro conscientiae illud reparare non tenentur. *Ita S. Alph., n.* 657; *Marres, n.* 76; *Génicot, n.* 521, 3.°, *et* 570, 5.° Nec hujus sententiae probabilitatem negat *Waffelaert*, l. c., *n.* 324. Cfr. infra, *n.* 870. Teneretur vero *si attenderet*, vel etiam in casu conjurationis. *S. Alph., n.* 658, etc.

807. — QUAER. 14. *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione injustae actionis tuae, v. gr. si furatus fueris, et furtum illi imputetur?*

Resp. 1.° *Neg.*, certo, si damnum illud non praevideris. Patet ex dictis supra in principio II, *n.* 797.

Resp. 2.° *Neg.*, etiam *probabilius*, licet damnum hoc praevideris. Ratio est, quia actio tua, posita cum sola damni praevisione, non illius causa *per se* sed tantum *per accidens* habenda est. Constat etiam ex II.° principio, *ibid.* Excipe, si quando tales fuerint circumstantiae, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. *S. Alph., n.* 635; *Lessius; Lacroix, n.* 157, etc., contra alios.

Resp. 3.° Imo probabiliter etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua ipsi imputetur; quia semper haec actio est tantum causa damni *per accidens*, et non *per se;* non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit, ut injustum sit illud opus quod ex se respectu tertii injustum non est. — Excipiendum tamen est, si quis iis uteretur mediis, quae gravissimam suspicionem alterius accusandi praebeant, v. gr. si vestibus ejus indueretur ad homicidium patrandum, has sanguine foedatas projiceret, etc. *S. Alph., n.* 636; *Lessius, Vogler, Marres*, l. c., *n.* 54, contra alios. Vide supra, *n.* 805, et *Génicot, n.* 516, *vol.* 1.

808. — QUAER. 15. *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?*

Resp. 1.° *Probabilius* ad nihil tenetur erga dignum praetermissum, secluso casu concursus, quia nullius jus strictum violavit. *S. Alph., l.* 4, *n.* 106; *Vogler, n.* 241, *et alii communiter.*

Resp. 2.° Ratione electionis *indigni*, tenetur certo erga societatem de omnibus damnis exinde provenientibus. Ratio est, quia cen-

setur adesse pactum strictae justitiae inter societatem et electorem, quo iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos. *Ita communiter. Vogler, ibid.; S. Alph.*, Hom. apost., *tract.* 13, *n.* 39.

Probabilius autem ad nihil tenetur ratione electionis *minus digni*, etsi graviter peccare possit. Ratio est, quia non censetur societas electores obligare titulo *justitiae commutativae* ad digniores eligendos. *Vogler, n.* 243; *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.* Cfr. *n.* 667.

Resp. 3.° Quando vero beneficia ecclesiastica conferuntur per concursum, *sententia communis* tenet digniorem habere jus strictum; ideoque qui illum praetermittit eligendo minus dignum, tenetur tunc damna reparare. Aliqui tamen adhuc hanc obligationem quoad damna dignioris reparanda negant. Verum S. Alphonsus hoc non existimat probabile (in Retract., *q.* 47).

Sed videtur distinguendum: si instituantur concursus *generales*, ut in Hispania pro beneficiis *curatis* fieri solet, ex se digniores jus strictum ad beneficia, probabilius saltem, non acquirunt. Indicuntur enim hujusmodi concursus non ad modum contractus, sed ad hoc ut quis propriam scientiam patefacere possit in favorem ecclesiarum. Excipe si contrarium declaretur in edicto, quo concursus indicitur, ut fecit Card. Sancha, tunc Archiep. Tolet., declarans se electurum digniores.

Si vero concursus sit ad singularem praebendam, puta ad canonicatum lectoralem, tunc digniori acquiritur jus strictum, cujus violatio onus restitutionis importat. Cfr. *Lugo, disp.* 35, *n.* 86; *S. Alph., lib.* 3, *n.* 585; *Génicot, n.* 515; *Alsina*, I, *n.* 561, *etc.*

809. — Quaer. 16. *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedivit a consecutione alicujus boni vel beneficii?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si proximus habeat jus strictum ad rem obtinendam, v. gr. in casu concursus.

Resp. 2.° Si proximus non habeat jus strictum ad rem consequendam, distinguendum est: 1.° affirmandum, si *mediis injustis* id impediatur, v. gr. *vi, fraude, calumnia, metu*, etc...; 2.° negandum vero, si impediatur *mediis in se justis*, v. gr. *suasione, precibus*, etc. Ratio est, quia nullum jus alterius tunc violatur, nec *in se*, nec *in mediis. Ita communiter. S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 61.

Quaer. 17. *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. gr. ex odio, seclusis tamen mediis de se injustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod jus strictum non habet?*

Resp. Neg., probabilius. Ratio est, quia nulla injuria proximo infertur. Etenim ad injuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa, quae vera et efficax causa damni injusti sit. *S. Alph., n.* 584; *Elbel, n.* 108; *Antoine, q.* 15, *et alii communius*, contra *alios.*

810. **Casus.** — 1.° *Didacus* vas crystallinum *Caji* valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime

transiturus, intendens illud summo mane in loco tuto collocare. Sed *Basilius* hac eadem nocte domum sine lumine ingrediens in vas offendit, illudque frangit. Quid juris? — *Resp.* Nec *Didacus* nec *Basilius* ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte deest culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno vel ejus periculo. Imo nec teneretur alteruter, si aliquod valde remotum periculum praevidisset; quia in moralibus ad meram possibilitatem non attenditur. *Vogler, n.* 177, *et alii communiter.*

2.° *Quirinus* pannum furari intendens, officinam nocte ingreditur, et lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, nimirum saltu felis, candela in paleas dejicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de *Quirino?* — *Resp.* Ad nihil tenetur, quia minime periculum praevidit. Imo nec tenetur de panno quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset, quia etiam illud damnum est involuntarium, nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelae proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset illud e potestate et custodia domini subducendo, quamvis casu, v. gr. candela accensa, pannus combureretur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quae casu fortuito apud furem perit. *Ita Lugo, d.* 18, *n.* 88; *Vogler, n.* 178; *Lacroix, n.* 165 *et seq.*; *Reuter, n.* 320, etc.

3.° *Pomponius*, animo vindictae impulsus, dum a nemine cerneretur, glandem explosit in capram *Mauri* in praedio domini placide pascentem, sed loco caprae illaesae attigit et occidit vaccam *Marini* post sepem, ipso prorsus ignorante, jacentem. Ad quid obligandus sit *Pomponius?* — *Resp.* Ad nihil. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra praedicta, cum illaesa maneat; nec pro vacca, cum illius damnum nullatenus praeviderit. Quid autem si vacca ad eumdem dominum pertineat? Crescit difficultas, siquidem damnificator tali personae damnum inferre vere intendit; quamvis enim non destruat rem specialiter intentam, cum in genere inimico nocere velit, actio damnificativa, quam ponit, eidem domino formaliter injuriosa videtur. Attamen sistendo in rigore principiorum, adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum praeviderit. Dici enim potest mere per accidens illud evenisse; nec prava intentio eidem nocendi facit ut rei prorsus ignoratae damnum evadat voluntarium. Secus tamen, si volens *generatim* inimico nocere, quantum posset, varia objecta damnificanda aliquatenus in confuso cognovisset. Recole dicta *nn.* 797 *et* 807.

4.° *Sidonius* videns *Justinum* praetereuntem, putansque esse *Titium*, dicit sociis: En, iste non est scrupulosorum *primipilus!*... Sed est homo nihili, fur, fornicator et bibulus. *Quaer.* Quid *Sido-*

nius, detecto errore? — *Resp.* Dicta retractare debet coram iisdem sociis, quamvis involuntarie in *Justinum* haec dixerit; et ni faciat, omnia damna, quae ex diffamatione subsequantur, reparare tenebitur. *Reuter*, *n.* 320, *et alii communiter.*

5.° *Babinus Rogerium* moribundum iterata prece et blanditiis, seclusa tamen omni fallacia, inducit ad lacerandum testamentum in favorem *Pauli* jam conditum, ut ipse, vel amicus, aut consanguineus heres constituatur. Determinatur autem *Babinus* ad id agendum, praeter proprium, vel amici commodum, ex inveterato odio, quod contra *Paulum* fovet. An injustitiae reus sit *Babinus?*— Nequaquam. Etenim licet propter odium graviter contra charitatem peccaverit, non tamen justitiae virtutem videtur laesisse, quia nullum jus *Pauli* strictum violavit. Idem dicendum foret, si quis ex odio avertisset testatorem a constituendo *Paulo* herede, ut alius quilibet ejus loco constitueretur. *Elbel*, *n.* 115; *Antoine*, *c.* 4, *q.* 15. Recole dicta *n.* 809.—V. **Casus**, *n.* 627 *et seq.*

ARTICULUS III

DE INJUSTA COOPERATIONE

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§ I. *De jubente.*

811. — *Jubens* seu *mandans* dicitur, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo (mandantis) nomine alteri inferat.

Mandans est principalis delicti auctor (*can.* 2209, § 3).

Jubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum; secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet: hoc enim in casu nec vere *mandans* dici potest. Ratio est, quia in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit. Ad hoc autem requiritur, ut alium per jussionem aut per contractum *mandati* vel *conductionis*, inducat ad damnum.

812. Quaesita. — Quaer. 1.° *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit antequam damnum fuerit illatum?*

Resp. Neg., si revocatio innotescat mandatario ante exsecutionem mandati; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat; quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. *Ita Vogler*, cum *pluribus aliis.*

«Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit; si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem» (*can.* 2209, § 5).

QUAER. 2.° *An mandans teneatur de damnis, quae mandatario in mandati exsecutione obveniunt?*

Resp. Affirmat *Lacroix*, cum aliis, quia mandans, damnum jubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium indemnem servandi. At videtur id coarctandum ad casum, in quo mandans per vim, aut metum, alium coëgit, vel abutitur ejus ignorantia, fingens se habere jus ad id mandandum. Secus enim mandatarius videtur sponte in se suscepisse totum onus et illius consectaria; et nisi pactum de indemnitate praecesserit, mandans tantum ex quadam aequitate tenebitur. *Gousset*, *n.* 950; *Waffelaert*, II, *n.* 280; *Marres*, *l.* 2, *n.* 88. — Aliter dicendum est in contractu *mandati* (infra, *n.* 995, 3.°).

QUAER. 3.° *An mandans teneatur reparare damnum, quod exsecutor ex errore invincibili alteri intulit?*

Resp. Neg., quia vera damni causa est error mandatarii. *Ita Vogler*, *n.* 279, *et alii communiter.* — Si vero mandans praevidit damnum ex errore invincibili mandatarii sequuturum, tunc damnum mandanti erit imputandum, illudque reparare tenetur.

QUAER. 4.° *An superior, ratum habens damnum, mandanti comparandus sit?*

Resp. Neg., si ratum habeat post ejus exsecutionem, quia tunc in damnum influere nequit. Si vero damnum antequam inferatur ratum habeat, idque propositum damni inferendi respiciat, et in illud per se influat, tunc inter consulentes erit computandus. *Vogler*, etc.

813. **Resolves:** — 1.° Mandans ad nihil tenetur, si tempestive mandatum revocaverit, licet mandatarius, ad mercedem promissam accipiendam, finxerit se revocationem ante damnum illatum non accepisse.

2.° Si constet mandati revocationem non fuisse auditam vel intellectam a mandatario ob surditatem vel distractionem, mandans ad restitutionem tenetur; quia effectus sequitur vi prioris mandati. Eadem ratio valet, si mandans litteras revocantes mandatum mittat, et hae casu aliquo intercipiantur. *Lugo*, *Vogler*, *nn.* 273, 277.

3.° Qui alium inducit precibus tantum ad damnum proximo inferendum, in suam propriam (inducentis) utilitatem, mandanti comparatur. Unde in ordine restitutionis hic tenetur primus, et exsecutor solum in illius defectu. Secus esset dicendum, si exsecutor ageret tantum in propriam utilitatem. Si vero in communem utriusque utilitatem, aeque primo tenerentur ambo. *S. Alph.*, *n.* 560.

§ II. *De consulente.*

814.—«Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset» (*can.* 2209, § 3).

Principia.—I. Consulens peccat contra justitiam, quoties sciens et volens praebet iniquum consilium, quo alter *efficaciter* inducatur ad damnum *injuste* inferendum; quia damnum est ipsi imputabile. — Constat etiam ex propositione 39.ª ab Innoc. XI damnata, quae sic jacet: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

II. Consulens, qui bona fide dedit damnosum consilium, cognita veritate, tenetur illud retractare, et quidem ex justitia. — Sequitur ex supra dictis de illo qui *inculpabiliter* causam damni posuit, *n.* 800. *Vogler,* etc.

III. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si exsecutor absque illo consilio aeque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non *efficaciter* in damnum influxit. *S. Alph., n.* 561.

815. Quaesita. — Quaer. 1.° *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante exsecutionem damni?*

Resp. 1.° *Neg.*, si consilium fuerit *nudum*, id est, simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii. *Ita communiter.*

Resp. 2.° Si consilium fuerit *vestitum*, seu motivis innixum, controvertitur. *Probabiliter* etiam *neg.*, modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva saltem aeque efficacia, ut sunt rationes a fide petitae: quibus si alter nihil deferat, in se totam damni causam retorquet. *Ita Azor; Ball.-P., vol.* 3, *n.* 362; *Marres, l.* 2, *n.* 95; *Génicot, n.* 538, idque dicunt *probabile S. Alph., n.* 559; *Waffelaert, vol.* 2, *n.* 286, etc., contra *alios,* quorum sententiam probabiliorem dicit *S. Alph.*—Excipe, si furi ad damnum inferendum determinato ostenderis modum ingrediendi domum, quem secus non invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua tunc fuit vere efficax, praesertim si praevideris furem pravum suum propositum non esse mutaturum; nisi tamen monueris eum, cui damnum imminet, ad quod in casu teneris, ut censent doctores apud *S. Alph., n.* 559. Vide dicta supra ex *can.* 2209, § 5.

Quaer. 2.° *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad majus avertendum?*

Resp. Neg., si agatur de *eadem persona*, quia consilium ipsi favet, nedum noceat; secus autem, juxta multos, si agatur *de alia*,

de qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur. *S. Alph.*, *n.* 565. — Sed etiam in hoc secundo casu plures excusant consulentem ab obligatione restituendi, quia dicunt hujusmodi consilium conforme esse charitati exigenti ut minus malum suadeas ei, qui *majus* paratus est perpetrare. Quare damnum passus (de quo damnificans non cogitaverat) rationabiliter invitus erga *damnificatorem* erit quidem, minime vero erga consulentem. *Ita Vázquez*, De scand., *art.* 1, *dub.* 2, *n.* 14; *Turrianus*, De fide, *disp.* 95, *dub.* 6; *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 365; *Génicot*, *n.* 538, IV, qui hanc sententiam cum P. Gury *probabilem* habet. Idem tenet *Marres*, *n.* 96, si consulitur malum notabiliter minus; secus vero, si malum sit fere aequale, vel aliquatenus tantum minus.

816. — Quaer. 3.° *An consulens* scienter *malum alteri, teneatur etiam de damnis, quae hic passus est exsequendo pravum consilium?*

Resp. Neg., per se. Ratio est, quia ipsi nullam intulit injuriam, quum nulla injuria *scienti* et *volenti* fiat. — Secus tamen, si consulens adeo exsecutorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

Quaer. 4.° *An consulens tantum modum injustae actionis, teneatur ad restitutionem?*

Resp. Neg., si modus sit *mere accidentalis*, ut sunt communiter circumstantiae temporis, loci, medii. Secus autem, si modus aliquatenus redundet in substantiam, v. gr. si damnum augeat, etc. *S. Alph.*, *n.* 563.

Quaer. 5.° *An teneatur ad restitutionem suadens, ut damnum citius inferatur?*

Resp. Neg., si certus sit alterum esse ad malum determinatum, nec pravum animum esse mutaturum; secus in alia hypothesi. *S. Alph.*, *n.* 563, etc.

817. — Quaer. 6.° *An consulens primario, vel secundario tantum, ad restitutionem teneatur?*

Resp. Per se secundario tantum tenetur, quia exsecutor est *principaliter agens*, utpote qui nomine proprio et in propriam utilitatem agere censetur.

Quaer. 7.° *An vel quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium* doctrinale *nocivum, ex ignorantia graviter culpabili?*

Resp. 1.° Si dans consilium, id agat ex *suo statu vel officio*, v. gr. advocatus, medicus, confessarius, etc., tenetur ad restitutionem de damno injusto, quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum contra quem datur. Ratio est, quia societas jus habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. *Ita communiter.*

Resp. 2.° Si consulens non sit talis persona, quae ratione muneris vel status sui peritiam prae se ferat, 1.° non tenetur *erga*

petentem consilium, nisi ex consilio doloso, seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2.° obligatur tamen *erga tertiam personam*, quae inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit et damnum secuturum saltem in confuso praeviderit. *S. Alph.*, *n.* 564, *et alii communiter.*

818. **Resolves:**—1.° Mulieres, plebeji et alii generatim, quorum nota est insufficientia, nec peritiam dolose affectant, nihil restituere tenentur iis, qui consilium ab ipsis petierint. Attamen tenentur erga alios, quibus ex ipsorum consilio damnum illatum est, si damnum istud sufficientur praeviderint; rei enim sunt, dum temeraria dantes consilia in iis, quae ignorant, se exponunt periculo innocentem invitum laedendi. *S. Alph.*, *ibid.*

2.° Si suasione vel hortatu causa fueris, ut majus damnum inferatur quam alioquin illatum esset, teneris tantum de damni excessu. Unde si furi *per se* parato ad surripiendum 100 aureos, persuasisti, ut 200 surriperet, probabilius contrahis tantum obligationem 100 restituendi.

3.° Si duo simul consulant furtum *Petro*, qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet etiam altero tantum consulente *Petrus* furaturus fuisset, de facto tamen uterque consilio suo influxit, et eo ipso uterque causa fuit furti. *S. Alph.*, *n.* 561; *Lugo*, *d.* 19, *n.* 2.

4.° Si fur jubeat ostendi sibi thesaurum meum, et ego ostendam thesaurum alterius, teneor restituere, quia sum causa damni; fur enim non habet determinatam voluntatem ad thesaurum alterius surripiendum. *S. Alph.*, *n.* 565.

5.° Consulens non eximitur ab obligatione reparandi damnum, quod consuluit, si exsecutor, quem monuit ad restituendum, non restituat; quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit; damnificatus enim omnino indemnis fieri debet.—V. **Casus**, *nn.* 662 *et* 665.

§ III. *De consentiente.*

819. **Principia.**—**I.** Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam ex quibus directe pendet violatio juris alterius, id est, quoties dat consensum efficacem in damnum seu *injuriam* proximi. - Dixi *consensum efficacem;* quia si consensus efficaciter in injuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocumentum consentiret; itemque si, seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum jus haberet, suffragio suo impediret.

II. Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia; neque

suffragans bona fide, quamvis detecto errore teneatur ex charitate, imo ex justitia, votum suum revocare, si per tempus id ipsi liceat.

820. Quaesita. — QUAER. 1.° *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat injustum suffragium, si non desint alia suffragia jam ad damnum sufficientia?*

Resp. 1.° Certum est, consentientes omnes aeque ad restitutionem teneri, *si de condicto* suffragia dederint, cum inita conspiratione omnium sit unica actio moralis.

Resp. 2.° Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando *eodem tempore* suffragium tulerunt; quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.

Resp. 3.° Certum quoque est, non excusandos esse a restitutione eos *qui primi dant suffragium*, antequam numerus sit completus, etiamsi praevideant non defuturos alios qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen, quantum in iis est, de facto infertur. *Ita communiter. Vogler, n.* 302; *Lugo, d.* 19, *nn.* 17, 19; *Ball.-P., vol.* 3, *nn.* 367, 368; *Marres, l.* 2, *n.* 100; *Waffelaert, vol.* 2, *n.* 289.

Resp. 4.° Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando vota sunt *irrevocabilia* et jam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, *controvertitur.* Plures graves theologi affirmant, quia ejusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis praeparatum ac determinatum fuerit. *S. Alph., n.* 566; *Lugo, ibid., nn.* 18, 22, etc. — *Negant* alii, quia cum numquam perfecta censeatur sententia nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam injustam influunt.

Prima sententia valde probabilis est; et usui esse potest etiam in suffragatione secreta, modo constare possit jam sufficientia suffragia praecessisse. Quod si id dubium maneat, *probabilior* sententia obligat unumquemque ex suffragantibus ad restitutionem pro rata sua. *Lugo*, l. c., *n.* 22; *S. Alph., n.* 576. Vide tamen quae diximus *n.* 806.

Si vero quis suffragium dederit in rem injustam, quando hoc erat *unicum* medium avertendi majus damnum, non tenetur ad restitutionem; imo nec peccat, praemissa protestatione, nisi agatur de re *absolute intrinsecus* mala. *Lehmk., n.* 800; *Génicot, n.* 540. Vide supra, *n.* 815; *item nn.* 485, *bis, et* 336, *q.* 2.°, *N. B.*

821. — QUAER. 2.° *An obligationem restituendi contrahat ille, qui suffragium non fert cum ferre possit?*

Resp. 1.° *Neg.*, si suffragium dandum sit in merum favorem aut gratiam alicujus; quia nulla injuria ei infertur.

Resp. 2.° *Affirm.*, si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis et injusti. Hoc in casu deputati, v. gr., rei sunt violatae justitiae commutativae contra electores, vel civitatem eos eligentem. *Lugo, et alii communiter.*—Vide infra, *n.* 831; et **Casus**, *nn.* 667, 670.

§ IV. *De palpone.*

822. — Palpo dicitur, qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum. De palpone haec tenenda:

1.° Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem aut secus ignominiam secuturam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur. Quocirca palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens, de quibus vide supra, *n.* 814 *et seq.*

2.° Qui homini injuria affecto ita repraesentant hujus injuriae magnitudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo saltem probabiliter damnum secuturum esse adverterint.

3.° Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus jam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur. *S. Alph.*, *n.* 567.

§ V. *De recursu, seu de receptante, vel recursum praebente,* haec tenebis:

823. «Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum jam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem» (*can.* 2209, § 7).

1.° Receptans, nimirum qui scienter ac libere latroni praebet assecurationem, tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim furis voluntatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac injuste determinat, aut firmiorem efficit.

2.° Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et praesertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicant in pretium mercium, compotationum, etc.

3.° Inter receptantes computandi non sunt illi, qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt, modo id non influat in furta futura; nec illi, qui eos sub spe emendationis occultant,

vel iis ostendunt viam qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur. *S. Alph., n.* 568. — V. **Casus**, *nn.* 672, 674.

§ VI. *De participante.*

Participans duplex est: alius in praeda, alius in actione damnosa. Hinc statuenda sunt sequentia:

824. **Principia.** — I. Participans in *praeda* tenetur ad restitutionem partis quam accepit et apud se detinet: patet ex superius dictis de possessore malae fidei.

II. Participans in *actione damnosa*, seu concurrens cum alio, sive immediate sive mediate, ad damnum physice inferendum, tenetur generatim loquendo ad restitutionem, quotiescumque cooperatio illius realiter influxit in substantiam damni. *S. Alph., n.* 571.

III. Quandoque tamen a restitutione excusabitur participans in actione damnosa, praesertim si mediate tantum concurrit, dummodo adsint requisitae conditiones, nempe: 1.° ut actus non sit intrinsece malus; 2.° ut eliciatur ex causa relative gravi; 3.° ut bonus effectus a cooperante intentus, immediate oriatur a causa bona vel saltem indifferenti. Recole dicta De act. hum., *n.* 60, et De charitate, *n.* 333. *Billuart, diss.* 8, *art.* 13; *Carrière, n.* 1197.

825. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An vel quando licita sit* immediata *cooperatio ad damnum proximi in materia justitiae?*

Resp. 1.° Quoad *damnum vitae*, numquam licet *immediate* cooperari, ne cum vitae quidem periculo; quia numquam licet occidere directe innocentem.

Resp. 2.° Quoad *damnum membrorum*, numquam pariter licet, ad *mortem* quoque vitandam, *immediate* concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertenda ipsius morte.

Resp. **3.°** Quoad *damnum in bonis fortunae*, tres *communiter* admittuntur casus, in quibus *ex metu gravi* licita est cooperatio, propterea quod dominus non censetur rationabiliter invitus, scilicet: 1.° si cooperans possit ac velit damnum, quando forte ad id teneatur, reparare; 2.° si damnum grave absque cooperante aequaliter ac certo ab agente principali illatum fuisset; 3.° si damnum sit leve respectu domini, quippe ad leve alterius incommodum impediendum non teneor ipse grave subire.

Controvertitur autem, an tibi liceat cooperari immediate ad damnum grave proximi ex gravissimo metu, v. gr. mortis, si damnum reparare non possis aut non velis. — *Negant* quidam, quia actus videtur intrinsece malus, cum laedat jus proximi, qui rationabiliter invitus merito supponitur. Et sane persona laesa in hanc cooperationem neque ex justitia, quae non obligat ad vitam alterius cum tanto gravamine proprio servandam, neque ex charitate, quae etiam cum tanto incommodo non urget, consentire tenetur. *Billuart.* — *Alii* tamen, *probabiliter affirmant.* Etenim constitutus

in extrema necessitate subripere id potest, quo mortem declinet, quia tunc omnia bona sunt communia, ut dictum est supra, *n.* 752. Cur igitur ille, cui mors intentetur, non poterit cooperari subreptioni bonorum proximi ad propriam vitam e proximo periculo eripiendam? — Cfr. dicta *n.* 755. Et quamvis assumens aliena in extrema necessitate, teneatur restituere, si *alibi* vel in *spe* habeat, hoc ideo est, quia fit ditior, cum teneatur ex suis sibi subvenire; quod in nostro casu non habetur, cum non teneatur, ad impediendum malum alterius, exponere propria vel cum alienis commutare. *S. Alph.*, *n.* 571; *Molina*, etc.

826. — Quaer. 2.° *Quaenam causa requiratur, ut licita sit cooperatio* mediata *in materia justitiae?*

Resp. Licita erit, quoties aderunt conditiones in principio III indicatae. Difficultas autem non exigua consistit in decernendo, quandonam reperiatur ratio sufficiens sic cooperandi. De hoc porro ex aequo et bono judicandum est. Generatim autem sequentes regulae proderunt, scilicet: 1.° Tanto major requiritur ratio, quanto *major est effectus* malus exinde secuturus. 2.° Tanto major requiritur ratio, quanto *propinquius* causa influit in damnum. 2.° Major requiritur ratio, quando damnum *sine tua cooperatione* non sequeretur, quam si nihilominus esset eventurum.

827. **Resolves:** — 1.° Non peccant contra justitiam fabri ferrarii qui indiscriminatim vendunt arma, etsi cognoscant aliquos generatim iis abusuros esse; nam secus commercium prorsus tolleretur. Si vero praevideant in specie aliquos praedictis armis esse proxime abusuros, ea vendere non possunt ob ordinarium lucrum, sed requiritur causa gravis, prout major vel minor est spes abusum impediendi.

2.° Eximuntur ab omni restitutione atque peccato, qui coacti metu gravis damni, obeunt functiones ad damnum praevias, et in ipsum remote tantum influentes, v. gr. scalam applicare, murum conscendentem adjuvare...

3.° Facilior adhuc est excusatio, si non deessent alii, qui instrumenta ad damnum necessaria suppeditarent.

4.° Imo probabilius non peccas, nec ad restitutionem teneris, si pro vitanda morte reddas gladium apud te depositum domino petenti ad alium occidendum, licet occisio illius a gladii hujus traditione pendeat; quia vita tua vitae proximi aequivalet. *Billuart, diss.* 8, *art.* 12; *Vogler*, *n.* 318; *Carrière*, *n.* 1023, *et alii multi cum S. Alph.*, *n.* 571, contra *plures*. — V. **Casus**, *nn.* 676-679.

§ VII. *De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis.*

828. — Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex officio illud impedire teneantur. Dicuntur

vulgo *mutus, non obstans, non manifestans.* 1.° *Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non praemonet damnificandum, dum ad id ex officio vel contractu tenetur. 2.° *Non obstans* dicitur, qui dum infertur damnum, non obstat, rem non custodit, licet id ex justitia praestare debeat. 3.° *Non manifestans* vocatur, qui post damnum illatum, damnificatorem domino laeso, vel superiori non denuntiat, licet ex officio atque adeo ex justitia denuntiare debeat. Ceterum eadem principia, eaedemque applicationes morales omnibus hisce conveniunt.

«Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo ex officio impediendum» (*can.* 2209, § 6).

Principia. — I. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi *ex officio* illud impedire teneatur; — qui enim non adigitur ad damnum ex officio impediendum, ex sola charitate obligatur, cujus violatio ad restitutionem non obligat.

II. Omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id *culpabiliter* negligant, ad restituendum tenentur; — ex justitia enim damnum impedire debent. Ergo si omittant, contra justitiam peccant, et proinde ad damna resarcienda obligantur.

III. Ut negative cooperans ad restitutionem teneatur, necesse est, ut damnum *sine gravi incommodo* impedire potuerit; — quia nec contractus, nec lex positiva cum gravi onere, saltem ut plurimum, obligare solent. *S. Alph., n.* 573.

829. Quaesita. — Quaer. 1.° *An confessarius teneatur ad restitutionem, si poenitentem de restitutione facienda, ex gravi negligentia vel ignorantia monere omiserit?*

Resp. Neg., probabilius. Etenim licet ex officio confessarius teneatur bene instruere poenitentem, ideoque peccet graviter si id omittat, quando necessarium est; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga *tertium.* Excipe si confessarii silentium positivae approbationi aequivaleat, v. gr. si interrogatus responsum ita declinet, ut absentia obligationis poenitenti suadeatur. *S. Alph., n.* 578; *Lugo, Suárez, et alii communiter.*

Quaer. 2.° *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna quae domino inferuntur?*

Resp. 1.° *Affirm., probabilius,* si agatur de damno illato ab *extraneis.* Ratio est, quia eo ipso quod famuli in familiam admittuntur, censentur obligationem suscipere eam adversus extraneos defendendi. *S. Alph., l.* 4, *n.* 344; *Lugo, Vogler, etc.*

Resp. 2.° *Neg., probabilius,* si agatur de damno illato ab aliis famulis, nisi res ipsis specialiter commissa fuerit; quia non videntur conducti famuli nisi ad laborem et familiam ab extraneis defendendam. *S. Alph., ibid.* — Alii tamen *non improbabiliter* dissentiunt. — Nec desunt qui sentiant, *et est sententia solide probabilis,* famu-

los tantum ad restitutionem teneri, sive ab extraneo sive a domestico inferatur damnum, si agatur de rebus suae curae specialiter commissis. *Bonac.*, De rest., *d.* 1, *q.* 2, *p.* 11, *n.* 7, citans *Azor* et *Molin.*

830. — QUAER. 3.° *An superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?*

Resp. 1.° Quoad *forum externum* (et post sententiam judicis etiam *in interno*): *Affirm.*, tum ex jure *romano* (praesertim si de servis et filiis agatur), tum ex jure **hisp.** et **Amer. lat.**, ubi expresse haec obligatio statuitur 1.° de patre, et eo defuncto, de matre relative ad filios minores cum ipsis habitantes; 2.° de hero vel mandante relative ad famulos aut mandatarios (1); 3.° de institutore et artifice relative ad alumnos; 4.° de tutore respectu minorum vel *incapacium*, qui sunt sub ejus potestate et vivunt cum ipso. Datur tamen superiori recursus in damnificantem ad compensationem requirendam. Imo nec tenentur ipsi superiores ad ullam restitutionem, si probent adhibitam ab eis fuisse diligentiam boni patrisfamilias, ut damna praecaverent. Cfr. **hisp.-ph.**, *a.* 1903 *seq.*; [**aeq.**, 2301 *seq.*; **arg.**, 1148 (1114) *seq.*; **bras.**, 1521; **chil.**, 2319 *seq.*; **col.**, 2346 *seq.*; **cost.**, 1045; **guat.**, 2277 *seq.*; **nic.**, 2319 *seq.*; **per.**, 2191 *seq.*; 1149; **Salv.**, 2271; **ur.**, 1298 *seq.*; **ven.**, 1116 *seq.*].

Resp. 2.° Quoad *forum internum* (*ante* judicis sententiam): 1.° *Affirm.*, si superioris silentium positivo impulsui aequivaleat; 2.° non tenetur autem, quoties culpa theologica deficit; 3.° nec tenetur *probabiliter*, licet damnum non impediendo graviter peccaverit, si nullatenus silentio suo in illud influxerit, cum praecipue agatur de damno quod alteri non subdito illatum est. Ratio est, quia qualitas superioris *per se* non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. *Lugo*, *Gousset*, contra *alios*. Vide *S. Alph.*, *n.* 578, et *Marres*, *l.* 2, *n.* 114.

N. B. Ex jure **hisp.-ph.** et **Amer lat.**, 1.° imponitur etiam obligatio restitutionis propter damnum aliis illatum a re tua, v. gr, ab *animali tuo*, a domo quae ex incuria corruat, a machina non satis custodita (*aa.* cit., **lusit.**, 2394, 2395; **bras.**, 1527-1529, et **mex.**, 1476 *seq.*); 2.° eadem obligatio imponitur cauponibus hisque similibus (*posaderos*, *fondistas*, etc.) pro rebus hospitum furto sublatis in ipso diversorio, modo hospites ea praestiterint quae a jure pro hoc casu statuta sunt, v. gr. cauponem monuerint ejusdemque monita pro re custodienda servaverint. **Hisp.**, *a.* 20 cod. poen. [et cod. civ. **aeq.**, 2228 *seq.*; **arg.**, 1152 (1118) *seq.*; 2261 (2227) *seq.*; **bol.**, 1310, 1311; **bras.**, 1521; **chil.**, 2241 *seq.*; **col.**, 2265 *seq.*; **nic.**, 2241 *seq.*;

---

(1) Cfr. *Alcubilla*, Ap. 1913, *pag.* 233, et Sententias Trib. Sup. ibi citatas.

per., 2192 *seq.*; **Salv.**, 2198 *seq.*; **ur.**, 2251 *seq.*; **ven.**, 1752 *seq.*] Cfr. etiam **lusit.**, 1420 *seq.*, 1435.

In omnibus hisce casibus (de quibus in N. B. agitur) si adsit gravis culpa theologica, obligatio restitutionis urget ante judicis sententiam; secus, post sententiam judicis. Obligatio enim invigilandi ne res aut animalia tua aliis noceant, aut ne res speciali tuae curae ex contractu commissae auferantur, est strictae justitiae. Cfr. dicta supra, *nn.* 796-798. Vide *Marres*, *l.* 2, *nn.* 60, 114 *seq.*; *l.* 3, *n.* 903; *l.* 4, *n.* 102.

QUAER. 4.° *An maritus teneatur de damnis ab uxore illatis, quae ipse non impedivit?*

Resp. In foro *interno* de uxore dicendum videtur, quod de filiisfamilias aliisve subditis in *Resp.* 2.° praec. dictum est. Hinc *probabiliter* ad nihil tenetur ex mero silentio, etiam graviter culpabili. In foro autem *externo* idem ac pro filiis statuunt **aeq.**, 2302; **chil.**, 2320; **nic.**, 2320; **Salv.**, 2272.

831.— QUAER. **5.°** *An consiliarius teneatur ad restitutionem, si per omissionem suffragii injustae sententiae non obstiterit?*

Resp. Affirm., si suffragium ferre debeat *ex officio*, quia officium ex justitia adimplendum est, saltem communiter loquendo, et seclusa justa causa. *Neg.* autem si jus suffragii habeat *ex privilegio*, seu ex mero favore; tunc enim potest absque injustitia suffragium omittere. *Lugo*, *d.* 19, *n.* 61 *et seq.*; *Vogler*, *n.* 304. Vide supra, *nn.* 820, 821.

QUAER. 6.° *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure, ut taceat, si ex officio clamare non debeat?*

Resp. Neg. probabilius, saltem *per se*. Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque injustitia, siquidem clamare ex justitia non tenetur. Ergo *a pari* ob munera promissa vel tradita tacere potest absque injustitia. *Lugo*, *Tamburinius*, etc. — Secus autem dicendum esset, si pecuniam acciperet, ut observet, num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur.

QUAER. 7.° *An custodes non denuntiantes damnificatores, teneantur compensare omnia damna, et etiam solvere mulctam loco damnificatoris?*

Resp. ad 1.um *Affirm., per se*, quia ad damna impedienda constituuntur; excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine et praesumpta domini voluntate, sufficit secreta admonitio.

Resp. ad 2.um *Neg., probabilius*, ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat. *Lugo*, *Lessius*, *Vogler*, etc. — Idem dicendum de judice non procurante damni compensationem, vel mulctam punitoriam non exigente. Attamen si apud judicem facta fuerit damnificatoris denuntiatio, ille ad puniendum, et ad damni reparationem tenetur. *S. Alph.*, Hom. apost., *tract.* 13, *n.* 73.— V. **Casus**, *n.* 681 *et seq.*

CAPUT III

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

Praecipuae circumstantiae restitutionis hoc versu habentur: Quantum restitues? cui? quo ordine? quo modo? quando?

ARTICULUS I

QUANTUM SIT RESTITUENDUM?

832. — Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptae, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi.

Cum speciales difficultates de sola *solidaritate* occurrant, de ea solum specialiter agemus.

De solidaritate.

Definitio. Solidaritas, seu obligatio restituendi *in solidum*, est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi.

Divisio. Duplex distinguitur solidaritas, scilicet 1.° *absoluta*, quae locum habet, quando quis tenetur totum damnum reparare; 2.° *conditionata*, quando singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis cooperatoribus deficientibus.

833. **Principia.** — I. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit*, tenetur ad restitutionem in solidum, id est, in integrum, sive absolute, sive saltem conditionate. — Ratio est, quia quilibet est causa efficax et injusta totius damni, et proinde totum reparare debet. *Vogler, n.* 342, *et alii communiter.*

II. Unde ad restitutionem *in solidum* tenentur *a*) omnes qui *communi* delinquendi *consilio* simul *physice* concurrunt in delictum; *b*) unaquaeque pars in delicto quod natura sua *complicem* postulat; *c*) non solum *mandans*, qui est principalis delicti auctor, sed etiam *qui* ad delicti consummationem *inducunt* vel in hanc quoquo modo *concurrunt*, si delictum *sine eorum opera commissum non fuisset* (*can.* 2211 et 2209). Cfr. *S. Alph., n.* 579; *Lugo...*

III. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute;* ceteri autem cooperatores aequales, vel causae secundariae, *conditionate* tantum tenentur.—Ratio est, quia principalis agens, uti mandans, dux, etc., ipso facto in se suscipit abso-

lute totum onus damni reparandi, cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum. Quinam autem dici debeat causa principalis, dicetur infra, *n.* 840. Cfr. etiam *C. Poen.* **hisp.**, *aa.* 121 *et* 127.

Quoad causas vero secundarias merito monet *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 54, in praxi raro expedire rudes monere seu obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur in solidum; quia isti non facile sibi persuadent se teneri ad restituendam etiam partem ab aliis ablatam vel destructam.

834. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An tenearis* IN SOLIDUM *in dubio, an influxeris in totum damnum?*

Resp. Neg., probabilius, cum sententia communi, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione. *S. Alph.*, *n.* 579, etc.

QUAER. 2.° *An tenearis* IN SOLIDUM *in dubio, an alii suam partem pro rata restituerint?*

Resp. Neg., probabilius, si facta diligenti inquisitione dubium perseveret; quia cooperator non tenetur ad aliud praeter partem suam, nisi in defectu alterius; et si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione. *Roncaglia*, *Salmant.*, etc., contra alios.

QUAER. 3.° *An detur obligatio restituendi* IN SOLIDUM, *ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuae, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. gr. si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?*

Resp. Neg., quia cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse major *quam ipse influxus.* Aliunde qui concurreret ad partem damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum, quatenus pars confert ad totum complendum, sane ad totum restituendum non teneretur; ergo *a pari*, qui concurrit partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit. *Lugo*, *d.* 19, *n.* 82; *Vogler*, *n.* 343. *S. Alph.* hoc dicit probabile, *n.* 579.

835. — QUAER. 4.° *An tenearis* IN SOLIDUM, *si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum inferendum, sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. gr. si ignem domui alienae simul cum pluribus aliis apposueris?*

Resp. Neg. in praxi. Etenim *affirmant probabiliter*, imo et forte *probabilius*, non pauci, quia ubi actio tua fuit *sufficiens* ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. *Roncaglia*, *Salmant.*, etc.—*Negant* vero alii *probabiliter*, quia, ut ait *Lehmk.*, *n.* 1017, licet ignis a te suppositus ex se suffecisset ad totam domum comburendam, tamen de facto non sufficiebat, cum invenerit jam domus partes aliquas alio igne consumptas. Ergo cum aliunde nec fuerit necessaria nec tu processeris ex conspiratione, actio tua non est causa nec physica nec moralis totius damni. Nec refert quod de re *individua* agatur; quia coope-

ratio ad totum damnum non extenditur. Unde concludas: actio tua *potuit* sufficere ideoque tu *potuisti* teneri in solidum; sed quia de facto non *fuit* sufficiens, ideo de facto non teneris.

Attamen id intellige, quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset; secus enim etiam actio tua ad illud necessaria dicenda foret. *Sporer*, *Navarr.*, etc.—Utramque sententiam probabilem habet *S. Alph.*, *n.* 579, *et* Hom. apost., *n.* 55.

836. **Resolves:** — 1.° Si quis ex cooperatoribus, qui conditionate in solidum restituere tenentur, totum damnum reparaverit, alii liberantur ab omni debito *erga creditorem;* sed ille, qui totum restituit, recursum habet contra alios damnificatores aeque obligatos, ut ratio perspicua demonstrat.

2.° Si furi, qui propter efficacia motiva jam omnino determinatus est ad furandum, suggeras novum motivum, quod stimulum ei addat, non teneris, deficientibus ceteris cooperatoribus, totum damnum resarcire, quia motivum tuum in damni substantiam non influxit.

3.° Imo *probabiliter* ob eamdem rationem nihil refundere debes ex justitia, si tantum inducas alium, ut aliquanto citius aut alacrius damnum inferat. — V. **Casus**, *n.* 693.

ARTICULUS II

CUI SIT RESTITUENDUM?

837. — 1.° Restituendum est *domino* certo et *noto*, quoties absque gravi difficultate et alterius injuria fieri potest, nec alia adest causa a restitutione excusans. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 64.

2.° Qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam, aut commodatam, non domino, sed ipsi *possessori* restituere debet. Possessor enim sine injuria privari nequit jure custodiae, usus, vel possessionis, nisi ipse consentiat. *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.*

Quid autem agendum est, si dominus sit dubius, aut incognitus, vel si, licet cognitus sit, adiri non possit? Haec tenenda videntur:

1.° Si post diligentem inquisitionem dubius sit dominus; vel dubium vertitur inter paucos, vel inter multos. Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini praesumpti. Si posterius, v. gr. quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios, qui damnificati praesumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio *pauperibus* facienda est. *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.*

2.° Si dominus sit plane incognitus, vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate neque mediate adiri queat, distin-

guendum est: vel enim res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest (vide supra, *n.* 713), et proinde vel in causas pias eroganda, vel etiam a possessore retineri potest. Si vero mala fide, possessor tali re omnino se exspoliare debet, atque in opera pia aut communi bono utilia, impendere. Nefas enim est malitiam furi aut malae fidei possessori prodesse. *S. Alph.*, Hom. apost., *nn.* 67, 69.

838. Quaesita. — QUAER. 1.° *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel ejus creditoribus restituere debeas?*

Resp. Saltem usque ad finem concursus, creditori tuo restituere non debes, sed ei penes quem administratio et custodia bonorum post factam cessionem maneat. Qui aliter faceret, in foro conscientiae tutus non esset, et conveniri in foro externo ad iterum solvendum posset. Cfr. C. C. **hisp.**, *a.* 1914 (1), et C. Comm., *aa.* 878, et 895, 5.°; [item **aeq.**, 1568; **bol.**, 833; **chil.**, 1578; **col.**, 1636; **cost.**, 899 *seq.*; **guat.**, 2308; **nic.**, 1578; **per.**, 2223; **Salv.**, 1564; **ur.**, 1431; **ven.**, 1208]. Attamen quandoque posses sine peccato creditori tuo restituere, v. gr. si debitum sit exiguum, si probus sit et credas illum esse creditoribus restituturum; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam; quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea, quae ad vivendum omnino necessaria sunt. *S. Alph.*, *n.* 699; *Gousset*, *n.* 772.

839. — QUAER. 2.° *Cuinam restituere debeat debitor* EX DELICTO *si dominus laesus inveniri nequeat?*

Resp. Juxta *communem sententiam* restituere debet pauperibus, vel causis piis. Ratio est, quia ex sensu communi dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repraesentari; praesumitur enim talem esse ejus voluntatem, quoties rem suam injuste ablatam vel damnificatam recuperare nequit. *Ita S. Thom.*, 2, 2, *q.* 62, *art.* 5, etc. De hoc certo constat ex *jure can.* quoad lucrum *usurarium et simoniacum.* Videtur etiam lex canonica *ex consuetudine* ad ceteros casus extendi; *consuetudo autem optima est legum interpres.* Apparet igitur circa hoc *jus quoddam gentium* introductum esse. — Hoc in casu obligationi restituendi satisfieri potest per eleemosynas etiam inscienter jam erogatas *postquam* restitutionis debitum fuit contractum (non *antea*). *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 700; *Marres*, *l.* 2, *n.* 142.

Dicunt *quidam*, debitorem posse ea impendere in utilitatem quamlibet publicam etiam profanam. Verum in praxi consuetudi-

---

(1) Art. 1914 derogatus videtur in **Philipp.** Ins.

ni generali standum est. Et si debitor sit ipse *vere* pauper, poterit debitum sibi applicare. *Ita Lugo*, De just et jure, *disp.* 20, *nn.* 6 *et* 8; *Lessius*, De just. et jure, *l.* 2, *c.* 14, *n.* 41.

ARTICULUS III

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM?

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum qui restituere debet, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum quibus restituendum est.

§ I. *De ordine restitutionis inter cooperatores.*

840. — Ad ordinem assignandum restitutionis *in solidum* inter cooperatores in damnum alienum, inspiciendum est, num aliquis eorum damni causa sit *principalis*, seu primaria; utrum *secundaria*, seu subordinata; an denique *collateralis*, seu aequalis. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso.

Principia. — I. Si omnes *eodem modo* concurrerint, singuli aequaliter *in solidum conditionate* restituere debent, absque ullo ordine determinato, quia nemo eorum majus periculum suscepit. Dixi, *conditionate*, id est, quando ceteri cooperatores non restituerent, vel nullus *in solidum* solveret. *Vogler*, *n.* 381, etc.

II. Si *diverso modo* concurrant, distingues iterum; nam vel ex furto, vel ex mero damno restituendum est.

Si *ex furto*, primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in aequivalenti, vel qui illam injuste consumpsit; deinde mandans, vel raptor, si mandans desit; tertio tenentur ceteri cooperatores positivi; tandem cooperatores negativi.

Si vero *ex damno*, tenetur primo mandans, ut causa principalis; secundo executor, etiamsi nomine *mandantis egerit*, quia relative ad alios, juxta communem sententiam, est causa principalis; deinde ceteri cooperatores positivi; demum cooperatores negativi. *Vogler*, etc. *S. Alph.*, *n.* 580; Hom. apost., *n.* 60.

841. **Resolves**: — 1.° Ad nihil tenentur causae secundariae, si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit; causae enim secundariae tantum tenentur in defectu causae principalis, cujus obligatio cessavit. *S. Alph.*, *n.* 581.

2.° Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis jus creditoris contra principalem acquirit. *S. Alph.*, *ibid.*

3.° Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio principalis causae

est independens ab obligatione causae secundariae. Imo quamvis uni e secundariis creditor remittat, non ideo liberae sunt aliae causae secundariae ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito praesumi possit. *Lugo, Vogler; S. Alph., ibid.*

4.° Si una ex causis *aequaliter* obligatis totum debitum restituerit, aliae tenentur ei partem rependere, quia quisque pro rata suae culpae satisfacere debet. Quod si unus non posset aut nollet suam partem restituere, ceteri eam inter se dividere deberent.

5.° *Consulens vel consentiens* non tenetur *per se* ante *exsecutorem;* hic siquidem prior tenetur, quia exsecutor, deficiente mandante, est causa principalis damni. — Recole tamen dicta *n.* 813, *Res.* 3.° Cfr. etiam *C. Poen.* **hisp.**, *aa.* 121 *et* 127. — V. **Casus**, *nn.* 695 *et* 697.

§ II. *De ordine restitutionis quoad creditores.*

842. — Agendum hic est de solo casu, in quo debitor ad satisfaciendum omnibus suis creditoribus impar est; alias enim nullus ordo in solvendis debitis necessario servandus est.

Creditores autem sunt: 1.° alii *privilegiati*, qui ex legis positivae privilegio jus habent debitum suum ante alios repetendi; 2.° alii *hypothecarii*, qui ex titulo *hypothecae* seu *assecurationis* in bonis debitorum fundatae, jus habent solutionem obtinendi statim post creditores privilegiatos; 3.° alii *communes*, qui nullo privilegii aut hypothecae beneficio gaudent.

843. Principia. — I. Ante omnia solvi debent debita privilegiata. Sic ex *jure rom.*

II. Secundo loco satisfaciendum est creditoribus hypothecariis, servato temporis ordine, juxta regulam 54 juris in 6.°: *Qui prior est tempore, potior est jure.*

III. Demum tertio loco solvi debent debita communia, utpote nullum jus praelationis habentia.

Ex jure romano res aliena apud debitores exsistens, v. gr. in deposito, locato, etc., ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui domino suo debet, res enim illa in specie exsistens *domino clamat.* Item res *empta ad creditum* non soluto pretio, si adhuc in specie exstet; saltem in casu, quo dominium in emptorem translatum non fuerit.

* **844.** En ordo servandus *jure* **hispano** (1) inter diversos creditores, quando debitor omnibus satisfacere non potest.

---

(1) Haec, paucis immutatis, videntur vigere in **Philipp.** Ins.

§ I. *Credita quae habent sibi obligata determinata bona* **mobilia** (*a.* 1922).

N. B. 1.° Haec credita excludunt quaecumque alia, *quoad haec bona* et *juxta valorem horum bonorum*, non vero ultra horum valorem (*a.* 1926).

2.° Si talia bona sublata fuissent, creditor poterit ea vindicare a quocumque possessore, intra *triginta dies* a peracta subtractione (*a.* 1922).

Credita 1.° pro *constructione*, reparatione, conservatione et venditione mobilium, quae exstant apud debitorem, pro toto valore harum rerum.

2.° *pignorata*, pro valore pignoris; modo pignus sit apud creditorem.

3.° pro quibus *cautio* constituta fuit titulis publicis vel aliis in societate bancaria, pro valore cautionis datae.

4.° pro *transvehendis* et conservandis rebus, super iisdem rebus. Haec bona obligata manent donec fiat traditio ipsi debitori, et postea usque ad *triginta dies*.

5.° pro *hospitio*, super bonis hospitis mobilibus in hospitio exsistentibus.

6.° propter *semina*, culturam et recollectionem frugum, super hujusmodi fructibus.

7.° propter *conductionem* et *reditus unius* anni, super mobilibus locatarii exsistentibus in re locata, et super fructibus ejusdem rei.

Quando plura concurrunt horum creditorum, hic erit ordo praelationis inter ea:

1.° *Pignorata* — excludunt quaecumque alia, pro valore pignoris.

2.° Si *duo* vel *plures* habent constitutam cautionem super eadem re, praelationem habent juxta tempus sibi datae super eadem re cautionis.

3.° Si concurrant ea, quae sunt sub *nn.* 6.° et 7.°, praeferentur ea quae sunt sub *n.* sexto.

4.° Reliqua, sc. sub *nn.* 1.°, 4.°, 5.°, 7.°, nullam inter se habent praelationem. Igitur omnia mobilia obligata divendantur, et pro rata dividantur inter hos creditores.

§ II. *Credita quae habent sibi obligata determinata bona* **immobilia**

Credita 1.° in favorem *Status*, pro *tributo* ultimi anni.

2.°... *assecurationis* super re assecurata, pro praemio duplicis anni, vel pro duabus ultimis portionibus dividuis (*dividendos*), si assecuratio sit mutua.

et jura realia *debitoris* (*a.* 1923).

N. B. Etiam haec credita, *quoad haec bona et juxta totum valorem (et non ultra) horum bonorum*, praeferuntur quibuslibet aliis creditis, etiam iis de quibus diximus in § I. (*a.* 1927).

3.°... *hypothecaria* et *refactionaria* super re hypothecata et refecta, modo illa credita inscripta seu adnotata sint in regesto proprietatis.

4.°... *praeventive adnotata in regesto* proprietatis *ex mandato judicis* propter sequestra vel sententiarum exsecutionem quoad bona adnotata et credita posteriora tantum (Cfr. L. H. *aa.* 42-44).

5.°... *refactionaria non adnotata* nec inscripta, quoad immobilia refecta. Sed praelationem tantum habent relate ad alia credita distincta ab iis, quae quatuor numeris superioribus memorata sunt.

Quando plura concurrunt horum creditorum, hic erit ordo praelationis:

Quae in *n.* 1.° continentur praeferuntur reliquis.

Quae in *n.* 2.° continentur praeferuntur subsequentibus.

Quae in *nn.* 3.° et 4.° continentur praeferuntur inter se, juxta ordinem inscriptionis seu adnotationis.

Quae in *n.* 5.°, praeferuntur inter se juxta *ordinem* antiquitatis *inversum*.

N. B. Si credita, de quibus agunt §§ I et II, plene soluta non fuerint ex bonis sibi specialiter obligatis, quoad partem nondum solutam, solvi debent ordine statuto in §§ III vel IV juxta naturam cujusque crediti.

§ III. Quoad *reliqua bona* sive mobilia sive immobilia, praelatione gaudent: (Reliqua bona intellige hic: 1.° quae speciaLiter nulli credito sunt obligata; 2.° ipsa speciaLiter obligata quoad partem quae supersit, solu-

Credita 1.° in favorem *provinciae* vel *municipii*, pro *tributis ultimi anni*.

2.° pro sumptibus in *concursu* et favore creditorum.

3.° ... pro *funere* debitoris, uxoris et filiorum viventium sub ejus potestate, si tamen uxor et filii bona propria non habent.

4.° ... pro expensis *ultimae infirmitatis* earumdem personarum, durante *ultimo* vitae *anno*.

5.° ... pro *salariis famulorum* et domesticorum, in *ultimo anno*.

6.° ... pro *victu* et *vestitu* sibi et familiae ad creditum datis *ultimo anno*.

tione facta crediti cui specialiter devinciebantur). (*aa.* 1924, et **hisp.-phil.**, 1928, 1929).

7.° ... pro *pensionibus* alimentitiis perdurante *concursu.*

8.° ... quae publica scriptura constant, *vel* sententia rei judicatae; et haec praelationem inter se habent juxta antiquitatem scripturae vel sententiae.

Quando plura concurrunt horum creditorum, hic erit ordo praelationis inter ea:

Quae sub *n.* 1.° continentur praeferuntur reliquis omnibus.

Quae sub *nn.* 2.°-7.° continentur praeferuntur iis, quae sub 8.°

§ IV. Reliqua credita, in superioribus §§ non contenta, *nulla* inter se prioritate vel praelatione gaudent. Omnia igitur solvenda *simul* erunt pro rata; sed postquam soluta fuerint omnia quae jure gaudent praelationis (*aa.* 1925 et 1929).

Dices: Quid igitur de bonis dotalibus uxoris, de bonis minorum, etc.

Resp. Haec bona hodie, suppressis hypothecis tacitis et generalibus, nullo specialiori privilegio gaudent, sed reguntur legibus statutis in §§ praecedentibus, juxta propriam naturam, prout scilicet constent tantum publica scriptura, vel privata tantum, vel hypotheca *speciali* donata sint et inscripta, etc. — Cfr. dicta *n.* 684 IV. — Quoad **Amer. lat.**, vide dicta in *app.* V ad *n.* 548 *seq.*, ad calcem hujus oper.

N. B. 1.° Privilegia de quibus supra, valent semper in conscientia, *a*) quoties debitori suorum bonorum administratio juridice ablata sit; tunc enim praedictus ordo legalis ex stricta justitia servandus est tum a debitore tum etiam a creditoribus; *b*) (etiam dum debitor solvendo impar retinet rerum suarum administrationem) quoties ex ipsis privilegiis acquiratur creditori jus *reale* in determinata bona, v. gr. per hipothecam; secus probabiliter non valent, nisi postquam privilegiatus legitima intimatione significavit, se suo privilegio uti velle. Cfr. *Génicot*, *n.* 603, 2.°; *Marres*, *l.* 3, *n.* 304.

2.° *Credita inter vivos* praeferuntur creditis *mortis causa*, *aa.* 1027, 1029, 1082, 1084.

3.° *Credita* contra societatem aliquam, v. gr. commercialem, praeferuntur, *quoad bona socialia*, creditis contra ipsos socios, **hisp.-phil.**, *a.* 1699.

4.° [Pro **Lusit.**, vid. *aa.* 878-1029; pro **Amer. lat.**, vide respectivos CC. quoad creditorum praelationem, scil.: **aeq.**, *aa.* 2447-2477; **arg.**, 3909-3972 (3875-3938); **bol.**, 1436-1511; **bras.**, 1554-1571; **chil.**, 2465-2491; **col.**, 2488-2511; **cost.**, 991-1000; **guat.**, *aa.* 2384 *seq.*, et 357 *seq.*, *de la ley de ref. del C. C.*; **mex.**, 1928-1964; **nic.**, 2465-

2491; **Salv.**, 2415-2440; **ur.**, 2342-2363; **ven.**, 1837-1845. Item pro **per.**, *a.* 1009 *seq.*, Cod. process. civilis].

845. **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu?*

Resp. Neg., probabilius, sed omnia aeque solvenda sunt pro rata, quia nullo jure constat priora posterioribus esse praeferenda. *S. Alph., n.* 688.

Quaer. 2.° *An debita ex titulo oneroso solvi debeant ante debita ex titulo gratuito?*

Resp. Affirm., quia qui gratuito promittit, apponit semper tacitam conditionem, *si commode praestare valeam;* nec gratis bona expendere potest, cum praejudicio creditoris ex delicto vel ex contractu. *S. Alph., n.* 689; *Lugo, Lessius, Billuart.*

Quaer. 3.° *An creditores pauperes divitibus necessario praeferri debeant?*

Resp. Neg., nisi sint in extrema necessitate, quia nullum jus praelationis habent; et jus divitis tam strictum est quam pauperis, cum justitia commutativa ad personas non attendat. *S. Alph., n.* 691; *Lugo, d.* 20, *n.* 161, etc.

Quaer. 4.° *An praeferendi sint creditores tempore priores posterioribus?*

Resp. Neg., probabilius, quia lex nullam praelationem inter haec credita assignat; ex jure autem naturali omnes creditores sunt aequales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quae sola aeque singulis obligata est, non autem in hujus bona jus habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores dominium eorum jam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est. *Vogler, n.* 439; *Lessius, Carrière*, De contr., *n.* 391.

Affirmant tamen *plures*, quia (ajunt) *prior tempore* debet esse *potior* etiam *jure. Ita Lugo, Salmant.;* et hoc dicit probabilius *S. Alph., n.* 690, licet priorem sententiam ut *probabilem* habeat.

846. — Quaer. 5.° *An creditores certi incertis, seu incognitis, sint a debitore anteponendi?*

Resp. Affirm., probabilius, si creditor incertus inveniri nequeat. Ratio est, quia creditor ille incertus non censetur *rationabiliter invitus*, cum debitum suum recuperare nequeat. Aliunde durum foret denegare debitori facultatem *liberandi se a creditore*, a quo persequendus saepe foret, ut pauperibus obviis, creditorem incognitum repraesentantibus, restituat. Saltem creditores certi licite incertis anteponi possunt. *Ita communiter. Lugo, d.* 20, *n.* 2; *Antoine, Vogler*, contra *Billuart.*

Quaer. 6.° *An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

Resp. 1.° *Affirm., si juridice* petat, quia legitima judicis sententia vim privilegii creditori confert. *Ita omnes. S. Alph., n.* 692; *Vogler, n.* 444.

Resp. 2.° *Affirm., probabilius*, etiam si petat *extra judicium;* quia actionem personalem in debitorem habet, et totum debitum petendo, jus suum prosequitur. *S. Alph., n.* 692 (*ut probabilius*); *Billuart, Lessius, Salmant.*, etc., contra *Lugo, Carrière.*

QUAER. **7.°** *Utrum debitor, sciens suum statum labilem*, etiam non petenti *integre satisfacere possit?*

Resp. Neg., quia cum omnes creditores sint jure aequales, nec ullus inter illos jus suum prosequatur, et proinde per diligentiam nemo potior in petendo evadat, postulat aequitas naturalis ne alicui integra restitutio fiat cum aliorum praejudicio. *S. Alph., n.* 692; *Lessius, et alii communiter.*

Docet tamen Lugo, *d.* 20, *n.* 174, *probabiliter* posse debitorem in casu, monere creditorem amicum ut petat, quia licet consulere alicui, quod ipsi licet facere; qua petitione posita, poterit ipsi solvere. *Ita etiam Ball.-P., vol.* 3, *n.* 524; *Lehmk.*, I, *n.* 1027; *Génicot, n.* 603, 8.°

QUAER. **8.°** *An creditor, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?*

Resp. Controvertitur. I.ª SENTENTIA *affirmat;* quia nullum jus habet, ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento. *S. Alph., ibid.; Salmant.*, etc.

II.ª SENTENTIA *negat*, quia ex dictis *probabiliter* creditor jus *personale* habens, nemini facit injuriam solutionem debiti etiam extra judicium urgendo; ergo neque acceptando, cum jus exigendi habeat. *Lessius, l.* 2, *c.* 15, *n.* 41; *Molina, d.* 536, *n.* 42; *Marres, l.* 3, *nn.* 311, 329. Excipe tamen (post sententiam judicis) casus, in quibus talis solutio invalida per legem declaratur.

N. B. Quamvis lex hujusmodi solutiones, de quibus hoc *n.* 846 (1) diximus, non invalidas (nisi factae sint post declaratum concursum creditorum, vel post bonorum cessionem factam), sed tantum rescindibiles dicat (v. gr. si tempus solutionis petendae nondum advenerat dum solutio fuit facta) vel eas prohibeat; si judex irritet, irritatio tenet, ita ut creditores in conscientia reddere debeant quod perceperunt; applicat enim leges justas. Cfr. *C. Civ.* **hisp.-ph.**, *aa.* 1291, 1292, 1297, 1298, et C. Comm., *aa.* 879-888. [Item CC. civ. **lusit.**, 1030-1045; **aeq.**, 2450; **chil.**, 2468; **col.**, 2491; **cost.**, 889, 900 *seq.*; **guat.**, 2360 *seq.*; **mex.**, 1659, 1693 *seq.*; **nic.**, 2468; **Salv.**, 2418 *seq.*; **ur.**, 1270; **ven.**, 1917; **per.**, C. proc. civ., 1022 *seq.*].

---

(1) Cfr. *Alcubilla, pag.* 482 (1913).

ARTICULUS IV

QUOMODO SIT RESTITUENDUM?

847. — Generatim dici potest, requiri et sufficere, ut restitutio eo modo fiat, quo justitia violata plene seu ad aequalitatem reparetur, et sic dominus laesus indemnis fiat.

Hinc 1.° Non est necessarium, *per se*, ut restitutio *palam* fiat; imo saepe eo modo fieri nequit, quando famae quoque et honori restituentis consulendum est.

2.° Non est necessarium, ut restitutio fiat *per ipsum debitorem*, sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Potest aliquando fieri per confessarium; magna tamen cautela tunc opus est, tum ut sigillum confessionis illaesum remaneat, tum ut poenitens resciat, creditori re ipsa satisfactum fuisse, ne ulla suspicio contra confessarii probitatem suboriri queat.

3.° Non est necessarium ut restitutio fiat *advertente domino;* quia hoc non requiritur ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest, v. gr. augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando, et sexcentis aliis modis.

848. — **Quaesita.** — Quaer. 1.° *An valeat restitutio facta per simulatam donationem?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*. Ratio est, quia ad solutionem non requiritur, ut debitor externe fateatur se solvere. Hinc satisfacit debitor, quoties solvit etiam in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. *Ita communis. Vogler, n.* 534; *Carrière, n.* 1265, contra *Billuart.*

Quaer. 2.° *An si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat hoc ei restituendum sit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia donatio ista non videtur *plane voluntaria* et *spontanea*, prout esse debet essentialiter donatio mere *gratuita;* procedit enim ex opinione obligationis antidoralis seu gratitudinis, quae falso nititur fundamento. *Ita Carrière, ibid.*, contra *Tamb.*, etc.

Quaer. 3.° *Quo loco et cujusnam expensis facienda sit restitutio?*

Resp. 1.° Si obligatio restituendi sit *ex re bona fide accepta* et retenta, restitutio non necessario facienda est in alio loco, quam in quo nunc res exsistit; nec hujusmodi debitor in alium locum, ubi jam dominus forte degit, rem transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere ex quo illum non dejecit per formalem injuriam.

Resp. 2.° Si obligatio restituendi orta sit *ex delicto*, restitutio facienda est in loco, in quo dominus rem esset possessurus, si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus. Ratio est, quia creditor de-

bet indemnis servari, et nullum ex iniquitate debitoris damnum pati, sed in statum pristinum restitui. *S. Alph.*, *n.* 677.

Resp. **3.°** Si res *ex contractu* solvi debeat, standum est clausulis contractui appositis, si de loco et modo translationis fuerit conventum. — Quando autem nulla de his conventio facta est, ad leges speciales pro contractuum diversitate attendendum est. Generatim leges statuunt, solutionem rei certae ac determinatae faciendam esse in loco ubi haec, tempore contractus, reperiebatur; pecuniae vero solutionem, in domicilio debitoris. Ita **hisp.-ph.**, 1171; **lusit.**, 744; [**aeq.**, 1577 *seq.*; **arg.**, 781 (747) *seq.*; **bol.**, 837; **bras.**, 950 *seq.*; **chil.**, 1587 *seq.*; **col.**, 1645 *seq.*; **cost.**, 778; **mex.**, 1520 *seq.*; **nic.**, 1587 *seq.*; **Salv.**, 1573 *seq.*; **ur.**, 1439; **ven.**, 1214, 1473. — Ex jure **guat.**, 2313, et **per.**, 2229, nisi aliter conventum fuerit, omnis solutio fieri debet in domicilio debitoris].

849. — QUAER. 4.° *An debitor* ex delicto *etiam expensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illae expensae valorem rei ipsius superent?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si excessus non sit valde notabilis, quia et debitor, committendo injustitiam tale onus in se suscepit, et dominus non tenetur rei suae jacturam pati. *Ita communiter. Lugo*, *d.* 20, *n.* 190.

Resp. 2.° *Neg.* autem, *probabilius*, si istae expensae essent maximae respectu valoris rei remittendae. Tunc autem ex praesumpta creditoris voluntate restitutio pauperibus facienda esset. Recta enim ratio et charitas dictant, creditorem non posse exigere ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. *Ita Vogler*, *n.* 415; *Lugo*, *n.* 185; *Billuart*, *diss.* 8, *art.* 16; *S. Alph.*, *n.* 598, ubi dicit, hanc esse *sententiam communissimam.*

Quanta autem esse debeat jactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam sat communiter tradunt. Quando, omnibus pensatis, damnum, quod debitor patietur, damnum creditoris tantum *duplo* superat, non est sufficiens, ut dominus re sua privetur. Si vero hanc proportionem superet, sufficit ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis haec regula modificanda est. *Ita Lugo*, *d.* 20, *n.* 190; *S. Alph.*, *n.* 598, etc. — Hodie vero haec controversia vix locum habere potest propter facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.

850. — QUAER. 5.° *An debitor iterum restituere debeat, si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat?*

Resp. 1.° Debitor *ex possessione bonae fidei* ad nihil tenetur; quia, seclusa culpa et pacto, res perit domino, qui est ipse creditor. Teneretur tamen post judicis sententiam si culpa juridica intercessisset.

Resp. 2.° Debitor *ex contractu* ad nihil tenetur, si agatur de re

alterius exsistente in natura, accepta in commodatum vel depositum, etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de re in genere debita; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii vel rei transmissae, usquedum in manus ejusdem tradatur. Cfr. infra, *n.* 1030.

Resp. 3.° Debitor *ex delicto* a restitutione non liberatur, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit; quia semper remanet culpabilis causa damni, quod hic patitur. *S. Alph.*, *n.* 704, ubi tamen non audet damnare excusantes hujusmodi debitorem, qui per *confessarium* rem debitam remisit.

Excipe casum triplicem, in quo ab omni onere debitor eximitur, nempe: 1.° si dominus designaverit personam, per quam sibi rem debitam mitti velit; 2.° si creditor personam quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3.° si persona haec arbitrio judicis designata fuerit.

851. — QUAER. 6.° *Quomodo restituendum pro damnis reipublicae illatis?*

Resp. Restituendum est per media ab ipso Gubernio constituta, si hujusmodi media exsistant. Attende igitur ad varias locorum leges. Si vero talia media constituta non fuerint, satisfieri etiam potest destruendo titulos *debiti publici* (*non* vero pecuniam chartaceam, v. gr., *billetes del banco de España*) pro valore aequivalente, vel restituendo ministro, qui publici aerarii curam gerit. Si *hoc fieri nequeat*, hodie *probabiliter* satisfieri potest, si pauperibus vel causis piis restituatur. Tunc Statui etiam prodest, estque quaedam compensatio injuriarum, quas passim tum Ecclesiae tum causis piis irrogat Status. Cfr. *Buccer.*, *n.* 1454; *Génicot*, *n.* 554; *Marc*, *n.* 1015, *q.* 3.°

ARTICULUS V

QUANDO SIT RESTITUENDUM?

852. — I. Quoad debita *quaelibet*, generatim restituendum est *quamprimum fieri potest sine gravi incommodo.* Jus enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas.

Hinc **1.°** qui culpabiliter differt restitutionem, manet in peccato continuo, et absolvi in re gravi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur.

2.° Si quis habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domino incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa diffe-

rendi, v. gr. spes occasionis commodioris, etc. *S. Alph.*, Hom. apost., *nn.* 104, 105.

3.° Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus; quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo, qui cum per vitae decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus rejiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi *in heredes suos;* nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur. *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.*

II. Quoad debita *ex injuria*, compensanda sunt damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt, saltem quando mora fuit culpabilis. *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.*

Utrum autem debeant compensari etiam *damna extraordinaria*, seu quae non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis, *controvertitur.* — *Probabiliter* negandum videtur, quia haec damna praevideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt. *Vogler*, *n.* 426; *Lugo*, etc.

853. — III. Quoad debita *ex contractu*, generatim standum est conditionibus contractui appositis circa tempus, vel circa alias circumstantias; nisi prudenter praesumatur aliam esse alterius contrahentis voluntatem.

Hinc 1.° restitutio, seu potius solutio, fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est.

2.° Debitor *anticipare* potest, si terminus solutioni assignatus sit in ejus favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut v. gr. in praestatione pecuniae cum lucro percipiendo.

3.° Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi exspectare potest generatim, *donec moneatur* a creditore; nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat.

4.° Si debitor habeat justam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. *Ita communiter*, cum *S. Alph.*, *n.* 680.

Quaer. *An qui distulit restitutionem* ex justa causa, *teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

Resp. Tenetur *probabilius* quando debitum provenit *ex delicto;* quia licet non peccaverit restitutionem differendo ex justa causa, attamen ex praecedenti laesione est vere causa injusta et culpabilis illius damni, si tunc sufficienter praevisum fuit. *Ita communiter* cum *S. Alph.*, *nn.* 680 et 704. — Attamen *Diana*, *p.* II, *tr.* 6, *resol.* 20; *Lacroix*, *lib.* 3, *p.* 2, *n.* 252; *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 508; *Génicot*, *n.* 556, 3.°, oppositam merito amplectuntur, saltem ut *probabilem.* Ratio, quia *justa dilatio* purgat moram; quare non est *inju-*

sta causa talium damnorum, nec dominus potest censeri rationabiliter invitus.

Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur; quia tunc debitor non est causa injusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet, quo titulo ad id teneatur. *S. Alph., ibid., et alii, communius.*—V. **Casus**, *n.* 704.

CAPUT IV

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

854. — I. *Excusat ad tempus:* 1.° *impotentia phisica*, seu omnimoda impossibilitas, quae habetur in necessitate extrema; imo etiam in necessitate valde gravi sive debitoris ipsius sive suorum, id est, uxoris et proximorum consanguineorum; 2.° *impotentia moralis*, seu gravis difficultas restituendi, quando nempe restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris, v. gr. si debeat restituendo notabiliter decidere e statu suo *juste* (non vero *injuste*) *acquisito*, aut in gravem necessitatem incidere, etc... Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc si nobilis non potest restituere, nisi se privet famulis, equis, armis; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suae instrumenta, aut magnum damnum subeat, restitutionem differre potest, et debita paulatim solvere. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 117.

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. gr. ludis, crapulis, in talem necessitatem se conjecerit. *Ita Laymann, Lacroix, Busemb.*, cum *aliis.* — Sed *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 118, ait: «Hoc non obstante, si debitor e statu suo *juste acquisito* casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Ceterum recte advertunt *S. Anton., Sporer, Elbel*, quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut restituat saltem quod potest.» Ita etiam *Marres*, *l.* 2, *n.* 152.

855. — II. *Excusat in perpetuum:* 1.° *remissio*, vel condonatio debiti ex parte creditoris; requiritur autem, ut creditor possit condonare, et dominium et administrationem rei sibi debitae habeat; item ut remissio non fiat vi vel fraude, sed omnino libere et sponte; 2.° *compensatio*, id est, quando creditor auctoritate propria aequivalens sibi vindicat, vel idem debitum sibi retinet; 3.° *praescriptio* debitis vestita conditionibus. Praescriptio autem pro debitis non completur regulariter nisi per 30 annos ex jure *romano;*

jure autem **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, breviori spatio obtinetur; nec communiter haberi potest quoad ipsum debitorem qui debitum contraxit, quia bona fides in eo reperiri nequit. *S. Alph.*, *n.* 700, etc... Recole dicta De praescriptione, *nn.* 715 *seq.*, 720, 722, 724.

856. Quaesita. — QUAER. 1.° *An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate sive gravi sive extrema cum creditore?*

Resp. 1.° Si creditor jam reperiatur in *gravi* necessitate, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet juxta omnes.

2.° Si uterque jam reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in extremam decideret, *disputatur. Probabilius* excusatur a restitutione, quae non debetur *ex delicto.* Imo prababiliter etiam si *ex delicto* debeatur; quia debitor tunc restituendo se subjiceret damno sane graviori. *Ita communiter.*

3.° Si uterque sit in extrema necessitate, *probabilius* omitti potest restitutio, nisi propter ipsam rei debitae substractionem creditor versetur in tali necessitate; quia tunc omnia fiunt communia. *Bonac.; S. Alph.*, *n.* 701; Hom. apost., *n.* 119. — *Lugo* (*d.* 21, *n.* 4) tamen cum *aliis*, non minus probabiliter oppositum tenet, si dominus *prius* aut *simul* re illa indigere coepit.

857. — QUAER. 2.° *An restituere teneatur, qui rem alienam in extrema necessitate accepit et consumpsit?*

Resp. 1.° Si habeat alibi propria, *affirm.;* ratio est, quia etiam tempore necessitatis non est vere impotens. *S. Alph.*, *n.* 520, *et alii communiter.*

2.° Idem dicendum est, si actu quidem nihil habeat, sed habeat in spe probabili; quia ejusmodi necessitatem patienti sufficienter per pecuniam mutuam sine censu prospicitur. *S. Alph.*, *n.* 520.

3.° Si nulla spes affulgeat actu, non tenetur; quia tunc rem suam fecit. *Ita communius theologi. S. Alph.*, *ibid.* Cfr. dicta *n.* 753, 3.°

QUAER. **3.°** *An excusetur a restitutione qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?*

Resp. Duplex datur sententia.

I.ª SENTENTIA *negat.* Ratio est, quia quod gratuito donatur, nequit haberi ut debiti solutio. *Ita Sánchez, Vogler.*

II.ª SENTENTIA *affirmat* cum *Lacroix*, *n.* 452; *Tamb.; Lehmk.*, *n.* 1029; *Marres*, *l.* 2, *n.* 142; *Waffelaert*, *vol.* 2, *n.* 343, etc. Ratio est, quia censetur quisque velle prius obligationi justitiae satisfacere, quam *merae liberalitati.* Prima sententia est *communior* et *valde probabilis;* sed secunda non caret sua probabilitate, ait *S. Alph.*, *n.* 700; et hanc sat probabilem dicit, Hom. apost., *n.* 120.

QUAER. **4.°** *An gravatus debitis possit ingredi religionem, et liberetur a debitis, si ingressus fuerit?*

Resp. ad 1.um *a*) Ex jure *naturae*, *Neg.*, si brevi tempore (v. gr. intra duos vel tres annos) et absque periculo animae habere possit unde solvat: etenim obligatio solvendi debita fundatur in jure naturali, ideoque *per se* consiliis evangelicis est praeferenda. — *Affirm.*, probabilius, si debeat per notabile tempus exspectare, vel ex dilatione ingressus oriatur extraordinarium periculum animae. *S. Alph.*, *n.* 71, De stat.; *Vogler*; *Piat*, Praelect. jur. regul., *vol.* 1, *n.* 67; *Appeltern*, Comp. jur. reg., *n.* 41, etc. — *b*) Ex jure *canonico*, si debita sint *magni momenti*, talis ingressus, licet *validus*, prohibetur ut *illicitus*. Cfr. Sixtum V, Const. *Cum de omnibus*, 26 nov. 1587, § IV (Bull. rom. Taurin., *vol.* 8, *pag.* 951 *seq.*); Clem. VIII, Const. *In suprema*, 2 april. 1602, § III (Bull., *vol.* 10, *pag.* 768 *seq.*); S. C. Ep. et Reg. 2 mart. 1861, ad 12, ubi ait: «Juri communi repugnat admittere novitios, qui aere alieno gravantur, eorumque debita ab instituto assumi.» Cfr. *Battandier*, Guide canonique, etc., *pag.* 56; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 629, *nota* 201; *Thesaurus*, De Poenis, V. Obligatos, etc.; *Piat*, l. c.

Resp. ad 2.um 1.° Religio non tenetur haec debita solvere ex bonis propriis, ut patet; 2.° religiosus tenetur exsolvere ex bonis, quae habuit ante professionem, vel quae ei obveniunt per legatum, si vota simplicia tantum emiserit; secus vero, si solemniter professus fuerit. *Ita communiter.* — Existimat tamen non improbabiliter *Marres*, *l.* 2, *n.* 154, religionem teneri ad solvenda debita ex iis, quae religioso solemniter professo obveniant juste, quocumque titulo, quia effatum illud: quidquid monachus acquirit monasterio acquirit, intelligi oportet de iis tantum, quae religiosus *sibi* revera acquireret, non vero de iis, quae creditoribus obstricta sunt.

Praeterea praelatus tenetur concedere religioso licentiam, sin minus ex justitia, saltem ex charitate, ad laborandum, ut sic debitis satisfaciat. *S. Alph.*, *l.* 5, *n.* 71; *Marres*, l. c.

In praxi haec quaestio parum difficultatis habet, cum nulla religio soleat hujusmodi homines admittere, nisi se aere alieno liberare statim valeant. Statuta etiam civilia non leves molestias religioni creare possent, si eos admitteret.

N. B. Si gravatus debitis debeat restituere pauperibus vel causis piis, eo quod *incerta* sint, tunc bene poterit ingredi religionem, quae est optima causa pia, cui tunc aequivalens fit applicatio. Cfr. *Lugo*, *disp.* 21, *nn.* 63 *et* 64.

858. — Quaer. 5.° *An cessio bonorum sive judiciaria, sive voluntaria, excuset a restitutione in perpetuum?*

Resp. Neg., seclusa conventione. Cfr. dicenda *n.* 921.

859. — Quaer. 6.° *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. gr. tibi debeo* 100 *francos, tu veo debes* 100 *Titio, an satisfaciam solvendo* 100 *Titio?*

Resp. Affirm., *per se*, ad juris apicem. Ratio est, quia ego sol-

vens creditori tuo id, quod ipsi debes, acquiro jus, quod ille habebat suum a te debitum requirendi; unde jus quod in te habeo, juri quod in me habes, aequivalet, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me jus suum transferre, seu possum ego illud emere sicut quilibet alius, qui nihil tibi debeat. *S. Alph.*, *n.* 700; *Billuart*, *diss.* 8, *art.* 14, § 1; *Vogler*, *n.* 541, *et alii communiter.*

Dixi 1.° *per se*, quia non liberor, si forte tu adhuc cogeris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas.

Dixi 2.° *ad apicem juris*; quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. *Billuart*, *ibid.*

860. — QUAER. 7.° *An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis?*

Resp. 1.° *Neg.*, in *mero dubio*, ut patet. Obligatio enim semel contracta adimplenda est, nisi solida ratio peractam esse solutionem suadeat.—Idem tenendum est, ubi praesumptio debitori adversatur; quod saepius evenire solet, praesertim quando dubium ejus negligentiae tribuendum est.

Resp. 2.° In *vera probabilitate controvertitur*, sed affirmativa sententia in praxi teneri potest. Etenim I.ª SENTENTIA *communior negat.* Ratio est, 1.° quia non satisfit obligationi *certae* per impletionem dubiam; 2.° quia onus debitori incumbit attendendi et invigilandi, ut certo restituat; unde exortum dubium imputandum est ipsius negligentiae, ex qua creditor damnum pati non debet. *S. Alph.*, *n.* 700, *et l.* 1, *n.* 27 *et seq.*; *Lugo*, *d.* 18, *n.* 12; *Lacroix*, *n.* 571 (licet oppositum teneat sicut ipse *Lugo*, ubi de alia obligatione ac de justitia agitur), *et alii multi.* Cfr. supra, *n.* 144.

II.ª SENTENTIA dicit restituendum esse pro rata dubii, saltem si uterque dubitat; quia, cum creditor non habeat jus nisi probabile, aequum non est, ut tantum ipsi solvatur, quantum solveretur, si jus certum haberet. *Tambur.*, *Laymann*, *Diana*; *Ball.-P.*, *vol.* 1, *n.* 225 *seq.*; *Marres*, *l.* 2, *n.* 155. — *Reuter* dicit hoc *probabile*, *n.* 449, licet oppositum ut *probabilius* habeat.

III.ª SENTENTIA debitorem ab omni obligatione liberat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. *Ita Bossius*, *Tannerus*, *Viva*, etc., apud *Lacroix* et *Reuter*.—Et quamvis in praxi non *facile* sit admittenda probabilitas solutionis; si tamen vera adsit probabilitas, haec tertia sententia teneri potest: etenim sicut debitor non solvens exponit se periculo spoliandi creditorem, ita si solvat exponit se periculo bis solvendi. Ita etiam *Waffelaert*, De just., *vol.* 2, *n.* 260 *seq.*, De dubio solvendo, etc., *pag.* 292; *Génicot*, *n.* 602; *Llobera*, h. l.; *Noldin*, De praeceptis, *n.* 451.

Quod maxime valet, si debitori faveat major probabilitas, et sit probus, diligensque in debitis solvendis; major enim praesumptio

pro solutione peracta tunc haberetur. *A fortiori* restitutionem non urgebis, si debitor dicat, se certe satisfecisse, licet creditor adhuc reclamet.

861. QUAER. 8.° *An excuset a restitutione condonatio rationabiliter praesumpta?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*, quia retentio rei alienae, seu omissio restitutionis, non est injusta, nisi invito domino fiat. Non fit autem invito domino vel creditore, si fiat ex ejus voluntate rationabiliter praesumpta. Ergo, etc. Sic excusari possunt facilius filiifamilias, si pecuniae summam sat exiguam parentibus surripuerint. Item famuli, qui esculenta communia consumpserunt. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est, ne sic janua innumeris injustiis aperiatur. *Lacroix, n.* 462; *Lugo, d.* 21, *n.* 54; *S. Alph., n.* 700; *Vogler*, etc. — V. **Casus**, *n.* 714 *et seq.* — Etiam excusari possunt, ex praesumpta Ecclesiae condonatione, fideles qui bona ecclesiastica mobilia ab infidelibus direpta atque divendita, vel emerunt vel dono acceperunt: maxime si parati sint rem domino, i. e. ecclesiae vel loco pio cujus erat, restituere, si ejus administrator velit eam redimere soluto pretio, quod emptor infidelibus numeravit.

SECTIO II

RE RESTITUTIONE IN SPECIE

Agendum hic de restitutione ob damnum proximo illatum in bonis 1.° animi, 2.° corporis, 3.° fortunae in quibusdam casibus.

CAPUT I

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI

Generatim quisque tenetur ex justitia reparare damnum, quod efficaciter et injuste attulit proximo in bonis tum naturalibus tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Neque enim jus minus strictum quisque habet, ne in bonis hujusmodi, quam ne in bonis fortunae laedatur.

862. **Resolves:** — Quoad damnum in bonis supernaturalibus: 1.° Qui vi, mendacio, fraude, metu injusto, induxit aliquem in peccatum letale, tenetur sub mortali ex justitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando, etc. Qui autem sine vi aut fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum letaliter, tenetur quidem ex charitate ad consilium

illud revocandum, non vero ex justitia, quia *scienti et volenti non fit injuria. S. Alph., nn.* 660, 661.

2.° Qui dolo induxit alium in errorem praesertim practicum, ex quo damnum grave oriri illi possit in materia morum, ex justitia tenetur reparare damna quae inde proveniunt, et idcirco omni cura eum ab errore removere. Idem dicito de errore speculativo circa fidei articulos.

3.° Qui per vim, metum gravem, vel fraudem, aliquem ab ingressu religionis impedivit, aut jam ingressum ad religionem deserendam induxit, ex justitia tenetur fraudem et dolum amovere; quisque enim jus habet, ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur. *S. Alph., n.* 662.

4.° Si damni causa fueris, sed absque dolo, narrans v. gr. alteri quaedam falsa, quae vera putabas, standum erit iis quae dicta sunt *n.* 799, *q.* 3.°

Quoad damnum in bonis naturalibus:

1.° Qui alium privavit memoria, ratione, etc., per venenum, philtrum, etc., tenetur ex justitia reparare id omne, quod ex damno injuste illato reparabile est.

2.° Qui fraude impedit, ne alter scientiam, artem... addiscat, vel alios doceat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia, quae inde sunt orta, reparare.

3.° Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quos alicujus momenti admiserit. Eadem obligatio ipsi quoque incumbit, si probabilia improbabilibus ex incuria vel levitate permiscuerit.

4.° Si quis autem gratuito et sine obligatione pacti vel officii, male (i. e. cum nullo aut exiguo audientium fructu) doceret ex negligentia vel ignorantia, seclusis fraude et dolo, ad reparationem non teneretur.

CAPUT II

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS

Scilicet 1.° ob homicidium, 2.° stuprum, 3.° adulterium.

ARTICULUS I

DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM

863. Principia.—I. Homicidae vel mutilatores et ipsorum heredes tenentur ad compensanda omnia damna temporalia, si quae ex homicidio vel mutilatione secuta *directe*, et praevisa saltem in

confuso, fuerint. Nihil autem probabilius restituere debent praecise pro vita, membro, etc., quia haec non sunt pretio aestimabilia. *S. Alph.*, Hom. apost., *nn.* 82, 83.

II. Omne et solum homicidium voluntarium et injustum hanc obligationem parit, quia sola damnificatio injusta et voluntaria est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur, qui mere causa defensionis alterum occidit, etc.

III Restitutio certo facienda est propter damna — *a*) *ipsi vulnerato, mutilato* vel *occiso* illata, v. gr. *expensas* factas in morbi curatione, *lucrum cessans* ob intermissum laborem vel negotiationem, etc.: jus transit ad heredes damnificati, vel obligatio ad heredes damnificatoris; sed condonari potest a damnificato; — *b*) illata *parentibus, uxori et filiis occisi*, qui ab eo alimenta accipiebant, saltem *si aliunde non habeant unde vivant.* Haec enim damna quoad alimenta, quae ex stricta pietate iis personis ab occiso debebantur, sunt *per se* cum homicidio connexa; tales enim personae unum cum occiso faciunt. Obligatio transit ad heredes damnificatoris.

Probabilius haec *condonare non potest damnificatus.* Ita *Lugo, n.* 63, *d.* 11; *Ball.-P., n.* 465; *Génicot, n.* 566. Ratio, quia jus ad illam compensationem non acquiritur ipsi occiso, nec ab illo derivatur ad alios, sed immediate acquiritur aliis. *In praxi* tamen *restitutio imponi nequit*, modo constet de condonatione, *propter auctoritatem S. Alphonsi, n.* 630, *et aliorum.*

864. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An homicida teneatur ad restitutionem erga uxorem et filios occisi etiam pro damnis futuris, si isti sibi facile subvenire possint?*

Resp. 1° *Neg.* in praxi, ante judicis sententiam. Etenim opinio *communior affirmat*, quia damnificator totum damnum a se illatum reparare debet (*Lugo, d.* 11, *n.* 87); et quamvis heredes jus strictum ad ea bona non habent, jus tamen habent ne illis bonis priventur mediis injustis. Vide *n.* 809.

Altera opinio, *sat probabilis, negat*, quia proxime cognati non habent jus nisi ad ea, quae occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset. *Reuter, n.* 384; *Elbel, n.* 215; *Lacroix, n.* 309; *S. Alph., n.* 631; Hom. apost., *n*, 87; *D'Annibale*, II, *n.* 286; *Génicot, n.* 566; *Berardi*, Praxis, II, *n.* 379.

Resp. 2.° *Affirm.*, post judicis sententiam.

Cum enim obligatio reparandi damna illata per homicidium, per vulnera, etc., ex lege sive **hisp.** et **lusit.**, sive **Amer. lat.**, etiam actione civili firmetur (**hisp.**, *aa.* 18, 121, 124 *seq.;* Cod. poen.; et *CC. civ.:* **lusit.**, 2384 *seq.;* **arg.**, 1118 (1084) *seq.;* **bras.**, 1537 *seq.;* **chil.**, 2314 *seq.;* **cost.**, 1045 *seq.;* **guat.**, 2285 *seq.;* **per.**, 2220 *seq.;* **ur.**, 1293 *seq.*); licitum est parentibus, uxori ac liberis implorare judicis sententiam ad obtinendam indemnitatem statutam a lege, non modo si haec crimina cum theologica culpa sint patrata, ve-

rum etiam in casu quo perpetrata fuissent cum sola juridica culpa: petunt enim illi justam judicis sententiam, cui sententiae obediendum est ex justitia commutativa. Cfr. dicta supra, *n.* 797.

QUAER. 2.° *An aliquid restituere debeat homicida creditoribus occisi?*

Resp. Neg. in praxi. Etenim: *a*) *certo* non tenetur, si non praeviderit; *b*) neque tenetur *probabilius* quamvis praeviderit, modo directe non *intenderit;* quia tale damnum *per accidens* tantum consequitur. *S. Alph., n.* 634; *Lugo, d.* 11, *n.* 79 *seq.*, et alii communiter. — *c*) Si autem intenderit, duplex est sententia: prima, *probabilior*, dicit teneri; altera non *improbabiliter*, ut videtur, negat; quia intentio interna nequit mutare naturam causae, quae manet semper tantum *per accidens* connexa cum damno. *Ita Bonacina, d.* 2, *q. ult., sect.* 2, *p. ult., n.* 2; *Bucc.*, I, *n.* 1373; *Llobera*, h. l.; *Génicot, n.* 566, et videntur probabilem habere *Salmanticenses, tr.* 13, *c.* 2, *n.* 108, III. Et re quidem vera, videtur dicendum cum *Lehmk.* (I, *n.* 991, 4, *in nota*), «aut homicidam semper excusari ab obligatione damni creditoribus reparandi, aut sustinendum esse eum debere restituere, si quod damnum pro creditoribus *praeviderit*». Atqui subsumo (contra *Lehmk.*), si tantum *praevidit, probabilissime* non tenetur. Ergo semper excusatur, quamvis intendat. Cfr. *nn.* 740 *et* 807.

865. — QUAER. 3.° *An remaneat obligatio justitiae in heredibus, si homicida morte plectatur, quin damna reparaverit?*

Resp. Affirm. Poena enim satisfacit justitiae vindicativae, non vero commutativae. Heredes igitur debita ex justitia commutativa solvere debent, nisi laesi non reclament; tunc enim hi juri suo cedere censentur. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 90.

QUAER. 4.° *An ad restitutionem teneatur, qui alium occidit excedendo modo justae defensionis, seu* MODERAMEN INCULPATAE TUTELAE?

Resp. Affirm., probabilius, si deliberate excesserit, quia invasor jus habet, *ne injuste occidatur;* ergo occisor limites justae defensionis scienter excedendo, gravem committit injuriam. *Ita communius S. Alph., n.* 637, *cum Lugo, disp.* 11, *n.* 54, contra nonnullos antiquiores apud eumdem *Lugo, ibid., n.* 50. — Etiam inter recentiores hanc obligationem negant *Billuart, d.* 10, *art.* 11, § 3; *Gousset, n.* 1010; *Carrière*, De just., *n.* 1243; *Marres, l.* 2, *n.* 263; *Génicot, n.* 567, idque probabile habet *Waffelaert, vol.* 2, *n.* 368. Afferunt rationem: quia injustus aggressor sciens volens se exponit periculo mortis; scienti autem et volenti non fit injuria.

QUAER. 5.° *An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?*

Resp. Neg., probabilius, sive fuerit provocans, sive provocatus. *Scienti* enim *et volenti non fit injuria*, quando jus remitti potest; atqui etiam acceptans pugnam voluit et potuit damnum temporale

remittere. Ergo... *S. Alph.*, *n.* 638; *Lugo*, *n.* 66, etc. — Illa, quae supra, *n.* 863, diximus non posse condonari ab occiso, intelligenda sunt quando mors facta est cum injuria: cessante vero injuria, cessat ratio cur alius ad damnum reparandum teneatur. *Lugo*, l. c., *n.* 70 *seq.*

Excipe si «unus solus provocat, et alter non sponte sed coactus, ne incurrat infamiam, consentit». Tunc enim «si provocans occidat, dicunt (communiter doctores) teneri ad restitutionem pro damnis; quia per vim et metum injustum coëgit adversarium ad illud periculum subeundum.» *Lugo*, *n.* 66.

ARTICULUS II

DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM

Recole dicta de fornicatione et stupro in sexto Decalogi praecepto, *nn.* 525 *et* 529, etc.

866. **Principia.** — I. Pro damno mere naturali, seu pro laesione integritatis corporalis et amissione virginitatis, nihil, *saltem probabilius*, restituendum est; quia damnum illud pecunia compensari nequit. *S. Alph.*, *n.* 640; *Elbel*, *n.* 220, etc. — Recole dicta supra, *n.* 764.

II. Etiam pro damno temporali, quod ex turpi consortio subsecutum sit, nihil, excepta prolis educatione, restitui debet, quando mulier sollicitationi consenserit; quia *scienti et volenti non fit injuria*. *S. Alph.*, *n.* 641.

III. Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel ejus parentibus inde obvenientia, quia horum damnorum est causa efficax et injusta. *S. Alph.*, *ibid.*; *Elbel*, *ibid.*

«Conveniunt omnes (ita *de Lugo*, disp. 12, *n.* 11), defloratorem teneri in conscientia compensare illa omnia damna; quae compensatio fieri debet vel ducendo illam in uxorem, vel augendo dotem, aut aliter procurando quod nubat aeque bene, ac nupsisset si non fuisset deflorata.»

Idem videtur dicendum si oppresserit viduam honestam aut feminam bonae famae (quamvis occulte jam fuerit corrupta), vel ab eis per fraudem copulam extorserit. (Cfr. *Bizarri*, Collectanea, *pag.* 652; *Tanquerey*, De just., *n.* 571 *seq.*).

In potestate viri est generatim eligere dotem, quamvis mulier velit matrimonium; si autem ipse vir exhibeat se ad contrahendum matrimonium, et mulier per vim violata illum admittere nolit, tenetur ad ipsam dotandam. *Lugo*, l. c., *n.* 12; **lusit.**, 2391. *Ex CC. poen.* **hisp.**, *a.* 464; **bras.**, 1548, et **chil.**, 370, tenetur puellam vel viduam dotare.

867. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?*

Resp. I.ª SENTENTIA *affirmat.* Ratio est, quia contractus innominatus *do, ut des*, etc., tunc perficitur, quando fit rei traditio seu operis praestatio, et tunc cessat ratio et vis legum, quae pacta turpia irritant; neque enim obligatio, quae tunc contrahitur ab altera parte, turpis est, aut ad rem turpem adigit. *S. Alph., n.* 642, *et alii communissime.* Vide hanc sententiam late propugnatam apud *Ball.-P., vol.* 3, *n.* 473 *seq.*

II.ª SENTENTIA plurium recentiorum *negat*, ex generali principio de contractibus ob conditionem turpem invalidis, de quibus infra dicetur, ubi de contractibus in genere loquemur. Vide dicenda *n.* 893.

QUAER. 2.° *An violator ad aliquid teneatur erga parentes virginis violatae, si ipsa libere in peccatum consenserit?*

Resp. Neg., probabilius, quia nullum eorum jus strictum violatum fuit; nec impedire possunt filiam, quominus de jure suo quoad temporalia damna cedere possit. *S. Alph., n.* 641; *Billuart, Lugo.*

868. — QUAER. 3.° *Ad quid teneatur violator erga prolem spuriam?*

Resp. 1.° Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur. Ratio patet ex dictis. Attamen in ejus defectu, mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est.* Sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur. — Ex *Cod. poen.* **hisp.**, *a.* 464, tenetur: *a*) prolem legaliter recognoscere, nisi qualitas originis id impediat; *b*) prolem, in omni casu, alere (etiam ex Cod. poen. **chil.**, *a.* 370).

Resp. 2.° Si vero mulier in peccatum consenserit:

1.° *Ex jure romano*, mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet.

2.° *Ex jure* **hisp.**, tum pater tum mater tenentur ad alendam prolem illegitimam (*a.* 143, Cod. civ.); quae obligatio transit etiam ad eorum heredes (*a.* 845). [Etiam filiis illegitimis debentur alimenta, juxta *cod.* **lusit.**, 135, et **Amer. lat.**: **aeq.**, 282, 285, 287, 311; **arg.**, 403 (369); **bras.**, 405; **chil.**, 285, 288, 290, 321; **col.**, 411; **cost.**, 162; **guat.**, 237; **mex.**, 356, 361; **nic.**, 320; **per.**, 244; **Salv.**, 383; **ur.**, 255, 257, 223; **ven.**, 362.] — V. **Casus**, *n.* 738 *et seq.*; recole dicta *n.* 473, *N. B.*, et cfr. infra, *n.* 971, *in fine.*

ARTICULUS III

DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM

Obligationes utriusque adulteri spectandae sunt juxta varias circumstantias, prout scilicet adulterium fuerit, necne plane ex utraque parte voluntarium, num familiae damnosum, vel non.

869. **Principia.** — I. Uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiae reparanda, si ex utraque parte crimen voluntarium fuerit, quia totum utrique imputandum est. — Hinc 1.° restituendi sunt omnes sumptus, quos maritus in prole alenda et educanda sustinuerit; 2.° si filius illegitimus cum legitimis jam hereditatem acceperit, istis pro rata conpensatio facienda est. *S. Alph., n.* 659.

II. Adultera, si *paraphernalia* habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis laesis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata..., etc. Si non habeat, diligentius familiam administret, parciorque sit in sumptibus privatis, laboret diligentius, in quantum status permittit.

III. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum ex dictis supra, *n.* 866, tenetur.

870. Quaesita. — QUAER. 1.° *An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Ratio est, 1.° quia communiter haec revelatio sine magna infamia, et saepe etiam sine periculo mortis, vel odii perpetui, aliorumve gravium malorum fieri nequit; 2.° quia difficile damnum reparare etiam per id posset, praesertim cum filius matri fidem adhibere non teneatur. Excipiunt quidam, si mater sit perditae famae; sed si filius unico matris testimonio credere non tenetur, a fortiori id erit dicendum cum mater sit perditae famae. *S. Alph., n.* 653.

871. — QUAER. 2.° *Quid in dubio, an proles sit marili aut adulteri, vel ex hoc adultero potius, quam ex alio?*

Resp. ad 1.um *Probabilius* ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. *S. Alph., n.* 657; *Lugo, diss.* 13, *n.* 17, *et alii plures* contra alios, qui dicunt pro rata restituendum esse.

Resp. ad 2.um Uterque adulter pro rata ad restitutionem tenetur juxta sententiam communiorem. Ratio est, quia certum est damnum, et constat illud ab adultero peractum esse; singuli autem sunt causa efficax et injusta incertitudinis, quae impedit ne compensatio ab uno determinate exigi possit. Aliunde ex hac incertitudine innocens pati non debet. *Lacroix, n.* 337; *Lugo, n.* 18; *Roncaglia, c.* 2, *q.* 3.

Dissentit tamen *S. Alph.*, *n.* 658, quia, ut ait, onus certum imponi non potest, ubi dubia est obligatio. Excipit nihilominus, si adulter secundus adverterit saltem implicite se incertitudinis illius causam fore. Item si adulteri *ex communi consilio* adulterium patraverint. Hanc sententiam tenent *Marc*, *n.* 963; *Noldin*, *n.* 462, et *Génicot*, I, *n.* 570; et probabilem habet *P. Bucceroni*, I, *n.* 1378, et, ut videtur, etiam *Lugo*, *d.* 13, *nn.* 19, 20 *et* 24. Igitur totum onus restitutionis saltem matri incumbit, quae illam incertitudinis causam admisit. Vide quae diximus *n.* 806, R. 1.°

QUAER. 3.° *An filius teneatur credere matri etiam juranti, illum illegitimum esse?*

Resp. Neg., quia ex jure et sensu communi nemo tenetur credere uni testi etiam probatissimae fidei. Secus tamen, si praeter testimonium matris accederent indicia evidentia, v. gr. absentia patris a longo tempore. *S. Alph.*, *n.* 654; *Laymann*, *Roncaglia*. Consonat *jus.* **hisp.**, *a.* 109, ex quo filius praesumitur legitimus, licet mater contrarium declaraverit, et quamvis uti adultera damnata fuerit (1). [Idem tene ex jure **aeq.**, *aa.* 174-179, 183; **arg.**, 274-280, 289 (240-246, 255); **bol.**, 160 *seq.*; **bras.**, 337-351; **chil.**, 179 181, 188; **cost.**, 100-106; **mex.**, 292; **nic.**, 182-187, 191; **per.**, 229-334; **Salv.**, 226-231, 235; **ur.**, 190, 191, 194, 196, 197; **ven.**, 188, 192-195, 197-199; **guat.**, 200-210, 223, 224, et ex *a.* 62 *de la ley de reformas del Código civil*].

872. — QUAER. 4.° *An si adulteri vel fornicatores opulenti prolem ad brephotrophium miserint, ad impensas resarciendas teneantur?*

Resp. Controvertitur. I.ª SENTENTIA, *communior et probabilior, affirmat.* Ratio est, quia brephotrophia sunt instituta in gratiam infantium, non vero parentum, nec praesumendum eorum fundatores a solvendis expensis divites eximere voluisse. *Lugo*, *d.* 13, *n.* 3; *Billuart*; *Bouvier*, De restit., *p.* 2, *art.* 2; *Carrière*, *n.* 1373; *Rousselot*, opusc. de sexto praec.

II.ª SENTENTIA *negat*, quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abjiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a municipio pro istis parvulis praebeantur; quia haec pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Insuper hujusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a pe-

---

(1) Ex jure **phil.** filius mulieris quae cum marito non impotente vivat, praesumitur legitimus (ita ut non admittatur probatio incontrarium), si natus sit post 180 dies a contracto matrimonio et ante 300 ab ipsius dissolutione (*a.* 333, 3.°). Item praesumitur legitimus (ita tamen ut admittatur probatio in contrarium) semper ac inter matrem ejusque maritum non intercedebat divortium absolutum vel corporum separatio (*a.* 334, 29.°).

riculo mortis tum aeternae, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiae metus adegit, sive ad abortum prolis suae procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt. *Ita S. Alph.*, *n.* 656, qui hanc sententiam putat probabiliorem.

Attamen conveniunt etiam patroni hujus sententiae, in praxi *enixe adhortandos* esse genitores ad aliquid, saltem titulo poenitentiae, brephotrophio tribuendum.

873. QUAER. 5.° *Quantum hospitio tribui debet, juxta prioris sententiae patronos?*

Resp. Non potest certa regula definiri. Solutio enim quaestionis pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta, aut a morte praematura prolis. Vix autem (ajunt) sexta pars puerorum ad aetatem duodecim annorum pervenit, et saepius a genitoribus ignoratur utrum vivant, necne. Unde, concludunt, satis erit, si parentes pro rata dubii 200 vel 150 fr. brephotrophio solvant. *Bouvier*, *ibid.* — V. **Casus**, *n.* 743 *et seq.* — Sed quum opposita sententia solide probabilis sit, haec quaestio fere inutilis est.

CAPUT III

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS FORTUNAE IN CASIBUS PARTICULARIBUS

1.° *quoad tributa;* 2.° *quoad militiam;* 3.° *quoad direptionem bonorum ecclesiasticorum in* **Hispania**.

ARTICULUS I

DE TRIBUTIS

874. — *Tributi* nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis Gubernio vel Principi ad sumptus reipublicae communes.

Alia sunt tributa *directa*, quae actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta*, quae immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas quae eas transvehunt, vendunt, emunt (*derechos de consumos*, *de aduanas*), etc.

875. Principia. — I. Princeps habet potestatem tributa imponendi. — Etenim potestas ejus ad totum illud extenditur, quod requirit bonum commune; bonum autem commune exigit, ut subditi ad onera reipublicae ferenda concurrant. *S. Alph.*, *n.* 615, etc.

II. Impositio tributi est actio supremi dominii in bona subditorum, et proinde ad illa imponenda requiritur suprema et legitima auctoritas. — Ad eam enim solam spectat cura communitatem ad finem suum per media idonea dirigendi. — Aliquod tamen tributum exigendi facultas fieri solet etiam municipiorum magistratibus, quo scilicet specialibus singulorum locorum necessitatibus prospiciatur. *Ball.*

III. Oportet 1.° ut tributa pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur; 2.° ut aequalitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum quas possident. *S. Alph., n.* 615; *Lugo, Billuart.*

IV. Leges quae versantur circa tributa, generatim spectatae, *per se* non sunt mere poenales, sed possunt in conscientia obligare. —Deducitur 1.° ex verbis Christi, Matth., XXII, 21: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari.* — Ad Rom., XIII. 5-7: *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa praestatis... Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* — 2.° Patet etiam ex ratione: Princeps enim ad onera reipublicae ferenda tenetur; ergo *a pari* subditi tenentur ex justitia *legali* ad media pro bono communi promovendo necessaria subministranda. *S. Alph., nn.* 615, 616.

V. Superior tamen potest tributa omnia, vel horum aliqua, praescribere, *lege* mere *poenali*, si hoc pacto satis provideri possit necessitatibus reipublicae.

876. Quaesita. — QUAER. 1.° *An urgenda sit sub poena peccati et denegandae absolutionis obligatio tum solvendi vectigalia seu tributa indirecta, tum restituendi pro rata peractae defraudationis?*

Resp. Solutio hujus quaestionis difficultate non caret, sed, ut ex dicendis patebit, *responsio negativa videtur probabilis*, nisi quis praepositos tributis exigendis corruperit mediis *injustis.*

Etenim *a*) de sequentibus conveniunt sat *communiter theologi:*

I. Adhortandi sunt sedulo fideles, ut tributa diligenter solvant, et ab omni eorum defraudatione abstineant. Neque tamen expedit, ut confessarius petat a poenitentibus, qui in confessione de tributis tacent, utrum alicujus defraudationis rei sint; ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter injiciat.

II. Damnandi sunt autem:

1.° Qui vectigalibus exigendis praepositos mediis *injustis*, v. gr. muneribus, minis, etc., corrumpunt, ne officio suo fungantur; peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando; et insuper ad restitutionem tenentur, si tributum fuerit justum. *Vermeersch*, De just., *n.* 128, *d.; Génicot*, I, *n.* 574; *Noldin., n.* 466; *Bucceroni*, I, 234; *Berardi*, Praxis, II, *n.* 414; *Tanquerey*, De just., *n.* 596.

2.° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim peccant 1.° contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei or-*

dinationi resistit (Rom., XIII, 2); 2.° contra justitiam legalem, nam lex quae respicit tributa, etiamsi aliquando ut mere poenalis haberetur, gubernatoribus tamen jus certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur.

3.° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur; hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi.

4.° Nec indulgendum est iis, qui licet numquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitae professionem habent; hi enim saltem animae periculis haud raro exponuntur et frequenter etiam ingenti fortunarum periculo. Ea enim mercium amissio et superaddita mulctae irrogatio, quoties deprehendantur in fraude, potest eos et cum ipsis etiam familiam ad extremam egestatem adducere. *Ball.*

877. — Verum *b*) quot et quantae in ceteris casibus occurrant difficultates, neminem fugit. Pro praxi haec videntur statuenda:

1.° Generatim tributa non debentur nisi petantur; solent enim ad hoc constitui exactores.

2.° Tributa *injusta* in conscientia non debentur, quamvis petantur; nec probabiliter debentur ea quae probabiliter sunt injusta.

3.° Solutione facta non licet, sed erit contra justitiam commutativam, se occulte compensare, quamvis tributum fuerit *probabiliter* injustum. Licebit, si *certo* fuerit injustum.

4.° *Probabilis* est sententia tenens leges tributorum esse *mere poenales*. Hodie enim per leges mere poenales satis subveniri posse operibus reipublicae, videtur indubium, cum ingens sit numerus eorum qui tributis exigendis praeficiuntur. Ergo *potest* superior tributa omnia praescribere per leges mere poenales. Quod autem probabiliter de *facto* legibus mere poenalibus tributa omnia, vel statuta hodie sint, vel legitima consuetudine temperata, constat tum auctoritate doctorum, tum etiam communi persuasione et praxi. *Ita Ball.-P., vol.* 1, *n.* 325; *Buccer.*, I, *n.* 232 *seq.*; *Génicot*, I, *n.* 574; *Berardi*, Praxis, II, *n.* 413; *Haine*, *vol.* 2, *pag.* 173. Consentit *Lehmk.*, Casus, I, *n.* 637, saltem quoad tributa indirecta. Cfr. etiam *Lugo*, *d.* 36, *n.* 38 *seq.*

Quare *probabiliter* subditi in conscientia obligantur tantum disjunctive, i. e., vel ad solvendum tributum, vel ad subeundam poenam, si deprehendantur et poena imponatur.

N. B. Noldin docet leges respicientes tributa *indirecta* esse mere poenales; respicientes vero tributa *directa* esse praeceptivas, sed obligare tantum ex justitia *legali*, unde ejus defraudatio non obligat ad restitutionem. *Noldin*, l. c., *nn.* 310, 466.

878. — QUAER. 2.° *Cuinam debeat fieri restitutio, si quando facienda sit ratione tributi defraudati?*

Resp. Duplex datur sententia: juxta antiquos doctores restituendum est Principi, cujus violatum jus fuit. At juxta multos recentiores pietate et doctrina conspicuos, teste *Bouvier*, non Principi, nec subditis est restituendum; sed in usus pios vel in pauperes defraudata pecunia impendi debet: 1.° *non Principi*, quia non suppetit modus quo fieri possit, ac praeterea principes nullum damnum patiuntur; praevidentes enim fraudes, majora imponunt tributa; 2.° *non subditis laesis*, quia singulis restitutio fieri nequit; ergo in pauperes, vel in publicas utilitates summa impendi debet. Concinit *Gousset*, *n.* 999. Recole dicta supra, *n.* 851.

879. — QUAER. 3.° *An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas?*

Resp. 1.° *Quoad restitutionem, neg.* absolute, quia nullius jus strictum laedunt. *Bouvier, tract.* De restitut., *in fine, et alii communiter.*

Resp. 2.° *Quoad peccatum*, controvertitur; *alii affirmant* defraudantes peccare, et quidem *per se graviter*, quia violant leges, quae vere obligant in conscientia *per se*, et non solum *per accidens. Bouvier, ibid.* — Alii vero *negant*, quia istae leges ex consuetudine habentur ut mere poenales. Vide *n.* 877.

Saltem non sunt damnandi de peccato, qui merces prohibitas important in parva quantitate et ad usum proprium, praesertim si sint pauperes. Ceteri vero facile peccare possunt contra charitatem in seipsos, poenis gravissimis se exponendo.

880. — QUAER. 4.° *An peccent contra justitiam praepositi, quoties tributum non exigunt?*

Resp. Affirm., per se generatim, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Quare si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Principem, vel rempublicam. *Ita communiter.*

Dixi *generatim*, quia juxta plures praepositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, praecipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt.—**Casus**, *n.* 751 *et seq.*

ARTICULUS II

DE DAMNO OCCASIONE MILITIAE ILLATO

881. **Principia.** — I. Ad nihil tenentur milites ratione damni per actionem communem illati, nisi ipsis de injustitia belli constet,

quia non sunt damnificatores *formaliter* injusti. Recole dicta, De quinto praec. Decalogi, *n.* 512 *et seq.*

II. Milites autem in bello *evidenter injusto* tenentur de damnis omnibus, quae per actionem privatam intulerunt; et tenentur singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint.—Vide supra, De injusta damnificatione, *n.* 795 *et seq.*

III. Duces autem seu principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel sin minus damnum imperarunt, illud tamen ex officio impedire tenebantur.

882. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An singuli milites in aliorum defectu teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato?*

Resp. Neg., probabilius, quia singuli non totius damni causa sunt, sed partis tantum. Ceterum in praxi ex impotencia absoluta forent excusandi. *Lugo,* cum *aliis.*

QUAER. 2.° *Ad quid teneantur milites conscripti desertores?*

Resp. 1.° Ex obedientia seu ex justitia legali tenentur ad castra redire. *Ita communiter.*

Excipe 1.° si grave salutis periculum offenderent, v. gr. si media confitendi non suppeterent..., etc..., ut aliquibus in locis evenire potest...; 2.° si redeuntes morte, triremibus, aliisve gravissimis poenis plectendi forent; 3.° si bellum sit evidenter injustum.

Resp. 2.° Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubi lex alios ipsorum loco non requirit; quia nullo modo justitiam commutativam laedunt, cum nulli alteri damnum inferant.

883. — QUAER. 3.° *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

Resp. Per se tenentur pretium acceptum restituere illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio retinendi pecuniam, quae non nisi propter militiae onus erogatur.

Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponitur.

884. — QUAER. 4.° *Ad quid teneantur sorte designati ad militiam, qui se ab hac subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?*

Resp. Res haec valde controversa est, sed in praxi haec tenenda videntur:

Qui fraude efficiunt ut ille qui ineptus est servitio militari, vel ab eo lege eximitur, militare cogatur, certe peccant contra justitiam commutativam, et damna reparare tenentur.

In ceteris casibus, obligatio restituendi est dubia satis. Ergo urgeri non potest.

Dubium enim est an lex conscriptionis justa sit, *a*) quia solae familiae aptos juvenes habentes totum onus sine debita compensatione subire coguntur; *b*) quia cives privantur sua libertate et periculis plurimis animae subjiciuntur, cum forte per conscriptionem liberam, sive voluntariam, finis boni publici obtineri posset; *c*) quia eodem onere et divites et pauperes gravantur, imo divites multo mitiori, cum ipsis potestas plerumque fiat onus pecunia, sive ex toto sive ex parte, redimendi; *d*) quia numerus militum conscribitur, qui publicam necessitatem omnino superare videtur. Si igitur lex dubie justa sit, saltem probabiliter ea non teneor: ergo possum me redimere ab injusta vexatione. Adde quod *probabiliter* haec lex est mere poenalis.

Unde 1.° eos qui fraudibus et mendaciis medicos vel magistratus *decipiunt*, nullo modo constat peccare contra justitiam commutativam, quamvis alii loco ipsorum ad militiam cogantur. Ratio est, quia hi conscripti causa non sunt efficax, cur alii requirantur; deceptio enim neque *physice* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos. Nec sunt etiam causa injusta, siquidem non constat alios jus strictum habere, ut hi qui sorte designati sunt, in militiam proficiscantur. Igitur licet peccent contra justitiam legalem, non tamen peccant contra justitiam commutativam, nec proinde ad restitutionem tenentur. *Ita Collat. anic.*, De restit., *n.* 172; *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 380, *q.* 2. — 2.° Neque satis constat peccare contra justitiam commutativam illos qui, postquam sorte jam designati sunt, *corrumpunt* medicos vel magistratus ut ab eis inepti declarentur; quamvis constet medicos vel magistratus peccare contra justitiam legalem, et illos peccato cooperationis, vel forte etiam peccato contra charitatem. — Imo, si medici vel magistratus munus suum a Gubernio libere et cum stipendio accepissent, adesset quidem in casu peccatum contra justitiam commutativam, sed erga Gubernium tantum; quum vero Gubernium nullum in iis casibus detrimentum capere soleat, neque adesse solet obligatio restitutionis. Vide *Lehmk.*, I, 988, Casus, *n.* 703; *Vermeersch*, *n.* 131; *Génicot*, *n.* 577, et Casus, *pag.* 307; *Waffelaert*, *vol.* 2, *n.* 443; *Villada*, Casus, *vol.* 2, *pag.* 323 *seq.*; *Nouv. Rev. Théol.*, *vol.* 37, *pag.* 371 *seq.* — 3.° Quod si hi qui fraudibus vel mendaciis utuntur vel etiam officialem corrumpunt, lege naturali vel divina a militia eximuntur (v. gr. clerici, sive in majoribus, sive etiam seminariorum alumni, qui ad majores ordines se praeparant; religiosi), apertissimum est eos non teneri ullo modo ad restitutionem, quum jus suum prosequantur, licet forte peccent adhibendo media illicita. *Waffelaert*, l. c., *n.* 442; *Noldin*, De praecept., *nn.* 316, 465; *Tanquerey*, l. c., *n.* 598; *Aertnys*, l. c. — V. **Casus**, *n.* 757 *et seq.*

ARTICULUS III

DE EMPTORIBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM IN **Hispania**

885. Quoties et quibus modis gubernia Hispaniae, ecclesiastica bona usurparint, longum esset recensere. Adeatur praeclarum opus «La desamortización eclesiástica, por D. José M.ª Antequera, Madrid, 1885».

Ut tot tantaeque dilapidationes aliquo modo reparari possent, *conventiones* inter Sedem Apostolicam et Gubernium hispanum initae sunt, ut mos est, in quibus praeter necessariam reparationem, etiam quorumdam bonorum ecclesiasticorum commutatio statuta fuit. His igitur pactionibus tota haec materia regitur. Potiores sunt: 1.° Concordatum anni 1851; 2.° Conventio additionalis diei 25 aug. 1859, quae ut lex hispana promulgata fuit 4 april. 1860; 3.° Conventio legalis (*Convenio-ley*) diei 24 jun. 1867 cum Instructione pro ejus exsecutione. Recole quae diximus *n.* 699 in *quaer.* 2.°, et 700.

Igitur juxta ea quae mutuo consensu inter S. Sedem et Gubernium definita sunt, en doctrinam tenendam quoad emptores bonorum ecclesiasticorum in Hispania.

886. —1.° Qui, servatis praescriptionibus *civilibus* pro tempore exsistentibus, emerunt a Gubernio bona ecclesiastica **ante diem 4 aprilis 1860**, ea servare sibi tuta conscientia possunt ut propria. Constat ex *a.* 42 Concordati anni 1851; item ex *a.* 20 Conventionis additionalis diei 4 aprilis 1860 (vel 25 aug. 1859). Vide etiam *Rescript. S. Poenit.* 20 jul. 1865 *ad Can. Poenit. Eccles. Tarracon.*

2.° Si talia bona uti ab oneribus piis libera emerunt, non tenentur onera pia ipsis bonis forte adnexa adimplere. Constat ex *a.* 39 ejusdem Concordati, et ex art. 11 Conventionis additionalis supra citatae. De iis oneribus respondet Gubernium exclusive.— Vide etiam *Rescript. S. Poenit.* de quo supra.

3.° Si vero Gubernium non vendidit ut libera a praedictis oneribus, onera sunt adimplenda. Haec onera redimi possunt apud Ordinarium, non vero apud Gubernium. *Conventio leg.*, 24 jun. 1867, *aa.* 5, 8.

887. — **Post diem 4 aprilis 1860**, distinguendum est:

1.° Si quis emit a Gubernio, servatis legibus concordatis, *bona permutationi subjicienda*, legitime emit et servare ea sibi tuto potest.

Dixi *servatis legibus concordatis;* secus illicita et invalida erit talis emptio. Leges concordatae servandae, ut diximus supra, *n.* 699, γ'), hoc praescribunt: 1.° ut constet ad tramites legis talia bona esse permutationi obnoxia; 2.° ut Episcopus praemittat aestima-

tionem talium bonorum; 3.° ut Gubernium tradat Praelato titulos debiti publici juxta talem aestimationem, et 4.° demum ut Episcopus, facultate accepta a Sede Apostolica, ipsi Gubernio cessionem faciat talium bonorum. Postquam haec quatuor, ordine hic statuto, peracta fuerint, tunc solum poterit Gubernium, et non antea, talia bona venalia exponere. Cfr. *Convent. addit.*, 4 april. 1860, *aa.* 4 *et* 7.

2.° Si quis post diem 4 aprilis 1860 emerit a Gubernio bona ecclesiastica *excepta a tali permutatione*, illicite et invalide emit, et tenetur omnia Ecclesiae restituere. Quaenam vero sint bona exempta dictum est supra, *n.* 699, *quaer.* 3.°

888. *N. B.* 1.° Familiae quibus adjudicata fuere per Gubernium vel a tribunalibus civilibus bona, jura vel actiones *capellaniae collativo familiaris*, si haec bona, jura, etc., juridice petita fuerant *ante diem* 17 *octobris* 1851, redimere debent aput *Ordinarium* onera pure ecclesiastica cujusvis naturae expresse et specifice imposita in limine fundationis. *Convent. leg.*, 24 jun. 1867, *aa.* 1, 5, 8.

2.° Si vero petita juridice fuerunt *post diem* **30 april. 1852**, et *ante diem* **30 nov. 1856**, praeter dicta onera, etiam redimere debent congruam ordinationis statutam in singulis dioecesibus tempore fundationis (*Ibid.*, *aa.* 2, 5, 8).

3.° Idem praestare debent familiae quibus adjudicata fuerint bona, etc., pertinentia ad *opera pia*, *pia legata*, patronatus laicales aliasque fundationes ejusdem generis, et quae fuerint jurispatronatus familiaris (*Ibid.*, *aa.* 5-8).

4.° Etiam se componere debent cum Ordinario pro oneribus quibus statuto tempore non satisfecerunt (*Ibid.*, *aa.* 6, 8).

5.° Possunt etiam omnes redimere apud Ordinarium onera ecclesiastica quibus subjecta sint bona ipsorum propria, modo adimpleant onera, quibus statuto tempore satisfactum, eorum culpa, non fuit (*Ibid.*, *aa.* 7 *et* 8).

Capellaniae constituentes verum beneficium parochiale (*Ibid.*, *a.* 22), necnon illae quae erectae sunt sive in sacellis ubi sepulcra reperiuntur, sive ad familiae illustris memoriam conservandam, subsistere omnino debent; et earum bona commutationi subjiciuntur, sed juxta totum suum valorem. Instr. pro exseq. cit. Conv., *a.* 33. Cfr. *López Peláez*, Derecho español, § 32; *Ruiz de Velasco*, l. c., *sect.* 2, *c.* 14 *seq.*

6.° Quomodo **census** ad Ecclesiam pertinentes redimi possint, et apud quem, dictum est *n.* 699, in *quaer.* 2.° β), 3.°, et praesertim 5.°; neque *apud Ordinarium* redimi debent census *a*) pertinentes ad capellanias collativo familiares; *b)* habentes adnexa onera missarum, anniversariorum, etc., et impositi super bonis privatorum. Reliqui redimuntur *apud Gubernium*, v. gr. *a*) pertinentes ad capellanias collativas, sed non familiares, *b*) ad cultum in genere,

i. e. sine speciali aliquo determinato opere, etc. — V. **Casus**, *n.* 761 *a. seq.*

7.° Sub hac denominatione generica *cultus*, quatuor capita designantur, nempe *a*): utensilia sive oblata pro missis, lumina pro missis et aliis functionibus ordinariis, oleum pro lampade ardente ante SS. Sacramentum, etc.; *b*) ornamenta, vasa sacra, et ea quae necessaria sunt pro eorum reparatione et conservatione; *c*) necessaria ad conservationem, ornatum et reparationem templi, altarium, etc.; *d*) salaria sacristae, acolythorum, etc., aliorumque ministrorum inferiorum. (Cfr. *Elías de Molins*, Manual de derecho administrativo, *c.* 11, *sect.* 1; *Concord.*, *aa.* 34, 36; Real cédula de 3 de enero de 1854, base 21; *O'Callaghan*, Práctica Parroquial, *c.* 5, *pag.* 32).

8.° Circa praescriptionem hujusmodi onerum vide dicta supra *nn.* 717 *et* 720, *N. B.* Cognitio harum quaestionum etiam jure hispano pertinet ad tribunalia ecclesiastica, juxta R. Decr. 12 oct. 1895. Cfr. *Ruiz de Velasco*, l. c., *sect.* 1, *cap.* 24 *seq.; sect.* 2, *cap.* 20 *et* 27.

9.° Emptores bonorum ecclesiasticorum tuti in conscientia non essent, si Gubernium non solveret Ecclesiae statutam indemnitatem. Tunc R. Pontifex posset rescindere Concordatum, et consequenter Gubernium amitteret jus ei a Papa in talia bona concessum sub conditione quod solveret statutam indemnitatem. Jam vero emptores non habent nisi jus quod emerunt a Gubernio; ex quo igitur cessat jus Gubernii, cessat etiam jus emptorum. Poterit igitur Papa reclamare talia bona ab emptoribus, qui in conscientia ea deberent ei restituere, et reclamare a Gubernio pretium ei solutum. Cfr. Allocutionem Pii IX, 26 jul. 1855 (*Acta Pii IX*, *vol.* 2, *pag.* 443).

Quoad **Amer. lat.**, vid. dicenda in app. ad *n.* 701 *seq.*, ad calcem hujus voluminis.

FINIS TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE

TRACTATUS

De contractibus

Scientia, quae circa contractus versatur, nostra praesertim aetate, necessaria prorsus existimanda est. Commercium enim tam longe lateque ubique terrarum exercetur, tantum artes illiberales in dies perficiuntur, ut de contractuum aequitate in sacro tribunali saepe saepius sententia ferenda sit. Verum hic potissimum appareret difficultas leges in conscientia inscriptas cum legibus civilibus conciliandi. Deo tamen opem, ut confidimus, praestante, tanta incedemus cautela, ut ducibus melioris notae doctoribus, neque intempestivae severitatis, neque nimiae indulgentiae macula inuramur.

Agendum 1.° de contractibus in genere; 2.° de contractibus in specie.

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

889. — Codex canonicus tamquam principium generale circa contractus ac solutiones statuit hunc canonem: *Quae jus civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi juri divino contraria sint aut aliud jure canonico caveatur* (*can.* 1529).

Igitur, in unaquaque natione aut territorio, pro contractibus ac solutionibus, etiam circa BONA ECCLESIASTICA, valent leges civiles, nisi contrariae sint juri naturali (v. gr. si statuant praescriptionem absque bona fide), aut canonico (v. gr. si prohibeant legata ad causas pias.

DEFINITIO. *Contractus* est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

DIVISIO. Contractus praecipue distinguitur: 1.° *unilateralis*, vel *bilateralis*. Prior fit, cum unus aut plures se obligant erga unum

aut plures non obligatos, ut in contractu gratuitae promissionis. Posterior habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures pariter obligatos, ut in permutationibus. Contractus bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus* ex verbis graecis σύν *cum* et ἀλλάσσω *permuto*.

2.° *Gratuitus* seu *beneficentiae*, *vel onerosus*. Contractus dicitur *gratuitus*, si quis ex contrahentibus alteri aliquid tribuat, nihil ab eo ex obligatione exigens. *Onerosus* autem dicitur, si quilibet contrahentium ad aliquid alteri praestandum se obliget, ut in contractu venditionis. Haec divisio in praecedentem recidit. Contractus enim gratuitus est *unilateralis*, et onerosus *bilateralis*.

Contractus vero onerosus iterum subdividitur in *commutativum* et *aleatorium*. Est commutativus, si unus contrahens det rem in una specie, et alter det rem aequivalentem aut diversae speciei. Est aleatorius, si unus det rem, alter vero contrahens det *non rem*, sed *spem probabilem* rei alicujus adipiscendae; quae spes, cum falli possit, efficit ut contractus hujusmodi aleae similitudinem prae se ferat.

3.° *Solemnis*, vel *simplex*, prout requirit speciales legis formalitates, vel dispositionibus communibus tantum subjicitur.

4.° *Nominatus*, vel *innominatus*, prout nomen proprium habet, sicut, v. gr. *venditio*, aut proprio nomine caret, v. gr. *do ut des*, *facio ut facias*, etc.

5.° *Nudus*, aut *vestitus*. Contractus *nudus* dicitur, qui in foro externo non parit obligationem, sed tantum exceptionem: tales sunt conventiones, quae absque scripto aut testibus fiunt, ut pactiones in ludis, etc. Cfr. *Santi-Leitner*, III, *tit.* 17, *n.* 3. Tunc enim «si v. gr. ex venditione tibi debeo centum nummos die mensis ultima solvendos, tu vero mihi promisisti daturum centum mutuos; petenti tuos possum *exceptionem* opponere, quia naturalis illa mutuandi obligatio nondum extincta superest». *Ball.*, h. l. — Contractus *vestitus* est, qui praeter conscientiae obligationem parit in foro civili actionem, ut sunt contractus formalitatibus lege requisitis muniti, etc. Cfr. C. **arg**., *a.* 549 (515) *seq.*

6.° *Formalis* seu *expressus*, aut *virtualis* seu *tacitus*. Prior ille est, qui fit verbis, scriptis, aliisve signis consensum explicite manifestantibus; posterior vero est, cujus consensus in rem conventam exsistit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus artem suam exercens promittere censetur, se facturum id esse, quod ejus professio requirit. Contractus iste communiter etiam *quasicontractus* nuncupatur.

7.° *Absolutus*, vel *conditionatus*, prout nulla, vel aliqua conditio ei apponitur. Dicitur etiam *purus*, aut *non purus*.

890. — In omni contractu tria sunt distinguenda, scilicet: essentia, natura et accidentalia. 1.° Ad *essentiam* pertinent ea, sine qui-

bus contractus exsistere nequit. Sic, v. gr. in contractu venditionis tria dantur essentialia, nempe: *res*, *pretium* et *consensus*. Uno deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii, v. gr. res alia detur, jam non erit contractus *venditionis*, sed *commutationis*. 2.° Ad *naturam* vero spectant ea, quae licet non expressa, ex lege tamen vel consuetudine vel aequitate in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint, v. gr. rei venditae praestita ab evictione securitas, quae a contrahentibus excludi posset, quin invalida foret venditio; conditione non expressa, venditor rei venditae securitatem praestare debet. 3.° *Accidentalia* vero dicuntur ea, quae contractui conventione speciali adjungi possunt, quin lege, aut rei natura, censeantur adjecta, v. gr. talis pretii dilatio, aut alia hujusmodi. *Bouvier*, etc.

Hisce praemissis, tractandum occurrit: 1.° de requisitis ad contrahendum; 2.° de obligatione contractus; 3.° de modificationibus contractuum.

CAPUT I

DE REQUISITIS AD CONTRAHENDUM

Tria requiruntur: 1.° materia apta, 2.° subjectum capax, 3.° consensus legitimus.

ARTICULUS I

DE MATERIA CONTRACTUS

891. — Materia contractus generatim sunt res et facta seu ea omnia, quae sub hominis dominium cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habeant.

Materia contractus hisce conditionibus gaudere debet, scilicet: debet esse possibilis, exsistens, honesta, propria contrahentis, certa, pretio aestimabilis.

1.° *Possibilis*, tum physice, tum moraliter; quia ad impossibile nemo obligari potest. Nemo igitur obligari potest ad fortuitos casus vitandos, cum id impossibile sit. Proinde si quis eos in se suscipiat, tantum se obligat ad reparanda damna ex eis provenientia.

2.° *Exsistens* vel in re, vel saltem in spe certa, seu probabili exstitura; secus nullum jus in illam haberi posset, utpote quae nullo foret pretio aestimabilis.

Jure tamen **hisp.-ph.**, 1271, hereditas futura non potest esse materia contractuum, nisi illorum tantum quorum objectum sit

capitalis partitionem inter vivos facere, ad tramites *a.* 1056. [Cohaeret jus **lusit.**, 1556; **aeq.**, 1453; **arg.**, 1209, 1210 (1175, 1176); **chil.**, 1463; **col.**, 1520; **nic.**, 1463; **Salv.**, 1449; **ur.**, 1259; **ven.**, 1090].

3.° *Honesta* et *licita in se*, id est, nullo jure prohibita; quia ad rem inhonestam et prohibitam nulla dari potest obligatio. Ad contractus autem validitatem satis est, ut materia sit *substantialiter honesta;* contractus enim validus esse potest, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam illicitus sit.

4.° *Propria contrahentis;* nemo enim potest in alium transferre jus quod ipse non habet. Hinc si quis rem furtivam emat, invalide emit, etiamsi bona fides in utroque contrahente adfuerit, ut constat ex dictis de possessore bonae et malae fidei, *n.* 771 *et seq.* — Vide tamen dicta *n.* 723. Imo codices recentiores generatim vim aliquam tribuunt venditioni rei alienae. [Cfr. v. gr., **aeq.**, 1805 *seq.;* **arg.**, 1363 (1329); **bras.**, 521; **chil.**, 1815 *seq.;* **col.**, 1871 *seq.;* **nic.**, 1815 *seq.;* **Salv.**, 1801 *seq.;* **ur.**, 1643. Contrarium statuit jus **mex.**, 2831, et **per.**, 1326].

5.° *Certa* et *determinata*, sive in individuo, sive in quantitate et qualitate; secus enim illusorius foret contractus.

892. **Quaesita.** — Quaer. **1.°** *An possis pretium accipere pro actione tua ex justitia alicui jam debita, si eadem actio alteri prodesse possit, illaeso jure prioris, cui debetur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non laedis jus prioris, quocum contraxeras, et posteriori te utilem praestas. Sic v. gr., si *Titius* te conduxerit, ut pergas ad certum locum negotii alicujus pertractandi gratia, potes etiam a *Petro* conduci ad iter illud peragendum pro tractando novo negotio, modo posterius mandatum priori non noceat. *S. Alph. et alii.*

Dices: non licet duplicem solutionem ejusdem debiti exigere; atqui in casu exigeres duplicem solutionem ejusdem laboris, scilicet, itineris, etc.

Resp. Neg. min. In casu exigeres unicam solutionem pro unoquoque negotio pertractando. Pretium solutionis respondet etiam labori itineris, quia *communiter* cum illo pertractatio negotii conjungitur, et quamvis *per accidens* in aliquo casu non conjungatur cum illo, pretium idem exigi potest: quia aestimatio rei desumitur ex iis quae *communiter* contingunt, non vero ex iis quae *per accidens* eveniant. — Excipe casum in quo sive ex consuetudine, sive ex lege aliter sit agendum.

Quaer. **2.°** *An pretium accipi possit pro re debita, non quidem ex justitia, sed ex alia virtute, v. gr. si accipias pecuniam ad jejunandum tempore Quadragesimae?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*, quia illud ex mera liberalitate datur et donum mere gratuitum censetur. *S. Alph., n.* 713, *et alii communiter.* — Si vero non ex mera liberalitate donetur, sed exiga-

tur ut pretium, supponendum est actionem vel rem, ad quam donatarius tenetur, esse pretio aestimabilem; secus enim invalidus foret contractus. Hinc ad restitutionem teneretur qui pecuniam exigeret ad viam homini transeunti ostendendam, quando absque ullo labore aut temporis jactura ostendere eam possit; quippe actio ista non est pretio aestimabilis. Pretium enim alicujus operis desumi quidem potest tum *ex labore* aut *incommodo* ad id necessario, tum ex *communi aestimatione*, non vero ex singulari cujuspiam necessitate, aut ex commodo, quod quasi *per accidens* alicui ex eo obveniat.

QUAER. 3.° *An valeat contractus, si materia sit ex parte tantum possibilis?*

Resp. Affirm., si res sit divisibilis in se, et divisibiliter de ea contractum sit; secus, si sit indivisibilis vel indivisibiliter de ea conventum fuerit. Hinc, v. gr., si emeris 100 modios tritici, ita ut contractus non sit perfectus nisi re tradita, et 50 pereant, contractus pro reliquis 50 adhuc tenet. Si vero horologium manuale promiseris, et rescias te jus non habere nisi partiale in illud, promissio tua nulla erit.

893. — QUAER. 4.° *An res mere spiritualis possit esse objectum contractus sive gratuiti sive onerosi?*

Resp. ad 1.um *Affirm.* Nihil enim obstat jus naturae, quum hujusmodi conventiones nihil inordinati habeant; sed neque jus divinum, cum Deus permiserit, imo praeceperit rerum spiritualium gratuitam communicationem: sic ex obligatione fidelitatis promittere potes orationes, missas, reliquias, etc.

Resp. ad 2.um 1.° *Affirm.*, si res spiritualis sit ex utraque parte, nisi accedat Ecclesiae prohibitio, quia tunc nulla simonia in permutatatione adesse potest, siquidem nulla est comparatio rei spiritualis cum temporali.

2.° *Neg.* autem, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex altera; quia nulla comparatio inter spirituale et temporale dari potest, ut constat ex dictis de simonia, *n.* 375 *et seq.*

894. — QUAER. 5.° *An materia contractus onerosi esse possit res temporalis spirituali adnexa?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si adnexa sit *antecedenter*, seclusa Ecclesiae prohibitione in casibus particularibus, modo tamen pretium propter spirituale adnexum non augeatur. Vide *nn.* 375 *et* 376.

Resp. 2.° *Neg.*, si adnexa sit *consequenter*, saltem ex jure ecclesiastico. Haec autem quaestio praecipue beneficia respicit.

Resp. 3.° Si vero adnexa sit *concomitanter*, *disting.* 1.° *Neg.*, si adnexa sit *intrinsece* et necessario, quia tunc res temporalis nullum habet valorem independenter a re sacra, ut est labor sacerdotis in celebrando, absolvendo, etc.—2.° *Affirm.* vero, si adnexa sit *extrinsece*, ut dictum est *n.* 376.

895. — QUAER. 6.° *An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?*

Resp. 1.° Ante positionem operis turpis, *affirm.;* quia dominium rei hujus non fuit valide translatum. *Ita omnes.* At jure **hisp.** et **Amer. lat.**, hujusmodi contractus nulli quidem declarantur (1); sed pretium scienter solutum, repeti nequit (in foro saltem externo). Cfr. **hisp.-ph.**, 1275 et 1305; **lusit.**, 669, 692; [**aeq.**, 1457, 1458; **bol.**, 722, 724; **chil.**, 1467, 1468; **col.**, 1524, 1525; **guat.**, 1422; **mex.**, 1304, 1306, 1669 *seq.;* **nic.**, 1467, 1468; **per.**, 53 Cod. comm., et 1245, 1243 Cod. civ.; **ur.**, 1262, 1539; **Salv.**, 1453, 1454] (2).

Resp. 2.° Post operis positionem, retineri potest, ut patet ex resp. S. Poenit. 23 april. 1822; et ex dicendis in quaesito sequenti magis patebit.

QUAER. 7.° *An post positionem operis turpis altera pars teneatur ex justitia ad pretium solvendum?*

Resp. Duplex datur sententia *probabilis*, ideoque in *praxi* standum est pro libertate.

I.ª SENTENTIA, *communior*, affirmat. Ratio est, 1.° quia ibi intercedit duplex contractus, unus *absolutus*, nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est, alter *conditionatus* de tradendo pretio, si opus turpe positum fuerit, et hic, impleta conditione, fit validus. Etenim, posito opere, jam insurgit contractus *do ut des*, cujus natura exigit, ut semper quoties unus contrahens praestitit partem suam, teneatur alter suam implere, si licite possit; 2.° quia licet actio turpis, quatenus illicita, nullo pretio digna sit, pretium tamen, quatenus laboriosa, ignominiosa, periculosa agenti, vel utilis alteri, habet. *S. Alph., ut probabilius, n.* 712; *Lacroix, Lugo, Lessius; Lehmkuhl, n.* 1053 *seq.; Delama,* II, *n.* 518; *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 241. Vide hanc sententiam late propugnatam apud *Ball.-P., vol.* 3, *n.* 582 *seq.*

II.ª SENTENTIA negat, quia contractus invalidus ante operis positionem, per hanc validari nequit. Hinc regula juris 18, in 6.°: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Ergo, etc... — *Ita Roncaglia, Comitolus, Carrière, n.* 333.

Haec sententia non videtur improbabilis. Eam probabilem vocat *Buccer.*, I, *n.* 959, his rationibus innixus: «Ratio, quia non potest valorem habere, etiam post operis positionem ex altera parte, id quod ab initio nullum est. Quum enim opus impletur, prior illa voluntas nullius roboris est ob legem irritantem talem contractum. Non solum enim ipsum jus naturale, sed et jus positivum tum

---

(1) Ita etiam jure **bras.**, 145, II.

(2) Jure **lusit.**, 692, si culpa fuit mutua, pretium impendendum est in loca pia beneficentiae popularis. Si culpa fuit unius tantum, innocens non tenetur praestare promissum, et repetere potest quidquid dederit.

canonicum tum civile, C. I. 1119, C. G. 1133, C. H. 1275, irritat ab initio talem contractum. Quum igitur illa voluntas nullius valoris moralis sit in initio contractus, talis persistit etiam post operis positionem. Ut autem pretio aestimabile non est peccatum, ita etiam neque pretio aestimabilis est labor seu incommodum illi peccato intrinsecum.» Ita quoque *Tanquerey*, De just., *n.* 648. Probabilis dicitur etiam a *Marc* (*n.* 1036), qui ita concludit: «In praxi igitur quia ex utraque parte stat vera probabilitas, possessori favendum est, nisi judicis sententia secus statuerit, vel specialis circumstantia accesserit.» (Edit. 14.ª Romae, 1911). Etiam *Génicot*, *n.* 584, dicit: «Practice qui nondum solvit pretium non videtur ad id obligandus... Insuper is qui ad reddendum pretium acceptum per juridicam sententiam cogeretur, id in conscientia praestare teneretur, quum lex quam haec sententia applicaret justa esset.» Probabilem etiam hanc secundam sententiam habent *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 386; *Haine*, *vol.* 2, *pag.* 184; *Gousset*, *n.* 753; et ut *probabilis* habetur a *S. Alph.*, l. c.; quamvis *Ball.-P.*, l. c., existimet hoc judicasse *S. Alph.*, deceptum falsis allegationibus *Roncaglia et aliorum*.

Demum C. C. **hisp.-ph.**, 1275, statuit: «Contractus sine causa vel cum causa illicita nullos producent effectus. Illicita est causa quae vel legibus vel bonis moribus adversetur.» Cohaerent CC. **lusit.** et **Amer. lat.**, *aa.* cit.

Igitur jure **hisp.**, **lusit.** et **Amer. lat.**, debitor, qui nondum solvit, certo potest negare pretium, etiam post opus turpe patratum, quia tuta conscientia uti potest facultate seu exceptione sibi certo per justam legem concessa. Cfr. *Marres*, *l.* 3, *n.* 162; *Tanquerey*, l. c., *n.* 649; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 241.

QUAER. 8.° *Si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, an illa, denegato consensu, rem retinere possit?*

Resp. Affirm., quia nullum intercessit pactum de peccato patrando, et proinde donatio omnino liberalis habenda est, cum mulier nihil prorsus ex sua parte promiserit. *S. Alph.*, *n.* 712, *et alii communiter*. — *De Lugo* tamen (*disp.* 18, *n.* 50), sic rem temperat: «Difficile tamen est, quod excusetur a peccato scandali et contra charitatem, quia ipsa acceptio est causa, quod ille det; et certum est, non daturum sine novo peccato.» — V. **Casus**, *n.* 762 *et seq.*

ARTICULUS II

DE SUBJECTO CONTRACTUS

896. — I. De jure naturali contrahere possunt ii omnes et soli, qui *liberum rationis usum habent*, quia isti soli dominium bonorum suorum transferre, et obligationes suscipere possunt. Hinc contrahere nequeunt: 1.° infantes usu rationis necdum pollentes; 2.° amentes et furiosi; 3.° perfecte ebrii.

II. De jure positivo praeter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, quae de jure naturali exiguntur, requiritur etiam, ut contrahens *liberam habeat bonorum dispositionem*, *nec* lege *incapax* contractus faciendi declaretur. Inhabiles autem sunt ad contrahendum, saltem *in multis*, aut *firmiter*, 1.° minores, 2.° uxores, 3.° mortui civiliter, 4.° interdicti et prodigi. Pauca de singulis.

§ I. *De minoribus.*

897. — *Minores* appellantur, qui aetatem lege praefixam non attigerunt, ut seclusa patris aut tutoris vel curatoris auctoritate, *civiliter* agere valeant.

In jure canonico, can. 88, nedum masculi sed et feminae, qui aetatem 21 annorum non compleverunt, minores sunt; jure romano, qui 25.

In **Hispania** minores habentur filiifamilias utriuslibet sexus: *a*) jure communi, *a.* 320, qui aetatem non compleverint 23 annorum (21 jure **lusit.**, *a.* 311); *b*) in Aragonia, qui ann. 20; *c*) in Cathalaunia, Navarra et Cantabria, qui ann. 25 non compleverunt. Etenim Aragonia, Cathalaunia, Navarra et Cantabria reguntur jure forali in hac parte; nam C. C. H. dicit (*a.* 12) valere pro tota Hispania eas tantum leges, quae reperiuntur sub *tit.* 4, *lib.* 1. Atqui lex determinans majorem aetatem est sub *tit.* 11. Ergo... Cfr. *Pellicer* y *Guiu*, Derecho civil, etc., *vol.* I, *pag.* 29 *seq.* (Zaragoza 1908). Item *Alcubilla*, v. Bienes de menores, et v. Mayor edad, *ibique Sent. Trib. Supr.* 1 april. 1891.

[In **Amer. lat.**, inter minores recensentur: *a*) qui non compleverunt 21 ann., ex jure **aeq.**, *a.* 21; **bol.**, 195; **bras.**, 9; **col.**, 34; **cost.**, 22; **guat.**, 28; **mex.**, 362; **per.**, 12; **Salv.**, 26; **ur.**, 258; **ven.**, 281; *b*) vel 22 ann., ex **arg.**, 126 (126), vel *c*) 25 ann., ex **chil.**, 26, et **nic.**, 26].

Minores alii non sunt emancipati, alii vero emancipati sunt. Priores simpliciter auctoritati patris vel tutoris subjiciuntur. Posteriores autem sunt ii, qui a praedicta auctoritate per beneficium emancipationis liberati sunt juxta formas lege praescriptas. Minores in jure *romano*, **hisp.** (*a.* 83), **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **Salv.**, (*aa.* cit.) et canonico, alii sunt *puberes* et alii *impuberes*. Puberes dicuntur pueri, qui ad aetatem 14 et puellae 12 annorum pervenerunt. Ceteri impuberes appellantur. Impuberes orbati patre, et sub auctoritate tutoris constituti, nomine *pupillorum* veniunt.

Ex eodem *jure rom.*, tutor datur pupillis ad omnia, curator vero puberibus ad bonorum administrationem tantum. Jure **hisp.** et **Amer. lat.**, minoribus, qui non sunt sub paterna potestate, necnon majoribus incapacibus datur aliquis qui ipsorum personae et bonorum curam gerat. [Hic vocatur tutor, *jure* **can.**, 89, **hisp.** et **mex.**; custos (*guardador*) jure **per.**; tutor pro impuberibus, et

curator pro aliis, jure **aeq**.; **bras**., 84, 406 *seq*., 446 *seq*.; **chil**., **col**., **nic**., **Salv**., tutor pro minoribus, et curator pro aliis, **arg**., **cost**., **ur**.; tutor pro minoribus et interdictis curator pro aliis, **ven**. — Jure **aeq**., **chil**., **col**., **nic**., **Salv**., tutor et curator vocantur etiam custodes (*guardadores*); hi vero qui sunt sive sub tutela sive sub curatione, *pupilli* nominantur.] His positis:

898. — I. *Ex jure rom*., **aeq**., 240, 247, 249; **chil**., 246, 253, 255; **col**., 294, 301, 303; **mex**., 375, 378, 380, 593; **nic**., 249, 256, 259 **Salv**., 293, 300, 302; **ur**., 245, 279. Cfr. infra, App. IV.

1.° Filiusfamilias *impubes*, etiamsi cum consensu patris et de bonis castrensibus contrahat, non obligatur; e contrario si filius *puber* contrahat de castrensibus et quasi castrensibus (ex jure *rom*.; professionalibus et industrialibus ex aliis *CC*.), obligatur, modo de alienandis immobilibus aut mobilibus pretiosis non agatur; at de profectitiis et adventitiis minime disponere potest, quia regulariter eorum administrationem non habet.

2.° Pupillus, seu impubes patre orbatus, auctoritate tutoris, minor vero cum consensu curatoris valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum judicis requiritur. Attamen pupillus potest in suum commodum alium sibi obligare, v. gr. acceptando donationem, etiam sine tutoris auctoritate, ut constat ex § Pupillus, Instit. de inutil. stipul. *Lugo*, De just., *d*. 22, *n*. 283.

899. — II. *Ex jure* **hispano-phil**. (etiam pro regionibus quae forali jure reguntur). Cfr. dicta supra, *n*. 647.

1.° Minor non emancipatus valide contrahere nequit (*aa*. 1261 et 1263). Quod si contraxerit, nullitatem invocare poterit et actionem nullitatis exercere intra *quadriennium* (quinq. ex **lusit**.), ex quo major esse coeperit, quamvis laesionem non fuerit passus (*aa*. 1300-1302). Non autem nullitatem allegare poterit major qui cum minore contrahit (*a*. 1302). Declarata nullitate, minor restituere debet tantum id in quo factus fuerit ditior (*a*. 1304), major vero rem a minori acceptam cum fructibus suis, vel pretium cum reditibus legalibus (*a*. 1303). — [Cohaeret jus **lusit**., 98, 99, 688; **aeq**., 248, 1437, 1676 *seq*.; **arg**., 327, 1158 (293, 1124) *seq*.; **bras**., 6, 147, I; **chil**., 253, 1447, 1682 *seq*.; **col**., 301, 1504, 1721 *seq*.; **nic**., 256, 1078, 1682 *seq*.; **per**., 1247, 2281, 2282, 2294; **Salv**., 300, 1433, 1658 *seq*.; **ur**., 1254, 1534 *seq*. — Vide tamen dicta *n*. 898].

N. B. 1.° Minor rescissionem petere potest etiam si per specialem contractum se obligaverit ad solvendum in omni casu et expresse renuntiaverit beneficio sibi a lege concesso. 2.° Censetur factus ditior quatenus rem acceptam retinet, aut eam impendit in usus necessarios et utiles. 3.° In conscientia rescissionem petere non potest, si mala fide usus fuerit, v. gr. si majorem se finxerit, aut agere simulaverit nomine parentis, aut si dum petit, statutum jam habeat non stare contractui.

2.° Poterit tamen minor *puber* inire valide capitulationes matrimoniales (*a.* 1318); facere et acceptare donationes in contractu antenuptiali (*a.* 1329), et etiam testamentum facere possunt minores utriuslibet sexus, qui aetatem compleverint 14 annorum. [Item omnes *puberes* ex jure **aeq.**, 255, 995; **chil.**, 261, 1005; **col.**, 309, 1061; **Salv.**, 305, 1038. — Ex **cost.**, 591, debent habere 15 annos, 18 ex **per.**, 685].

Jure **bras.** (*aa.* 5, 6, 154-156) minores ante annum 16 completum sunt absolute incapaces pro omni contractu; majores vero 16 annorum, qui adhuc 21 non compleverunt sunt relative incapaces, ita ut rescindibiles sint omnes eorum actus initi *a*) absque auctoritate eorum qui eos repraesentant, *b*) absque assistentia curatoris qui debuisset intervenire.

3.° Minor non emancipatus, qui de consensu parentum independenter ab ipsis vivit, valide contrahit quoad bona acquisita suo labore ac industria (*a.* 160, *et Sent. Trib. Supr.* 18 jan. 1888).

4.° Item minor si commercium exerceat, annum 21 jam compleverit, et subjectus non sit potestati paternae vel maternae, neque auctoritati maritali, et aliunde liberam habeat bonorum suorum dispositionem, valide emere et vendere potest *quascumque res ad suum commercium spectantes* (*a.* 4 C. commerc.).

5.° Minor etiamsi emancipatus fuerit, non potest *mutuum* petere, vendere vel gravare *bona immobilia* nisi consentientibus respective patre, matre vel tutore (*C. C.*, *aa.* 59, 317 *et* 324). [Cohaeret jus **bol.**, 252. — Jure **chil.**, 303; **col.**, 345; **mex.**, 593; **nic.**, 302; **Salv.**, 347; **ur.**, 275, minor qui post completum annum 18, habilitationem aetatis obtinuerit, nequit absque judicis facultate vendere vel gravare bona immobilia, nec adprobare rationes tutelae; reliquos contractus generatim perficere potest].

6.° Rescissionem contractuum, quos *tutor* sine facultate accepta a consilio familiae inierit, petere minor poterit, etiam intra quadriennium ex quo ejus incapacitas cessaverit, si laesionem fuerit passus ultra quartam partem valoris totius rei (*aa.* 1291, 1299). Haec tamen actio rescissoria, quum subsidiaria sit, adhiberi nequit, si alia actio exsistat, cujus ope damni reparatio obtineri possit (*aa.* 1294 *et* 1299).

Observ. Emancipatio jure **hisp.** (*a.* 314) obtinetur *a*) per matrimonium minorennis; *b*) per majorem aetatem *c*) per concessionem patris aut matris exercentis patriam potestatem: haec concessio fieri debet per publicam scripturam, aut coram judice municipali, et per inscriptionem in Regesto civili, in favorem filii habentis ad minus octodecim annos completos, eamque acceptantis; et semel concessa, irrevocabilis est, *aa.* 316-319.

900. Resolves (*ex jure rom.*, **hisp.** et **Amer. lat.**): — 1.° Minor tuta conscientia uti potest beneficio rescissionis sibi a lege con-

cesso, *secluso casu malae fidei*, quum lex in ejus favorem lata sit. Incapacibus, qui dolo usi sunt ut aliam partem inducerent ad contrahendum, ipsa lex civilis denegare solet jus rescissionis.

Verum juxta aliquos non potest rescissionem postulare, ut eximatur a restitutione pecuniae quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; tenetur enim adimplere obligationem, quam certe novit, dum pecuniam postulabat et recipiebat. Aliunde ipsius culpae tribui debet, si nullum inde emolumentum perceperit. *Pothier* (Traité des obligations, *n.* 52), cui consonant *Toullier cum aliis jurisperitis*, *et Gousset*, *n.* 747. — Contrarium tamen ut *probabilius* habent *Marres*, *l.* 3, *n.* 129; *Allègre*, Le Code civ. commenté, *a.* 1305; *Noldin*, De praec., *n.* 519; et *Génicot*, *n.* 580. Ratio: quia lex civilis hanc minorum inhabilitatem statuit ne minores bona dilapident et ne alii illorum imperitia abutantur. Atqui hunc scopum non attingeret nisi tolleret in utroque foro omnem obligationem ex hujusmodi contractibus ortam. Ergo... Alius igitur suae imprudentiae vel malitiae damnum adscribat.

2.° Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a *minore*, vel ab ejus patre aut tutore invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando laesio omnino aperta est. Cfr. dicta supra, *n.* 648.

3.° Minor solus, tum per seipsum, tum per alios, a quibus repraesentetur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, ejus incapacitatem opponere nequeunt.

4.° Minor non potest amplius actum in *minoritate* peractum impugnare, quando illum jam major factus ratum habuit; quia plene habilis erat ad contrahendum, quando actum ratum habuit. *Ita etiam C. C. H.*, *aa.* 1309-1314. — V. **Casus**, *n.* 770 *et seq.*

§ II. *De uxoribus.*

901. I. *Ex jure communi.* — 1.° Uxor non potest contrahere aut disponere *de dote* ejusque fructibus, nec de *bonis familiae*, marito praesente et valente haec bona administrare, quando hic rationabiliter invitus sit. Secus, si maritus sit absens, amens vel fatuus, vel si expresse aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitus.

2.° Uxor pro libitu contrahere vel disponere potest, etiam invito marito, de bonis *paraphernalibus*, id est de bonis quae praeter dotem attulit, et sibi reservavit. — Recole dicta de dominio uxorum, *n.* 680 *et seq.* Vide *Billuart*, *Reuter*, *etc.*

902. II. *Ex jure* **hispano** (1). — Uxor de consensu mariti pot-

(1) Haec omnia vel fere vigent jure **phil.** Cfr. *Villard*, l. c., *pag.* 14 *seq.*

est alienare, gravare et hypothecae subjicere omnia bonasive dotalia sive paraphernalia (**hisp**., *aa.* 61, 62, 1361 et 1367; **hisp.-ph**., 1263, 1264). Cfr. etiam **phil**., *a.* 49 *seq.*, decreti 29 dec. 1889.

Uxor generatim contrahere non potest sine speciali consensu mariti (*aa.* 61, 62), et in hujus defectu sine judicis auctoritate (*aa.* 188, 225; **phil**., *a.* 49, 50 decr. 29 dec. 1889; **lusit**., 1194 *seq.*). Ideoque actus, quos sine tali auctoritate posuit, rescindi debent, si ejus maritus, aut ipsius mariti heredes, non vero alii, nullitatem (intra quadriennium, — bienn. ex **bras**., 252 — a solutione matrimonii, *a.* 1301) opponant (*a.* 65). Uxor eam opponere nequit (*a.* 65, *et Sent. Trib. Supr.* 12 dec. 1888. Vide *Alcubilla*, *v.* Mujeres casadas, *vol.* 8, *pag.* 347; **lusit**., 1200). — [Cohaerent generatim CC. **Amer. lat**., cfr., v. gr., **bras**., 241-255 (excepto **cost**., juxta quod uxor habilis est ad contrahendum sine consensu mariti, nec judicis facultate, *a.* 78); sed ipsa uxor nullitatem allegare potest juxta CC. **aeq**., 1674; **bras**., 249; **chil**., 1684; **col**., 1743; **nic**., 1684; **per**., 182-186, 972, 1347, 1957, 1868, 1956, 2281, 2284; **Salv**., 1670; **ur**., 146].

Excipe: 1.° Casus in quibus administratio bonorum ad ipsam ex toto vel ex parte pertineat; sed adhuc in iis casibus generatim *alienare* bona non poterit sine mariti, vel judicis auctoritate. Cfr. *aa.* 59, 62, 63, 73, 187, 220, 225, 229, 1365, 1384, 1436, 1441-1443; **lusit**., 1190. Ita fere ex **phil**.

2.° Etiam contrahere potest absque speciali consensu viri quando comparat ea, quae *necessaria* sunt *ad familiae sustentationem* (*a.* 62); **phil**., *a.* 51, decr. 1889.

3.° Uxor, quae aetatem 21 annorum compleverit, *commercium exercere* valet, facultate per publicam scripturam a marito accepta, et praesumitur facultatem habere, si sciente marito commercium exerceat (C. commer., *aa.* 6 et 7).—Cfr. C. Comm. **per**., *a.* 6 *seq.*

4.° Uxor, juxta leges generales, pro libitu disponere potest de bonis suis *per testamentum*, absque ulla mariti interventione. Ratio est, quia parvi refert mariti, quatenus mulieris domini, quaenam futura sit uxoris dispositio testamentaria, quum testamentum effectum suum non sortiatur, nisi post matrimonii dissolutionem (*a.* 63, 1.°); **phil**. *a.* 53 decr. 1889.

5.° Si maritus fuerit judicialiter *absens* declaratus, tunc mulier, si major sit, poterit libere de bonis *propriis* disponere (**hisp.-ph**., 188), non autem alienare nec hypothecae subjicere *bona mariti* vel *communia*.

N. B. 1.° **Conjuges** inhabiles sunt ad aliquid sibi mutuo *donandum* inter vivos (cfr. infra, *n.* 938), vendendum (*a.* 1458; **lusit**., 1564), vel permutandum (**hisp.-phil**., 1458, 1541), nisi separatio bonorum inter ipsos in pactum ante matrimonium fuerit deducta, vel postea judicialiter decreta. [Etiam ex jure **Amer. lat**., conjuges inhabiles sunt ad sibi mutuo vendendum. Ita **aeq**., 1786; **arg**., 1392

(1358); **chil.**, 1796; **col.**, 1852; **mex.**, 2840; **nic.**, 1796; **per.**, 627, 1347; **Salv.**, 1782; **ur.**, 1649. (Cfr. infra, *n.* 938).]

2.° Omnes dispositiones, quae in hoc n. 902 recensentur, vim legis habent etiam in regionibus quae forali jure reguntur (*aa.* 12 et 61; Resol. de la Direcc. general de Hipotecas, 28 nov. 1898 y 6 dic. 1898. — *Alcubilla*, Ap. de 1898, *pag.* 690).

903. — QUAER. *An nullitas, quae afficit contractus uxorum, sit* PLENI JURIS, *seu ipso facto, vel tantum post judicis sententiam vim habeat?*

Resp. Non est habenda ut *pleni juris*, quum requiratur judicis sententia ad eam declarandam. Nec est absoluta, sed relativa tantum, seu pronuntiari tantum potest in favorem quarumdam personarum, quae solae illam invocare possunt, nempe in favorem mariti, ejusque filiorum, etc. Cfr. dicta supra, *n.* 648.

904. Resolves *ex jure* **hisp.** et **Amer. lat.** (excepto **cost.**): — 1.° Si uxor contrahat sine consensu mariti cum laesione jurium vel bonorum ejusdem, v. gr. respectu bonorum communitatis, vel redituum a viro percipiendorum, irritus omnino est contractus. Sed uxor *malae fidei*, licet in eo casu neque maritum neque bona communitatis obligare possit, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare. — *Carrière*, *n.* 203, *et alii communiter* contra alios, qui dicunt alterum contrahentem sibi imputare debere, quod cum illa contraxit, et sic deceptus fuerit.

2.° Nullitas contractus uxoris a viro ejusque heredibus invocari potest in conscientia, etiamsi laesionem proprie dictam non passi fuerint, quia nullitas praecipue in eorum gratiam sancita est. Quod intellige etiamsi uxor cum dolo egerit.

3.° Uxor, quae ab alio pecuniam mutuam petit pro marito, se obligans ad eam restituendam in mariti defectu, restituere tenetur, si vir restitutionem facere non possit, aut nolit; fuit enim causa absolute determinans contractus. Ergo obligationem libere susceptam adimplere debet, praesertim viro defuncto; secus malae fidei evaderet. *A fortiori* uxor restituere debet pecuniam a se in propriam utilitatem, inscio marito, mutuatam. Sic enim clamat naturalis aequitas.

Alii tamen in utroque hoc casu, mulierem, quae inscio marito mutuam pecuniam petiit, ab obligatione restituendi liberant, nisi mala fide egerit, ita ut dum mutuum petebat, jam habuerit intentionem non restituendi. *Génicot*, Casus, I, *pag.* 313. Dicunt enim posse uti beneficio legis, quae intendit cavere ne mulieres ob levitatem vel inexperientiam, sibi vel marito per contractus temere initos nocumentum afferant. — V. **Casus**, *n.* 773 *seq.*

[4.° Ipsa uxor nullitatem contractus a se absque fraude et mala fide initi invocare tuta conscientia potest ex jure **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **per.**, **Salv.**]

§ III. *De civiliter mortuis.*

α) *Jure romano.*

905. — Mortui civiliter dicuntur, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem damnati fuerint. Hi autem sunt praecipui mortis civilis effectus: 1.° amittere proprietatem bonorum, quae ad heredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod fecerint; 2.° non posse accipere hereditatem aut donationes, praeter id quod ad eorum sustentationem destinatur; 3.° non posse donare bona, quae acquisierint, sive inter vivos, sive testamento. — Haec videntur generatim effectum habere in foro conscientiae. Attamen juxta communem interpretationem non prohibentur civiliter mortui ab accipiendis donationibus manualibus quibuslibet. Inhabiles enim sunt ad ea dumtaxat, quae lege determinantur; unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii non sunt incapaces. — *Ita jus rom.* et antiquum jus hisp., *leg.* 2.ª, *tit.* XVIII, *part.* 4.ª

β) *Jure* **hisp.**, **lusit.** *et* **Amer. lat.**

Jure **hisp.**, nunc vigente, *mors civilis* non agnoscitur, sed tantum *interdictio civilis*, quae est poena accessoria catenae sive perpetuae sive temporalis. Interdictus civiliter privatur juribus patriae potestatis, tutelae, curatelae, participationis in senatu familiae, auctoritatis maritalis, administrationis bonorum et disponendi de propriis bonis per actus *inter vivos*. Sunt tamen casus in quibus lex hos effectus limitat. Interdictus civiliter subjicitur tutelae quoad bonorum administrationem et repraesentationem in judicio. Cfr. *C. Poen.*, *aa.* 26, 43, 54 *et* 57; *C. Civ.*, *aa.* 32, 170, 200, 228-230, 1323, 1433, 1435, 1436; L. de enjuic. cr., *a.* 995; *C. comm.*, *aa.* 11 *et* 13.

[Jure **Amer. lat.**, mors civilis ut poena non viget; sed jure **aeq.**, 92, 263, 953, 995; **chil.**, 95, 962, 1005; **nic.**, 95, 962, 1005, mors civilis est ipsa solemnis professio religiosa, et vi illius, solemniter professus censetur incapax exercendi patriam potestatem, testamentifactionis activae et passivae, juris proprie talis, etc.; jure vero **bol.** (*a.* 22 constit.); **col.** (Cfr. *Valenzuela*, *n.* 131); **guat.** (*a.* 31 *seq*); **per.** (*a.* 115 *seq.*), abolita omnino est mors civilis].

§ IV. *De interdictis, surdo-mutis et prodigis jure* **hisp.**, **lusit.** *et* **Amer. lat.**

906. — *Interdicti* (qui etiam, juxta diversos codices, incapaces, vel inhabiles vocantur) sunt illi, qui judicis sententia incapaces de-

clarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis aut dementiae, aut furoris. Designatur autem illis aliquis ut tutor vel curator, omnesque eorum actus jure sunt irriti; non tamen absolute nulli aestimandi sunt ante sententiam judicis, dummodo initi sint in lucidis intervallis. Cessat interdictio, cessante causa. Hujus cessatio declarari debet a judice, ut interdictus possit iterum civiliter agere. — His assimilantur *sordo-muti* nescientes legere et scribere. *Prodigi* juridice denuntiati inhabiles sunt ad certos ineundos contractus lege determinatos vel judicis sententia definiendos (**hisp.**, 221-227), absque adsistentia consiliarii a judice constituti (1).

Nullitas porro contractuum initorum ab interdictis, surdo-mutis et prodigis opponi quidem ab ipsis potest aut ab agentibus illorum causam, non vero ab iis, qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est.

ARTICULUS III

DE CONSENSU REQUISITO

1.° Ejus dotes, 2.° vitia opposita.

§ I. *De dotibus legitimi consensus.*

907. — Consensus esse debet externus, internus, mutuus, liber et deliberatus.

1.° *Externus*, id est manifestatus, quia comparti manifestari debet; nequit autem alteri parti patefieri, nisi aliquo signo visibili exterius prodeat.

2.° *Internus*, quia obligatio contractus oritur a sola contrahentis voluntate. *Ita communiter.*

3.° *Mutuus*, quia contractus est conventio duorum vel plurium; hinc, si sit onerosus, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio. Si gratuitus sit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera.

4.° *Liber* et *deliberatus*, ita ut contrahens cum ea deliberatione agat quae ad peccatum grave requiritur; secus enim voluntas esset imperfecta, atque adeo imperfectus actus, qui perfectam obligationem parere non posset.

908. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An valeat contractus initus cum animo contrahendi, sed sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi?*

Resp. ad 1.um *Probabilius* non valet, quia conditio apposita est

(1) Jure **phil.**, *aa.* 559, 560 *Cod. process. civ.*, incapaces debent denuntiari judici, qui re comprobata tutorem designabit.

contraria substantiae contractus. *S. Alph.*, *n.* 710. — *Alii* dicunt valere contractum, prout praevalet, aut non praevalet volitio contractus. *Lacroix.*

Resp. ad 2.um Valet contractus. Ratio est, quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. *S. Alph. et alii communiter.*

Quaer. 2.° *An consensus utriusque partis simul elici debeat?*

Resp. Neg., quia consensus unius semel datus, nec revocatus, moraliter perseverat, ita ut, accedente alterius consensu, statim perficiatur contractus.

909. **Resolves:** — 1.° Qui ficte in contractum consentit, tenetur in conscientiae foro partem deceptam indemnem facere; et, si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, consensum internum praebere et contractui stare. *S. Alph.*, Hom. apost., *tract.* 10, *n.* 93.

Quod si contractus ficte initus exsecutioni fuerit mandatus, nullum dominium re ipsa translatum est. Unde ratione rei acceptae, deceptus habendus est tamquam possessor bonae fidei, deceptor autem tamquam possessor malae fidei.

2.° Si offeram tibi domum 100 aureis venalem, et tu acceptes, contractus perficitur, non quando interne consentis, sed quando tua acceptatio mihi per aliquod signum externe prodit. Consensus autem meus est tibi sufficienter intimatus per hoc, quod tibi domum meam pro pretio statuto offeram.

3.° Si mecum contrahas per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu necdum acceptaveris; quia aceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

4.° Taciturnitas regulariter reputatur pro consensu, si materia sit favorabilis tacenti. Hinc regula juris: *Qui tacet, consentire videtur.*

5.° Si *Paulus* dicat coram *Joanne:* Do 100 aureos *Petro;* et si *Joannes* injussus *Petro* id referat, et hic dicat: *Accepto; Paulus* non censetur obligatus, quia intimatio promissionis non fuit facta *Petro* de mandato *Pauli*, qui ceteroquin per relata verba nihil aliud ostendit nisi merum dandi propositum. — V. **Casus**, *n.* 776.

6.° *Jure* **hisp.-ph.**, *a.* 1262; **arg.**, 1188 (1154) *seq.*; **ur.**, 1239, acceptatio contractus facta per epistolam non obligat offerentem nisi postquam huic innotuerit; sed jure **cost.**, 1010, et **per.** (*a.* 54 Cod. comm.), ipsa acceptatio ex quo scripta fuit perficit contractum, et etiam *generatim* ex **bras.**, 1086. Quoad **mex.**, cfr. *a.* 1290 *seq.*

§ II. *De vitiis consensui oppositis.*

Praecipua sunt: error, dolus, vis seu metus.

PUNCTUM I

De errore et dolo.
Cfr. supra, *n.* 828.

910. — Error in contractibus versari potest: 1.° circa *substantiam rei*, ut si emas cuprum pro auro; 2.° circa *naturam* seu speciem *contractus*, v. gr. si sumas locationem pro venditione; 3.° circa qualitatem seu *accidentia* rei, puta si equus sit tardus, dum reputatur velox; 4.° circa *personam*, v. gr. si quis daret *Petro*, volens dare *Paulo;* 5.° circa *motivum*, v. gr. si quid dares *Cajo* ob paupertatem vel pietatem, dum dives est vel impius.

Error tamen circa qualitatem, licet *accidentalem*, potest esse *causa* contractus.

Dolus in eo differt a simplici errore, quod error ex dolo proveniens, productus fuerit artificiis ad hunc finem adhibitis ab alia parte. *Error*, qui *per se* non esset sufficiens ad irritandum contractum, potest eum nullum reddere, si *dolus* intercesserit ex parte alterius contrahentis. Dolus est deliberata voluntas violandi legem.

911. Principium. — Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit *substantiam actus* vel recidat in conditionem *sine qua non;* secus actus valet, nisi aliud jure caveatur; sed in contractibus error locum dare potest actioni *rescissoriae* ad normam juris (*can.* 104).

Hinc 1.° Omnis error circa rei *substantiam* aut contractus *naturam* contractum nullum reddit. Ratio est, quia tunc nullus est consensus, qui rem omnino diversam respicit. *S. Alph., n.* 714; CC. **hisp.-ph.**, 1266; **lusit.**, 659 *seq.*; [**aeq.**, 1443, 1444; **bras.**, 86 *seq.*, 92 *seq.*; **chil.**, 1453, 1454; **col.**, 1510, 1511; **mex.**, 1296; **nic.**, 1453, 1454; **per.**, 1230 *seq.;* **Salv.**, 1439, 1440].

2.° Error circa *solam qualitatem* non invalidat *per se* contractum, saltem si, cognito errore, nihilominus contractus fuisset initus. Consensus enim prorsus voluntarius circa objectum principale conventionis habetur. — Si autem, cognito errore, initus non fuisset contractus, *controvertitur*, ut statim dicemus.

912. **Quaesita.** — QUAER. **1.°** *An error vel dolus circa qualitatem dans causam contractui irritet contractum sive onerosum, sive gratuitum?*

Resp. 1.° *Neg., probabilius*, quoad contractus *onerosos*, quia talis error non impedit *cognitionem*, neque *consensum* quoad rei substantiam. Secus vero vix ullus contractus validus foret, quod in commercii humani subversionem cederet. — Excipe, si qualitas velut *conditio sine qua non* expresse intendatur, quia tunc in rei

substantiam transit. [Cfr. CC. **aeq.**, 1444; **chil.**, 1454; **col.**, 1511; **nic.**, 1454; **Salv.**, 1440].

Resp. 2.° Quoad *gratuitos* contractus *affirm.*, *probabilius*. Ratio, quia tales contractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam ultroneitatem requirunt; atqui haec plane defuit, quando causa ad donandum movens deesse supponitur. *Ita communiter* contra *nonnullos*, qui tamen admittunt. hosce contractus ad nutum donatoris sic decepti esse rescindibiles. — Vide *S. Alph.*, *nn.* 714, 715; Hom. apost., *nn.* 124, 125.

QUAER. 2.° *An error vel dolus circa personam contractum invalidet?*

Resp. 1.° *Neg.*, *generatim loquendo*, quoad contractus *onerosos*, quia in his error hujusmodi est mere *accidentalis*, et parvi sane interest, tum venditoris, cuinam rem vendat, dummodo congruum pretium accipiat, tum emptoris, a quonam emat, si res ipsi conveniat. — Excipiendus est contractus *matrimonii*, in quo consensus ipsammet afficit personam, quae fit simul et pars contrahens et ipsius contractus objectum.

Resp. 2.° *Affirm.* plerumque quoad contractus *gratuitos*, quia in his persona donatarii a donatore specialiter intendi solet. Spectanda sunt tamen rerum adjuncta, e quibus benefactoris voluntas dignosci melius potest.

913. — QUAER. 3.° *An contractum invalidet error vel dolus circa motivum?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si error cadat in motivum *finale*, v. gr., si dares eleemosynam *Titio*, quia illum pauperem reputas, cum dives sit; tuus enim consensus quoad ipsam rei substantiam deficit.

Resp. 2.° *Neg.*, si error cadat solum in motivum *impellens*, v. gr. si eleemosynam dares *Petro* pauperi, quem valde probum credis, cum sit minus probus; hic error enim mere accidentalis est. *S. Alph.*, *n.* 737; Hom. apost., *n.* 137.

914. Resolves: — 1.° Si sacerdos sub nocte emat pro se pannum putans esse nigri coloris, cum viridis aut violacei est, non valet contractus, si expresse declaraverit se nigri coloris pannum velle; licet enim color in se sit mera qualitas, in hoc casu transit in substantiam, proindeque error evadit substantialis.

2.° Si tibi volenti emere vinum burdigalense, burgundinum offeratur, valet contractus *per se*, non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed justitia laeditur accidentaliter, si burdigalense carius sit; ideoque venditor restitutioni obnoxius erit. Si vero utriusque vini pretium sit aequale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis erit ab injustitia, quamvis non a peccato mendacii. Dixi *per se;* quia facile error posset esse *substantialis*, ut v. gr. si emptor intentionem expressis verbis burdigalensi vino alligasset ob certum finem ad quem aliud quodlibet non conduceret. *Reuter*, *n.* 113 *et seq.*

3.° Qui apud bibliopolam emit librum, quem existimavit bonum, et postea deprehendit esse pravum, nihilominus valide contraxit, quia hunc praesentem absolute et sine restrictione emere voluit, quamvis certe non emisset, si pravum cognovisset. Secus vero, si falsus titulus libro inscriptus fuisset; quia tunc titulus causam erroris substantialis praebuisset. — V. **Casus**, *n.* 779 *et seq.*

N. B. Ex jure **hisp.-ph.**: 1.° Invalidat contractum error *a*) circa substantiam rei, *b*) circa eas circumstantias quae praecipue contractui causam dederint, *c*) circa personam, cum illius consideratio causa principalis fuerit ipsius contractus (*a.* 1266). [Item jure **aeq.**, 1443-1445; **bras.**, 86 *seq.*; **chil.**, 1453-1455; **col.**, 1510-1512; **mex.**, 1296; **nic.**, 1453-1455; **Salv.**, 1439-1441].

2.° Dolus adest quum verbis insidiosis, vel insidiosis machinationibus unius compartis altera pars inducitur ad ineundum contractum quem alias non iniret (*a.* 1269; **lusit.**, 663). [Cfr. C. **aeq.**, 1448; **chil.**, 1458; **col.**, 1515; **mex.**, 1297; **nic.**, 1458; **per.**, 1238; **Salv.**, 1444].

3.° Ut dolus irritet contractum, *gravis* esse debet et ab altera tantum parte adhibitus (*a.* 1270). Vide *aa.* 1301, 1802.

4.° Accidentalis dolus tantum obligat eum, qui illo usus fuit, ad damna et praejudicia reparanda. (*Ibid.* Vide etiam *aa.* 1101, 1102, 1107 *et* 1726),

PUNCTUM II

De metu.
Cfr. supra, *n.* 648.

Metus est 1.° vel gravis vel levis; 2.° inductus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, justa vel injusta; 3.° incussus in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem. Recole dicta in tract. De act. hum., *n.* 70 *et seq.*

915. **Principia.** — I. Metus quilibet ita perturbans rationis usum, ut a gravi culpa excuset, contractum, qui ex eo subsequitur, prorsus irritat ex omni jure. — Ratio, quia tunc deficit consensus ad contrahendum requisitus, sive usum rationis metus omnino tollat, sive ita impediat, ut consensus dici plenus et perfectus non possit. (Vide *n.* 907, 4.°).

II. Nullus contractus ex *metu ab intrinseco*, aut causa *necessaria* seu naturali, est invalidus, nisi forte qui ex timore contrahit, ita perturbatum usum rationis habeat, ut a gravi culpa esset excusandus. — Ratio est, quia nulla injuria contrahenti irrogatur, et aliunde hic sufficientem servat libertatem.

Idem dicendum est si metus a causa libera *seu ab homine justa*

de causa incussus fuerit; hinc stuprator metu gravi, sed justo, adactus ad ducendam puellam, quam seduxit, valide contrahit.

III. Actus positi ex metu gravi et injuste incusso vel ex dolo, valent, nisi aliud in jure caveatur; sed possunt, ad normam *can.* 1684-1689, per judicis sententiam rescindi sive ad petitionem partis laesae, sive ex officio (*can.* 103).

IV. *Probabilius* nullus contractus, *saltem onerosus*, initus ex metu *levi* est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius qui metum passus est. — Ratio est, quia metus undecumque levis in jure pro nullo reputatur, cum facile contemni possit. Secus enim gravissima incommoda in commercio humano sequerentur, cum metus levis frequentissimus sit. *Ita S. Alph.*, Hom. apost., *tract.* 10, *n.* 125, etc.

Contradicit tamen *Lugo* cum *aliis*, quorum sententia probabilis a *S. Alph.* dicitur, praesertim si metus, licet levis, unica sit contrahendi causa.

Dixi *saltem onerosus;* nam si agatur de contractibus gratuitis, ejusmodi contractus *probabilius* videntur irriti, quoties metus levis *injuste* incussus fuerit ad ejusmodi extorquendum consensum. His enim contractibus essentiale est ut procedant ex benevola et ultronea liberalitate. Sententia tamen opposita aliis visa est probabilis.

916. Quaesita. — QUAER. 1.° *An metus* gravis *incussus* a comparte *in ordine ad contrahendum, irritet contractum, si rationem minime perturbet?*

Resp. Triplex datur sententia probabilis:

I.ª SENTENTIA dicit esse irritos (quando saltem metus est *injuste* incussus a contrahente ad extorquendum consensum).

II.ª SENTENTIA dicit irritos *gratuitos*, validos *onerosos.*

III.ª SENTENTIA quae est *Lugonis*, dicit tam gratuitos quam onerosos esse validos *jure naturae*, sed rescindibiles. Cfr. etiam *S. Alph., lib.* V, tr. praeam., *n.* XXII.

Huic tertiae sententiae stare possumus jure **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, juxta dicta supra, *n.* 648: et in hoc sensu intelligendi CC. **hisp.-ph.**, *aa.* 1267, 1268; **lusit.**, 666; [**aeq.**, 1446; **bras.**, 98 *seq.;* **chil.**, 1456; **col.**, 1513; **mex.**, 1298, 1299; **nic.**, 1456; **per.**, 1244; **Salv.**, 1442].

Adverte tamen, ex jure canonico certo invalidos esse contractus ex metu gravi elicitos, ubi agitur: 1.° de matrimonio, et probabiliter etiam de sponsalibus; 2.° de traditione rerum Ecclesiae et renuntiatione beneficii; 3.° de voto et professione religiosa; 4.° de absolutione a censuris, et *probabiliter* etiam de jurisdictione ecclesiastica. Vide *Lugo, d.* 22, *n.* 129 *seq.*

917. — QUAER. 2.° *An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?*

Resp. Neg., probabilius, ex jure *naturae*, quia non videtur *per se*

sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravem, puta diuturnae indignationis, etc... Item nec preces importunissimae metum gravem constituunt, nisi forte cum metu reverentiali erga superiorem jungantur. *Salm., et alii communiter.* Vide *S. Alph., n.* 717.

Opposita tamen sententia vere et solide probabilis est. Vide *Lugo, d.* 22, *n.* 130 *seq.; Ball.-P., vol.* 3, *nn.* 618, 620; *Buccer., n.* 948; *Génicot, n.* 592, IV, *etc.*

Jure **hisp.-ph.**, *a.* 1267; [**aeq.**, 1446; **chil.**, 1456; **col.**, 1513; **mex.**, 1300; **nic.**, 1456; **per.**, 1243; **Salv.**, 1442] metus reverentialis non irritat contractus.

QUAER. 3.° *An sit jure naturae irritus, vel privata auctoritate rescindibilis contractus, si metus* gravis et injustus *a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit injuriae particeps?*

Resp. Controvertitur. I.ª SENTENTIA, *probabilis, affirmat,* quia ratione injuriae, etiam a tertio illatae, res priori domino obligata manet, et consequenter cum illo onere ad quoslibet transit; non autem par est, ut quis per alterius injuriam jus omne in rem suam amittat. *Billuart,* etc.

II.ª SENTENTIA, et ipsa *pobabilis, negat;* quia cum neutra pars injuriam fecerit, nulla ex natura rei ratio adest cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero. *Lugo, d.* 22, *n.* 117; *Reuter, n.* 126.

Jure **hisp.-ph.**, *a.* 1268, irriti (post judicis tantum sententiam, ut supra diximus, *n.* 648) sunt hujusmodi contractus. [Item jure **lusit.**, 666; **aeq.**, 1447; **bras.**, 101; **chil.**, 1457; **col.**, 1514; **mex.**, 1298; **nic.**, 1457; **Salv.**, 1443].

918. — QUAER. 4.° *Quid si metus gravis fuerit quidem* injuste *incussus, sed non ad consensum extorquendum?*

Resp. Controvertitur, sed videtur sic distinguendum: 1.° si metus ab altero contrahentium sit incussus, non valet contractus, vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda, quae ex injuria proveniunt (*Reuter, n.* 127; *Lugo, disp.* 22, *n.* 177, etc...). 2.° Secus, si metus proveniat a tertio, quia nullus contrahentium injuriam intulit; tertius autem, qui metum infert, non potest auferre contractus obligationem, consentiendo in ejus rescissionem, siquidem contractus cum ipso initus non fuit; tenetur tamen inducere ad rescissionem, ut ab innocente injuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui.

Excipit *Lugo, n.* 178, contractum matrimonii, quem ex tali metu initum putat esse invalidum. Alii excipiunt etiam contractus *gratuitos,* quia sic melius innocenti consulitur, et alter conqueri non potest, siquidem solo lucro privatur, ac manet in statu in quo antea versabatur; et sicut ipse nollet in iis adjunctis obligari, ita nec alterum obligare debet.

919. **Resolves**: — 1.° Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum delaturum esse ad dominum laesum, vel ad custodem, aut judicem, nisi munus certum tibi promittat, tenet promissio, nec munus acceptum teneris reddere, nisi forte judicio viri prudentis excessivum videatur. Hoc etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cederes e jure tuo id faciendi, quod pretio aestimabile est. *Elbel*, *n.* 307; *Reuter*, *n.* 120.

2.° Si *Titius* intulit tibi metum, ut rem aliquam *Cajo* tradas, probabiliter jure *naturae* non tenet contractus. Etenim si *Cajus* quo tempore rem a te acceptat, injuriam tibi illatam novit, metum ipse incutere censetur per *Titium*. Si vero novit posterius, assimilandus est possessori bonae fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac comperit esse alienam. *Billuart*, *diss.* 1, *art.* 4. Vide dicta *nn.* 916, et 917, *q.* 3.°

3.° Si quis tibi damnum ex mera malevolentia paret, atque adeo nihil a te postulet, tu vero sponte pecuniam promittas, ut illaesus evadas, eam tradere non teneris; quia licet metus non fuerit in ordine ad contrahendum, habet tamen pro objecto solam injustae vexationis cessationem; atqui vexator hanc cessationem vendere nequit; ergo quidquid sic acquirit, ut malae fidei possessor accipit, adeoque restituere debet. *Billuart*, *ibid.*

4.° Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio, quia metus non est ejus causa, sed occasio tantum, et aliunde auxilium a transeunte praestitum aestimabile pretio est. Attamen, si summa enormis esset, imminuenda foret. V. **Casus**, *n.* 785 *et seq.*

CAPUT II

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS

Cfr. supra, *n.* 648.

Obligatio contractus est vinculum quo quis, vi contractus, adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

920. **Principia**. — I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae, saltem ex parte unius e contrahentibus: — quia in contractu jus aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem juri sua respondet obligatio; ergo, etc.

II. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari leges statuant, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aliasve quae aut eorum locum teneant, aut cum iisdem causam

habeant, ut sunt heredes, mandantes, etc. — Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus imponere, vel beneficium concedere potest, nec alioquin contractus vim habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria quae pro conventionis natura postulant aequitas, lex, aut usus. — Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet.

Hinc studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum. Tandem si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, amicabilis transactio suadenda est.

921. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quorsum obliget contractus jure positivo tantum rescissioni obnoxius?*

Resp. Contractus ille dici potest conditionate obligans, scilicet si nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, ut ejusmodi contractus invalidi censerentur et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur, et obtineretur. Sequitur ex dictis de contractibus minorum, uxorum, et interdictorum, *n.* 762 *et seq.* Cfr. etiam *n.* 648.

QUAER. 2.° *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque formalitatibus ad ipsorum valorem a jure praescriptis?*

Rep. Quadruplex est sententia probabilis:

I.ª SENTENTIA *affirm.*, quia de jure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget. *Molina*, etc.

II.ª SENTENTIA *negat*, quia leges irritantes contractus praedictos fundantur in praesumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis; postulat siquidem bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur; et proinde naturalem quoque obligationem contractus irriti in foro externo lex tollere potest et debet. *Lessius*, *l.* 2, *c.* 19, etc.

III.ª SENTENTIA tenet valere, nisi opponatur exceptio et damnetur a judice. Quia «haec videtur esse sola legislatoris intentio, et ita videntur leges illae usu proborum hominum receptae, ut solum detur jus petendi in judicio et obtinendi contra ejusmodi testamenta et contractus, non vero quod ipse, qui possidet, debeat se spoliare, quod nimis rigidum esset». *Lugo*, *d.* 22, *n.* 251. Cfr. *Vermeersch*, l. c., *n.* 326 *seq.*; *Van Gestel*, De just. et lege civ., *n.* 78; *Marres*, *l.* 2, *n.* 368 *seq.* — Vide dicta supra, *n.* 648.

IV.ª SENTENTIA dicit valere testamenta; reliquos vero contractus non valere.

922. — Quaer. 3.° *Quomodo cesset obligatio contractuum?*

Resp. Obligatio contractuum cessat: 1.° Per *solutionem*, seu per *praestationem* cujuslibet rei debitae, aut etiam per *exsecutionem* objecti promissi aut alias debiti.

2.° Per *novationem*, seu substitutionem novi debiti debito veteri, quod sic extinguitur; v. gr. promisi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc convenio tecum, ut vinum amplius dare non tenear, sed mille francos: obligatio dandi vinum tunc extinguitur.

3.° Per *condonationem*, seu actum, quo creditor debitori suo ex plena libertate debitum remittit. Quisque enim de jure suo cedere potest in iis omnibus quae ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non fuerit.

4.° Per *compensationem*, seu fictam et reciprocam solutionem, quae locum habet, quando personae sunt erga se invicem debitrices.

5.° Per *confusionem*, quae locum habet, cum obligatio debitoris et jus creditoris in eadem persona coadunantur, v. gr. si creditor fiat heres sui debitoris, debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat heres creditoris simul et debitoris.

6.° Per *destructionem* aut *perditionem* rei debitae, quae aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris... Aliquando vero non liberat, v. gr. si evenerit culpa debitoris, vel fuerit in mora culpabili... etc.

7.° Per *rescissionem*, quae locum habet quando contractus essentialibus conditionibus constans ob aliquos defectus dissolubilis est. Contractus ille valet, donec rescindatur, *ut supra dictum est.*

8.° Per *praescriptionem*, de qua dictum est supra, *n.* 715 *et seq.*

Ita etiam jus **hisp.-ph.** et **Amer. lat.** [Cfr. **hisp.-ph.**, 1156 *seq.*; **aeq.**, 1557 *seq.*; **arg.**, 758 (724) *seq.*; **chil.**, 1567 *seq.*; **col.**, 1625 *seq.*; **cost.**, 764 *seq.*; **guat.**, 2298 *seq.*; **mex.**, 1514 *seq.*; **nic.**, 1567 *seq.*; **per.**, 1212 *seq.*; **Salv.**, 1553 *seq.*; **ur.**, 1421 *seq.*; **ven.**, 1200 *seq.* Ex iis CC. alii recensent praeterea: transactionem, eventum conditionis resolutoriae, subrogationem; alii vero aliquem ex supradictis modis non memorant explicite].

923.—Quaer. 4.° *An cessio bonorum a solutione integra liberet?*

Resp. 1.° *Neg.*, quoad cessionem voluntariam, seclusa *speciali conventione* inter creditores et debitorem, vi cujus hic omnino liberetur. Ratio est, quia creditores non sunt facti omnino indemnes, et proinde remanet adhuc inaequalitas reparanda. *S. Alph.*, *n.* 669; *Gousset*, *n.* 772; *Vogler*, *n.* 542. —Vide supra, *n.* 858.

Resp. 2.° *Neg.*, etiam quoad cessionem judiciarium: privilegium enim cessionis consistit tantum in eo, quod debitor infelix et

bonae fidei amplius judicialiter urgeri non possit; proinde si nova bona acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus satisfacere debet. *S. Alph., ibid.* — Excipe, si ex rerum adjunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

Jure **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, cessio bonorum numquam liberat a solutione integra, nisi adsit pactum expressum in contrarium. [Cfr. **hisp.**, 1920, et *comm.*, 907; **aeq.**, 1609; **bol.**, 860; **chil.**, 1619; **col.**, 1678; **cost.**, 976; **guat.**, 2375; **nic.**, 1619; **per.**, 2243; **Salv.**, 1605; **ur.**, 2318].

Quaer. 5.° *An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?*

Resp. 1.° Certo peccat contra justitiam, si res magni valoris retinet, quia damnum creditoribus infert.

Resp. 2.° Qui cedit bonis, si in magna versetur indigentia, non peccat contra justitiam, si bona quaedam servet quibus sustentetur cum familia, donec per judicem ipsi provisum fuerit. Post factum autem inquietandi non sunt illi qui res vere sibi necessarias, modici valoris, sibi retinuerunt. *Vogler, n.* 542; *Gousset, n.* 772.

Jure **hisp.**, non conceduntur alimenta, nisi judex censeat bona ipsis debitis esse majora. (Vide *Ley de enjuic. civ., aa.* 1314, 1317. Cfr. *tamen Cod. comm.* ann. 1829, *aa.* 1098 et 1099). — [Quid vero jus **Amer. lat.** in iis casibus debitori concedat, vide in respectivis CC., sc. **aeq.**, 1608, 1616; **chil.**, 1618, 1626; **col.**, 1677, 1685; **nic.**, 1618, 1626; **per.**, 2237 *seq.*; **Salv.**, 1604, 1612; **ur.**, 2337; **ven.**, 1927].

924. — Quaer. 6.° *Ad quid teneantur filii debitoris obaerati?*

Resp. 1.° Filii debitoris obaerati non tenentur ad debita paterna vel materna solvenda ex justitia, si nihil ex paternis bonis perceperunt (et quamvis, parentibus mortuis, ad filios perveniant bona avorum, quae parentibus, si viverent, obvenissent) (1), nec injustitiae ipsorum, si quae fuit, cooperatores fuerunt. *Marres, l.* 3, *n.* 346 *seq.* Cfr. etiam *n.* 352, et *Lugo*, De just. et jur., *d.* 20, *nn.* 137, 138; *Sánchez*, De matr., *d.* 6, *n.* 9 *seq.*

Resp. 2.° Si vero pater vel mater *a*) postquam bona creditoribus cesserat, per interpositas personas filiis bona reliquit, ii, qua heredes, tenentur ex justitia ad paterna debita solvenda pro rata partis perceptae; vel *b*) si pater bona emit nomine filiorum dum impotens solvendo jam erat, vel horum emptione impotens factus est, tenentur etiam filii debita parentis solvere pro rata horum bonorum. Verum tuta conscientia servare sibi possent, si pater emisset cum adhuc habebat vel habiturus erat unde solvere pos-

(1) Quae hic jam scripta erant confirmantur ex Sent. Trib. Supr. **hisp.**, 25-21 jun. 1905 (apud *Alcubilla*, Append. anni 1906, *pag.* 228, *n.* 22) et 18 dec. 1908 (apud *Alcubilla*; Append. anni 1909, *pag.* 813, *n.* 175).

set: et hoc intellige, quamvis jam filiorum nomine emisset, fortunae inconstantiam timens. *Marres*, *l.* 3, *n.* 346 *seq.*

Quaer. 7.° *Quid de parentibus debitoris obaerati?*

Resp. 1.° Parentes debitoris obaerati injustitiae rei sunt si bona sua immobilia vendunt, et filio, donatione inter vivos, pretium occulte tradunt, ne creditores hereditatem hujus apprehendant. Sunt enim cooperatores injustitiae filii: quare tenentur ad restitutionem, nisi forte id fecerint quia filii in magna versabantur indigentia.

Resp. 2.° Nullam vero injustitiam committunt si bona sua immobilia filio suo subtrahunt, ne a creditoribus apprehendantur; eaque hujus liberis, i. e. nepotibus, consignent, vel donatione manuali tribuant. Ratio patet, si agatur de bonis quae portionem filii legitimam superent, cum de ea libere parentes disponere possint; si vero de ipsa legitima sermo fiat, id ipsum dicendum est, quia pater, dum vivit, suorum bonorum plenum dominium habet. *Marres*, l. c., *n.* 353 *seq.*

CAPUT III

DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS

Modificationum nomine designantur quaedam clausulae praeter contractuum naturam et essentiam adjectae, ita ut eorumdem contractuum obligationem nunc obfirment, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant.

Praecipuae autem contractuum modificationes sunt: 1.ª juramentum, 2.ª modi, 3.ª conditiones. — De his tribus breviter agendum.

ARTICULUS I

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO

925. — *Juramentum*, prout hic sumitur, est advocatio Dei in testem eorum quae per contractum promittuntur. — Obligatio juramenti ab obligatione contractus in hoc etiam differt, quod obligatio juramenti afficit et obstringit immediate jurantis personam, unde ad heredes non transit; obligatio vero contractus confert alteri jus *strictum*, seu jus *proprietatis*, afficiens contrahentis bona, ideoque ad heredes obligatio integra transit.

Si juramentum additum contractui sit validum, sed non firmet contractum alias invalidum, tunc exsurgit prima obligatio tantum,

i. e. obligatio religionis seu fidelitas erga Deum (supra, *n.* 397); alteri vero contrahenti nullum jus acquiritur: quare relaxata per dispensationem obligatione juramenti, ad nihil amplius teneris; et quamvis relaxationem non obtineas, si ex tali juramento solvis, poteris repetere solutum, et alius tenetur reddere, quia nullum jus acquisierat (*Decretal., lib.* 2, *tit.* 24, *c.* 6).

Si vero juramentum firmet contractum alias invalidum, tunc facit eum validum in specie sua, et consequenter, praeter obligationem religionis, adest obligatio (communiter ex justitia commutativa) propria contractus, quae transit ad heredes; et acquiritur alteri jus, quod pariter ad heredes transit. Et quamvis juramenti relaxationem obtineas, manet adhuc obligatio ex contractu. Cfr. *Lugo*, De just. et jure, *d.* 22, *n.* 187 *seq.*; *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 246, *nota* 49; *Ferreres*, Los Esponsales, etc., *n.* 150 *seq.*

926. **Principia**. — **I.** Contractus jure naturae irriti, juramento non firmantur. — Ratio est, quia vel tales contractus impleri nequeunt sine peccato, vel sunt irriti ob defectum substantialem. Atqui juramentum supplere nequit defectum substantialem. — Firmari nec potest, quod nullo modo exsistit. Atqui hi contractus sunt nulli. Ergo...

II. Nec firmantur juramento contractus de jure positivo *ipso facto irriti* propter bonum commune. — Tunc enim juramentum foret contra bonum commune et proinde vinculum immorale, quod Deus, societatis auctor, sancire non potest. Cfr. *can.* 1318, § 2, et supra, *n.* 397.

III. Juramentum semper est invalidum, quoties sine jurantis peccato servari non potest. — Ratio est, quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores obligare valet. *Ita omnes theologi.* Cfr. *can.* 1318, et supra, *n.* 397.

Unde Codex Canonicus:

«Jusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur» (*can.* 1318, § 1).

«Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praejudicium boni publici vel salutis aeternae jusjurandum adjiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem» (*Ibid.*, § 2).

927. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An juramentum* firmet *contractus, non quidem lege positiva irritos, sed rescindibiles tantum?*

Resp. 1.° *Neg., probabilius*, quando rescindibilitas intuitu boni publici inducitur. Ratio patet ex dictis. Hinc non valent juramenta minorum, uxorum et similium ad firmandos contractus lege irritos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta; quippe perversi homines semper juramentum ab iis exigerent, quod in detrimentum societatis cederet.

Resp. 2.° *Probabilius* autem juramentum valet, si rescindibilitas inducta fuerit in privatam contrahentium utilitatem, quia unus-

quisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto: juramenti autem interpositio in eo casu est quaedam renuntiatio beneficii rescissionis, inducti in gratiam contrahentis. Hinc videtur stare juramentum, quo quis promittit libere alteri, se non revocaturum testamentum vel legatum in ipsius favorem factum; quia jurans a jure suo cedere potest. *Ita communius. Lugo*, etc. — Sed hoc intelligendum est ex jure *romano* et *canonico*, juxta quod ob reverentiam divini Nominis quidam contractus rescindibiles, accedente juramento, firmabantur et irrescindibiles fiebant. *Lugo*, l. c., *n.* 109; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 588; *Lehmk.*, I, *n.* 1078.

Jure autem **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, *certum* est non firmari (quod a fortiori tenendum est si contractus *irritus* declaretur, quamvis tantum in favorem jurantis). Etenim ex *a.* 1260 C. **hisp.-ph.**, juramentum in contractibus non admittitur, et si quis illud praestet habetur ut nullum.

Idem statuunt C. C. **mex.**, *a.* 1281, et **ur.**, *a.* 1232. Nec reliqui Cod. **Amer. lat.** vim ullam juramento tribuunt ad firmandos contractus. Jam vero ex Codice Canonico, *can.* 1529, in contractibus servandae sunt leges civiles (Vide supra, ante *n.* 889); et juramenta interpretanda sunt juxta jus ex *can.* 1321 (1). Igitur doctrina Lugonis valet tantum jure romano et canonico antiquo (*Decretal.*, *l.* 2, *tit.* 24, *c.* 28; *l.* 2, *tit.* 18, *c.* 2, *in* 6.°).

928. — QUAER. 2.° *An valeant juramenta metu extorta ad firmandos contractus ob metum per se invalidos?*

OBSERVA: Duplex hic quaestio fieri potest: 1.ª, an hujusmodi contractus juramento firmentur? et huic respondetur *negative*, ex dictis *nn.* 926 et 927; 2.ª, an hujusmodi juramenta, quamvis contractus non firment, valida sint, ita ut servari debeant ex virtute religionis, juxta dicta *n.* 925? In hoc ultimo sensu, propositae quaestioni

Resp. Duplex sententia datur probabilis:

I.ª SENTENTIA, *communior, affirmat*, quia ex motivo religionis juramentum servari debet, quoties sine peccato servari potest. *S. Alph.*, De juramento, *n.* 174; *Lugo*, *Billuart.*

II.ª SENTENTIA, *probabilior, neg.*, quia juramentum naturam actus sequi debet, juxta dicta *n.* 926, ex can. 1318, § 1: quum enim sit quid accessorium, necesse est ut cadat cadente principali. Praeterea juramentum esset actus prorsus inutilis, imo ridiculus. Nam, v. gr., post pecuniae traditionem a te vi juramenti factam latroni, eamdem pecuniam statim a latrone, etiam vi adhibita, recuperare posses; quod prorsus illusorium foret. Atqui Deus, juxta

(1) «Jusjurandum stricte est interpretandum *secundum jus* et secundum intentionem jurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui juratur» (*can.* 1321).

communem sententiam, juramenta vana et inutilia non censetur acceptare. Ergo... *S. Antoninus.*

N. B. 1.° Haec secunda sententia praeferenda videtur quando contractus fuerit *nullus* et *irritus*, sive jure naturae, sive jure positivo juxta dicta, *n.* 926. Verum si contractus sit jure naturae validus jure autem positivo *rescindi possit*, tunc magis placet prima sententia. Obligatio autem, juxta hanc sententiam, e virtute religionis orta, auctoritate ecclesiastica relaxari potest. Etenim «jusjurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest» (*can.* 1317, § 2).

Nec tamen certa haec sententia dici potest, quia juramentum metu extortum, quo quis renuntiat favori sibi a lege concesso, non videtur obligare. Nam ex Codice: «jusjurandum *nec vi* nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae» (*Ibid.*, § 3).

2.° Supponitur metum deliberationem mentis non abstulisse. Idem teneas de quocumque juramento libere praestito et contractui addito.

Si juramentum nullo modo liberum sit, erit prorsus invalidum.

Cfr. dicta *n.* 399. Vide etiam *Génicot*, *nn.* 599, 600.

ARTICULUS II

DE MODIS CONTRACTUI PRAEFINITIS

929. — *Modus* est qualitas adjecta, non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium, v. gr., *do tibi hanc domum ut studia ecclesiastica prosequaris, vel cum obligatione struendi in ea monasterium.*

Contractus modales praecipue fiunt: 1.° in diem, 2.° sub causa, 3.° sub poena, 4.° sub demonstratione, 5.° sub disjunctione.

Resolves:—1.° Modus servandus est ex justitia, nisi repugnet substantiae contractus.

2.° Illius violatio ordinarie, et nisi aliter conventum fuerit, non irritat contractum: quia ut quid mere accidentale habetur.

3.° Si modus sit natura sua impossibilis, habetur pro non adjecto, nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturae repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit. Modus turpis aut jure impossibilis reddit nullum contractum. Cfr. *Waffelaert*, I, *n.* 488; *Wernz*, III, *n.* 245.

4.° In contractu *ad diem* (certo futurum) obligatio statim oritur, sed *effectus* ad diem determinatum suspenditur, v. gr. do tibi centum quando pater meus morietur. Cfr. *Lugo*, *disp.* 23, *n.* 142.

5.° In contractu *sub causa* (*quia*, v. gr., duco te *quia* nobilis es) vel sub *demonstratione* (vendo hoc vel tantum), error non invalidat, nisi *ad essentiam* rei pertineat.

6.° Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative;* si vero *taxative*, ut ajunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative*, si res primo loco exprimatur et postea ejus quantitas, v. gr., lego *Titio* praedium meum triginta jugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res, v. gr., lego tres aureos in tali capsula. Sed adjuncta rerum perpendenda sunt.

7.° *a*) In contractu *sub poena*, id est, quoties resilienti poena imponitur, poena haec ex justitia debetur, si petatur; saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Poena tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

b) *Jure* **hisp.-ph.**, debitor nequit eligere solutionem poenae ut se excuset ab obligatione contractus, nisi *explicite* id cautum fuerit; nec vicissim creditor utrumque simul exigere potest, nisi explicite id fuerit conventum (*a.* 1153).

Per solutionem poenae debitor, si contractui non steterit, eximitur ab obligatione reparandi damna et solvendi reditus, nisi contrarium fuerit in pactum deductum (*a.* 1152). Si obligatio principalis fuerit nulla, etiam clausula poenalis nulla erit, sed non vice versa (*a.* 1155).

[Cohaeret jus **Amer. lat.**: **aeq.**, 1525 *seq.;* **arg.**, 686 (652) *seq.;* **bol.**, 817 *seq.;* **bras.**, 916 *seq.;* **chil.**, 1535 *seq.;* **col.**, 1592 *seq.;* **cost.**, 708 *seq.;* **guat.**, 1472 *seq.;* **nic.**, 1535 *seq.;* **per.**, 1301 *seq.;* **Salv.**, 1521 *seq.;* **ur.**, 1337 *seq.;* **ven.**, 1175 *seq.*].

8.° In contractu *sub disjunctione*, v. gr., promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem (C. **hisp.**, (*a.* 1132). Quando alterutra casu periit, altera praestari debet (*a.* 1134); quod si haec altera pereat culpa debitoris, hujus pretium solvere debet, et damna et praejudicia reparare (*a.* 1135); si vero utraque casu perierit, debitor ad nihil tenetur, nisi fuerit in mora culpabili.

Si jus eligendi expresse concessum sit creditori, tunc si aliqua res pereat culpa debitoris, creditor eligere potest vel rem quae subsistit, vel pretium illius quae periit; si omnes pereant culpa debitoris, creditor eligere potest pretium alterutrius (*a.* 1136).

[Cohaeret jus **Amer. lat.**: **aeq.**, 1489 *seq.;* **arg.**, 669 (635) *seq.;* **bol.**, 780 *seq.;* **bras.**, 884 *seq.;* **chil.**, 1499 *seq.;* **col.**, 1556 *seq.;* **cost.**, 654 *seq.;* **mex.**, 1363 *seq.;* **nic.**, 1499 *seq.;* **Salv.**, 1485 *seq.;* **ur.**, 1323 *seq.;* **ven.**, 1143 *seq.*

ARTICULUS III

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS

(**Hisp.-ph.**, 1113 *seq.*; **aeq.**, 1463 *seq.*; **arg.**, 561 (527) *seq.*; **bol.**, 759 *seq.*; **chil.**, 1473 *seq.*; **col.**, 1530 *seq.*; **cost.**, 678 *seq.*; **guat.**, 1450 *seq.*; **mex.**, 1328 *seq.*; **nic.**, 1473 *seq.*; **per.**, 1278 *seq.*; **Salv.**, 1459 *seq.*; **ur.**, 1380 *seq.*; **ven.**, 1045 *seq.*).

930. — *Conditio* est qualitas contractui adjecta, quae *plerumque* illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam *si*, *nisi*, *modo...*, etc.

Multiplex est conditio, quae contractibus apponi potest, scilicet: 1.° *expressa*, vel *tacita;* 2.° de *praesenti*, vel de *futuro;* 3.° *possibilis*, vel *impossibilis;* 4.° *necessaria*, aut mere *contingens;* 5.° *honesta*, vel *inhonesta;* 6.° *potestativa*, vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est; 7.° *positiva*, vel *negativa;* 8.° *contraria* substantiae contractus, vel non.

931. **Resolves:** — 1.° Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2.° Conditio *de futuro* de re turpi aut impossibili (*juridice*, tantum ex **bras.**, 116, in quo physice impossibiles pro non adjectis habentur), contractum nullum, tum jure *naturae* tum civili *rom.*, **hisp.-ph.**, *a.* 1116; **lusit.**, 683, et **Amer. lat.**, reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen jure *communi*, **guat.**, 717, et **per.**, 598, donationes *inter vivos;* et tum jure communi tum jure **hisp.-ph.**, *a.* 792; **lusit.**, 1743; **cost.**, 615; **guat.**, 821, 885; **mex.**, 3251; **per.**, 719, 792, et **ven.**, 810, donationes per testamenta, in quibus conditiones *turpes* pro non adjectis habentur. [Reliqui CC. nullam exceptionem admittunt. Cfr. **aeq.**, 1089, **arg.**, 3642 (3608); **chil.**, 1093; **col.**, 1151; **nic.**, 1093; **Salv.**, 1121; **ur.**, 935]. — Item dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adjecta, modo substantiae contractus contraria non sit. *Ita ex jure canonico.*

3.° Conditio de *praesenti* et *praeterito* (sive honesta sit sive inhonesta) non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, aut non inducit, quia vel exsistit, vel non; proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus (**hisp.-ph.**, *a.* 1113, et **Amer. lat.**).

4.° Conditio non tantum aequivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, *si nupseris*, quam impleri dicunt per ingressum in religionem; secus enim conditio turpis esset. Vide *S. Alph.*, *n.* 930. — Excipe, si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. gr. si nupseris *Paulo;* quia justa et honesta ratio tunc adesse potest.

5.° Conditiones *potestativae*, seu quae a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletae censentur non solum cum id praestatur, quod instar conditionis injunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia; sed etiamsi id re ipsa non praestetur, quando scilicet ille, qui se obligavit sub conditione, impedivit quominus illa adimpleretur (*a.* 1119; **lusit.**, 679, 1744; **bras.**, 120), (v. gr. domina dat mille francos famulae sub conditione ut haec perpetuo maneat in suo famulatu. Conditio habetur adimpleta si domina fiat monialis, dum famula adhuc suo servitio adicta erat); vel etiam, si ille qui debebat eam praestare impeditus est a tertio, cujus intererat, ne conditioni satisfaceret (v. gr. lego Titio mille aureos si nubat cum Berta. Conditio censetur adimpleta si Berta non vult nubere cum Titio ne legatum perveniat ad Paulum). — V. **Casus**, *n.* 787 *seq.*, et *n.* 854 *seq.* [Cfr. **bol.**, 769; **cost.**, 682; **ven.**, 1123 *seq.*]

932.—*N. B. Jure* **hispano-phil.**: 1.° Conditio *potestativa*, quae unice a *voluntate* se obligantis pendet, nullum reddit contractum: *aa.* 1115, 1256, 1449.

2.° Conditio *resolutiva* seu ea cujus verificatio contractum validum resolvit et partes restituit in illum statum quo ante contractum erant (*a.* 1123), subintelligitur in omni contractu *bilaterali* pro casu quod altera pars suae obligationi non satisfecerit, *a.* 1124 (Cfr. etiam **hisp.-ph.**, *aa.* 1113-1124). Cohaerent CC. cit. **Americae latinae.**

3.° Legatum relictum puellae sub conditione ut non nubat, debetur ei etiamsi nubat. Haec enim conditio habetur pro non adjecta tum ex jure *rom.* (*Quoties* Dig. *de Condition. et demonstr.*), tum ex jure **hisp.-ph.**, 792, 793; [**lusit.**, 1808; **aeq.**, 1064; **chil.**, 1074; **col.**, 1132 *ref. por el art.* 720 *de la ley* 95 *de* 1890; **guat.**, 822; **mex.**, 3265; **nic.**, 1074; **per.**, 720; **ur.**, 927; **ven.**, 811]. Valet tamen conditio jure **hisp.**, 793, si conjugi superstiti imponatur a defuncto conjuge, vel ab hujus ascendentibus.

Potest tamen relinqui habitatio, pensio, usus, vel usufructus alicui personae pro toto tempore quo maneat caelebs, vel vidua: **hisp.-ph.**, 793; [**aeq.**, 1065; **chil.**, 1076; **col.**, 1134; **mex.**, 3266; **nic.**, 1076; **ur.**, 928; **ven.**, 811].

4.° [Jure **mex.**, habetur etiam pro non adjecta conditio heredi aut legatario imposita, non dandi, non faciendi, statum eligendi vel non eligendi: *aa.* 3265].

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

AC 1.° DE CONTRACTIBUS GRATUITIS, 2.° DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

SECTIO I

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Nimirum: 1.° de promissione, 2.° de donationibus, 3.° de commodato et precario, 4.° de deposito et sequestro, 5.° de mandato et gestione negotiorum, 6.° de mutuo...

CAPUT I

DE PROMISSIONE

933. — *Promissio* est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito praestandum vel omittendum in alterius favorem. Conditiones ad obligationem promissionis requisitae sunt:

1.ª Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere quisquis serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2.ª Ut consensus ejusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem, omnisque coactio vel metus injustus.

3.ª Ut ipsa promissio sit exterius manifestata, et *acceptata;* siquidem omne pactum debet constare mutuo consensu duorum vel plurium in idem objectum; et aliunde nemo censetur velle sese erga aliquem obligare, nisi iste acceptet. Cfr. *Wernz*, l. c., *n.* 254.

934. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *Quae et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatae?*

Resp. Controvertitur inter theologos. Triplex datur sententia probabilis juxta *S. Alph.*, *n.* 720.

I.ª SENTENTIA tenet, promissionem, *per se*, solum obligare sub peccato veniali, et ex mera fidelitate. Ratio est, quia contractus gratuitus obligat solum vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. *Salmant.*, *Saettler et alii.*

II.ª SENTENTIA dicit, promissionem seriam in re gravi obligare sub gravi ex justitia, independenter ab intentione promittentis. Ratio est, quia promissio gratuita non est diversi ordinis ac promissio onerosa, ratione obligationis, quum sit contractus stricte dictus. *Antoine, q.* 3, etc.; *Wernz*, l. c.

III.ª SENTENTIA, *communior* et *probabilior*, docet obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde si ille intendat se ex justitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur. *Lugo, Billuart, Sporer*, etc. — Porro ad materiam gravem in promissione requirunt quantitatem *quadruplo* majorem quam in furto mortali. *S. Alph.*

Et haec quidem de promissione *proprie* sumpta. Nam saepius promissiones, quales communiter fiunt, neque ex justitia neque ex fidelitate obligant, quia promittens non intendit suam fidem stricte obligare, sed mere propositum suum enuntiare.

935. — QUAER. 2.° *Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi aut sub levi, juxta patronos tertiae sententiae?*

Resp. Probabilius pro minima parte standum est, quia in dubio non est imponendum onus certum, praesertim in promissione, quae maximam requirit ultroneitatem. *S. Alph., n.* 720. — Certum praeterea est, promissionem serio factam et acceptatam in re gravi posse, *per accidens*, obligare sub gravi ex justitia; ut si intercederet ratio ingentis damni proximo obvenientis ex promissione non servata. *Scavini.*

QUAER. **3.°** *An aliquis possit promissionem acceptare per alium?*

Resp. Affirm. Potest quis acceptare promissionem per quempiam ad id electum, aut per familiarem, quia una moraliter persona cum eo constituere censetur. Potest etiam promissionem acceptare per alium, qui ejus curam gerit, v. gr. pater pro filiofamilias, religiosus pro monasterio, praelatus pro ecclesia sua, maritus pro uxore.

QUAER. 4.° *Quandonam cesset vis promissionis acceptatae?*

Resp. 1.° Si promissarius sponte condonet, aut juri suo cedat. — 2.° Si res promissa fiat illicita vel inutilis. — 3.° Si promissarius non stet suis promissis. — 4.° Si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum comprehendere. — 5.° Si causa quae ad promittendum movit, nullatenus subsistat. *S. Alph., ibid.*

936. — QUAER. 5.° *An vel quatenus obliget promissio, si ante exsecutionem moriatur promissarius, vel promittens?*

Resp. ad 1.um *Disting.* Nullo modo obligat, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si promissio facta sit praecipue intuitu familiae promissarii, vel ipsius heredum.

Resp. ad 2.um Mortuo promittente, promissio debitis vestita conditionibus ab ejus heredibus adimplenda est; quia omnis obligatio realis ad heredes transire debet eodem modo, eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi vel sub levi, ex justitia vel fidelitate, tenebuntur heredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adjunctis rei aut signis manifestatum sit promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. *Lugo*, *Reuter*, etc.

937.—Casus. *Silvinus* famulae suae *Perpetuae* interdum dictitat, se ipsi praeter annuum stipendium, centum scuta erogaturum esse, vel eamdem pecuniae summam in suo testamento mox conficiendo, legati instar, esse relicturum. Sed ecce! repentina morte corripitur *Silvinus*, antequam propositum perficere potuerit. *Perpetua* vero absque mora promissam sibi pecuniam clam surripere festinat. An recte? *Resp.* Minime. Promissio enim saltem probabiliter obligat tantum ex fidelitate, nec dat proinde ullam facultatem rem promissam propria auctoritate occupandi. Vide supra, *n.* 933. — Excipe nisi promittens voluerit se ex justitia obligare, vel promissio fuerit remuneratoria, ut in casu censeri etiam potest. (Vide infra, *nn.* 963 *et* 972; *Lugo*, *d.* 23, *n.* 100). — Ceterum communiter hae promissiones non sunt nisi mera *propositi* significatio, et dumtaxat voluntatem aliquid donandi enuntiant. *Gousset.* — V. **Casus**, *n.* 797 *et seq.* Cfr. infra, *n.* 972.

N. B. Ex promissione oritur tantum jus *ad rem*, non jus *in re*. Cfr. *Lugo*, l. c., *n.* 128.

CAPUT II

DE DONATIONIBUS

1.° De donationibus in genere, 2.° de variis donationum speciebus.

[*De donationibus praesertim inter vivos quoad* **Lusit.**, cfr. *aa.* 1452-1505; *quoad* **Amer. lat.**, cfr. *respectivos CC., scil.* **aeq.**, 1376-1426; **arg.**, 1823-1902 (1789-1868); **bol.**, 663-687; **bras.**, 1165-1187; **chil.**, 1386-1486; **col.**, 1443-1493; **cost.**, 1394-1408; **guat.**, 697-745, et 131-151 *de la ley de ref. del C. C.*; **mex.**, 2594-2660; **nic.**, 1386-1486; **Salv.**, 1375-1422; **ur.**, 1587-1634; **ven.**, 1029-1069].

ARTICULUS I

DE DONATIONIBUS IN GENERE

938. — *Donatio in genere* est cessio gratuita alicujus rei in favorem alterius. Duobus praecipue modis fieri potest, nempe, *inter*

vivos et *per testamentum*, ut dicemus in articulo sequenti. Nunc autem dicendum occurrit: 1.° de conditionibus donationis; 2.° de casibus nonnullis, in quibus donationes, licet validae, non plenum sortiuntur effectum.

§ I. *De conditionibus donationis.*

939. **Principia.** — I. *Ex parte donantis* requiritur: 1.° ut non sit incapax *de facto*, id est, ut sit sanus mente, quando vel donatio *inter vivos* perficitur, vel conficitur testamentum, et ut cum sufficiente libertate agat; 2.° ut non sit incapax *de jure*, quando donationem perficit, aut testamentum condit.

II. *Ex parte donatarii* requiritur habilitas ad recipiendum. Habiles autem sunt omnes homines, qui recipiendi donationes per legem non constituuntur incapaces. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes, vel alii usu rationis carentes, quum sint dominii capaces, et res acceptare vel occupare per alios possint, v. gr., per parentes, tutores, etc., juxta dicta *n.* 674.

940. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quinam* EX JURE *inhabiles sint ad donandum?*

Resp. Ex jure romano, sunt sequentes: 1.° surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant; 2.° damnati crimine capitali; 3.° pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti; 4.° conjuges inter se, nisi donatio sit modici momenti; 5.° pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum, et similium. Sed haec intelligenda sunt *de donationibus inter vivos.*

Jure **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, donationes facere possunt omnes qui possunt contrahere et de bonis suis disponere (*a.* 624).

941. — QUAER. 2.° *Quinam donationem accipere nequeant?*

Resp. De jure communi acciperent invalide: 1.° omnes accipientes ab iis, qui donationes facere nequeunt; — 2.° accipientes ab iis, qui sunt aere gravati; et hi quidem juxta veriorem sententiam ad compensationem damni creditori inde obvenientis tenentur. *S. Alph.*, *n.* 722; — 3.° accipientes in defraudationem *legitimae*, quae heredibus necessariis debeatur. *S. Alph.*, *nn.* 722, 740, etc. — 4.° medici, chirurgi et pharmacopolae, quibus infirmi pro salute recuperanda aliquid obtulerint vel promiserint. *Leg.* 9, *c. de profess. et medic.*; — 5.° filii ex incestu nati, nec per donationem, neque per testamentum, quid accipere possunt a suis parentibus, qui sibi invicem nequeunt disponere. *Leg.* 6, *c. de incest. nupt.*; — 6.° concubina et filii ex eadem habiti, nec per testamentum neque per donationem possunt, simul accepti, accipere a concubinario qui filios legitimos habeat, plusquam *duodecimam* bonorum suorum partem, ex qua duodecima parte concubina sola potest dimi-

dium accipere. *Nov.* 89, *cap.* 12; — 7.° nemo potest quovis titulo conjugi secundo plus relinquere, quam ei ex filiis primi matrimonii cui minus elargitus sit. *Leg.* 6, *c. de secund. nupt.*

Jure autem **hisp.-ph.** (*aa.* 624, 636, 643) et **Amer. lat.**, inhabiles non habentur ii qui sub *nn.* 4.°-7.° hic recensentur. Inhabiles vero sunt ii qui sub *nn.* 1.°-3.° indicantur.

Praeterea inhabiles sunt jure **hisp.**, *a*) uxor sine consensu mariti (*a.* 61); **phil.**, *a.* 49 decr. 29 dec. 1889. [Ita etiam **aeq.**, 131; **arg.**, 1842 (1808); **bol.**, 134; **chil.**, 137; **col.**, 182; **nic.**, 140; **mex.**, 198, 2630; **per.**, 182; **Salv.**, 185; **ur.**, 136. Contrarium tenet **cost.**, *a.* 78].

b) Conjuges inter se, exceptis modicis donationibus factis occasione aliqua fausta pro familia (**hisp.**, 50, et **hisp.-ph.**, 1334). [Etiam **arg.**, 1841 (1807); **bol.**, 674; **per.**, 627; **ur.**, 1631; **ven.**, 1033. Contr. tenet **cost.**, *a.* 78].

e) Filii unius conjugis respectu alterius, et *d*) illi, quorum heres necessarius sit unus conjux, respectu alterius conjugis (**hisp.-ph.**, 1335, et **arg.**, *a. cit.*). Tria ultima intellige de *donationibus inter vivos*, et duo postrema, durante conjugio.

[Jure vero **lusit.**, 1178 *seq.*; **chil.**, 1138 *seq.*; **col.**, 1196; **mex.**, 2114 *seq.*; **nic.**, 1138 *seq.*; **Salv.**, 1164 *seq.*, conjugibus inter se facere donationes licet; omnes tamen sunt revocabiles ad nutum donantis, nec confirmantur irrevocabiliter nisi post hujus mortem].

942. — QUAER. 3.° *Quaenam quantitas bonorum dari possit ab iis, qui sunt habiles ad donandum?*

Resp. Si nullos habeant heredes necessarios, nullis constringuntur limitibus. Si vero necessariis heredibus minime careant, eis licebit ad modum donationis *inter vivos* eam bonorum quantitatem erogare aliis, quam per legata elargiri potest, qui testamentum condit. Igitur conferas dicenda de testamentis, *n.* 960.—V. **Casus**, *n.* 802 *et seq.*

Jure **hisp.**: 1.° donatio potest comprehendere omnia bona praesentia, non autem futura [**lusit.**, 1453; **aeq.**, 1399; **col.**, 1466; **chil.**, 1409; **nic.**, 1409; **Salv.**, 1398; **ur.**, 1599], vel aliqua tantum, modo *a*) donans sibi reservet, saltem quoad usumfructum, quidquid sibi necessarium est ad honestam sustentationem pro ratione sui status [**lusit.**, 1460; **aeq.**, 1398; **col.**, 1465; **bras.**, 1175; **chil.**, 1408; **mex.**, 2613; **nic.**, 1408; **Salv.**, 1397; **ur.**, 1599], et *b*) nihil ultra donet praeter id quod per testamentum donare possit: **hisp.-ph.**, 634, 636; **aeq.**, 1406; **col.**, 1473; **bras.**, 1176; **Salv.**, 1402; **ur.**, 1600]. — 2.° Ad validitatem donationis (exceptis antenuptialibus) requiritur acceptatio: **hisp.-ph.**, 629 et 1330; [**aeq.**, 1402; **bras.**, 1165, 1173; **chil.**, 1412; **col.**, 1469; **nic.**, 1412, **Salv.**, 1400; **ur.**, 1594. Quoad jus **per.**, cfr., *a.* 589 *seq.*].

N. B. Hujusmodi limitationes a jure civili inductae (de quibus diximus sub n. 1.°) nequeunt vim habere quoad causas pias: etenim

jus civile nequit impedire consilia evangelica ex quibus laudabiliter potest quis omnia sua bona etiam futura in favorem causae piae donare. Cfr. *Lugo*, l. c., *disp.* 28, *nn.* 159, 166; *Wernz*, l. c., *n.* 255, V.

§ II. *De casibus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum.*

A) *De collatione.*

943. — Tum jure *romano* tum *jure* **hispano** (1) (*aa.* 1035, 1036), **lusit**., 2098 *seq.*, et **Amer. lat.**, si quis sit heres *necessarius* ejus a quo aliquid accepit, et defunctus nihil expresse statuerit, quo aequalitati inter heredes derogetur; omnis dispositio, sive directa sive indirecta, qua laedatur illa aequalitas, supponitur in intentione ejus tantummodo fuisse *temporanea concessio fruitionis rei datae*; idcirco mortuo donatore res ipsa debet in successionem referri vel reduci pro rata juris laesi, nisi tamen donatarius ea contentus hereditati renuntiare malit: hoc est quod lex vocat *collationem*.

Collatio igitur est actus quo unus ex heredibus *necessariis* ad summam bonorum, quam testator inter heredes *necessarios* dividendam reliquit, ea bona refert quae a donatore accepit, ut inter omnes ex aequo dividantur. **Arg**., 3510 (3476) *seq.*; **guat**., 993; **ur**., 1075 *seq.*

N. B. Juxta eos codices qui legitimam nullam assignant (v. gr. **cost**., **guat**., **mex**.) et consequenter nec heredes necessarios admittunt, non datur locus collationi. Cfr. infra, *n.* 981.

944. Principia. — I. Omnis heres *necessarius* veniens in successionem cum aliis heredibus necessariis referre debet quaecumque accepit a defuncto per dispositionem gratuitam *inter vivos*, nisi adsit *expressa dispensatio* ex parte donatoris. Sic ex *jure romano*, **hispano**, **lusit**. et **Amer. lat** *S. Alph.*, *n.* 954.

Jure **hispano**, heres necessarius veniens in hereditatem ascendentium, non debet conferre quod ab ipsis ejus filii acceperunt (*a.* 1039; **lusit**., 2100 *seq.*; **arg**., 3515 (3481); **guat**., 995; attamen si ejus filii, mortuo patre, in avi hereditatem veniant. conferre debent tum quae pater tum quae ipsi ab avo acceperunt (**hisp.-ph**., 1038; **arg**.. 3516 (3482); **guat**., 995; **ur**., 1078).

II. Collatio duplici modo fieri potest: 1.° *in specie*, id est, referendo rem ipsam donatam; 2.° minus accipiendo. — Prior modus fit ordinarie in immobilibus, posterior autem in mobilibus; imo

---

(1) Jure **phil.** (*a.* 760 *Cod. process. civil.*), filius non debet conferre quae a patre accepit, nisi hoc expresse pater statuerit, vel nisi laedat legitimam. Quoad reliqua jus **phil.** cohaeret cum jure **hisp.**

jure **hisp.-ph.**, 1047, 1048, semper etiam in immobilibus. [Cfr. etiam **aeq.**, 1196; **bras.**, 1786, 1792; **chil.**, 1206; **col.**, 1264; **guat.**, 185 *seq.*, *de la ley de reform. del C. Civ.;* **nic.**, 1206; **Salv.**, 1290; **ur.**, 1083 *seq.*].

III. Eximuntur a collatione variae donationes, scilicet: 1.° si quae testator dedit, heredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *praecipui juris* intra limites partis, de qua disponere poterat (**bras.**, 1788); 2.° si expensae factae a donatore fuerint in alicujus favorem, v. gr. in alimenta (**lusit.**, 2105), vestes, munera consueta, etc. Item expensae nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendae, et similia. *S. Alph., n.* 955; *C. C.* **hisp.-ph.**, 1041; [**aeq.**, 1188, 1193; **arg.**, 3514 (3480); **bras.**, 1793; **chil.**, 1198, 1203; **col.**, 1256, 1261; **guat.**, 994; **nic.**, 1198, 1203; **Salv.**, 1221, 1227; **ur.**, 1081].

Conferendae tamen sunt, jure **hisp.-ph.**, *aa.* 1035, 1045, donationes factae ad dotem constituendam et ad debita solvenda: [**aeq.**, 1193; **bras.**, 1787; **chil.**, 1203; **col.**, 1261 *seq.*; **ur.**, 1080. Contrarium statuit **arg.**, 3514].

Nec sunt necessario referendae donationes manuales, nisi maximi sint momenti [**aeq.**, 1178; **chil.**, 1188; **col.**, 1246; **nic.**, 1182; **Salv.**, 1211].

945. Quaesita. — Quaer. 1.° *An referendi sint fructus rerum referibilium, quos percepit donatarius ante mortem testatoris?*

Resp. Neg., quia non subjiciuntur collationi, nisi a die qua successio aperta fuit; secus omnino inutilis fuisset donatio. Idem intellige quando donatio sit reducenda. Omnes fructus percepti sunt donatarii. *C. C.* **hisp.-ph.**, 654; [**aeq.**, 1195; **bras.**, 1792; **chil.**, 1205; **col.**, 1263; **guat.**, 1007; **nic.**, 1205; **Salv.**, 1229; **ur.**, 1086].

Quaer. 2.° *An filius teneatur referre ea, quae de bonis paternis male expendit, v. gr.: in ludis, potationibus, etc.?*

Resp. Neg., nisi expensae fuerint excessivae; minime vero, si plus non expendit, quam pater contentus fuisset, ut in honestas recreationes impenderet. *S. Alph., n.* 957.

Quaer. 3.° *An conferendae sint expensae factae a patre in gratiam filii pro doctoratu, beneficio, studiis, libris, etc., etc.?*

Resp. Neg., quia haec in bonum commune familiae cedunt, nempe in ejus honorem, commodum, etc. Aliunde gratuitò a parentibus filio donata censentur. *S. Alph., n.* 955. Ita **bol.**, 640. — Excipe tamen, si expensae extraordinariae fiant.

Attamen jure **hisp.-ph.** videntur referendae expensae pro doctoratu, beneficio, aliove titulo honorifico (*a.* 1043); non autem pro studiis, nec pro gradu *licentiae, nisi aliter pater statuerit* (cfr. etiam pro jure foral. Arag. S. Tr. S. 31 dec. 1909: *Alcubilla*, App. 1910, *pag.* 415), vel nisi hujusmodi expensae sint in detrimentum legitimae (*a.* 1042). [Ita etiam **arg.**, 3514 (3480). Haec omnia referenda sunt ex **lusit.**, 2104, et **ur.**, 1082].

946. — QUAER. 4.° *An conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum?*

Resp. Affirm., si redimatur in propriam utilitatem, quia id aequalitas postulare videtur; secus si filius redimitur in utilitatem patris, v. gr. infirmi, senis vel pauperis, aut familiae sustentandae; quia familia, quae commodum percipit, onus etiam ferre debet. *Rogron, in art.* 851 *cod. civ. gall.; Gousset, Cod. civ. commenté, art. cod. civ.* 852.—Ita videtur dicendum etiam jure **hisp.-ph.**, quamvis art. 1043 simpliciter dicat conferendam esse hujusmodi pecuniam. (Vide reliquos *aa.* 1035-1050.

B) *De reductione donationum vel legatorum.*

947. — *Reductio*, ut ajunt, donationis vel legati, est ejusdem *rescissio* pro rata excessus supra quantitatem, de qua disponi queat; quae quidem rescissio auctoritate publica fiat oportet. Reductio autem locum habet etiam in casu quo heres necessarius, donatione contentus, hereditati renuntiet (*a.* 1036).

Jure **hisp.-ph.** (1), reductio hoc modo fit: *a*) cum bonis quae habebat testator tempore mortis computantur donationes factae quocumque tempore, etiam inter vivos (*a.* 818). Donationes filiis, *nisi titulo meliorationis*, factae, eorum legitimae imputantur; factae vero extraneis, imputantur parti, de qua testator libere disponere potest (*aa.* 818, 844; **lusit.**, 1790; **ur.**, 1077). Si legata simul cum donationibus laedant legitimam, tum imprimis reducuntur omnia *legata* pro rata; si vero aliquod legatum sit aliis praeferendum ex mandato testatoris, hoc non reducitur, nisi, suppressis aliis, adhuc legitima laedatur (*a.* 820).

b) Si reductio vel etiam suppressio omnium legatorum non sufficiat, tunc pervenitur ad reducendas *donationes* hoc pacto: primo reducitur vel etiam, si opus est, omnino supprimitur donatio tempore posterior; si hoc satis non sit, reducitur vel supprimitur quae illam immediate praecedebat, et ita porro **hisp.-ph.**, *aa.* 654, 656, 819, 820, 821, 1036, 1039, 1040, 1044; [**lusit.**, 1493 *seq.*; **aeq.**, 1177; **chil.**, 1187; **col.**, 1245; **nic.**, 1187; **ur.**, 865].

c) Casu quo legata non laedant legitimam, v. gr. quia non sunt heredes necessarii, sed tamen bona hereditatis non sufficiant ut omnibus legatis fiat satis, tunc legata solvenda sunt ordine sequenti: 1.° remuneratoria; 2.° rei certae ac determinatae quae inter bona hereditatis reperiatur; 3.° ea quae sunt praeferenda ex dispositione testatoris; 4.° pro alimentis; 5.° pro educatione; 6.° reliqua pro rata (*a.* 887).

---

(1) Excipe quoad **phil.** casum notae ad *n.* 943.

ARTICULUS II

DE VARIIS DONATIONUM SPECIEBUS

Nempe 1.° de donatione *inter vivos*, 2.° per testamentum, 3.° mortis causa, 4.° per fideicommissum.

§ I. *De donatione inter vivos.*

Haec donatio est actus seu contractus, quo donator privat se actualiter, et modo *irrevocabili*, re aliqua in favorem donatarii acceptantis.

948. — Donatio *inter vivos*, etiam mere verbalis, debitis vestita conditionibus, *per se* seu *de jure naturali*, statim transfert irrevocabiliter dominium, ut constat ex dictis *n.* 939. De jure autem positivo, donationes confici debent juxta formas lege praescriptas, saltem ut effectum in foro externo obtineant. *Jure* **hisp.-ph.**, *aa.* 632, 633, valet donatio mobilium verbis facta, modo *simul res ipsa tradatur;* secus in scriptis constare debet donatio et acceptatio; donatio vero et acceptatio immobilium *scriptura publica* fieri debent, secus invalidae erunt.

949. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis?*

Resp. Donatio sicut et promissio absenti facta per litteras ad ipsum nominatim scriptas, vel per nuntium aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio aut eo qui donatorem repraesentat, vel per alias litteras ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter enim constare nequit de mutuo donatoris et donatarii consensu in idem placitum. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 130. Vide dicta *n.* 909, 6.°

QUAER. 2.° *Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?*

Resp. 1.° Si donator revocet donationem antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio quem misit, jam nuntius nihil amplius potest efficere; siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta. *S. Alph.*, Hom. apost., *ibid.*

Resp. 2.° Si autem revocatio non innotescat nuntio ante exsecutionem, tum distinguendum est: vel ille se habet solum instar nuntii referentis alterius donationem aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent ejus acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id quod ex vi mandati, bona fide, ejus nomine gestum est.

950. — QUAER. 3.° *An valeat donatio, si donator ante acceptationem moriatur?*

Resp. Neg. (**lusit.**, 1465), si tantummodo mandatum donationis faciendae dederit; nisi tamen tum mandatarius tum donatarius mortem mandantis ignoraverint. *S. Alph.*, *n.* 730; **hisp.-ph.**, 1738. — *Affirmant* tamen probabiliter *plures*, si donatio jam facta sit, et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam ad illam manifestandam. Verum hoc, jure **hisp.-ph.**, 623, 629; [**arg.**, 1183 (1149); **ven.**, 1037], sustineri nequit, quum donatio non perficiatur nisi ex quo donanti innotescat acceptatio donatarii.

QUAER. 4.° *An mortuo donatario ante acceptationem, possit heres ejus donationem acceptare?*

Resp. Neg., *probabilius*, quia heres succedit quidem in juribus realibus defuncti, non vero in personalibus, cujusmodi jus est acceptandi donationem [ita omnino **arg.**, 1183 (1149); **col.**, 1472]; nisi forte sit filius donatarii, quia tunc praesumeretur talem esse donantis mentem, prouti quidam admittunt, sin minus stricto jure, saltem ex quadam aequitate. Volunt tamen aliqui ut donatio etiam aliis heredibus prodesse possit, et hoc valet ex **guat.**, 705, et **per.**, 586, quoad heredes necessarios.

Jure **hisp-ph.**, *a.* 630, et **mex.**, 2612, responsio negativa quoad omnes heredes tenenda est, quia ad donationem acceptandam requiritur mandatum speciale, vel saltem generale et sufficiens.

QUAER. 5.° *An obliget donatio jurata, sed non acceptata?*

Resp. Neg., quia cum sit irrita jure naturae ob defectum essentialem, non firmatur juramento. Vide dicta *n.* 925 *seq.*

951. — QUAER. 6.° *Quas ob causas donatio revocari possit?*

Resp. 1.° Donator, jure *rom.*, **hisp.** et **Amer. lat.**, hanc revocationem obtinere potest: 1.° si conditiones appositae non praestentur; 2.° si donatarius se exhibeat ingratum erga donantem in casibus a lege determinatis, nisi tamen sint donationes matrimonii causa. [Cfr. **hisp.-ph.**, 647, 648; **lusit.**, 1482 *seq.*; **aeq.**, 1416, 1418; **arg.**, 1882 (1848) *seq.*; 1892 (1858); **bol.**, 676 *seq.*; **bras.**, 1181; **chil.**, 1426, 1428; **col.**, 1483, 1485; **cost.**, 1405; **guat.**, 731; **mex.**, 2644, 2646, *seq.*; **nic.**, 1426, 1428; **per.**, 615, 622; **Salv.**, 1412, 1414; **ur.**, 1606, 1608; **ven.**, 1055 *seq.*].

Resp. 2.° Revocatur *ipso jure*, si donatori, nullum descendentem viventem tempore donationis habenti, filius etiam postumus natus sit, vel si legitimum reddiderit filium naturalem post donationem natum, vel contingat vivere filium, qui mortuus credebatur. Excipiuntur quaedam donationes matrimonii causa. Ita *rom.*, **hisp.-ph.**, 644; **lusit.**, 1482 *seq.*; [**bol.**, 676, 684 *seq.*; **guat.**, 729; **per.**, 612; **Salv.**, 1410. Item **mex.**, 2634; **ven.**, 1055 *seq.*, sed non ipso jure. — At ex hoc titulo revocari nequit jure **arg.**, 1902 (1868); **aeq.**, 1414; **chil.**, 1424; **col.**, 1481; **nic.**, 1424; **ur.**, 1605].

952. — *N. B.* Donatio ecclesiae facta nequit revocari propter *ingratitudinem;* quia ingratitudo ad summum habebitur ex parte administratoris, non ecclesiae. Unde in Codice: «Donatio ecclesiae facta et ab eadem legitime accepta, propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit» (*can.* 1536. § 4). Ob natum filium revocari poterit, quatenus laedit legitimam. Cfr. *Wernz*, III, *n.* 255. Vide infra, *n.* 979.

Quaer. 7.° *Quid conjuges sibi invicem donare possint?*

Resp. Ex jure romano, generatim invalidae sunt conjugum reciprocae donationes. Excipe, 1.° nisi donatio juramento sit firmata; 2.° si interveniat mors donantis, qui ante donatarium decedat (**ven.**, *a.* 1033), modo res in vita tradita sit; 3.° si donatio sit remuneratoria, vel fiat causa mortis; 4.° si uxor donet viro, ut aliquam dignitatem consequatur. *S. Alph.*, *n.* 723. Quoad *jus* **hisp.-ph.** et **Amer. lat.**, vide dicta *n.* 941.

II. *De testamentis.*

Videlicet 1.° de natura, divisione et forma testamentorum; 2.° de testatore et heredibus; 3.° de dispositionibus testamentariis; 4.° de revocatione testamentorum; 5.° de exsecutore testamenti.

(*Quoad* **Amer. lat.** *in materia de successionibus et testamentis*, cfr. *respectivos CC., scil.* **arg.**, 3313-3908 (3279-3874); **aeq.**, 942-1375; **bol.**, 443 661; **bras.**, 1626-1769; **chil.**, 951-1385; **col.**, 1008-1442; **cost.**, 520-626; **guat.**, 746-1089, et *aa.* 151-198 *de la ley de ref. del C. C.*; **mex.**, 3227-3823; **nic.**, 950-1385; **per.**, 630-932; **Salv.**, 980-1374; **ur.**, 751-1160; **ven.**, 702-1028).

PUNCTUM I

De natura, divisione et forma testamentorum.

(Pro **Cathal.**, vide app. III. Item pro **Aragonia.**)

953. — Definitio. Testamentum est voluntatis nostrae justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit. (*Ita ex Modestino, l.* 1, *d.* Qui testamenta, etc.). Aliqui addunt: «cum directa heredis institutione».

Sed *jure* **hisp.-ph.**, *a.* 764; **lusit.**, 1739, 1794, 1839, et **Amer. lat.**, non requiritur heredis institutio ad valorem testamenti. Imo quamvis heres institutus hereditatem adire nolit, vel incapax sit, adhuc valet testamentum quoad alias clausulas juri conformes. Reliquum hereditatis ad legitimos heredes transfertur. *Ibid.* [Cohaeret jus **arg.**, 3744 (3710); **bol.**, 486; **col.**, 105; **mex.**, 3335, 3336, 3572 *seq.*; **ur.**, 829].

Divisio. Testamentum varie distinguitur:

Ex jure communi, sive romano: 1.° *Solemne*, in quo servantur omnes conditiones legibus praescriptae. Est autem duplex: 1.° *Clausum*, quod sigillo signatum traditur subscribendum *septem* testibus, idoneis, masculis, puberibus, etc., quibuscum subscribit testator, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet. 2.° *Apertum*, quod fit coram septem testibus, sive scripto aperto, sive viva voce. — *Plura apud juristas.* Ab aliis dividitur *in scriptum* (quod potest esse clausum, vel apertum) et *nuncupativum* (quod semper, ut patet, apertum erit).

2.° *Privilegiatum*, quod valet absque solemnitatibus; tale est testamentum a milite conditum, vel ab aliis tempore pestis, aut ceteris hujusmodi circumstantiis.

954. — I. Ex CC. **hispano** (1), testamentum dividitur in commune et speciale, *a.* 676.

Commune potest esse: *a*) *holographum* seu totum ipsius testatoris manu conscriptum; *b*) *apertum*, seu in quo ultima testatoris voluntas notario et testibus significatur, et *c*) *clausum*, in quo nempe ultima testatoris voluntas notario et testibus non manifestatur, sed dicitur tantum illa contineri intra clausum involucrum quod ipsis testator defert (*aa.* 676-678, 680; **arg.**, 3656 (3622) *Speciale* vero aliud est *militare*, aliud *maritimum* aliud *conditum in extera natione*, *a.* 677.

II. *a*) Testamentum *holographum* opus est ut totum scriptum et suscriptum sit propria ipsius testatoris manu, [**bol.**, 456, 457, admittit pro solis militibus], qui aetate sit *major*, adnotatis die, mense et anno quo datur [cohaeret jus **arg.**, *a.* 3673 (3639) *seq.*] (2). Si aliquid horum desit, nullum erit testamentum (*a.* 688). Si quid fuerit emendatum, vel appositum inter lineas, ipse testator subscriptione sua notare debet (*a.* 688); sed haec non spectant ad validitatem (S. Tr. S. 4 apr. 1895, ap. *Alcubilla*, App. 1895 y 1896, *pag.* 1007), ad quam certe requiritur ut *intra quinque annos* a morte testatoris,

---

(1) Jure **phil.**, juxta *Cod. process. civilis*, testamentum facere possunt qui plenum usum rationis habent et sunt majores aetate. Testamentum fieri debet in scriptis coram tribus testibus qui subscribant simul cum testatore, si hic sciat et possit scribere, secus alius loco ipsius et ex ejus mandato subscribet. Non requiritur notarius, *a.* 618. Sed post mortem testatoris debet probari coram judice authentia testamenti, *a.* 625.

Testamentum factum in **Philipp**. juxta leges aliarum nationum a subditis ipsarum, etiam validum erit, *a.* 636. Testes debent esse non caeci et habere plenum usum rationis et ad minus octodecim annos. Non possunt esse testes in testamento in quo illis aut eorum conjugi, parentibus aut filiis aliquid relinquatur, nisi testamentum praeterea subscribant alii tres testes idonei.

(2) Pro testamentis factis a die 21 jul. 1904 et deinceps jam non amplius requiritur papyrus sigillo signata; requiritur vero pro factis ante 21 jul. 1904, etsi testator post illum diem mortuus fuerit (S. Tr. S. 18 maj. 1907; 18 jan. 1910: *Alcubilla*, App. 1908, *pag.* 533; App. 1910, *pag.* 562).

hujusmodi testamentum deferatur primae instantiae judici, vel ultimi domicilii testatoris, vel loci defunctionis (*a.* 689). Ille vero in cujus potestate testamentum reperiatur, intra *decem dies*, ex quo mortem cognovit testatoris, illud judici praesentare debet; secus tenetur de damnis ex dilatione sequutis (*a.* 690).

955. *b) Testamentum apertum* fieri debet coram legitimo notario et *tribus testibus* idoneis, qui videant et intelligant testatorem, et quorum *saltem unus* (duo ex **ur.**, 771), scribere sciat et possit (*a.* 694). Confici debet unico (1) tractu (*a.* 699), adnotatis loco, anno, mense, die et hora. Postquam scriptum sit, legi debet elata voce ut testator significet an illud sit juxta suam voluntatem. Quod si ita fuerit, statim subscribent illud testator et testes. Quod si ille, aut horum aliquis, subscribere non possit, illius nomine et consensu alius subscribet (*a.* 695; **ur.**, 770), fidem faciente notario (*a.* 699), non modo de his, verum etiam de eo quod testes ac testatorem cognoscit, et quod hic retinet capacitatem legalem testandi. [**Mex.**, 3492, 3499 *seq.*; cohaeret fere **arg.**, 3688 (3654) *seq.*; **cost.**, 583, 585].

In testamento aperto: 1.° si testator fuerit *surdus*, hic debet per se ipsum testamentum suum legere (**ur.**, 772); quod si nesciat, vel non possit, designabit duas (unam ex **lusit.**, 1917; **cost.**, 585) personas quae illud ejus nomine legant, semper coram notario et testibus (*a.* 697; **mex.**, 3503); at 2.° si fuerit *caecus*, bis testamentum legetur: altera vice a notario (eo modo qui praescribitur *a.* 695), altera vero ab aliquo ex testibus, vel ab alia persona a testatore designata (*a.* 698; **ur.**, 773).

N. B. Si ob defectum solemnitatum testamentum sive *apertum* sive *clausum* declaratum fuerit nullum, notarius tenetur de damnis sequutis, si defectus ex ejus malitia, vel ex ejus negligentia inexcusabili, aut inexcusabili ignorantia, proveniat (*aa.* 705 et 715; **lusit.**, 1919, 1925; **mex.**, 3505, 3519; **bol.**, 446; **cost.**, 187).

Quod si testator sit *in mortis periculo*, sufficiunt *quinque testes* idonei sine notario (*a.* 700) [aut etiam tres in casu urgentissimo, **mex.**, 3535, 3538]; *tempore* autem *pestis*, satis erit si adhibeantur *tres testes* (etiam sine notario), sive viri sive feminae, modo aetatem sexdecim annorum compleverint (*a.* 701). In utroque hoc casu testamentum: 1.° scribi debet (ad validitatem, si scribi possit: Sent. Trib. Supr. 5 nov. 1902, apud *Alcubilla*, App. 1903), *a.* 852; sed si scribi non *possit*, valebit, quamvis testes scribere nesciant (*a.* 702); nec si scribatur requiruntur illae accuratae formalitates

(1) Huic unitati non obstat quod testator in antecessum suam voluntatem notario significaverit et hic afferat statuto die jam scriptum testamentum quod alta voce legat, etc., coram testatore et testibus, etc. Cfr. S. Tr. Supr. 5 jun. 1874 (*Alcubilla*, App. 1895-1896, *pag.* 1004; 1 febr. 1908 (App. 1908, *pag.* 395); 28 jun. 1909 (App. 1910, *pag.* 423); 22 jan. 1913 (App. 1913. *pag.* 830 *seq.*); 18 apr. 1916 (App. 1916, *pag.* 470).

testamenti coram notario confecti (S. Tr. S. 1 maj. 1909; 22 apr. 1910: *Alcubilla*, App. 1910, *pag.* 423, 563); 2.° nullum erit *post duos* [unum, **mex.**, 3540] *menses* ex quo testator superet periculum mortis, vel ex quo contagium cesset supervivente testatore (*a.* 703). Si vero intra id tempus moriatur, iterum nullum erit testamentum, nisi *intra tres menses* a die obitus redigatur in publicam scripturam (*a.* 703).

956.—*c*) Testamentum *clausum* scribi potest, propria testatoris manu vel aliena (**lusit.**, 1920), expressis loco, die, mense et anno (**ur.**, 780). Testator singula folia debet *rubricare* (**mex.**, 3507), vel integra subscriptione munire, prout testamentum propria ipsius manu, vel aliena, fuerit scriptum. Integram subscriptionem apponere in fine testamenti debet (**arg.**, 3700 (3666); **cost.**, 587; **ur.**, 776), et propria etiam subscriptione notare quidquid emendatum, deletum vel inter lineas scriptum fuerit. Quod si testator subscriptionem apponere non possit, alius ab eo rogatus apponet, foliaque *rubricabit* (**lusit.**, 1920; **mex.**, 3507 *seq.*), atque causam impotentiae exprimet (*a.* 706).

Ita confectum testamentum, clausumque involucro, sigilloque ita munitum ut sine fractura aperiri non possit, afferendum erit coram notario et *quinque testibus* [*tribus* ex **cost.**, 187; *septem* ex **bol.**, 4460; **per.**, 667]; quorum saltem *tres* [*unus*, **bol.**, 446] subscribere possint, ipsisque testator significare tenetur illic contineri suum testamentum, et a quonam fuerit scriptum vel subscriptum. Actam testamenti notarius in ipso scribet involucro, quae postquam fuerit lecta, subscribetur a testatore (si possit, secus alius ab eo designatus subscribet) et testibus; indicatisque loco, hora, die, mense et anno, signante notario et fidem faciente de solemnitatibus servatis, de capacitate et *identitate* testatoris, etc., *a.* 707; [**arg.**, 3700 (3666) *seq.*; **mex.**, 3508 *seq.*; **ur.**, 776]. Quoad reliqua vide *aa.* 708-714; illud tamen non omittendum, scilicet testamentum clausum, si ob defectum solemnitatum legalium fuerit nullum, valere aliquando posse ut *holographum*, si nempe holographi testamenti essentialia habeat [ita etiam **arg.**, 3704 (3670).]

957.—III. Testamentum *militare* confici potest, *a*) tempore belli, *b*) a militibus, obsidibus, etc., *c*) coram officiali, qui centurione (*capitán*) non sit inferior [**cost.**, 586]; vel coram capellano aut medico, si infirmus aut vulneratus testator sit; vel etiam, in stationibus, coram oficiali illic summo, quamvis centurione inferior sit, et *d*) in triplici hoc casu coram *duobus testibus idoneis*, **hisp.**, 716; [**arg.**, 3706 (3672) *seq.*; **cost.**, 586; **Salv.**, 1065; **ur.**, 788; **ven.**, 767; coram tribus juxta **aeq.**, 1023; **chil.**, 1033; **col.**, 1090, 1098 *seq.*; **nic.**, 1033].

Quatuor mensibus [*uno*, ex **cost.**, 186; *tribus*, ex **aeq.**, 1034; **arg.**, 3710 (3676); **bras.**, 1658; **chil.**, 1044; **col.**, 1101; **nic.**, 1044; **Salv.**,

1067; *sex*, ex **ur.**, 791], postquam testator a bello gerendo cessaverit, haec testamenta nulla habentur (*a.* 719).

In ipso actu pugnae vel illo jam imminente, testari *verbo* poterunt *coram duobus testibus*, **hisp.**, 720; [**ven.**, 771; coram *tribus* ex **aeq.**, 1036; **col.**, 1103; **chil.**, 1046; **nic.**, 1046; **Salv.**, 1070], validumque erit testamentum nisi testator supervivat, **hisp.**, 720; [**aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, *aa. cc.*; vel nisi supervivat ultra mensem a superato periculo, **mex.**, 3540, 3549, 3554; vel ultra duos menses, **ven.**, 771].

Eadem valent pro quibuscumque navigantibus imminente naufragio, **hisp.**, 731; [**aeq.**, 1043; **chil.**, 1053; **col.**, 1110; **Salv.**, 1082]. Cfr. etiam **hisp.**, 717, 718, 721.

Testamentum *maritimum* jure **hisp.** (*a.* 722) confici potest *a*) durante navigatione, *b*) a quocumque navigante, *c*) coram duce navis (**cost.**, 586; **mex.**, 3556; **per.**, 676), si haec mercatoria sit, vel coram computatore (*contador*) et cum subscriptione praefecti (*V.° B.° del comandante*), si navis sit bellica, et *d*) *duobus testibus idoneis* [*tribus* ex **aeq.**, 1038; **arg.**, 3713 (3679); **col.**, 1105; **chil.**, 1048; **nic.**, 1048; **per.**, 676; **Salv.**, 1077], quorum *unus* [*duo* ex **arg.**, 3713 (3679); **cost.**, 586; **mex.**, 3556] saltem subscribere possit, et pro testarore etiam subscribet si hoc non possit, **hisp.**, 722; [**bras.**, 1656; **ur.**, 792, 798; **ven.**, 759].

Nulla haec testamenta habentur *post quatuor menses* [*unum* ex **cost.**, 586; **mex.**, 3563; **per.**, 677; *duos* ex **ven.**, 766; *tres* ex **aeq.**, 1042; **arg.**, 3718 (3684); **bras.**, 1658; **col.**, 1109; **chil.**, 1052; **nic.**, 1052; **Salv.**, 1081; *sex* ex **ur.**, 799] ex quo testator se recipiat in locum ubi forma communi testari possit. **Hisp.**, 730. Vide etiam *aa.* 723-729.

Testamentum *in extera natione*, vel in navigio illius, ab hispanis confici potest juxta leges illius nationis vel juxta leges Hispaniae, ideoque etiam per testamentum holographum (*a.* 732). Vide praeterea *aa.* 733-736.

[*N. B.* 1.° Omnes fere *CC.* **Amer. lat.** permittunt etiam suis subditis ut in extera natione juxta ipsius leges testamenta conficere possint (**aeq.**, 1017; **arg.**, 3669 (3635); **chil.**, 1027; **col.**, 1087; **mex.**, 3565; **nic.**, 1027; **per.**, 679; **Salv.**, 1058; **ur.**, 803).

2.° Testamentorum divisionem admittunt praedicti codices eamdem fere ac noster, sed solus **arg.**, 3656, 3673 (3622, 3639), admittit testamentum holographum; et, pro solis militibus, etiam **bol.**, 456, 457.

3.° *CC.* **arg.**, 3641 (3607); **phil.**, *a.* 618 *Cod. pr. civ.*, et **ur.**, 786, nullum admittunt testamentum nisi fuerit scriptum.

4.° Juxta aliquos CC., in testamento sive aperto sive clauso vices notarii agere potest: vicarius ejus (*suplente*) ex **col.**, 1070; judex primae instantiae, ex **aeq.**, 1004; (non pro clauso); **phil.**, 1014,

1025; **nic**., 1014, 1025; **Salv.**, 1046; aut etiam judex municipalis (**Salv.**, 1046, cum *quinque* testibus), vel aliquis e concilio municipii (*concejal*), **arg.**, 3689 (3655). Ex **cost.**, valet testamentum apertum absque notario (*cartulario*), modo fiat coram *sex* testibus, aut si testator ipse illud scribit coram *quatuor* testibus, *a.* 583. Ex **aeq.**, 1004; **chil.**, 1014, **nic.**, 1014, valet absque notario, modo adsint *quinque* testes; et etiam ex **col.**, 1070, et ex **ven.**, 745, sed deficiente notario (*registrator*, **ven.**).]

Conditiones testamentorum.

958. — Ut testamentum ex jure *rom.* sit firmum et validum, requiritur: 1.° ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, et imprimis consensum liberum et spontaneum; 2.° ut dispositio bonorum fiat juxta reservationem seu legitimam heredibus a lege assignatam; 3.° ut non fiat ab inhabili ad testamentum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum, seu ad succedendum in jura defuncti; 4.° ut serventur substantiales formalitates jure praescriptae. Quoad **Hispaniam** et **Amer. lat.**, vide quae diximus initio *numeri* 953.

959. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An facultas testandi oriatur a jure naturali, an a civili tantum?*

Resp. Juxta sententiam communiorem et probabiliorem, repetenda est primario a jure naturali, quia talis est persuasio communis, quae ultimas voluntates ut quid sacrum habet, et quia jus testandi antecedit omnem legem civilem. Ex jure enim naturae quisque potest disponere de bonis suis prout vult, etiam post mortem, et hoc est jus privatum. Cfr. S. C. de P. F. ann. 1807 (*Collect.*, *n.* 1622); *Wernz*, l. c., 274, *nota* 4. Sed etiam respublica habet sua jura, et inter alia jus praescribendi normas circa contractus; hoc jus est *naturale*, quippe necessarium ad bonum societatis. Si autem sit collisio jurium, jus privatum, utpote inferius, cedere debet.—Vide dicenda infra, *q.* 3.°

960. — QUAER. 2.° *Cujusmodi testes requirantur in testamentis?*

Resp. 1.° *Ex jure romano*, debent esse masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non intestabiles a lege; non heredes ex testamento, nec domestici testatoris vel heredis; non tamen excluduntur legatarii. *S. Alph.*, *n.* 919.

Resp. 2.° Ex *jure* **hispano**, debent esse: 1.° *masculi* et *majores aetate*, praeter casus exceptos in *a.* 701 (supra, *n.* 955); 2.° *domicilium* habentes in loco ubi testamentum conficitur; 3.° *non caeci* nec omnino *surdi* aut *muti*; 4.° *gnari linguae testatoris;* 5.° *judicio* pollentes sano; 6.° non civiliter *interdicti*, nec damnati uti *falsarii* publici aut privati documenti, vel ob *falsum testimonium*; 7.° non *ipsius notarii dependentes*, nec amanuenses (cohaer. **mex.**, 3489),

nec servi, nec consanguinei intra quartum gradum, neque affines intra secundum (*a.* 681). Praeterea in *testamento aperto* excluduntur a munere testis *heredes* ac *legatarii* in illo instituti, et eorum *consanguinei* usque ad quartum gradum, *affines* vero usque ad secundum; sed si legatum fuerit tenue relate ad integram hereditatem, non excluduntur legatarii nec eorum consanguinei vel affines.

QUAER. 3.° *An valeant in foro conscientiae testamenta ad* CAUSAS PROFANAS, *formis legalibus destituta?*

Resp. Triplex habetur probabilis sententia, prout supra, *n.* 921, generatim de contractibus praeter legis praescripta confectis dictum est: I.ª igitur SENTENTIA (in qua conveniunt 1.ª et 4.ª ex recensitis *n.* 921) admittit, hujusmodi testamenta secundum legem naturae valida haberi posse. — II.ª SENTENTIA docet, ea vi legis positivae prorsus irrita habenda esse. — III.ª SENTENTIA dicit valere, nisi opponatur exceptio et damnetur a judice. Et huic tertiae sententiae licite poterit quis adhaerere ex *jure* **hispano**, quamvis contrarium erui posse videtur ex *aa.* 687, 705 et 715. Vide tamen *a.* 633, et conferas cum *aa.* 1254, 1264, 1278 *et* 1279, etc. Cfr. supra, *n.* 647.

Interveniente autem judiciali sententia, huic ex *omnium judicio* est adhaerendum. Cfr. *Lehmk.*, I, *n.* 1148; *Buccer.*, I, *n.* 1029; *Génicot*, I, *nn.* 594 *et* 670, etc. «Nec obstat dicere, sententiam judicis non obligare, si nitatur legi fundatae in falsa praesumptione fraudis, quae non adsit; nam praeterquam quod sententia tunc nititur legi quae fundatur *in periculo generali fraudum*, quisque tenetur parere judici praecipienti, semper ac ejus sententia non sit evidenter injusta, ob bonum commune pacis, ut litibus et jurgiis finis imponatur.» *S. Alph.*, *l.* 3, *n.* 927, *in fine.* Cfr. *Buccer.*, Casus, *n.* 193; *Marres, not. praev.*, *n.* 18, *lib.* 2, *n.* 368 *seq.*

De causis piis.

961. — Nomine *causae piae* significantur cultus divinus, suffragia, ecclesiae, monasteria, hospitalia, confraternitates, pauperes, quidquid denique fit intuitu Dei et finis supernaturalis. Cfr. *l.* 27 *C.*, *lib.* 1, *tit.* 2; *Reiffenstuel*, *l.* 3, *tit.* 26, *n.* 811 *seq.*; *Lugo*, De just., *d.* 22, *n.* 265; *Lacroix*, *n.* 1129, *q.* 1; *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 1019; *Aertnys*, III, *n.* 256, *q.* 2.°

Jure **lusit.**, 1836, designantur opera charitatis ac beneficentiae.

962. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *Quinam possunt testari aut etiam donationes inter vivos facere in favorem causae piae?*

Resp. Qui ex jure naturae et ecclesiastico libere valent de suis bonis disponere (*can.* 1513, § 1), quamvis jure civili id ipsis prohibeatur.

QUAER. 2.° *An testamenta et aliae donationes in favorem causae piae sint valida, si careant formis legalibus?*

Resp. Affirm., ex communissima ac certa sententia, et ita semper respondit S. Poenitentiaria. Quare in Codice, *can.* 1495: «Ecclesia nativum jus habet libere et independenter a civili potestate acquirendi bona temporalia»; et *can.* 1513, § 2: «In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates juris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant.» Non essent autem monendi heredes, si non haberent obligationem adimplendi voluntatem testatoris in **casu** omissionis formarum legalium.

Non apparet igitur probabilitas alterius opinionis, quam de cetero ejus quoque patroni fere ad nihil in praxi redigunt. Putant enim, hujusmodi legata pia valere, si rationabiliter praesumatur ea tum ad restitutionem implendam, tum ad preces pro anima defuncti erogandas, destinata fuisse.

Igitur si heredi *certo* constet de voluntate testatoris, ut bona sua, vel horum aliqua, in causam vel causas pias impendantur, tenetur in conscientia voluntatem ejus exsequi; non vero si certo ei non constet: nec tenetur credere *uni* testi, quamvis probatissimus iste fuerit.

Addo tamen, confessarium, habita ratione ignorantiae fidelium, qui saepius aegre sibi suadent, praefatam assertionem veram esse, plerumque illos in bona fide relinquere debere. Quod si interrogetur, ut supra dictum est respondebit. —V. **Casus**, *n.* 859 *et seq.* Vide S. Poenit., 10 jan. 1901 (*Acta S. Sedis*, *vol.* 34, *pag.* 384); *Santi*, *l.* 3, *tit.* 26, *n.* 17 *seq.*; *Wernz*, *vol.* 3, *nn.* 199, 255, VI, 274, III, 279; *Marres*, *l.* 2, *n.* 301 *seq.*; *Gasparri*, De S. Euchar., *n.* 560; *Lucidi*, *vol.* 2, *c.* 7, § I, *n.* 25 *seq.*; *Bargilliat*, *n.* 1365; *Ball.-P.*, III, *n.* 983; *Sebastianelli*, *n.* 338; *Génicot*, I, *n.* 675; *Il Monitore*, *vol.* 10, *part.* 2, *pag.* 42, *et vol.* 13, *pag.* 363 *seq.*, contra *D'Annibale*, II, *n.* 339.

963.— QUAER. 3.° *Quinam sint exsecutores piarum voluntatum?*

Resp. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam *mortis causa* quam *inter vivos* exsecutores sunt. — Ideoque vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur; et alii exsecutores delegati debent, finito munere, illis reddere rationem. — Clausulae huic Ordinariorum juri contrariae, ultimis voluntatibus adjectae, tamquam non appositae haberi debent (*can.* 1515).

964. — QUAER. 4.° *Ad quid teneantur* **clerici** vel **religiosi** *qui bona ad pias causas fiducialiter acceperint?*

Resp. Sive acceperint per actus inter vivos, sive per testamentum, tenentur de sua fiducia *Ordinarium certiorem reddere* eique omnia istiusmodi bona, seu mobilia seu immobilia, cum oneribus adjunctis *indicare*. Quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, debent illi fiduciam non acceptare (*can.* 1516, § 1).

Ordinarius exigere debet ut bona fiduciae in tuto collocentur et vigilare pro exsequutione piae voluntatis, juxta dicta in quaesito praecedenti (*can.* 1516, § 2).

Quaer. 5.° *Quid de bonis fiduciariis alicui religioso commissis?*

Resp. Tunc si bona destinata sint loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis juvandis, Ordinarius de quo in quaesito praecedenti est Ordinarius *loci;* secus, Ordinarius ejusdem religiosi proprius (*can.* 1516, § 3).

965. — Quaer. 6.° *Cuinam reservantur* **reductio**, *moderatio aut commutatio ultimarum voluntatum?*

Resp. Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario *loci* expresse concesserit. In utroque casu fieri debent ex justa tantum ac *necessaria* causa (*can.* 1517, § 1).

Quaer. 7.° *Quid si adimpletio onerum impositorum evaserit impossibilis sive ob imminutionem redituum sive ob aliam causam?*

Resp. Si hoc acciderit absque ulla culpa administratorum, tunc etiam Ordinarius, auditis iis quorum interest, et servata, meliori quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, *excepta Missarum reductione*, quae Sedi Apostolicae unice competit (*can.* 1517, § 2).

966. Resolves. — Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, diligentissime impleri debent etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, exceptis clausulis contra jus Ordinarii invigilandi, etc., ut dictum est supra, *n.* 963 (*can.* 1514).

967. **Casus.** — 1.° *Leander* a *Liborio* familiari suo mox e vivis decessuro conspicuam pecuniae summam, instar muneris *de manu*, ut ajunt, *ad manum* acceptat. Defuncto *Liborio*, dubius ancepsque *Leander*, utrum tuta conscientia donum servare possit, ignorat. Quid interroganti respondebit confessarius?—*Resp.* Nihil esse cur *Leander* de donationis valore dubitet, eam scilicet valere uti donationem *inter vivos*. Excipe, 1.° nisi donatio jus heredum evidenter laedat; 2.° nisi donatarius inhabilis sit etiam in foro conscientiae ad donationem acceptandam. *Gousset*, *n.* 796, etc.

2.° *Polydorus* moriens dicit *Paulo* heredi naturali: Sponde mihi, te legata haec soluturum esse. Heredis autem promissis confisus, *Polydorus* abstinet a conficiendo vel immutando testamento, vel ab iisdem legatis inscribendis. *Paulus* promissis valedicens, renuit legata persolvere, eo quod in testamento inscripta non fuerint. Quid juris? — *Resp.* Ex jure naturae, *Paulus* in foro conscientiae ad solvenda omnia legata promissa tenetur, non obstante defectu formarum. Ratio est, 1.° quia nonnisi ea conditione testamentum accepit; 2.° quia per promissionem suam, confectionem aut mutationem testamenti impedivit.

3.° *Gabinus*, heres ex testamento informi, accipit et retinet hereditatem, ut sibi legitime acquisitam; sed abstinet a solvendis legatis, ob defectum formae in actu testatoris. Quid de eo sit sentiendum? — *Resp.* Quantum sit injustus et ridiculus talis agendi et ratiocinandi modus, ex sensu communi clare et evidenter patet. *Voit*, De conscientia, *n.* 104; *Elbel*, De consc., *n.* 190; *Lacroix*, *l.* 1, *n.* 373.

4.° *Anatolius*, confecto testamento holographo, moritur antequam subscribere potuerit. *Sabinus*, heres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris tam bene simulat, ut vere ab ipso confecta visa fuerit. Attamen quum, suborta fraudis suspicione, testamentum ad judiciale forum fuisset delatum, a judice validum declaratum fuit. Quid judicii? — *Resp. Sabinus* ad restitutionem tenetur, quia per fraudem hereditatem sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab hereditate exclusus fuisset. Sententia igitur *Sabino* favere non debet, quum falso facto innitatur.

PUNCTUM II

De testatoribus et heredibus.

968. — I. Testatores esse possunt *ex jure romano* omnes usum rationis habentes, exceptis impuberibus, alieno juri subjectis, prodigis, surdis-mutis a nativitate, aut etiam casu, si scribere nesciant, reis laesae majestatis, apostatis, haereticis, incesto matrimonio pollutis, nisi filios legitimos instituant, damnatis ad mortem civilem vel naturalem, et filiisfamilias, nisi de peculio castrensi vel quasi castrensi testentur. Sed nec caeci testari possunt nisi nuncupative et forma speciali praescripta in *leg.* 8, *C. Quib. non est permiss. facer. testam.* (*lib.* 6, *tit.* 22, *leg.* 8, *cod.*).

Jure **hispano** (*a.* 663) et **lusit.**, *a.* 1764, testari nequeunt, *a*) qui nondum attigerunt aetatem quatuordecim annorum [*quindecim*, ex **cost.**, 591; *sexdecim*, ex **bras.**, 1627; **ven.**, 731; *octodecim*, ex **arg.**, 3648, (3614), et **per.**, 685; *impuberes*, ex **aeq.**, 999; **bol.**, 459; **chil.**, 1005; **col.**, 1061; **mex.**, 3276; **nic.**, 1005; **Salv.**, 1038; **ur.**, 806]; *b*) qui plenum non habent rationis usum. Ita etiam *omnes CC. citati.* — Pro **Cathal.**, vid. append. III.

969.— II. Quod ad heredes attinet: 1.° Institui possunt heredes, quicumque a jure positivo non sunt specialiter prohibiti, licet usu rationis careant, ut dictum est de donatione, *n.* 939.

2.° Prohibentur autem *ex jure romano* damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, eorumque filii, spurii, juxta restrictiones infra ponendas.

3.° Heres quilibet renuntiare potest hereditati apertae juxta

axioma: *Nemo heres, nisi velit.* Sic *ex quocumque jure.* Ratio est, quia nemo tenetur acceptare beneficium, cujusmodi praesertim est testamentum, quod saepe magnis oneribus gravatur. Renuntiatio autem non praesumitur, sed cum forma juridica fieri debet. *Ita etiam C. C. H., a.* 1008.

Jure **hispano**, *heredes* esse nequeunt, et consequenter nec *legatarii*, juxta *a.* 789: *a*) abortivi qui scilicet formam non habeant humanam, vel non vixerint 24 horas omnino separati a materno sinu, (**hisp.-ph.**, 745 (1); **bol.**, 507; **ur.**, 810); *b*) societates non permissae a legibus (*ibid.*); *c*) sacerdos, ejus cognati usque ad quartum gradum (civilem), ejus ecclesia, Capitulum et Institutum, respectu testatoris cujus ipse in ultima infirmitate (si ipsa durante testamentum factum fuerit) confessionem exceperit (*a.* 752; **ur.**, 814. Cfr. *Pellicer y Guiu, vol.* 1, *cap.* 7, *pag.* 165 *seq.*; *López Peláez*, l. c., § 16); sed haec in conscientia nullius sunt roboris ex dictis *n.* 962 quoad causas pias; *d*) *tutor* respectu pupilli, nisi hic testamentum condiderit postquam jam ratio administrationis illius approbata fuerit, vel nisi tutor sit ascendens, descendens, frater, aut conjux ipsius pupilli (*a.* 753); *e*) *notarius*, **lusit.**, *a.* 1772), ejusque sive conjux, sive consanguinei vel affines usque ad quartum gradum (civilem), nisi legatum sit tenue respectu totius hereditatis (*a.* 754): quae *omnia* valent quoad testes in testamento aperto (**lusit.**, 1772), et quoad *testes* et *alios* coram quibus testamenta *specialia* conficiantur (*a.* 754; **ur.**, 815); *f*) incapaces ex aliqua causa indignitatis (quas vide infra, *n.* 973), nisi haec causa congnita fuisset testatori quum testamentum condidit, vel, si postea cognoverit, publico documento eam remiserit (*aa.* 756, 757).

[Etiam nullae sunt in conscientia leges **Lusit.** et **Amer. lat.**, quae in ordine ad hereditates et legata decernunt incapacitatem confessarii qui testatoris confessionem vel semel in vita exceperit (**guat.**, *a.* 150 *legis* 20 febr. 1882), aut in ultima infirmitate (**lusit.**, 1769; **arg.**, 3773 (3739); **bol.**, 494; **cost.**, 592; **mex.**, 3297, 3348, 3434; **ur.**, 814), aut etiam habitualiter duobus annis praecedentibus (**aeq.**, 955; **chil.**, 965; **col.**, *a.* 84 *legis* 153 anni 1887; **nic.**, 965; **Salv.**, 994), ejusque ecclesiae, Capituli, Communitatis aut Instituti, excepta ecclesia parochiali testatoris (**aeq.**, **arg.**, **chil.**, **col.**, **cost.**, **nic.**, **Salv.**, **ur.**, *aa. citatis*), aut cujuscumque ecclesiae, vel clerici ordinati in sacris (**ven.**, 734), aut ecclesiae cujusque vel instituti religiosi, quatenus legatum excedat decimam partem bonorum testatoris (**cost.**, 593); aut tertiam partem tertiae liberae dispositionis (**lusit.**, 1781).

Ergo, hisce legibus non obstantibus, voluntas testatoris adimplenda est; nec aliter heredes tuti in conscientia esse possunt].

---

(1) Reliqui sub *b*) — *f*) videntur esse posse heredes aut legatarii jure **phil.** Cfr. *Willard*, l. c., *pag.* 55 ad *a.* 756.

970. Quaesita. — Quaer. 1.° *Quotuplicis generis heres distinguatur?*

Resp. 1.° *Legitimus*, qui de jure succedit ab intestato.

Resp. 2.° *Necessarius*, qui a testatore excludi non potest.

Resp. 3.° *Voluntarius*, qui heres vocatur ex libera testatoris voluntate.

Hinc patet, distinguendum esse etiam heredem *ex testamento*, si per testamentum fuerit designatus, et heredem *ab intestato*, si de jure succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit.

Quaer. 2.° *Quinam sint heredes necessarii et legitimi?*

Resp. 1.° Jure *romano*, heredes *necessarii* sunt omnes cognati in *linea recta*, nempe: 1.° *descendentes* in propiori gradu; 2.° ipsorum defectu, *ascendentes*, tum ex parte patris, tum ex parte matris, in gradu pariter propiori.

Jure autem **hisp.-ph.**, heredes *necessarii* sunt: 1.° *descendentes* legitimi; et *eorum defectu*, 2.° *ascendentes* legitimi; 3.° *conjux superstes;* 4.° *filii naturales* legaliter recogniti, vel legitimati concessione regia, et horum pater vel mater. Cfr. *aa.* 807, 834-837, 840-842, et 843.

[Quoad **Amer. lat.**, cfr. **aeq.**, 1172; **arg.**, 3626 (3592) *seq.;* **bol.**, 505 *seq.;* **chil.**, 1182; **col.**, 1240; **nic.**, 1182; **per.**, 637 *seq.;* **Salv.**, 1205; **ur.**, 860; **ven.**, 773 *seq.*].

Resp. 2.° Heredes *legitimi* ex jure romano sunt insuper omnes consanguinei propioris gradus etiam in *linea collaterali* usque ad 10.um gradum, id est 5.um quoad computationem canonicam.

971. — Ex *jure* **hisp.-ph.**, heredes *legitimi* sunt sequentes juxta ordinem quo vocantur ad hereditatem, ita ut qui primo vocantur reliquos excludant, et deficientibus illis, tunc qui secundo loco recensentur pariter subsequentes ab hereditate arceant, et ita porro. Non tamen *legitimi* heredes excludunt alios heredes *necessarios* a sua legitima portione:

1.° Descendentes legitimi (**hisp.-ph.**, 930-934), vel legitimati per subsequens matrimonium (**hisp.-ph.**, 122).	Filii succedunt per capita, nepotes per stirpes sive jure repraesentationis.
2.° Ascendentes legitimi (**hisp.-ph.**, 935-938).	*Proximiores excludunt remotiores.* Pater et mater dividunt ex aequo inter se. Si unus solus supervivat, accipit omnia. — Avi dividunt ex aequo si sint ejusdem lineae; si ex diversa, dimidium avo vel avis paternis; dimidium avo vel avis maternis.

3.° *Filii* naturales recogniti legaliter, vel legitimati regali concessione.	Succedunt per capita vel stirpes, sicut de legitimis dictum est. Sed filius *naturalis*, cujus defunctus pater fuerat filius *legitimus*, nullum jus habet ad hereditatem avi, sive hic relinquat legitimos heredes, sive non relinquat (*Sent. Trib. Supr.* 13 febr. 1903).
4.° Ascendentes naturales (cfr. **hisp.-ph.**, 839, 846, et 944, 945).	Eodem ordine ac de legitimis ascendentibus dictum est.
5.° Collaterales qui sint fratres vel eorum filii (**hisp.-ph.**, 925, 927, 948, 949, 951).	*a*) Si tantum exsistant fratres *germani*, hereditatem capient per partes aequales. *b*) Si una cum ipsis concurrant etiam nepotes (qui sint filii fratrum vel sororum germanorum), illi hereditabunt in capita, nepotes in stirpes. *c*) Si soli concurrant nepotes, omnes hereditabunt in capita. *d*) Si *germani* concurrant cum *uterinis* aut *consanguineis*, pars *germani* uniuscujusque erit duplo major quam ea quae contingat cuique ex fratribus consanguineis vel uterinis. *e*) Si nullus ex fratribus sit germanus, sed omnes sint *consanguinei* vel *uterini*, divident inter se hereditatem per aequas partes, eorumque filii succedent in stirpes, etc., sicut de germanis dictum est in *b*).
6.° Conjux superstes (**hisp.-ph.**, 952).	Nisi sententia divortii, quae transierit in rem judicatam, intercesserit.
7.° Collaterales usque ad *sextum* gradum civilem inclusive (**hisp.-ph.**, 954, 921-925).	*Proximiores excludunt remotiores.* Non datur inter eos praeeminentia ratione lineae, nec attenditur an cognatio sit ex simplici an ex duplici vinculo; omnes succedunt in capita. Non extenditur jus ultra sextum gradum civilem. Non admittitur jus repraesentationis.
8.° Status (956-958) (1).	1.° Institutiones beneficentiae municipalis vel scholae gratuitae loci, ubi defunctus domicilium habebat. 2.° Id. id. provinciae. 3.° Id. id. nationis.

(1) Jure **phil.**, municipia ubi sunt bona *immobilia*, vel ubi defunctus habebat domicilium; quoad bona mobilia succedunt scholae.

[Cohaerent *fere* **arg.**, 3599 (3565) *seq.*; **mex.**, 3575 *seq.*; **per.**, 873 *seq.*; 891 *seq.* Item **aeq.**, 978 *seq.*; **chil.**, 988 *seq.*; **col.**, 1045 *seq.*; et *a.* 85 leg. 153 anni 1887; **nic.**, 988 *seq.*; **Salv.**, 1012 *seq.*; **ur.**, 1000 *seq.*, in quibus fratres et conjux vocantur ante descendentes naturales].

972. — Quaer. 3.° *Quaenam generatim sint jura et obligationes heredum?*

Resp. Generatim heredes succedunt in omnia jura et onera defuncti, quia illius personam repraesentant; excipiuntur ea tantum, quae personae defuncti natura sua vel pacto erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno jure acquirunt, ejus obligationes et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent.

Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta, singuli *pro rata* suae portionis hereditariae solvunt, et si propter hypothecam plus solvere cogantur, recursum habent contra ceteros.

Quaer. 4.° *Quaenam sint heredum obligationes prout hereditatem acceptaverint, vel non, sub beneficio inventarii?*

Resp. 1.° Heres, jure *romano* vigente in *Cathalaunia*, *Vasconia* et *Cantabria*, acceptare potest hereditatem sub **beneficio inventarii**, ita scilicet, ut facto inventario bonorum juxta formam legalem, non obligetur ultra hereditatis vires. Si non eo modo acceptaverit, tenetur *in foro externo* omnia solvere debita, etiamsi vires hereditatis excedant. Cohaeret jus **hisp.**, *aa.* 1003, 1023; **lusit.**, 1792; [**aeq.**, 1237-1242; **arg.**, 3392 (3358) *seq.*, 3375 *seq.*, 3438 *seq.*; **bol.**, 543 *seq.*, 558 *seq.*; **chil.**, 1247-1252; **col.**, 1304-1309; **per.**, 750 *seq.*; **Salv.**, 1271-1275; **ur.**, 1036 *seq.*, 1053 *seq.*; **ven.**, 897, 922 *seq.*]. Attamen in **Aragonia** et **Philiph.** (*a.* 661 *Cod. proc. civ.*) hereditas semper censetur acceptata beneficio inventarii. Idem tene ex jure **mex.**, *a.* 3339.

Resp. 2.° Controvertitur vero inter theologos, an in casu in quo heres hereditatem adeat absque beneficio inventarii, teneatur in foro conscientiae solvere debita quoad excessum prae bonis acceptis. — Sed *probabilius* et *communius* negatur. *Salmant.*, tr. 14 de Contract., *n.* 151; *Sánchez.* Decal., *l.* 4, *c.* 15, *n.* 37; *Billuart*, De Contract., *d.* 2, *a.* 3, § 6; *d.* 4, *n.* 6, § 4; *Reuter.* Dicunt enim legem fundari in falsa facti praesumptione, quod scilicet animum habuit se obligandi etiam ultra hereditatis vires. Idem affirmant tenendum post sententiam judicis. Creditores tamen possunt urgere crediti solutionem, cum lex ipsis faveat et jus heredum non solvendi ultra vires hereditatis certum non sit. Cfr. *Marres*, *l.* 1, *nn.* 271, 272.

973. — Quaer. 5.° *An heredes necessarii exheredari possint?*

Resp. Ex jure romano, exheredari possunt filii sola patris auctoritate in casibus sequentibus: 1.° si filius injiciat manus in pa-

rentem, aut contumeliose eum tractet; 2.° si ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus; 3.° si rem habeat cum ejusdem uxore; 4.° si nolit fidejubere ad patrem e carcere liberandum; 5.° si patrem a condendo testamento prohibuerit; 6.° si filia, recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat. *S. Alph.*, *n.* 948 *et seq.* Hae sunt causae frequentiores: reliquas videsis apud *Ball.-P.*, *vol.* 3, *n.* 160.

974. Jure autem **hispano**, causae justae exheredationis sunt: A) fere omnes quae reddunt incapacem ex indignitate; B) praeterea aliae speciales.

A) Ex *art.* 756 (1), incapaces ex causa indignitatis sunt: 1.° *patres* qui, *a*) curam filiorum, omnino dereliquerint, vel *b*) filiam prostituerint, vel *c*) ejus pudori attentaverint; 2.° damnatus in judicio propter intentatam mortem testatoris, vel ejus conjugis, descendentium vel ascendentium: qui praeterea *legitimam* amittet, si heres fuerit necessarius; 3.° qui testatorem calumniose accusaverit crimine, cui lex poenam afflictivam imponat; 4.° heres aetate major, qui intelligens mortem per vim illatam fuisse testatori, id intra mensem judici non deferat, nisi jam ex officio procedatur in causa: excipitur casus in quo lex ipsum excuset ab obligatione denuntiandi; 5.° damnatus in judicio propter adulterium cum conjuge testatoris; 6.° qui per minas, vim aut fraudem *a*) testatorem induxerit ad condendum vel mutandum testamentum, vel *b*) *aliquem* (quicumque ille sit) impediverit a testamento condendo, vel revocando, vel aliud posterius finxerit, occultaverit, aut adulteraverit. [Cohaerent *fere* **aeq.**, 958 *seq.*; **arg.**, 3325 (3291); **chil.**, 968 *seq.*; **nic.**, 968; **Salv.**, 997 *seq.*].

Hae omnes causae sunt etiam sufficientes respective ad exheredationem, si excipias positas sub *nn.* 4.°, et 6.° *b*). Ita ex *a.* 852.

B) *Causae speciales:* I. *Pro filiis et descendentibus:* 1.ª negasse sine justa causa alimenta testatori; 2.ª violentas manus in eum injecisse, vel verbis gravem ei injuriam intulisse; 3.ª si filia vel neptis in meretricio vivat; 4.ª si damnatus heres fuisset ob crimen, cui adnexa sit poena interdictionis civilis (**hisp.-ph.**, 853).

II. Pro *patribus* et *ascendentibus:* 1.ª amisisse patriam potestatem vi sententiae rei judicatae sive causa criminis sive causa divortii (**hisp.**, 169 et 854); 2.ª negasse alimenta sine justa causa filiis aut descendentibus; 3.ª si unus ex parentibus alteri mortem intentasset, et reconciliatio non intercesserit (**hisp.-ph.**, 854).

---

(1) Hic art. 756 jure **phil.** videtur abrogatus pro successione testata et vim servare tantum pro intestata. Vigent omnes causae exheredationis pro filiis; et etiam pro patribus et ascendentibus et pro alio conjuge, excepta forte prima. Et iterum nota patrem numquam habere usumfructum bonorum filii, imo nec administrationem nisi a judice designetur tutor filii.

III. Pro *alio conjuge:* 1.ª omnes causae sufficientes pro divortio juxta *a.* 105, nisi conjuges sub eodem tecto vivant; 2.ª amisisse patriam potestatem, ut pro patribus et ascendentibus dictum est; 3.ª negasse alimenta conjugi, vel filiis; 4.ª intentasse mortem conjugi testatori (*a.* 855, et *aa.* 761, 929, 973). Ita etiam **phil.** quoad causas 3.am et 4.am

N. B. 1.° Incapaces causa indignitatis nihil possunt percipere neque ex testamento, neque ab intestato; sed, si non exheredentur, et fuerint heredes necessarii, accipient *sibi* legitimam, praeter casum de quo hic dictum est (A, 2.°). Privatio hereditatis propter indignitatem, est poena, ideoque non obligat, nisi post sententiam judicis. *Waffelaert*, I, *n.* 319.

2.° Quum heres necessarius a legitima excluditur propter incapacitatem (A, 2.° etiam **phil.**), vel etiam si exheredatur, tunc ejus filii vel descendentes percipient *legitimam* parenti debitam; sed pater non habebit usumfructum nec administrationem bonorum (1) hujusce legitimae (*aa.* 761, 857, 929, 873; **lusit.**, 1877).

975. QUAER. 6.° *Quaenam sit* RESERVATIO *seu* LEGITIMA *heredibus necessariis debita?*

Resp. Diversa est pro diversis juribus. *Ex jure rom.* et MAJORIC.: 1.° Quoad *ascendentes*, *triens*, seu tertia pars, deficientibus descendentibus, reservatur.

2.° Quoad *filios legitimos*, *triens*, si non sint plures quam quatuor filii; et *semissis*, seu dimidia pars, si plures sint.

3.° Quoad *filios naturales*, succedunt *matri* pari jure cum legitimis. Non succedunt vero patri filios legitimos *habenti*, licet ab eo duodecimam hereditatis partem accipere possint. Quod si pater filiis legitimis careat, filii naturales ei in omnibus bonis succedere possunt. Vide *S. Alph.*, *nn.* 497-951; *Lugo*, De just. et jure, *disp.* 24, *nn.* 88-90.

Jure *cathal.*, legitima sive descendentium sive ascendentium complectitur *quartam* bonorum partem (Sent. Trib. Supr. 6 dic. 1912: *Alcubilla*, App. 1913, *pag.* 832); jure *vasc.*, legitima est fere nominalis (cinco sueldos febles y un *robo*, i. e. una yugada de tierra en los montes comunes (*Alcub.*, App. de 1914, *pag.* 312); jure *arag.*, pater, praeter *tertiam* partem liberae dispositionis (Sent. Trib. Supr. 7 maji 1903: *Alcubilla*, *pag.* 849), reliqua omnia uni filio relinquere potest, dummodo unicuique aliorum assignet fere 2'25 ps. (*diez sueldos jaqueses*); jure *cantabr.*, fere idem dicendum est, quum pater uni ex filiis omnia bona tribuere possit, modo reliquis terrulam aliquam, utcumque parvam, relinquat. Cfr. *Alcubilla*, v. Legitima foral.

---

(1) Jure **phil.**, numquam habet, ut dictum est in nota praecedenti.

976. — Quaenam sit *legitima* singulis heredibus necessariis debita ex jure **hispano**, disces ex sequentibus casibus.

I. Si defunctus relinquat filios legitimos vel alios legitimos descendentes, tunc:

a) Legitimam filiorum constituunt duae tertiae ($^2/_3$) partes totius hereditatis, ita ut prima pars inter filios ex aequo dividatur, altera vero arbitrio patris impendi poterit in filiorum, vel descendentium legitimorum (quamvis horum parentes adhuc vivant, *Sent. Trib. Supr.* 19 decembris 1903) meliorationem **(hisp.-ph.**, 807, 808); sed vide *b*). — Haec *legitima* debetur filiis *in capita*, aliis descendentibus in *stirpes* **(hisp.-ph.**, 925, 926).

Reliquum hereditatis ($^1/_3$) est liberae dispositionis. Vide tamen *b*) et *c*).

b) *Conjugi superstiti* debetur, ex parte destinata filiis meliorandis, *ususfructus* portionis aequalis illi quae contingit filio non meliorato. — Si unicus sit filius, usufructus extenditur ad totam partem *meliorationi* destinatam **(hisp.-ph.**, 834, 835).—Si concurrant filii legitimi ex diversis matrimoniis, tunc legitima conjugis superstitis desumitur ex parte liberae dispositionis **(hisp.-ph.**, 839).

c) Item si adsint *filii naturales* legaliter recogniti, cuique illorum debetur quantitas aequivalens dimidiae portionis, quae contingit filio legitimo non meliorato, modo solvi possit ex tertia parte liberae dispositionis, *postquam* ex ipsa solutae sint expensae funeris **(hisp.-ph.**, 840).

II. Si, deficientibus descendentibus legitimis, relinquat legitimos ascendentes, tunc debetur:

a) Ascendentibus *dimidium* totius hereditatis. Quoad ordinem inter ascendentes, vide dicta *n.* 971, 2.° Aliquas exceptiones in **hisp.-ph.**, 811 et 812 videsis. Alterum dimidium erit liberae dispositionis **(hisp.-ph.**, 809); sed vide *b*) et *c*).

b) Conjugi superstiti *ususfructus trientis totius hereditatis* desumendi ex parte liberae dispositionis **(hisp.-ph.**, 836).

c) Filiis *naturalibus* legaliter recognitis *dimidium portionis liberae dispositionis* (sine detrimento legitimae, quae debetur conjugi superstiti. Unde quoad aliqua ipsis continget nuda proprietas, conjugi autem ususfructus **(hisp.-ph.**, 841). Cfr. etiam **hisp.**, 127, 844).

III. Deficientibus descendentibus et ascendentibus legitimis, debetur:

a) Conjugi superstiti *ususfructus dimidiae partis totius* hereditatis **(hisp.-ph.**, 837).

b) Filiis *naturalibus* legaliter recognitis tertia pars totius hereditatis **(hisp.-ph.**, 842, 846). Cfr. etiam **hisp.**, 844.

N. B. 1.° Quae in toto hoc *n.* 975, 976 diximus de filiis legitimis (idem tene de parentibus) valent etiam pro *legitimatis* per *subse-*

quens parentum *matrimonium;* quae vero de *naturalibus* legaliter *recognitis*, eodem modo intelligi debent de *legitimatis* regia concessione (*aa.* 127, 844, 846). Ita etiam ex **chil.**, excepta concessione regia, ut patet.

2.° Quae de conjuge superstite dicta sunt, vim non habent si separati conjuges vivant per divortium, nisi conjux superstes innocens sit, vel reconciliatio intercesserit **(hisp.-ph.**, 834).

3.° Praeteritio alicujus ex heredibus necessariis in linea recta, etiamsi hic nascatur post mortem testatoris (et quamvis sit tantum filius naturalis), nullam reddit institutionem heredis (1), nisi forte praetermissus moriatur ante testatorem, *a.* 814. Cfr. Sent. Trib. Supr. 17 jun. 1908, 27 febr. 1909: apud *Alcubilla*, App. anni 1909, *pag.* 318, *n.* 99; *pag.* 815, *n.* 177.

4.° *Illegitimi* qui non sint *naturales* (cfr. supra, *n.* 473, *N. B.*) legitimari numquam possunt **(hisp.-ph.**, 119), et jus solum habent ad alimenta (*a.* 845).

[Quoad **Lusit.**, cfr. *a.* 1874 *seq.;* quoad **Amer. lat.**, cfr. **aeq.**, 1174 *seq.;* **arg.**, 3625 (3591) *seq.;* **bol.**, 905 *seq.;* **chil.**, 1184 *seq.;* **col.**, 1242, *seq.;* **nic.**, 1184 *seq.;* **Salv** , 1208 *seq.;* **ur.**, 862 *seq.;* **ven.**, 773 *seq.*].

977. — QUAER. 7.° *An testator de jure naturali teneatur* SUB GRAVI *relinquere bona cognatis, qui non sunt heredes necessarii?*

Resp. 1.° *Quoad fratres, affirm.* (non ex *justitia* sed ex *charitate* tantum), si sint in gravi necessitate; secus, non erit nisi veniale; imo nullum peccatum, si rationabile sit motivum. *Ita communiter. S. Alph., n.* 946; *Laymann, Lugo*, etc.

Resp. 2.° *Quoad alios consanguineos remotiores*, juxta communiorem sententiam non est gravis obligatio eos ceteris praeferendi, etiamsi sint pauperes; non tamen peccatum veniale deerit, si omnino sine rationabili causa praetermittantur. *S. Alph.*, etc.

978. — QUAER. 8.° *An peccent in foro conscientiae contra justitiam parentes, si laedant legitimam filiorum per testamentum, vel donationes inter vivos, aut contractus simulatos?*

Resp. a) Affirm., per se, cum sententia communiori. Ratio est, quia lex gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiae requisitis, scilicet, est justa, utilis bono publico, et ipso facto irritans. *Reuter, n.* 286; *Gousset, Bouvier.* Cfr. supra *n.* 647.

Dixi *per se*, quia non videntur ullo modo peccare parentes, qui justa de causa *partialiter* legitimam filiorum laedunt in aliquo casu particulari. Tunc enim cessat finis legis, quae attingere non intendit illos casus particulares, qui familiae prosunt, nec bono communi obsunt; v. gr. si pater donationes quasdam tribueret filio

---

(1) Jure **phil.**, tantum conceditur praetermisso jus ad portionem hereditariam quae sibi competeret ab intestato. Cfr. *Villard*, ad *aa.* 755, 756.

probo remunerationis gratia, unde minus filio dissipatori obveniret. *Gousset, n.* 794.

Post factum non sunt facile inquietandi filii, qui majorem paternae hereditatis partem non sine alterius heredis detrimento acceperunt, quando ex rerum adjunctis conjici potest, parentes ex aliqua justa causa ipsis favisse, praesertim si in bona sint fide, et merito timeri possit ne obligationem renuant adimplere.

b) Plures tamen non improbabiliter docent, parentes legitimam filiorum violantes, non peccare contra *justitiam* commutativam, sed tantum *venialiter* contra obedientiam legi debitam; nisi fraudem adhibeant, i. e., contractus simulatos, ad impediendum jus filiorum reclamandi contra tales donationes. Ratio eorum est, quia filii ante patris mortem jus strictum in ejus bona non habent: quare pater disponit de re sua. Hinc inferunt: 1.° donatarium vel legatarium posse rem sibi servare donec repetatur ab heredibus (*Lugo, d.* 13, *n.* 147), quos monere non tenetur ut sibi consulant; 2.° posita reclamatione, rem, ex qua parte legitimam laedit, esse heredibus restituendam; 3.° si fraus adhibita fuerit, v. gr. per contractus *ficte* onerosos, restitutionem esse faciendam ante omnem petitionem. *Marres. l.* 1, *n.* 340, *l.* 4, *n.* 90; *Waffelaert*, I, *n.* 320.

c) Imo theologis non paucis videtur, legem civilem non posse ita obligare parentes ad aequalitatem inter filios servandam. Itaque eos *per se* a culpa eximunt, si de cetero honestae filiorum sustentationi sufficienter providerint, nec pravo fine moveantur.

979. — Quaer. 9.° *An parentes donationes manuales alicui e filiis, vel extraneis, aut causis piis erogare possint?*

Resp. Parentes licite facere possunt donationes sequentes: 1.° donationes quae fieri solent inter conjunctos et amicos aequalis conditionis, ut munuscula, etc...; 2.° donationes *remuneratorias* pro quantitate et qualitate meriti juxta aestimationem prudentium, quia potius solutio debiti alicujus, quam gratuita donatio dici istae debent; 3.° donationes quaslibet, *per se*, ex meris reditibus, intactis capitalibus, quae patrimonium proprie dictum constituunt, quia parentes *per se* nullo jure adaugere patrimonium ex reditibus vel labore tenentur. Imo etiam ex iis quae patrimonium constituunt, modo legitima filiorum non laedatur.

Donationes vero ad pias causas *per se* licitae *probabiliter* sunt, quamvis legitima filiorum laedatur; modo illi non priventur alimentis jure naturae debitis, quia jus civile nequit praejudicare causae piae. *S. Alph., n.* 740; *Lacroix, n.* 812; *Marres*, I, *n.* 341. — Praestabit tamen saepius in praxi, facultate accepta ab Episcopo vel Papa, tales donationes non admittere, juxta principium aequitatis et prudentiae a S. Augustino proclamatum (*serm.* 2, De vita clericor., *c.* 43, *caus.* 17, *q.* 4): «Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non

Augustinum: immo, Deo propitio, neminem inveniet». Cfr. *Wernz, vol.* 3, *n.* 255.

980. — QUAER. 10. *Quomodo impendenda sunt bona cum testator* **heredem** *instituerit* **propriam animam?**

Resp. Tunc exsecutores omnia bona uni vel pluribus causis piis tribuere debent. *Reiffenstuel, l.* 3, *tit.* 26, *n.* 820; *Ball.-P., vol.* 3, *n.* 985; *Il Monitore, vol.* 5, *p.* 1, *pag.* 245. Cfr. supra, *n.* 961.

N. B. Leges quae (ut **guat.**, 811; **per.**, *a.* 709) prohibent, ne quis propriam animam heredem instituat, aut non ultra tertiam partem tertiae liberae dispositionis (ut **lusit.**, 1775), non valent in conscientia. Igitur heres a lege civili vocatus, tenetur voluntatem testatoris exsequi. Cfr. supra, *n.* 962. — Nec lex **hisp.-ph.**, 747, quae in casu quo testator bona sua omnia vel aliqua indeterminate reliquerit *para sufragios y obras piadosas en beneficio de su alma*, praecipit ut dimidium bonorum gubernatori civili tribuatur pro domibus beneficentiae, obligat in conscientia. Exsecutores tamen si illam observent, tuti in conscientia esse possunt, quum revera in opera pia impendant quidquid tribuant domibus beneficentiae (1).

---

(1) En ex jure **hisp.**, quid *ex singulis centenis* Statui solvendum sit pro transmissionibus hereditariis: «Las transmisiones de bienes... que se verifiquen por sucesión a título de herencia o legado pagarán... Entre ascendientes y descendientes legítimos e hijos legitimados . . . . . 2'00
Si la cantidad no pasa de 1.000 pesetas . . . . . 1'00
Entre ascendientes y descendientes naturales y adoptivos. . . . 3'50
Entre cónyuges en la porción o cuota legal usufructuaria . . . . 2'00
Entre cónyuges en la porción no legítima . . . . . de 4 a 7
Entre colaterales de segundo grado. . . . . » 8 a 11
Entre colaterales de tercer grado . . . . . » 10'50 a 13'50
Entre colaterales del cuarto grado . . . . . » 11'50 a 14'50
Entre colaterales del quinto grado . . . . . » 13'50 a 16'50
Entre colaterales del sexto grado . . . . . » 15 a 18
Entre colaterales de grados más distantes del sexto y entre extraños:
a) Hasta 1.000 pesetas de participación hereditaria . . . . . 17'00
b) De 1.000,01 pesetas a 10.000. . . . . 18'00
c) De 10.000,01 pesetas a 50.000 . . . . . 18'75
d) De 50.000,01 pesetas a 100.000 . . . . . 19'25
e) De 100.000,01 pesetas a 500.000 . . . . . 19'50
f) De 500.000,01 pesetas a 2.000.000 . . . . . 19'75
g) De más de 2.000.000. . . . . 20'00
Los legados a favor *del alma* y las mandas piadosas. . . . . 14'00
Véase, no obstante, la S. del T. S. de 21 de oct. de 1907 (*Alcubilla*. Ap. 1909, *pág.* 79).

Reglamento para la administración y realización del imp. sobre derechos reales, *a.* 21, 10 de abril de 1900 (*Alcubilla*, Ap. de 1900, *pag.* 183 et 173), modificado por la *impia* ley de Presupuestos de 31 de diciembre de 1905, *a.* 16 (*Alcubilla*, Ap. de 1906, *pag.* 6), y por la del 3 de agosto de 1907 (*Alcubilla*, Ap. de 1907, *pag.* 309) y por la de 1910, y Reglamento provisional de 20 de abril de 1911 (*Alcubilla*, Ap. de 1911, *pag.* 320, 331). Cfr. **Casus,** *n.* 756, a-d.

Gubernatori interventum nullum concedit lex, si omittantur verba *obras piadosas*, si solum de suffragiis fiat sermo, aut si a testatore opera pia omnino determinate designentur (R. Ord. 9 jun. 1894).

[A fortiori anticanonicae dicendae sunt leges quae statuunt tradenda esse domibus beneficentiae (**mex.**, 3308) ad designationem Praesidis Reipublicae (**aeq.**, 1406; **chil.**, 1056; **col.**, 1113; **nic.**, 1056; **Salv.**, 1085: **ur.**, 812) ea omnia quae testator reliquit in genere pro anima propria.

Non modo contra sacros canones, sed etiam contra justitiam videtur art. 795 **ven.**, ubi praecipitur esse impendenda per aequas partes in favorem publicae instructionis et beneficentiae nationalis bona de quibus testator disponit «en favor de su alma, sin determinar la aplicación, o simplemente para misas, sufragios, usos u obras pías».]

981. — QUAER. 11. *An juri naturae contraria dicenda sit lex* (v. gr. **cost.**, 595; **guat.**, *a* 159 *seq.*, *de la ley de reforma del C. Civ.*; **mex.**, *aa.* 3323, 3324), *quae nullam legitimam filiis assignat, sed testatori relinquit plenam testandi libertatem*, modo alimenta filiis, etc., assignet?

Resp. Neg. Quia ex jure naturae nihil aliud eruitur nisi filiis, parentibus etc., deberi alimenta *quamdiu iis egeant. Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 827.

Igitur quamvis ex communiori sententia praeferenda videatur lex, qua legitima aliqua portio liberis statuitur, dummodo facultatem testandi nimis non coarctet; attamen leges, quae nullam vel fere nullam filiis decernunt legitimam, non possunt vocari injustae. Cfr. *Marres*, *l.* 1, *n.* 336. Hinc improbandae minime sunt leges forales **Hispaniae**. Cfr. supra, *n.* 975.

PUNCTUM III

De dispositionibus testamentariis, seu de codicillo et legato.

982. — I. *Codicillus*, seu parvus codex, est ultima defuncti voluntas minus solemnis et extra testamentum expressa, qua edicit, quid fieri velit post mortem suam de rebus suis, absque directa heredis institutione. — *Clausula* autem *codicillaris* est clausula testamento ipsi inserta, qua declaratur, quod si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat (1).

Ad codicillum sive nuncupatum, id est, viva voce habitum, sive scriptum, sufficiunt *quinque* testes, etiam non rogati, et etiam *feminae*. Sic ex *jure romano*.

(1) Dig., *lib.* 28, *tit.* 1, *leg.* 29, 571; *lib.* 5, *tit.* 2, *leg.* 13.

Jure autem **hispano** (*a.* 672); **phil.**, (618 *C. pr. civ.*) et **Amer. lat.** (excepto **bras.**), codicillus non exsistit, sed eaedem solemnitates requiruntur pro quacumque ultima voluntate (**hisp.**, 738). Unde etiamsi testator in ipso testamento statuat heredem instituendum vel legatum, etc., faciendum juxta ea quae inveniantur post ejus mortem in tali chirographo vel schedula, hujuscemodi clausula nullius erit roboris, nisi chirographus vel schedula habeat solemnitates requisitas ad testamentum holographum (**hisp.**, 672). [Cohaeret **aeq.**, 990, 992; **arg**, 3654 (3620); **bol.**, 659 *seq.*; **chil.**, 1000, 1002; **col.**, 1056, 1058; **nic.**, 1000, 1002; **per.**, 856; **Salv.**, 1033, 1035; **ur.**, 759. Jure **bras.**, 1651 *seq.*, codicillus haberi potest per scriptum privatum, absque ullo teste, et per ipsum dispositiones quaedam minoris momenti fieri possunt]. — Pro **Cathal.**, vide append. 3, ad fin. vol.

II. *Legatum* est donatio quaedam cuipiam directe a defuncto relicta.

Legatum esse potest; 1.° purum seu absolutum, vel conditionatum (Cfr. supra, *n.* 931); 2.° universale, vel particulare; titulo universali, v. gr. *lego omnia mobilia;* vel particulari, v. gr. *lego talem summam.*

983. **Quaesita.** — QUAER. **1.°** *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit illis de jure naturali dari, quae religiosae fiunt?*

Resp. Affirm., si relictum fuit personae determinatae, nisi aliter constet de mente testatoris. — *Neg.* autem, si legatum relictum sit personis indeterminatis, quia tunc testatores potius intendunt providere solis puellis nubere volentibus, ne seductioni exponantur. *Ita communius* cum *S. Alph., n.* 930, contra *alios*, quorum sententia solide probabilis videtur. Cfr. supra, *n.* 931, 4.°

Quoad legatum alicui relictum ut *non nubat*, vide dicta *n.* 931, *N. B.*, 3.°

QUAER. 2.° *An legatum relictum puellis ut nubant, possit dari puellis quae sine dote jam nupserunt?*

Resp. Affirm., si agatur de puellis determinatis, quia praesumitur, testatorem voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nuptae decenter vivant. — Secus, si de indeterminatis, quia tunc testator censetur potius nubentibus subvenire voluisse, ut periculum prostitutionis vitent. *S. Alph., ibid.*

984. — QUAER. 3.° *Quid veniat in legatis nomine* MOBILIUM *seu* BONORUM MOBILIUM?

Resp. Bona mobilia ea sunt generatim, quae e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia, etc. Idem sonant *bona mobilia*, *res mobiles* vel etiam *mobilia* cum oppositione ad *immobilia.*

985. — QUAER. 4.° *An summus Pontifex possit legata et alias ultimas voluntates testatorum commutare, quando de causis piis agitur?*

Resp. Affirm., si adsit justa ratio (*Wernz*, l. c., *n.* 207); quia a

Christo institutus est piarum causarum administrator, ut possit de iis disponere prouti necessitas et spiritualis utilitas exigit. — Idem dicendum est de principe quoad legata profana in favorem reipublicae constituta. *S. Alph.*, *n.* 931.

QUAER. 5.° *An episcopi pias dispositiones justa de causa commutare possint?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Ratio est, quia ex *Trid.*, *sess.* 22, *cap.* 8, imponitur episcopis sollicitudo ultimas voluntates sedulo exsequendi. *S. Alph. n.* 931; *Wernz, vol.* 3, *nn.* 208, 283, 286, IV.— Excipiendi tamen *probabilius* sunt casus, qui, si a testatore praevisi fuissent, *certo* effecissent ut aliter disponeret, v. gr., si reliquerit pecuniam ad vasa sacra pro ecclesia, et haec vasis non indigeat; vel si legatum ad finem suum applicari *nequeat*, quia non sufficit, vel quia ad usum intentum deservire non potest. Cfr. *Wernz, n.* 283.

PUNCTUM IV

De revocatione testamentorum.

986. — I. Testamentum, sub quacumque forma sit factum, semper revocari potest ad nutum testatoris, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum suorum usque ad mortem retinet. *Ita ex omni jure.* Cfr. *C. C.* **hisp.**, 737; **phil.**, 623 *C. pr. civ.*; **lusit.**, 1754; [**aeq.**, 991; **arg.**, 3858 (3824); **bol.**, 531; **bras.**, 1746 *seq.*; **chil.**, 1001; **col.**, 1057; **cost.**, 621; **guat.**, 931; **mex.**, 342; **nic.**, 1001; **per.**, 8471; **Salv.**, 1034; **ur.**, 973; **ven.**, 890].

II. Revocatio (1) testamenti triplici modo fieri potest: 1.° *expresse*, v. gr. per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimatur [**lusit.**, 1756; **aeq.**, 1203; **chil.**, 1213; **guat.**, 939; **nic.**, 1213; **Salv.**, 237; **ur.**, 1974 *seq.*]; 2.° tacite *a*) per testamentum tempore posterius, quamvis in eo prioris non fiat mentio, et quamvis priori hoc posterius non sit contrarium (**per.**, *a.* 848); nisi in eo exprimatur quod prius etiam valeat ex toto vel ex parte (*a.* 739); [**arg.**, 3862 (3828); **guat.**, 932, 937; **mex.**, 3476; **per.**, 853]; sed prius iterum reviviscet, si testator *expresse* id declaraverit et posterius revocaverit, *a.* 739; **lusit.**, 1758; [**mex.**, 3478; **arg.**, 3863 (3829) *seq.*], *b*) per destructionem testamenti holographi [**arg.**, 3867 (3833); 3.° *ex juridica praesumptione*, quum scilicet testamentum clausum apud testatorem reperiatur fractis sigillis vel involucro,

(1) Jure **phil.**, *a.* 623, *C. pr. civ.*, revocatio fit per ministerium legis aut per aliud testamentum validum, aut per combustionem, destructionem, cancellationem aut obliterationem, factas ex intentione a testatore, vel ab alio ex ejus mandato.

deletis subscriptionibus, etc. (*a.* 742); [**per.**, *a.* 858; **mex** , 3533; **arg.**, 3870 (3736)].

Etiam *legata* rei certae ac determinatae censentur *tacite* revocata per venditionem, permutationem, destructionem, immutationem (qua formam et denominationem antiquam amittat), etc., rei legatae factam ab ipso testatore: **hisp.-ph.**, 869; **lusit.**, 1811; [**aeq.**, 1125; **arg.**, 3837, 3872 (3803, 3838); **bol.**, 537; **chil.**, 1135; **col.**, 1193; **cost.**, 626; **guat.**, 940; **mex.**, 3362-3364; **nic.**, 1135; **per.**, 860; **Salv.**, 1161; **ur.**, 886-921; **ven.**, 854 *seq.*].

Refertur ad revocationem testamenti ejus *caducitas*, quae habetur quando dispositiones testamentariae, etsi validae a principio, infirmae tamen evadunt ob quasdam circumstantias, v. gr., si legatarius moriatur ante testatorem (**lusit.**, 1759), vel ante exsecutionem alicujus conditionis; si res legata pereat, etc. Cfr. **hisp.**, 689, 703, 704, 719, 720, 730, 731 et 740; [**aeq.**, 1133; **arg.**, 3777, 3805, 3833 (3743, 3771, 3799); **bol.**, 536 *seq.*, 699; **chil** , 1143; **col.**, 1199; **cost.**, 626; **guat.**, 945; **mex.**, 3479; **nic.**, 1143; **per.**, 860, 866, 711, 718; **Salv.**, 1169; **ur.**, 930; **ven.**, 852]. *Vide dicta supra de singulis testamenti speciebus.*

N. B. 1.° Clausula testamenti, qua filius naturalis recognosci tur revocari nunquam potest, quamvis totum illud testamentum revocetur (**hisp.**, 741; **mex.**, 3474).

[2.° Jure **lusit.**, 1756; **aeq** , 1205; **bol.**, 534; **chil.**, 1215; **col.**, 1273; **cost.**, 623; **nic.**, 1215; **Salv.**, 1239; **ur.**, 980; **ven.**, 982, testamentum tempore posterius non revocat *facile* aliud testamentum nisi in ea parte quae ei adversatur.

Jure **aeq.**, 1203; **chil.**, 1213; **col.**, 1271; **nic.**, 1213; **Salv.**, 1337; **ur.**, 975, testamentum solemne revocatum per aliud privilegiatum reviviscit, si privilegiatum vim suam amittit].

PUNCTUM V

De exsecutore testamenti (1)

987. —Testamenti exsecutor is est, quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exsequendas. Nullo autem nominato, vel si nominati munus non acceptent, etc., exsecutio testamenti ad heredes pertinet: **hisp.**, 911; **lusit.**, 1893; [**aeq.**, 1261; **arg.**, 3878, 3901 (3844, 3867); **bol.**, 600; **bras.**, 1753 *seq.*; **chil.**, 1271; **col.**, 1328; **guat.**, 898 *seq.*; **mex.**, 3703, 3709; **nic.**, 1271; **per.**, 805 *seq.*; **ur.**, 940; **ven.**, 866].

Circa testamenti exsecutionem haec tenenda sunt:

1.° Ut quis sit exsecutor testamenti, necesse est ut capacitatem

(1) Quoad jus **phil.**, cfr. *Cod. pr. civ.*, *aa.* 641-683.

sese obligandi habeat (**lusit.**, 1886). Hinc exsecutores (*albaceas*) esse nequeunt interdicti, minores (etiam consentiente patre vel tutore), amentes, surdi simul ac muti, nisi scribere sciant; uxores sine mariti consensu, nisi ab eo legaliter separatae vivant (**lusit.**, 1887). Exsecutores esse possunt religiosi ex licentia praelati sui, nisi ordinis regula obstet. Cfr. **hisp.**, 893, 1263; [**aeq.**, 1262, 1263; **arg.**, 3880 (3846); **bol.**, 607; **chil.**, 1272, 1273; **nic.**, 1272, 1273; **ur.**, 941, 942; **ven.**, 867 *seq.*].

2.° Plures exsecutores testamenti institui possunt vel *a*) ita ut unus alteri *successive* subrogetur, vel *b*) ita ut omnes munus teneant *in solidum*, vel *c*) ita ut omnes communi consensu procedere simul debeant, et sic nominati censentur, nisi aliud expresse dicatur a testatore: **hisp.**, 894-896; [**aeq.**, 1271, 1273; **arg.**, 3904, 3905 (3870, 3871); **bras.**, 1765; **chil.**, 1281-1283; **guat.**, 904 *seq.*; **mex.**, 3714-3717; **nic.**, 1272, 1273; **ur.**, 941, 942; **ven.**, 867, *seq.*].

3.° Exsecutor invigilare debet: 1.° ut apponantur *sigilla*, si inter heredes sint minores, interdicti vel absentes; 2.° ut fiat *inventarium* praesentibus vel rite advocatis heredibus; 3.° ut fiant et solvantur *funus et suffragia* a testatore praescripta, vel, si nihil statuerit, juxta loci consuetudinem; 4.° ut *vendantur mobilia*, et quatenus opus sit etiam immobilia, intervenientibus heredibus (et servatis praescriptionibus legalibus, si heredes minores, etc., sint), quoties pecunia ad solutionem funeris, suffragiorum et legatorum deficiat; 5.° ut exsecutionem testamenti *urgeat* et illius valorem, quatenus justum sit, tam in judicio quam extra judicium defendat ac tueatur: **hisp.**, 902; **lusit.**, 1899; [**aeq.**, 1274, 1283, 1285; **arg.**, 3885 (3851) *seq.*; **bras.**, 1755 *seq.*; **chil.**, 1284, 1293, 1295; **col.**, 1341-1349; **guat.**, 1908; **mex.**, 3730, 3740; **ur.**, 949, 958, 960; **ven.**, 872 *seq.*].

4.° Impensae, quae fiunt ab exsecutore, muneris sui adimplendi causa, ex rebus hereditariis solvi debent [**arg.**, 3907 (3873); **mex.**, 3754; **ven.**, 384].

Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum [**bol.**, 602; **guat.**, 907; **ven.**, 882]; sed si muneri sine justa causa renuntiet, amittit quidquid ipsi reliquerit testator, salva semper legitima, quae ei forte competat: **hisp.**, 900; **lusit.**, 1889; [**aeq.**, 1267; **arg.**, 3883 (3849); **chil.**, 1277; **col.**, 1334; **mex.**, 3718, 3719; **nic.**, 1277; **ur.**, 943]. Si acceptet, tenetur ad rationem gestionis reddendam heredibus; vel judici, si bona non heredibus determinatis tradenda, sed distribuenda aliter sint in casibus a lege permissis: **hisp.**, 907; **lusit.**, 1906; [**aeq.**, 1299; **arg.**, 3902 (3868); **phil.**, 1309; **col.**, 1366; **mex.**, 3730, 3747].

Munus exsecutoris alteri delegari nequit sine testatoris expressa facultate: **hisp.**, 909; [**aeq.**, 1270; **arg.**, 3889 (3855); **chil.**, 1280; **col.**, 1334; **guat.**, 911; **mex.**, 3722; **nic.**, 1280; **ur.**, 946]; estque gratuitum (*aa.* 898, 908, 1057, 1711. Sent. Trib. Supr. 24 febr. 1905. Cfr. *Alcu-*

billa, Ap. de 1905, *pag.* 279). Ita etiam **lusit.**, 1892. [Sed jure **aeq.**, 1292; **arg.**, 3906 (3872); **bol.**, 606; **bras.**, 1766; **chil.**, 1302; **col.**, 1359; **guat.**, 919; **mex.**, 3755-3760; **nic.**, 1302; **ur.**, 966, debetur remuneratio].

N. B. 1.° Jure *romano* vix alius exsecutor agnoscitur, quam ipse heres; unde quae hic dicta sunt, respiciunt Codices recentiores, excepto **Salv.**, 1295, qui rejicit alios exsecutores praeter heredes.

2.° Episcopus *jure canonico* est exsecutor natus piarum voluntatum, si desit exsecutor vel heres, vel si hi ab Episcopo moniti negligentes se gerant *per annum*. [Cfr. **aeq.**, 1281; **chil.**, 1291; **nic.**, 1291; **ur.**, 967, 956].

3.° In Cathalaunia est sat generalis consuetudo ut exsecutores universales (quando testator reliquit heredem animam propriam aut aliam causam piam) percipiant 10 % ex capitali relicto. Cfr. *Brocá, y Amell, vol.* 2, § 734; *Elías de Molins*, Manual de Derecho administrativo, etc., *vol.* 2, *pag.* 266; *Pellicer y Guiu*, 1, *pag.* 237 (ed. 2.ª). In dioecesi Vicensi percipiunt 5 %, ita tamen ut summa percepta non possit excedere octoginta pesetas. *Brocá, y Amell*, l. c.

§ III. *De donatione mortis causa.*

988. — Donatio mortis causa ea est, quae intuitu mortis fit, ideoque vim non habet nisi sequuta morte donantis; est igitur ex natura sua revocabilis.

De jure communi valet donatio mortis causa, modo debitis vestiatur conditionibus, scilicet: 1.° fieri debet intuitu mortis, secus donatio *inter vivos* censeretur; 2.° acceptari debet ante mortem donatoris ab ipso donatario; 3.° si donatarius praemoriatur, ipso facto revocatur, nec ad ejus heredes transit (Vide tamen dicta *n.* 950); 4.° itidem revocatur, si donator periculo supervixerit.

N. B. Jure **hisp.-ph.**, 620, donatio mortis causa non distinguitur a *legato*, cujus legibus omnino regitur. [Cohaeret jus **lusit.**, 1457; **aeq.**, 1126, 1129; **bol.**, 688; **chil.**, 1136, 1139; **col.**, 1195; **nic.**, 1136, 1139; **per.**, 628, 629; **Salv.**, 1063, 1066; **ur.**, 1588].

Potest tamen donator *inter vivos*, sibi reservare jus disponendi de aliquibus ex rebus donatis, vel eas certa quantitate gravandi; sed si moriatur quin illo jure utatur, rei plenum dominium manet penes donatarium (**hisp.-ph.**, 639). Igitur in hoc casu habetur non donatio *mortis causa*, sed donatio *inter vivos* cum conditione suspensiva juxta facultatem concessam in **hisp.-ph.**, 1255. Cfr. *Alcubilla*, v. Donación (*vol.* 4, *pag.* 557). [Cohaerent *generatim* CC. **Amer lat.**, quoad donationes factas cum solemnitatibus testamenti; contrarium vero statuunt si solemnitates pro donationibus *inter vivos* servatae sint. Cfr. **aeq.**, 1134, 1127; **chil.**, 1144, 1137; **col.**, 1203, 1195; **nic.**, 1144, 1137; **Salv.**, 1170, 1163]. Et haec prae oculis habe in sequentibus responsionibus P. Gury.

989. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An ille, cui mortis causa donata est res mobilis, possit illam occulte sumere mortuo donatore?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*, modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti, habet enim jus in re donata; ergo jure suo utitur. Deinde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda.

QUAER. 2.° *An valeat donatio manualis ab ipso aegroto facta sub ea conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat?*

Resp. Affirm. Etenim 1.° valet ut donatio mortis causa; 2.° valet etiam quatenus donatio *inter vivos*, si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis, quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest.

QUAER. 3.° *An eadem donatio valeat sub conditione ut restituatur, si repetatur?*

Resp. Affirm., probabilius, quamvis non valeat ut donatio *inter vivos*, quae postulat ut donator re sua se spoliet irrevocabiliter; valere tamen potest tanquam donatio mortis causa propter traditionem realem, quae non minus roboris habere debet, licet nulla mortis mentio fiat.

990. **Resolves:** — 1.° Non est donatio mortis causa, sed *inter vivos*, dispositio qua quis nunc et irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cujus usum vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem.

2.° Nec ut donationes mortis causa habendae sunt, sed *inter vivos*, dispositiones quibus aegroti dant actualiter et irrevocabiliter personis praesentibus, v. gr. parentibus, famulis, amicis, res mobiles aut etiam immobiles absque ulla conditione mortem respiciente.

3.° Vim donationis mortis causa non habent promissiones, quae solent fieri in vita de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis,... neque vi talium promissionum quispiam poterit vel quid minimum praetendere; quia promissiones illae non aliud solent denotare quam *merum propositum*, seu bonum animum donationis alias faciendae. Cavendum igitur, ne famuli et amici, etc..., facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur, atque adeo res quasvis, praetextu promissionis vel donationis, occulte surripiant. Recole dicta supra de promissione, *n.* 936. — V. **Casus**, *n.* 811 *et seq.*

§ IV. *De substitutione et fideicommissis.*

(Pro **Arag.** et **Cathal.**, vid. app. III).

991. — *Substitutio*, licet quandoque fideicommissi nomen obtineat, latius tamen se extendit, quippe quae generatim sumpta de-

finitur: dispositio qua quis vocatur ad hereditatem vel legatum in alterius defectu.

Duplex est substitutio, alia *fideicommissaria*, quae idem est ac fideicommissum; et alia *directa*, qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hereditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit. [Hanc tantum admittit **bol.**, 503; **cost.**, 582; **guat.**, 805 *seq.*; **per.**, 703; **ur.**, 833 *seq.* Paulo aliter **mex.**, 3448 *seq.*]

Fideicommissum, seu melius *substitutio fideicommissaria* est illa qua heres testamento institutus vel ab intestato veniens a defuncto gravatur et obligatur, ut hereditatem totam, vel ejus partem alteri restituat seu tradat. *Schmalzgr.*, *lib.* 3, *tit.* 26, *n.* 126.

Respectu fideicommissi, testator dicitur *fideicommittens;* heres institutus, *fiduciarius;* et ille, cui fideicommissum tradendum est, appellatur *fideicommissarius.*

Jure **hisp.-ph.**, institutio fideicommissaria erit nulla nisi sit intra secundum gradum, vel saltem in favorem personae jam viventis tempore mortis testatoris (*a.* 781). Intra secundum gradum esse intelligitur, quum primo *substituto* alius substituitur (cfr. *Serafini-Trias*, *vol.* 2, *pag.* 457, 458), non vero si *tertius* huic secundo substituatur. Intra secundum gradum valida erit etiamsi uterque substitutus vel alteruter adhuc natus non sit tempore mortis testatoris. Vocatio ad hanc substitutionem erit etiam nulla, nisi *expresse* fiat (*a.* 783). Attamen nullitas substitutionis non nocet validitati institutionis, nec aliis heredibus (*a.* 786). Item nulla erit, si legitimam laedat (*a.* 782). Idem intellige de quacumque dispositione fideicommissaria, i. e., ut valida sit, debet esse expressa, et fideicommissarius intra secundum gradum vel persona jam vivens, etc. (*a.* 785).

Igitur nulla habetur dispositio qua statuitur ut fiduciarius omnia bona, vel horum aliqua, distribuat juxta instructiones secreto sibi a testatore datas (*a.* 785. Cfr. Sent. Trib. Supr. 6 febr. 1903: *apud Alcubilla*, App. an. 1903, *pag.* 850); [**lusit.**, 1741; **ur.**, 841].

Valida nihilominus habetur clausula, qua imponitur heredi vel bonis immobilibus, onus, etiam perpetuum, solvendi statutis temporibus, v. gr. singulis annis, pensionem quamdam pro operibus piis, v. gr. pro puellis dotandis, pro pauperibus, etc. (*a.* 788) [**lusit.**, 1872; **mex.**, 3454].

Jus **lusit.**, *a.* 1869, fideicommissum admittit tantum in favorem descendentium in secundo gradu lineae rectae, aut pro filiis fratrum testatoris.

992. Quaesita. — QUAER. 1.° *An valeant in foro conscientiae substitutiones fideicommissariae lege prohibitae?*

Resp. Videtur eadem esse quaestio ac pro testamentis, quae formalitatibus destituuntur; unde tenenda ea quae diximus *n.* 960.

993. — QUAER. 2.° *An valeant in foro conscientiae fideicommissa occulta pro causis piis, seu sub forma donationis simulatae, testamenti aut legati ficti in favorem alicujus privati?*

Resp. Affirm., quamvis a lege prohibeantur, ut patet ex iis quae dicta sunt *n.* 961 de testamentis ad pias causas quae formis careant. V. **Casus**, *n.* 867 *et seq.*

Constat ex sequenti declaratione S. Poenitentiariae 23 jun. 1844. Proposita enim sequenti quaestione:

«Eudorius, *caelibatarius, heredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem* Bonifacium *legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum* Bonifacio *tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso ut eamdem fideliter exsequatur.* Bonifacius *vero, mortuo* Eudorio, *hereditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit.*

Sacra Poenitentiaria respondet, in casu exposito Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem *Eudorii* certe cognitam, pro foro conscientiae.» Cfr. etiam S. C. C., 26 april. 1902 (*Il Monitore, vol.* 14, *pag.* 102).

CAPUT III

DE COMMODATO ET PRECARIO

(*De his, C. C.* **hisp.-ph.** *aa.* 1741-1752; **lusit.**, 1510 *seq.*; **aeq.**, 2161 *seq.*; **arg.**, 2289 (2255) *seq.*; **bol.**, 1239 *seq.*; **bras.**, 1248 *seq.*; **chil.**, 2174 *seq.*; **col.**, 2200 *seq.*; **cost.**, 1334 *seq.*; **guat.**, 1927 *seq.*, *et* 284 *leg. reform. C. C.*; **mex.**, 2661 *seq.*; **nic.**, 2174 *seq.*; **per.**, 1825 *seq.*; **Salv.**, 2132 *seq.*; **ur.**, 2190 *seq.*; **ven.**, 1699 *seq.*).

994. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum *gratis* conceditur pro *certo tempore*, cum onere rem eamdem *in individuo* restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur: contractus, quo alicui petenti usus rei alicujus conceditur, *revocabilis* tamen *ad concedentis voluntatem*. Et in hoc a commodato precarium differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc commodatum differt: 1.° a *locatione*, qua usus rei conceditur quidem, sed non gratuito; 2.° a *deposito*, quo res traditur non

ad usum, sed ad custodiam; 3.° a *mutuo*, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Objectum porro commodati aut precarii esse possunt res quaecumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positae, modo consumptibiles non sint primo usu, cui destinantur.

995. — *Obligationes commodatarii.* Generatim uti debet re sibi commodata tamquam bonus paterfamilias; speciatim vero:

1.° Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter judicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.

2.° Subire debet expensas necessarias ad rei conservationem, alere v. gr. equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. gr. ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem.

3.° Rem commodatam praefixo tempore et propriis expensis reddere debet, etiamsi non repetatur; quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus praefinitum non fuerit, restitui res commodata debet statim ac postulatum usum praestiterit.

4.° Si res commodata detrimentum aliquod ob concessum usum patiatur absque culpa commodatarii, iste ad compensationem non tenetur. Si deterior facta sit culpa ipsius *juridica*, tenetur in foro interno, quum contractus sit in solam ejus utilitatem initus. *Negant* tamen *probabiliter alii*, nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit. Recole dicta *n.* 798 *et seq.*

996. — *Obligationes commodantis.* 1.° Tenetur rem commodatam non repetere ante tempus praefixum, vel saltem, si hoc praefixum non fuerit, antequam commodatarius ea uti valeat; alioquin tenebitur de damno, quod alius expertus est ex intempestiva ejus revocatione, cum jus alienum pacto acquisitum sic violaverit. Excipe, si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus praefixum moriatur; vel si ipse commodans ex casu improviso re sua statim indigeat.

2.° Tenetur restituere expensas extraordinarias, quas urgentes et ad rem conservandam necessarias subiit commodatarius, dum alioqui commodantem monere facile non potuit.

3.° Rei commodatae vitia nociva, si quae noscit, commodatario aperire tenetur; alias damnum inde proveniens compensare debebit.

4.° Tandem rei pericula atque detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto, et peculiari lege, sustinere tenetur, quia, juxta axioma, *Res perit domino.* — V. **Casus**, *n.* 869.

CAPUT IV

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO

(*De his, C. Civ.* **hisp.-ph.**, *aa.* 1758-1784: **hisp.**, 1785-1789, et *C. Poen.* **hisp.**, *a.* 548, *n.* 5.° *necnon* CC. CC., **lusit.**, 1431 *seq.;* **aeq.**, 2198 *seq.;* **arg.**, 2216 (2182) *seq.;* **bol.**, 1275 *seq.;* **bras.**, 1265 *seq.;* **chil.**, 2211 *seq.;* **col.**, 2236 *seq.;* **cost.**, 1348 *seq.;* **guat.**, 1947 *et* 285 *seq., leg. reform. C. C.;* **mex.**, 2545 *seq.;* **nic.**, 2211 *seq.;* **per.**, 1845 *seq.;* **Salv.**, 2168 *seq.;* **ur.**, 2123 *seq.;* **ven.**, 1723 *seq.*).

I. *De deposito.*

997. — *Depositum* est contractus, quo gratis res custodienda committitur, et accipitur eadem in specie restituenda, quando deponenti libuerit.

Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sint obligationes depositarii?*

Resp. 1.° Tenetur rem depositam *servare ac custodire* ea cura et diligentia, quam homines diligentes adhibere solent in consimili re propria conservanda; hanc enim rei traditae custodiam suscepit. Si res deposita ex ejus dolo vel ejus incuria theologice culpabili pereat, ad restitutionem tenetur.

2.° *Uti re deposita non potest* sine consensu domini expresso vel tacito, vel saltem prudenter praesumpto; neque enim re aliena inconsulto domino uti licet.

3.° Tenetur *rem depositam petenti statim reddere:* nam secus rem alienam haberet, domino rationabiliter invito. Excipe, nisi deponens eam repetat in suum vel alienum damnum; vel nisi res sit furtiva, et dominus eam repetat; vel etiam (saltem in foro conscientiae) nisi depositarius justam habeat compensationis causam (1). Res autem deposita reddi in eo statu debet, in quo reperitur tempore restitutionis, et cum fructibus ex ea perceptis. Si vero culpa depositarii deterior facta fuerit, hic ad damnum reparandum obligatur.

[Jure **per.**, 1868, 1870, si deponens sit minor vel uxor, non deponenti sed patri vel marito vel curatori res deposita restituenda est].

QUAER. 2.° *Quaenam sint obligationes deponentis?*

Resp. Deponens tenetur solvere expensas quas depositarius sub-

(1) Contrarium statuitur in Decretal. III, 16, *c.* 2; Cod. *lib.* 4, *tit.* 34, *lege* 11.

iit in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus, quae occasione depositi passus fuerit. Sic v. gr. si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas; et si equus ille morbo contagioso laboret, ex quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes. Hinc effatum: *Officium suum nemini debet esse damnosum.* V. **Casus**, *n.* 875 *et seq.*

II. *De sequestro.*

998. — *Sequestrum* est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, qui sequester dicitur (*can.* 1675, § 1), ut post sententiam judicis vel arbitri vincenti tradatur.

Duplex distinguitur sequestrum: *conventionale*, quod fit mutua contendentium conventione; et *judiciarium*, quod sententia judicis decernitur. De utroque satis erit innuere sequentia:

1.° Sequestri tam conventionalis quam judiciarii objectum potest esse res mobilis vel immobilis.

2.° Sequestrum conventionale potest esse non gratuitum, et tunc fit operae conductio, istiusque contractus legibus subjicitur. Si vero gratuitum sit, iisdem regulis subjacet ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuus partium consensus vel legalis causa superveniat.

3.° In sequestro judiciario sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea, cui judex decreverit, reddere tenetur cum omni causa (*can.* 1675, § 2). Judex ipsi sequestri congruam decernere debet mercedem, si hic eam petat (*Ibid.*, § 3), nisi a jure decernatur accipienda a sequestre.

CAPUT V

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE

I. *De mandato.*

(*De mandato C. C.*, **hisp.-ph.**, *aa.* 1709-1739; **lusit.**, 1318, *seq.*; **aeq.**, 2103 *seq.*; **arg.**, 1903 (1869) *seq.*; **bol.**, 1332 *seq.*; **bras.**, 1288 *seq.*; **chil.**, 2116 *seq.*; **col.**, 2142 *seq.*; **cost.**, 1251 *seq.*; **guat.**, 2184 *seq.*, *et* 318 *seq.*, *leg. reform. C. C.*; **mex.**, 2342 *seq.*; **nic.**, 2116 *seq.*; **per.**, 1921 *seq.*; **Salv.**, 2074 *seq.*; **ur.**, 2025 *seq.*; **ven.**, 1642 *seq.*).

999. — *Mandatum* est contractus bonae fidei consensu constans, quo negotium *honestum* alteri id suscipienti gratis gerendum committitur. (*Voet, lib.* 17, *tit.* 1, *n.* 2). Dicitur *gratis*, nam si ob

sancitum pretium suscipiatur, potius operae locatio nuncupatur. Non tamen excludit *salarium* seu *honorarium*.

Obligationes mandantis. 1.° Adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas: non autem id quod ultra mandatum confectum est, nisi expresse vel tacite ratum habuerit.

2.° Ea praestare mandatario debet quae ad mandati exsecutionem necessaria sunt eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit.

3.° Indemnem praestare tenetur mandatarium ratione damnorum quae, praecisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus fuerit: nemo enim tenetur nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre (*a.* 1729).—Aliter dicendum est de *jubente* ut *damnum* alteri inferatur. Cfr. dicta *n.* 812, *q.* 2.°

1000. — *Obligationes mandatarii.* 1.° Tenetur mandantis negotium diligenter ac velut proprium gerere. Unde saltem de dolo, et incuria theologice culpabili tenetur.

2.° Intra mandati limites se continere debet. Unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipsi praescriptum sit; secus enim vi mandati non ageret.

3.° Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel ipse eam antea petierit; nec ei licet suam operam occulte compensare.

4.° Non potest *per se* sibi retinere lucrum, si vendat, nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat. *Per accidens* tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retinere pretii excessum: 1.° si res speciali ejus industria et indebito labore melior evaserit; 2.° si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum; 3.° si in meram ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor majorem summam obtulerit. *S. Alph.*, *n.* 825. — V. **Casus**, *n* 885 *et seq.*

Mandatum tribus modis scinditur: 1.° *revocatione* mandati, quam mandans pro libitu facere potest; 2.° *renuntiatione* mandatarii tempore debito notificata; 3.° *morte* naturali vel civili, aut *interdictione* sive mandantis sive mandatarii.

II. *De negotiorum gestione.*

(*De his, C. C.* **hisp.ph.**, *aa.* 1888-1894; **aeq.**, 2268 *seq.*; **arg.**, 2322 (2288) *seq.*; **bras.**, 1331 *seq.*; **chil.**, 2286 *seq.*; **col.**, 2304 *seq.*; **cost.**, 1295 *seq.*; **guat.**, 2251 *seq.*, *et* 326 *seq.*, *leg. reform. C. C.*; **mex.**, 2416 *seq.*; **nic.**, 2286 *seq.*; **Salv.**, 2238 *seq.*).

1001.—*Gestio negotiorum* est quidam *quasi contractus*, quo quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit, sine

mandato expresso, sed ex ejus commissione rationabiliter praesumpta.

1.° Gestor negotii, perinde ac mandatarius, tenetur alterius rem administrare tamquam bonus paterfamilias, et damna absenti illata ex suo dolo, negligentia vel culpa resarcire. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest, etiam in foro externo, obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius *in defectu peritioris* gerendam sumpserit (*a.* 1889).

2.° Absens, cujus negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit.

Gestor *probabilius* jus habet ad mercedem congruentem; secus enim pauci invenientur, qui negotia absentis gerenda sponte suscipiant. *Ita Antoine, c.* 4, *in fine, et alii.*—V. **Casus**, *n.* 889.

CAPUT VI

DE MUTUO

(*De his, C. C.* **hisp.-ph.**, *a.* 1753 *seq.*; **lusit.**, 1523 *seq.*; 1636 *seq.*; **aeq.**, 2183 *seq.*; **arg.**, 2274 (2240) *seq.*; **bol.**, 1254 *seq.*; **bras.**, 1256 *seq.*; **chil.**, 2196 *seq.*; **col.**, 2221 *seq.*; **cost.**, 1343 *seq.*; **guat.**, 1902 *seq.*, *et* 277 *seq.*, *leg. reform. C. C.*; **mex.**, 2684 *seq.*; **nic.**, 2196; **per.**, 1800 *seq.*; **Salv.**, 2154 *seq.*; **ur.**, 2171 *seq.*; **ven.**, 1709 *seq.*).

Agendum 1.° de natura contractus mutui; 2.° de lucro ex mutuo percepto, seu de usura; 3.° de titulis ab usura excusantibus.

ARTICULUS I

DE NATURA CONTRACTUS MUTUI

1002. — Vox *mutuum* juxta vim nominis significat aliquod *ex meum tuum fieri*. Aliquando sumitur pro ipsa re mutuo tradita; aliquando vero, et saepius, pro contractu quo ea res alteri utenda traditur. In postremo hoc sensu hic accipitur.

Mutuum definiri solet: *contractus*, quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore, atque in eadem specie et bonitate.

Res autem primo usu consumptibiles censentur ea omnia, quae natura sua destruuntur et consumuntur ad humanis necessitati-

bus subveniendum, ut panis, frumentum, vinum, oleum, sal, fructus, etc. Secundum jura autem (*l.* 2, *ff.*, *De rebus creditis*) ejusmodi censentur, *quaecumque pondere, numero vel mensura constant*.

Hinc mutuum differt a commodato, locato et deposito: 1.° quia in mutuo res debet esse *primo usu consumptibilis*, secus in aliis; 2.° quia res *non in individuo*, sed in specie tantum eadem reddenda est; 3.° quia in mutuo *transfertur rei dominium*, et non in aliis; 4.° quocirca in mutuo res perit accipienti, in ceteris tradenti.

Ratio porro, quare in mutuo stricto et proprie dicto transferatur rei dominium, est, quia cum res mutua sit primo usu consumptibilis, ejusmodi usus non esset licitus sine dominio ipso.

Hinc expensae omnes et rei traditae pericula cedunt mutuatario, utpote vero domino.

1003. **Principia**. — I. Datur praeceptum strictum mutuandi *respectu pauperum*, qui in extrema necessitate versantur et habituri sunt quo restituant. — Ratio est, quia adest stricta charitatis obligatio subveniendi proximo in ea necessitate posito, juxta regulas et principia statuta ubi de charitate erga proximum.

Saepius abest praeceptum mutui erga pauperes, eo quod non praesumantur habituri unde aequivalens reddere valeant. Sed tunc urget praeceptum eleemosynae *alicujus* ipsis erogandae. Dico *alicujus*, quia non teneris tantum eleemosynae praestare, quantum pauper mutuo efflagitabat. Sunt enim etiam alii, qui opitulari possunt et tenentur.

II. Datur praeceptum concedendi mutuum etiam *divitibus* qui ob peculiarem circumstantiam eo summe indigeant, non tamen illis divitibus qui ad augendas opes idem postulent. — Ratio 1.mi est, quia praeceptum charitatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, et exigit, ut hoc libenter praestemus, quod in pari casu nobis praestari vellemus, saltem si absque incommodo ipsis per mutuum succurrere possimus. Ratio autem 2.di est, quia hujusmodi divites in nulla necessitate constituuntur, nec proinde ullum erga eos urget charitatis praeceptum.

1004. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *Quae sint obligationes mutuatoris et mutuatarii?*

Resp. ad 1.um Obligationes mutuatoris seu *mutuantis* sunt sequentes:

1.° Tenetur mutuatarium monere de vitio rei traditae, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis, nisi gratis mutuari velit; alias hic non consentit, et sustinet injuriam, quam reparare tenebitur mutuans.

2.° Tenetur non repetere rem ante tempus aliquod judicio prudentium definiendum, consideratis circumstantiis et fine ob quem res mutuo data est. Tenetur tamen rem recipere si afferatur ante, quia in gratiam mutuatarii tempus concessum est.

3.° Tenetur *per se*, non plus recipere, quam res mutuata valuerit, quando mutuo data est; quia mutuum, per se, est contractus gratuitus hoc sensu, quod aliud onus mutuatario non imponat quam ut reddat in specie, debito tempore, id quod accepit. *S. Alph.*, *n.* 755.

Resp. ad 2.um Quoad obligationes *mutuatarii:*

1.° Utcumque res mutuata forte pereat, mutuatarius non liberatur, donec mutuator suum vel per se vel per alium designatum receperit; ratio, quia debitnm non est de re in individuo, sed in specie vel de valore, si pecunia tradita mutuo fuerit.

2.° Rem debet reddere praestituto tempore, et in eadem specie physica, mensura, numero, pondere. Quoad pecuniam vero, quae moraliter tantum perire censetur, sufficit (nisi de eadem pecuniae specie reddenda conventum fuerit), ut juxta eumdem valorem restituatur; quia in pecunia potius ad valorem quam ad speciem attenditur, quinimo plures negant pecuniam esse rem primo usu consumptibilem, quando divitibus seu mercatoribus mutuo ad commercium peragendum traditur; unde etiam negant, mutuum hinc haberi proprie dictum; secus vero in aliis.

1005. Quaer. 2.° *An possis rem mutuatam in eadem mensura et quantitate recipere, si mutui tempore crescat ejus pretium? an plus repetere, si decrescat?*

Resp. 1.° Si quando res mutuo traditur, aequale sit utrinque dubium, an tempore restitutionis res valitura sit pluris vel minoris, licet pacisci ut, servata eadem bonitate et mensura, reddi suo tempore debeat, etsi pretium ejus valde sit auctum. Ratio est, quia cum utrinque aequale fuerit periculum, eo ipso jam aequalitas servatur. *S. Alph.*, *n.* 782.

Resp. 2.° Licitum non est *per se* pactum praedictum, si certo constet, vel longe probabilius sit, tempore solutionis valorem auctum iri. Ratio est, quia sic non servatur aequalitas, sed plus exigitur quam detur tempore mutui. Hinc si modius tritici nunc valeat tribus francis, et valiturus sit quatuor tempore restitutionis, non licet pacisci ut tantumdem solvatur. Excipe tamen nisi statueris res servare in tempus pretii aucti; quia tunc plus exigitur ratione lucri cessantis. *Lacroix*, *n.* 910 *seq.*; *S. Alph.*, *n.* 782, etc.

Resp. 3.° Si praevideas valoris seu pretii imminutionem, tantum potes repetere, et mutuatarius solvere debet, quanti res valebat quum mutuo tradita est; quia revera non plus exigis quam dedisti. *S. Alph.*, *ibid.*; *Reuter*, etc.

ARTICULUS II

DE USURA SEU DE LUCRO PERCEPTO EX MUTUO

1006. — *Usura, sensu lato* sumpta, dicitur omne *lucrum* perceptum ex mutuo, vel illius occasione, sive cum titulo sive absque titulo legitimo. Usura autem *sensu strictiori* est lucrum immediate proveniens ex mutuo, id est, praecise vi mutui et absque justo alio titulo. Usurae tamen crimen non adest, si quis exspectet pro mutuo aliquid, non ut debitum, sed ex mera benevolentia (dummodo non subsit usura implicita), vel si exigat rem aliunde jam ex justitia debitam, cum sic de facto nullum onus novum imponatur. *S. Alph., nn.* 774, 777 *et seq.* — Si limites justi tituli excedat, vel erga paupere res exerceatur, usura *oppressiva* nuncupatur. Sed in primo casu justitia laeditur, ideoque adest obligatio restituendi, non autem in secundo, in quo sola charitas violatur, cum lucrum ex se justum exigatur, ut supponitur.

1007. Principia. — **I.** Si res fungibilis ita alicui detur ut ejus fiat et postea tantumdem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest (*can.* 1543). — Ratio est, quia usus talis rei fere non est pretio aestimabilis independenter a re ipsa mutuata; res autem illa solum titulum praebet ad rei similis restitutionem, nec adest permanens usus, qui pretio aequivalere possit. *Ita communiter.*

II. In praestatione rei fungibilis non est *per se* illicitum de *lucro legali* pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam *de lucro majore*, si justus ac proportionatus titulus suffragetur (*can.* 1543), v. gr. damni emergentis, etc. — Ratio est, quia tunc lucrum non vi mutui accipitur, sed ratione extrinseci tituli. Licet enim tibi accipere, quantum tradidisti; porro si ex datis centum nummis decem perdas, erogas aliquo modo centum et decem; ergo centum et decem accipere potes.

III. Usurarii eorumque cooperatores ex justitia ad restitutionem tenentur, quippe qui justitiam commutativam laedunt haud secus ac ipsi fures; iis igitur regulae in *tractatu de restitutione* traditae, applicandae sunt.

1008. **Quaesita.** — QUAER. **1.°** *An in dubio utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possit id retineri?*

Resp. Affirm., cum sententia communi et probabiliori, nisi aliud ex circumstantiis definiri debeat. *S. Alph., n.* 761.

QUAER. 2.° *An mutuans retinere possit, quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum sibi denegetur?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia requiritur ad usuram,

ut detur ex vi pacti, sive ut debitum ex justitia. *Ita communius. S. Alph., n.* 763, in hanc sententiam inclinat.

1009. — Quaer. 3.° *An sit usura, si mutues ea lege, ut mutuatarius sibi necessaria justo pretio in tua officina emat?*

Resp. Affirm., si hoc in pactum deducatur. Ratio est, quia onus mutuatario imponitur, et ipsius libertas restringitur, quod illicitum et injustum est. *S. Alph., n.* 780, *etc.*

Quaer. 4.° *An possit in pactum deduci donatio* antidoralis, *seu quae ex animo grato fiat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex *pactis* necessario oritur justitiae titulus, non vero donatio mere ex animo grato erogata. *S. Alph., n.* 764, *et alii communiter.*

ARTICULUS III

DE TITULIS AB USURA EXCUSANTIBUS

Quinque praecipui numerantur, scilicet; 1.us damnum emergens; 2.us lucrum cessans; 3.us periculum sortis; 4.us poena conventionalis; 5.us lex civilis.

Quatuor priores communissime admittuntur; de postremo lis agitatur. De singulis pauca dicemus.

I. *De damno emergente.*

1010. — Damnum *emergens* est detrimentum, quod patitur mutuans occasione mutui proximo praestiti.

I. Si mutui causa mutuans damnum patitur, legitimus est titulus aliquid supra sortem accipiendi. — Ratio est, quia aequum non est ut damnum ex mutuo feras; nemo enim tenetur cum damno proprio beneficium praestare, nisi in proximi necessitate. *Ita omnes. S. Alph., n.* 768.

II. Ad hoc vero conditiones sequentes requiruntur: 1.ª ut mutuum sit causa damni; 2.ª ut nihil praeter compensationem exigatur; 3.ª ut auctarium ab initio in pactum deducatur. *S. Alph., n.* 769.

1011. **Quaesita**. — Quaer. 1.° *An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?*

Resp. Affirm., probabilius, cum *S. Alph., n.* 769, etc. Ratio est, quia etiam tunc mutuatarius, quum mutuum acceptat, est vera causa damni emergentis. Mutuans enim non offert absolute, sed conditionate, nempe sub conditione compensationis obtinendae.

Quaer. 2.° *An liceat mutuanti ab initio pacisci de certo lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?*

Resp. Affirm., dummodo proportio juxta damni probabilitatem servetur. *S. Alph.*, *n.* 770; *Salmant.*, *c.* 3.

Dum ista de damno emergente statuimus, omnino praescindimus a titulo legis civilis, et variis contractibus, vi quorum ex pecunia alteri mutuata legitimum fieri fortasse lucrum aliquod posset, ut ex dicendis patebit. Quae quidem animadversio etiam pro aliis titulis mox exponendis lucri cessantis, etc., valere debet.

II. *De lucro cessante.*

1012. — I. Lucrum *cessans* est id, quod mutuans, servata re vel pecunia sua, lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.

Lucrum cessans legitimus est titulus aliquid supra sortem exigendi. Ratio est: 1.° quia tunc vere damnum habetur; 2.° quia spes lucri est mutuo extrinseca, et simul pretio aestimabilis.

II. Conditiones requisitae: 1.ª eaedem sunt ac in titulo praecedenti; **2.ª** debet mutuans certam occasionem vel probabilem spem, saltem ex communiter contingentibus, habuisse pecuniam suam in negotiationem impendendi; secus enim lucrum non cessaret. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 149 *et seq.*

QUAER. *An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniae mutuum, si aliam pecuniam otiosam serves?*

Resp. 1.° *Affirm.*, *certo*, si hanc reservaveris ad usum familiae, vel ne tuum statum periculo exponas, quia non teneris ratione mutui tuam rem negligere. *S. Alph.*, *n.* 771.

Resp. 2.° *Affirm.*, *probabiliter*, etiam in ceteris casibus, quia mutuum est vera causa, cur lucrum cesset. *S. Alph.*, *ibid.*

III. *De periculo sortis.*

1013. Periculum *sortis* est timor prudens, ne sors recuperari nequeat. Periculum sortis, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, est legitimus alicujus lucri titulus. Ratio est, tum quia si abdicata spes lucri pretio est aestimabilis, aestimabile erit *a fortiori* periculum damni *probabilis;* tum quia pluris aestimantur res in tuto, quam in periculo positae; tum etiam quia constat ex decisione *Sacr. Congr. de Propag. Fide* pro missionariis sinensibus, ab *Innoc. X* approbata, anno 1645. Vide *S. Alph.*, *n.* 765.

Excipe **1.°** si mutuatarius sit pauper, quia tunc praeceptum mutui ex charitate urget; non tamen esset contra justitiam, si etiam a paupere exigatur lucrum proportionatum periculo sortis; 2.° si mutuatarius sortem per pignus securam reddat, quia sic periculum cessat. *S. Alph.*, *ibid.*

1014. — *Objicies.* Vel sors peribit, vel non; si *prius*, nihil mu-

tuans accipiet, neque sortem scilicet, neque auctarium stipulatum; si *posterius*, nullum de facto patietur detrimentum; ergo nihil exigere debet.

Resp. 1.° Etiamsi sors peritura sit, non sequitur necessario mutuantem nihil omnino accepturum; nam fieri potest, ut sors non statim pereat, et tunc *interesse*, quod interea solvitur, ut quaedam compensatio pro sorte habebitur.

Resp. 2.° Quamvis nullum damnum de facto patiatur mutuans, nihilominus aliquid supra sortem percipere potest; nam periculum pretio aestimabile vere subit. Pari profecto jure qui pro navi assecuranda de pretio cum alio convenit, illud sane exigere potest, licet de facto navis non perierit. Ergo *a pari*, etc.

IV. *De poena conventionali.*

1015. — Poena *conventionalis* consistit in hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore praefixo illam non restituat.

I. Poena *conventionalis* legitimus est titulus accipiendi praeter sortem id, de quo conventum est. Ratio est, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii praecavetur. *S. Alph., n.* 766, etc.

II. Conditiones requisitae sunt: 1.ª ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; 2.ª ut poena sit moderata et culpae proportionata. *S. Alph., n.* 766, *et alii communiter.*

Vide plura, si placet, de titulis praecedentibus apud auctores.

V. *De titulo legis civilis.*

1016. — Olim jam exsistebant apud varios populos leges, vi quarum lucrum certum ex mutuo percipi poterat, praesertim inter romanos, et recentius inter germanos. Vide *Mastrofini, cc.* 4, 8, 9. Nostris autem temporibus hujusmodi leges apud plerosque populos usu generali receptae sunt. Ex iis porro sat communiter permittitur lucrum annuum ex mutuo pecuniae percipiendum ea conditione, ut quinque pro singulis centenis *in materia civili*, et sex *in materia commercii* percipi possint.

An vero lex civilis creet legitimum titulum in foro conscientiae ad lucrum ex mutuo percipiendum, disputatur. Sententia affirmativa *probabilior* et communior est. Hinc sequens

PROPOSITIO

Titulus legis civilis, nisi constet esse immoderatum, *est ratio justa et honesta lucrum ex mutuo percipiendi, secluso etiam quocumque alio titulo*, i. e. quin opus sit inquirere an alius titulus adsit.

1017. — *Prob.* 1.° ex canone 1543, antea (*n.* 1007, I) citato.

Prob. 2.° *ex ratione.* Lex, quae *probabilius* est justa, probabilius fundat justum titulum percipiendi lucrum in ea statutum, quin opus sit inquirere an alius titulus adsit. Atqui lex civilis statuens moderatum auctarium ex mutuo percipiendum, probabilius est justa. Ergo...

Major patet. Prob. *minor.* Illa lex dicenda est justa, quae *a*) nemini injuriam facit, quia omnibus aeque favet, et aeque omnibus est onerosa, quae *b*) societati est valde utilis, et quae *c*) in *generali possessione* tituli legitimi innititur. Atqui ita se habet lex civilis statuens moderatum auctarium ex mutuo percipiendum. Ergo...

Min. prob.: *quoad a*) videtur plane constare cum lex feratur ante omnem eventum; *quoad b*) talis enim dispositio summae utilitatis, imo et moralis necessitatis est in societate: siquidem, spectatis maxime nostrorum temporum adjunctis, minus floreret, imo fere interiret commercium, ac languesceret industria, nisi pecuniae praestatio foveretur; quippe omnes procul dubio suam pecuniam servare mallent, quam sine ullo lucro eam aliis mutuo tradere. Insuper tali lege subvenitur viduis, pupillis, famulis, ancillis et aliis, qui negotiari non possunt, et alioquin modicas pecunias suas consumere cogerentur; *quoad c*) etenim talia sunt hodiernae societatis adjuncta, ut cuique facile sit lucrum honestum ex pecunia etiam modica percipere, v. gr. emendo actiones societatis commercialis vel industrialis, vel alio modo pecuniam in commercio vel industria lucrosa collocando. Ergo hodie praestatio pecuniae continet *universaliter* in seipsa titulum *lucri cessantis.*

Corollarium. — Ergo nunc praestatio pecuniae est pretio aestimabilis, etiam independenter a titulo legis civilis. Ergo quamvis per accidens alicui in particulari nullum lucrum cessaret, eodem modo posset auctarium percipere, cum valor rerum *e communiter contingentibus* (et consequenter ex communi aestimatione), non ex eo quod alicui per accidens contingat, desumendus sit. Quare in modernae societatis adjunctis pecuniam *virtualiter* fructuosam appellare possumus cum *P. Génicot*, I, 620, quatenus scilicet est instrumentum quo laborantes divitiis producendis apti fiunt; unde hodie pecuniae «quaedam quasi fertilitas potest attribui: nam revera lucrum, quod negotiando licite capitur, non soli labori et industriae, sed etiam pecuniae in negotiatione collocatae respondet;

seu pecunia in negotiatione collocata habet, praeter substantiae valorem, usum pretio aestimabilem», ut recte tradit *P. Lehmkuhl*, I, 1105. Cfr. etiam *Tanquerey*, III, *n.* 902 *seq.*

His adde quod etiam *periculum sortis* in plurimis praestationibus vix unquam abest, propter summam rerum etiam publicarum instabilitatem.

N. B. 1.° Immutatio in societate facta, propter quam hodie *omnibus* generaliter adest facultas impendendi pecuniam in negotiatione, vel industria lucrosa, etc., et consequenter pro *omnibus* exsistit titulus saltem lucri cessantis vi cujus lucrum ex mutuo percipi possit, sufficienter explicat cur hodie passim omnibus permittatur ab Ecclesia moderatum auctarium exigere; antea vero generatim omnibus interdiceretur, nisi specialem haberent titulum, quod sane antea paucorum erat. *Cfr. Lehmk.*, l. c.; *Génicot*, l. c.; *Vermeersch*, l. c., *nn.* 375, 376, et *Tanquerey*, l. c.

2.° In **Hispania** (1) (et **Lusit.**, *a.* 1640), quando interesse legale, ut dicitur, solvendum est, tunc solvi debent 5 pro singulis centenis [6 % *ex jure* **aeq.**, *a.* 2194; **bras.**, 1062, 1063; **chil.**, 2207; **col.**, 2232; **mex.**, 2296; **nic.**, 2207; **per.**, 1821—9 % **Salv.**, 2164; **ur.**, 2181. —3 % **ven.**, 1720]; sed lex, sive **lusit,**, sive **Amer lat.**, (excepta **aeq.**, 2193) non prohibet aliud lucrum, quodcumque demum sit, si deducatur in pactum; ex quo tamen non intendit licitum facere quodcumque lucrum, sed simpliciter non proponit taxam quam excedere nulli liceat; sicut non facit licitum quodcumque pretium quod pro mercibus exigatur, eo quod pretium rerum taxare omittat.

3.° Licebit igitur in **Hisp.** et **Amer. lat.**, omnibus, etiamsi per accidens nullum lucrum ipsis cesset, et quamvis non adsit titulus legis civilis, percipere moderatum auctarium. Idem licebit administratoribus bonorum ecclesiasticorum quoad pecuniam ecclesiasticam mutuo datam (*Wernz*, Jus Decretal., III, *n.* 260). Quodnam in unaquaque regione moderatum dici debeat, determinandum est ex praxi timoratorum. *Cfr. infra*, *n.* 1025, *q.* 5, et *Collect. S. C. de P. F.*, *n.* 2140 *in fine*, *conclus.* 5.

4.° Lege **hisp.** diei 23 jul. 1908, annullantur contractus omnes in quibus aut interesse multum excedat normalem taxam aut mutuatarius iniquis circumveniatur conditionibus, ita ut (in utroque casu) credi possit ab ipso mutuatario acceptari contractus propter angustiam rei familiaris, aut propter inexperientiam, aut propter inopiam judicii. Item quoties major quantitas ab ipso accepta dicatur quam revera ab illo accepta sit.

Declarata a judice nullitate contractus, mutuatarius (si contractus initus fuit post memoratam legem) tantum debet restituere

(1) Juxta legem diei 2 aug. 1899.

quantitatem acceptam, sine ullo interesse; quod si interesse jam solvit, hoc computatur quasi pars quantitatis restituendae, et si illud quod solvit superet capitale, mutuans excessum restituet. Eodem modo proceditur in contractibus initis ante praedictam legem, ita tamen ut mutuans jus habeat ad capitale et interesse normale (judicio prudentum); et si jam plus percepit, non tenetur restituere excessum. Cfr. *Gaceta*, 24 jul. 1908, *pag.* 351; et *Alcubilla*, App. 1908, *pag.* 304 (1), necnon S. Tr. S. 17 mart., 15 apr., 4 oct. 1911 (*Alcubilla*, Ap. 1912, *pag.* 305, 828); 21 oct., 14 nov., 15 dec. 1911; 10 jan., 12 febr. 1912 (*Alcubilla*, Ap. 1913, *pag.* 241 *sig.*) (2). V. *Mach-Ferreres*, *n.* 591, *N. B.*, ed. 14. — V. **Casus**, *n.* 906 *b*, *seq.*

1018. **Objectiones**. — *Objic.* 1.° Legislator proprietatem privatorum auferre nequit absque debita compensatione; atqui nulla datur compensatio in praefata lege; ergo, etc.

Resp. 1.° *Dist. ant.* Quando compensatio fieri potest, *conc.;* secus, *neg.* Quomodo igitur rerum proprietas in lege praescriptionem statuente transfertur? Quaenam compensatio in eo casu erogatur?

Resp. 2.° *Neg. min.* Datur vera compensatio in hoc, quod lex omnibus sit valde utilis, etiam illis qui auctarium solvunt, cum facilius invenire possint pecuniam, qua indigent. Aliunde qui hodie solvit fenus, cras vicissim illud recipere poterit.

1019. — *Objic.* 2.° Princeps nequit facere licitum, quod de se illicitum est; atqui usurae sunt illicitae de jure naturali et divino, utpote ab utroque jure prohibitae; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Usurae sunt prohibitae jure naturali et divino, si sint usurae *proprie dictae*, v. gr., excessivae, vel usurae sine titulo, seu provenientes ex mutuo vi ipsius mutui, *conc.;* secus, *neg.*

1020. — *Objic.* 3.° Pecunia est *sterilis ex natura sua*; ergo fructum producere nequit; ergo non licet lucrum ex ea requirere.

Resp. Dist. ant. Pecunia est sterilis ex *se sola*, *transeat;* ita ut non aequivaleat hodie cuicumque rei frugiferae cum qua commutari facile valet, *neg.* Nonne etiam ager est ex se sterilis et infructuosus, nisi excolatur?

1021. — *Objic.* 4.° Christus Dominus in lege nova omne lucrum ex mutuo prohibuit; dixit enim: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc., VI, 35. Ergo...

Resp. Haec verba non sunt certo intelligenda de praecepto ri-

---

(1) Per R. D. 27 febr. 1910 instauratur Regestum centrale et creantur alia particularia ubi adnotentur hujusmodi contractus qui a judice nulli fuerint declarati. (Apud *Alcubilla*, App. 1910, *pag.* 283). Contractum declaratum nullum vide in App. anni 1911, *pag.* 850, ubi sententia reduxit interesse ad 8 %. Ex contractu statutum erat (ante memoratam legem) interesse 4 % **singulis mensibus.**

(2) Cfr. etiam *Alcub.*, App. anni 1914, *pag.* 310, *n.* 1, et *pag.* 654 *seq.*, *n.* 11 *seq.;* App. 1915, *pag.* 86.

goroso, saltem quoad omnes homines et omnes casus. Etenim in capite citato plura referuntur, quae meri sunt consilii, v. gr. sequentia: *Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quae tua sunt, ne repetas.* Luc., VI, 30.

1022. — *Objic.* 5.° *Benedictus XIV*, in epistola encyclica *Vix pervenit*, damnavit ut usurarium omne lucrum ex mutuo perceptum. Ergo...

Resp. Benedictus XIV, non reprobavit nisi lucrum ex mutuo *vi mutui* perceptum, praescindendo a variis titulis.

1023. Quaesita.—QUAER. 1.° *Quibusnam liceat percipere* 6 *pro* 100 *ratione commercii*, quando lex id permittit in materia commercii, non autem in aliis?

Resp. 1.° Licet certo mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuantibus, et etiam mercatoribus respectu aliorum non mercatorum, quia lex favere commercio intendit, et quia omnino de commercio agitur.

Resp. 2.° Etiam in praxi licet, si agatur de aliis non mercatoribus respectu mercatorum.

Ratio est: 1.° quia verba legis sunt generalia: *in materia commercii*; nec constat qualis sit sensus genuinus illorum verborum; 2.° quia expedit commercio ut ita lex intelligatur; sic enim multo facilius mercatores pecuniam reperiunt cum majori sua et commercii utilitate, etc.

1024.—QUAER. 2.° *An liceat excedere taxam legalem in mutuo, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?*

Resp. Per se affirm., si damnum emergens vel lucrum cessans taxam excedat. Constat ex antea citato canone 1543. Cfr. tamen infra resol. 5.°-7.°

1025. — QUAER. 3.° *An liceat percipere* interesse *ex ipso* interesse (*interés de intereses*)?

Resp. 1.° *Affirm.*, ex lege civili **hisp.**, in sequentibus *tantum* casibus: 1.° si finito jam contractu (sed non antea), interesse in capitale, novo contractu, redigatur (ex *a.* 7 legis diei 14 mart. 1856, et Sent. Trib. Supr. 24 jun. 1897); 2.° debetur etiam interesse pro *interesse* seu pensionibus nondum solutis, quamvis contractus non intercesserit; sed tantum a die interpositae petitionis judicialis (*C. C.*, *a.* 1109). — Etiam jure **lusit.**, *a.* 1642, requiritur ut pensiones nondum solutae *novo* contractu in capitale redigantur.

Resp. 2.° Affirmandum etiam videtur pro foro interno, 1.° si praecesserit conventio, sive explicita sive implicita; quia reditus, elapso termino, summae capitali adjiciuntur: idem enim omnino est, quod debitori pecuniam meam, quam jam habet ex mutuo, relinquam, vel ei aliam tradam; 2.° si ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat. *Gousset*, Cod. Civ. commenté, *art.* 1154.

[Jure **aeq.**, 2197; **chil.**, 2210; **col.**, 2235; **nic.**, 2210, prohibita

omnino est conventio percipiendi *interesse* ex *interesse*. Permittitur jure **mex.**, *a.* 2699; **Salv.**, 2167; **ur.**, 2188, si explicite ita in contractu fuerit stipulatum. Jure **per.**, *a.* 1823, permittitur tantum pro pensionibus a duobus annis non solutis, modo haec nova stipulatio in scriptis constet].

QUAER. 4.° *An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit* 5 *vel* 6 *pro* 100?

Resp. Affirm., si, perpensis omnibus circumstantiis, non videatur immoderatum, ut patet ex canone 1543 jam citato, maxime si appareat aequalitas inter lucrum lege permissum et valorem usus pecuniae aut pericula sortis, etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, necnon ad pecuniae raritatem, ex qua ejus pretium et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.

Et haec prae oculis habeat confessarius antequam damnet ut immodicum et injustum lucrum perceptum ex mutuo ubi lex auctarium non determinet, sed liberae paciscentium voluntati determinationem relinquat. Legem generalem pro omni regione statuere, periculosum est (1). Haec tamen habet *Card. D'Annibale* (II, 535): «Ut sententiam meam sapientibus submittam, *regulariter* non immodicas esse dixerim usuras septunces; immodicas supra decunces». Igitur in unaquaque regione ubi taxa legalis non vigeat, consulatur praxis timoratorum.

1026.—**Resolves:** 1.° Non tantum tolerandae, sed et laudandae sunt ARCAE PARCIMONIAE (*Cajas de ahorros*), quippe quae subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus, dum modica eorum pecunia quodammodo accipitur mutuo, et census ipsis rependitur.

2.° Absolvi possunt, imo absolvendi sunt, qui taxam legis civilis vel praxim timoratorum non excedunt ratione lucri ex mutuo percepti; quum minime constet, eos injustitiae reos esse, proinde nec ad restitutionem ullam faciendam obligari possunt.

3.° Nec sunt obligandi ad restitutionem illi poenitentes, qui lucrum acceperunt juxta legem vel praxim timoratorum cum mala fide, id est, putantes se tale lucrum percipere non posse; quia ex eo quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur, eos fuisse injustitiae reos.

1027.— 4.° Non est damnandum de injustitia, imo nec de violata charitate, lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam paupe-

---

(1) Quaerenti Episcopo *marcisen.* et *potentin.* quid judicandum de lucro 8 vel 10 % frequentissime in sua dioecesi etiam a bonis et piis percepto, respondit S. Poenitent. die 18 apr. 1889: «*Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae periculosum sit*, VEN. IN CHRISTO PATER EPISCOPUS ORATOR IN SINGULIS CASIBUS REM DECERNAT JUXTA PRAXIM COMMUNEM SERVATAM AB HOMINIBUS TIMORATAE CONSCIENTIAE RESPECTIVIS IN LOCIS ET TEMPORIBUS.»

ri, qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat, se ope istius pecuniae adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit. Nam praeceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem et suum pretium retinet.

5.° Lucrum excedens taxam legis civilis, *si ab ea prohibitum sit*, est illicitum et injustum, proindeque restitutioni obnoxium. *Excipe*, nisi ratio majoris damni emergentis vel lucri cessantis aliud suadeat. *Ita communiter recentiores theologi.*

1028. —**6.°** *A fortiori* duplum exigi nequit lucrum propter alium praeter legis civilis titulum, v. gr. si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro quinque, decem exigere non potes ob accedentem legis titulum; quia, juxta omnes, quando lucrum cessans vel damnum emergens non excedit taxam legalem (cfr. *can.* 1543, supra *n.* 1007, II citatum), nihil praeter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis adversetur.

7.° Pariter qui mutuo accipit pecuniam juxta taxam legis, non ideo eamdem pecuniam alteri mutuando exigere decem potest; quia deficit titulus ad quinque superflua accipienda.

8.° Nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum petentibus, non obstante legis civilis titulo; obstat enim lex *charitatis*, quamvis in casu contra *justitiam* quis non peccaret. — V. **Casus**, *n.* 890, *et seq.*

SECTIO II

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

Nimirum: 1.° de venditione et emptione; 2.° de societate et trino contractu; 3.° de locatione et conductione; 4.° de cambio; 5.° de censu; 6.° de fidejussione, pignore et hypotheca; 7.° de assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

CAPUT I

DE VENDITIONE ET EMPTIONE

Dicetur: 1.° de natura venditionis et emptionis, 2.° de justo pretio, 3.° de praecipuis venditionum et emptionum speciebus.

ARTICULUS I

DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS

1029. — Contractus venditionis et emptionis definitur: mutatio pretii cum merce, aut vice versa; vel contractus onerosus dandi

determinatum et justum pretium pro merce, aut vice versa. *Ita jus romanum, et* **hisp.-ph.** (1445).

Principia. — I. Ex jure tam *romano* quam **hisp.-ph.**, venditio sive mobilium sive immobilium solo partium consensu perficitur circa rem et pretium, absque ulla legali formalitate. — Tria igitur requiruntur et sufficiunt, scilicet *res*, *pretium* et *consensus*. Cohaeret jus **lusit.** et **Amer. lat.**

II. Nihilominus si contrahentes voluerint ut non aliter contractus valeat quam si in scripturam redigatur (1), venditio tunc demum perfecta intelligetur cum instrumentum confectum et conscriptum fuerit (**aeq.**, *a.* 1792; **chil.**, 1802; **col.**, 1858; **nic.**, 1802; **per.**, 1330; **Salv.**, 1788).

III. Item si res quae pondere, numero, mensurave constant, veluti frumentum, vinum, oleum, ita venierint, ut non unum pretium pro toto frumento, vino vel oleo, sed in singulos modios frumenti, in singulas amphoras vini, aut in singulas metretas olei certum pretium sit dictum, jure *romano*, et **arg.**, 1376 (1342); **mex.**, 2825, non antea perfecta erit hujusmodi venditio, quam res adnumeratae, admensae, appensaeve sint; jure autem **hisp.**, 1450; **hisp.-ph.**, 1452, solo consensu vendentium perficitur talis venditio, sed periculum rei adhuc ad venditorem spectat donec res fuerint adnumeratae, etc. Cohaeret jus **guat.**, *a.* 1487; **per.**, 1315; **ur.**, 1657; **ven.**, 1420.

IV. In aliis casibus statim ac perfecta venditio est, jus *ad rem* emptori datur et exinde ad eum spectat periculum et commodum rei venditae; non tamen acquirit dominium aut jus *in re*, donec ei tradita fuerit, ipseque illius pretium solverit, aut alio modo venditori satisfecerit. *S. Alph., nn.* 795 *et* 796; C. C. **hisp.**, *aa.* 1450; **hisp.-ph.**, 1452, 1468, 1095; [**aeq.**, *a.* 1811; **chil.**. 1820; **col.**, 1876 *seq.;* **mex.**, 2824, 1430; **nic.**, 1820; **Salv.**, 1807; **ur.**, 1656, 1309, etc. At jure **lusit.**, 1549, 717; **cost.**, 1049-1054; **guat.**, 1479; **per.**, 1308; **ven.**, 1418, ex quo perficitur venditio transfertur dominium in emptorem, nisi casus sit exceptus].

V. Praeterea ex jure *romano*, **hisp.-ph.**, *a.* 1453, et **lusit.**, 1551, si res vendita probari vel gustari debet, sive ex contractu sive ex consuetudine, antequam recipiatur, emptio censetur facta sub conditione suspensiva; [**aeq.**, *a.* 1814; **arg.**, 1370 (1336); **bras.**, 1144; **chil.**, 1823; **cost.**, 1052; **guat.**, 1489; **mex.**, 2825; **nic.**, 1823; **per.**, 1312-1317; **Salv.**, 1810; **ur.**, 1659].

1030. Quaesita. — QUAER. 1.° *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

Resp. Distinguendum est; defectus enim sunt: 1.° substantiales,

---

(1) Sunt jure **phil.**, *a.* 335 *Cod. pr. civ.*, plures venditiones quae non perficiuntur nisi in scriptis redigantur.

vel accidentales tantum; 2.° occulti, vel manifesti; 3.° insuper vel de iis venditor interrogatur, vel non. Hinc:

Dico 1.° Venditor *in omni casu* tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia tam in se quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia quae rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio tenetur. *Ita ex omni jure.*

Dico 2.° Venditor *interrogatus* tenetur omnia vitia *occulta* manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddant; secus enim dolum committeret. — Proinde, si dolus fuit *vera* causa emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit *incidens* tantum, ita ut emptor, vitio cognito, etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor; quia secus nulla fere venditio fieri posset. Si autem venditor *non sit interrogatus*, et vitium occultum non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet. Ratio est, quia aliter res pluris venderetur quam valeat.

Dico 3.° Venditor non tenetur *per se* ostendere vitia rei accidentalia de se *manifesta*, modo imminuat pretium pro rata defectus. — Ratio est, quia tunc non fit injuria emptori nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. — Excipe tamen, nisi emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum. Excipe etiam, si venditor specialiter interrogetur de tali defectu. *S. Alph., n.* 823.

Jure **hisp.-ph.** (1484-1486, 1494), si vitium *occultum* reddat rem inutilem vel minus utilem fini intento, ita ut si emptor illud cognovisset rem non emisset vel tanti non emisset, tunc ei conceditur facultas vel rescindendi contractum vel pretium imminuendi juxta peritorum aestimationem. Quod si venditor haec vitia occulta cognovit et celavit, tenetur insuper de damnis. [Cohaeret jus **aeq.**, 1848-1857; **chil.**, 1857-1861; **col.**, 1941-1918; **mex.**, 2873-2876; **nic.**, 1857-1861; **per.**, 1429-1432; **Salv.**, 1844-1848; **ur.**, 1692-1695].

1031. — Quaer. 2.° *An venditor teneatur de omnibus damnis ex vitio rei venditae sequentibus?*

Resp. Non tenetur nisi de damnis praevisis; quia non potuit suscipere obligationem quoad ea quae ne in confuso quidem praevidit, ut constat ex dictis *n.* 795.

Quaer. 3.° *Ad quid teneatur venditor quoad rei traditionem?*

Resp. 1.° Rem et accessoria tradere emptori debet loco et modo de quibus in contractu conventum est; 2.° rem tradat statuto tempore, secus emptor rescissionem contractus aut indemnitatem petere potest; 3.° tenetur tradere rem vacuam ab alterius possesione et aliis oneribus inconsuetis.

1032. — Quaer. 4.° *Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante vel post traditionem?*

Resp. 1.° Ad nihil tenetur, si res pereat ante traditionem ex

casu fortuito. Ita (nisi aliter conventum fuerit) tenendum est ex jure *romano*, **hisp.-ph.**, *aa.* 1182, 1445; [**aeq.**, 1811; **chil.**, 1820; **col.**, 1876; **nic.**, 1820; **Salv.**, 1807; **ur.**, 1656, 1309]; licet venditor servet rei dominium, donec tradita fuerit. *S. Alph.*, *n.* 828. [A fortiori id valet jure **lusit.**, 1549; **cost.**, 1049 *seq.*; **guat.**, 1479; **per.**, 1308, et **ven.**, 1418, quum emptor sit verus dominus. Jure **arg.**, *aa.* 929, 612 (895, 578), tunc venditor debet restituere pretium: quod si illud nondum acceperit, obligatio cessat ex utraque parte. Contrarium statuit jus **bras.**, 1127].

Resp. 2.° Si res pereat ante traditionem ex culpa venditoris, tenetur de pretio, de sumptibus contractus, ac de damnis; quia rem ut suam custodire debebat.

Resp. 3.° Si res pereat post traditionem ex vitio intrinseco, quod tempore venditionis exsistebat, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum, et solvere expensas contractus, si quae sint. Ratio est, quia vendidit rem inutilem, seu nullius valoris; ergo adfuit in emptore error circa substantiam contractus; ergo contractus nullus est defectu consensus et ipsius materiae, quae nullo pretio erat aestimabilis. Imo *jure* **hisp.-ph.** (*a.* 1487) tenetur praeterea de damnis, si vitium occultum notum erat venditori. Idem statuunt CC. citati *n.* 1030.

1033. — Quaer. 5.° *Quaenam sint obligationes speciales emptoris, seu ad quid teneatur ratione pretii, ejus fenoris, vel expensarum?*

Resp. 1.° Tenetur solvere *pretium* loco, tempore et modo determinato in contractu; secus venditor potest contractus rescissionem petere, vel, si mavult, ad solutionem pretii cogere.

Resp. 2.° Tenetur solvere *fenus* pro pretio non soluto a die quo rem possidet, si res sit *frugifera*, licet per accidens nullos fructus dederit a tempore venditionis, nisi venditor dilationem ad solvendum emptori dederit; quia non est aequum ut emptor simul rem et pretium habeat. Si vero res non sit fructifera, non tenetur ad fenus solvendum, nisi in mora culpabili fuerit, nec aliter conventum sit (*a.* 1501).

Resp. **3.°** Tenetur solvere *expensas* factas pro asportatione rei venditae (**hisp.-ph.**, 1415), pro apographo (1), non autem ex jure **hisp.** pro prima scriptura (*a.* 1455), item pro sumptibus necessariis ad rei conservationem a die venditionis, nisi alio modo pactum fuerit.

1034. — Quaer. 6.° *An cum res mobilis duobus emptoribus ex intervallo vendita fuerit, secundus emptor praeferendus sit?*

---

(1) Ea quae de prima scriptura et apographo hic dicuntur, locum non habent jure **phil.**, quia notarii non habent protocolum et aliter proceditur. Vide quae dicuntur de notariis, *vol.* 2, *n.* 27 *seq.*

Resp. 1.° *Affirm.*, si res secundo emptori tradatur, modo hic bonae fidei fuerit. Ita *ex jure rom.*, **hisp.-ph.**, 1473; **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **Salv.**, **ur.** Sed tunc venditor tenetur de damnis, si quae sint priori domino illata. *S. Alph.*, *n.* 827. [Jure **lusit.**, 1579; **cost.**, **guat.**, **per.** et **ven.**, secunda venditio est nulla. Jure **mex.** praefertur primus emptor. Si autem non constet quis fuerit prior, adjudicatur possessori].

Resp. 2.° *Neg.*, si emptor fuerit malae fidei, vel si res non adhuc tradita sit secundo emptori. Ratio patet ex ipsis legis terminis, ex qua secundus emptor bonae fidei non potest praevalere priori, nisi ratione possessionis. *S. Alph.*, *ibid.*

N. B. Quae in hoc *q.* dicta sunt, *jure* **hisp.-ph.** (*a.* 1473), **aeq.**, **chil.**, **col.**, **nic.**, **Salv.**, **ur.**, valent non tantum pro rebus mobilibus, verum etiam pro immobilibus, sed jure **hisp.-ph.** solum in casu quo res immobilis non fuerit inscripta in Regesto proprietatis; si vero inscripta fuerit, ille praefertur qui prior fuerit in inscriptione. Item si nullus adhuc inscripserit, nec rei possessionem ceperit, praefertur ille qui titulum antiquiorem exhibeat. Supposita semper in omni casu bona fide. Cohaeret jus **mex.**, *a.* 2872, quoad immobilia.

1035. — Quaer. **7.°** *Quam vim arrhae venditioni addant?*

Resp. 1.° Si apponantur *promissioni* venditionis tantum, non confirmant contractum; sed unusquisque e contrahentibus resilire potest. Verum in hoc casu, si resiliat is qui arrhas alteri tradidit, eas simpliciter amittit; contra, si resiliat is, qui eas accepit, duplum restituere debet, id est, arrhas acceptas, et insuper valorem illis aequalem. Cohaeret jus **mex.**, *aa.* 2820, 2821; **per.**, 1334.

Resp. 2.° Si apponantur *ipsimet venditioni*, non faciunt eam conditionalem, sed argumentum sunt venditionis contractae; pro parte enim pretii computantur, vel in securitatem solutionis dantur; unde nullus ex contrahentibus, altero invito, resilire potest. In dubio autem an promissioni contractus, vel ipsimet contractui adjectae fuerint, pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adjectae censentur. Ita *jure romano*, *cathal.*, et **ur.**, *a.* 1639.

Jure autem **hisp.-ph.**, etiamsi arrhae apponantur ipsimet venditioni, eamdem vim habent ac si jure romano venditionis *promissioni* appositae fuerint (*a.* 1454). Cohaeret jus **aeq.**, *a.* 1793; **chil.**, 1803; **col.**, 1859-1861; **nic.**, 1803; **Salv.**, 1789, nisi aliter expresse conventum fuerit].

Quaer. 8.° *An et quomodo vendi possint jura incorporea certa, vel incerta seu litigiosa?*

Resp. ad 1.um Jura *incorporea*, ut chirographa, credita, usus-fructus, jus ad hereditatem apertam, si *certa sint*, vendi vel quocumque alio titulo ad alium transmitti possunt, sicut cetera jura. Eorum autem traditio fit remittendo chirographa, aut alia scripta authentica.

Resp. ad 2.um Jura *litigiosa*, seu circa quae lites moventur, pariter vendi possunt pro rata probabilitatis fortunae secundae. *Ita omnes.*

1036.—QUAER. 9.° *Quandonam venditor teneatur de evictione rei?*

Resp. 1.° Tenetur de *evictione*, quoties emptor juridice deturbatur a possessione rei emptae, ob praecedens jus vel dominii vel pignoris ex parte petitoris. Excipe nisi aliter in contractu *bona fide* conventum fuerit (**hisp.-ph.**, 1475). Ratio est, quia venditor dominium rei tunc transferre nequit.

Conventio eximens ab evictione venditorem, si hujus mala fide inita sit, nulla erit (**hisp.-ph.**, 1746).

Resp. 2.° Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum quando deprehenditur, rem venditam pertinere *certo* ad tertium hic et nunc reclamantem: eadem autem est ratio; venditor enim non potuit rei dominium transferre, quod non habebat. Verum ad hoc non tenetur in conscientia ante sententiam judicis, nisi omnino *certo* ipsi constet, rem esse revera illius tertii; nec tenetur fidem facile praebere aliis ita esse asserentibus, cum praesumptio ipsi faveat, nec aliunde sententia judicis intervenerit. Recole dicta 774. —Excipe casus in quibus translatio dominii a lege facta fuerit, ut ex jure **hisp.-ph**. et alii CC. **Amer. lat.** dictum est, *n.* 723, *q.* 4.° Tunc enim res vendita jam non pertinet certo ad tertium hic et nunc reclamantem.

ARTICULUS II

DE JUSTO PRETIO

1037. — Duplex est: 1.° *legale*, quod a lege determinatur; **2.°** *naturale* seu *vulgare*, quod valori rei respondet juxta communem hominum aestimationem, et formaliter desumitur ex ejus aptitudine ut cum aliis commutetur in humano commercio. *Génicot*, *n.* 631.

Pretium autem naturale est: 1.° *summum*, supra quod res aestimari non solet; 2.° *infimum*, infra quod res generatim non aestimatur; 3.° *medium*, quod inter utrumque interponitur.

1038. **Principia.**—I. Pretium *legale*, seu auctoritate civili constitutum, habendum est ut adaequatum valori rei, et ideo servandum est sub onere restitutionis. — Ratio est, quia ad auctoritatem civilem pertinet statuere quidquid ad commercium publicum attinet, quum leges pro bono communi condere possit. *Ita omnes.*

Aliquando tamen licet a legali pretio recedere, scilicet: 1.° si a majore hominum parte non servetur, Principe tacente; 2.° si mutatis circumstantiis taxa evadat injusta; 3.° si merces sint notabiliter solito pretiosiores, vel deteriores.

II. Deficiente pretio legali, illud solum habendum est ut

justum, quod tale determinatur *aestimatione communi*, si agatur de merce quae apud multitudinem appretiationem habet, quia pretium adaequatum ejusmodi rerum ex ipsarummet utilitate ad communes usus deducitur. Porro appretiatio talis utilitatis nequit melius haberi, quam per communem aestimationem. *Ita omnes.*

Si vero res vulgarem aestimationem non habeant, ut sunt gemmae, tabellae pretiosae, etc..., *probabilius* aestimandae sunt juxta judicium peritorum in ea materia, attentis circumstantiis, spectata rei novitate, antiquitate, raritate, etc. Ratio est, quia ipsi in ejusmodi rebus reputantur judices idonei, prout vulgus in vulgaribus. Opposita tamen sententia ut *probabilis* apparet, quia in eo casu justum videtur pretium, de quo contrahentes conveniunt. Sic quoad utramque sententiam *S. Alphonsus*, *n.* 807. — In praxi non sunt inquietandi illi, qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt. *Ita Salmant.; Gousset*, *n.* 842.— *A fortiori* justum reputandum est illud pretium, de quo pars utraque convenit, si pretium prorsus ignoretur, quia utraque tunc periculo exponitur. *S. Alph.*, *n.* 802, *in fine.*

1039. **Quaesita**. — QUAER. 1.° *An venditor rem carius vendere possit ob specialem affectum quem erga eam experitur, vel commoditatem quam ex ea percipit?*

Resp. ad 1.um *Affirm.* Ratio est, quia affectus domini ad rem suam est vere pretio aestimabilis, cum privatio rei sit pro ipso major. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 807.

Resp. ad 2.um *Affirm.* etiam *a fortiori;* siquidem privatio specialis commodi reddit rem multo pretiosiorem venditori, et aequum est, ut pretium augeat ratione majoris jacturae quam patitur. *S. Thomas*, 2, 2, *q.* 77, *art.* 1 *et seq., et alii communissime.*

1040. — QUAER. 2.° *An venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris?*

Resp. Negant communiter theologi, quia major utilitas vel affectus non est venditoris, et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet quod suum non est. *Ita S. Thomas*, *q.* 77, *art.* 1: «Si aliquis multum juvetur ex re alterius quam accipit, ille vero qui vendidit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis, nullus autem debet vendere quod suum non est.» Consonant *S. Alph.*, *n.* 806; *Carrière*, *n.* 692, et *Vermeersch*, De just., *n.* 345 *seq.*

Affirmant tamen quidam, eo quod venditor emptori illud commodum procuret; sed haec ratio prorsus debilis videtur, ut ex doctrina *S. Thomae* evidenter patet. Ita *P. Gury.* — Nihilominus, juxta *Génicot*, *n.* 633, V, 2.°; *Noldin*, *n.* 588; *Marres*, *l.* 4, *n.* 188, et *Waffelaert*, I, *n.* 615; *Berardi*, Praxis, II, *n.* 644, VI; *Gousset*, I, *n.* 840; *Tanquerey*, *n.* 750, et alios recentiores, non caret sua pro-

babilitate opinio contraria. Rationem isti afferunt, quod alterius commodo aut voluptati inservire, ex communi aestimatione sit obsequium, cujus pretium digne aestimatur ex majore aut minore commodo, quod alteri obvenit... Accedit usus valde communis virorum timoratorum.

1041. — QUAER 3.° *An liceat vilius emere in gratiam venditoris emptorem quaeritantis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia res ultroneae vilescunt, et pretium rei decrescit quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit. *Ita communiter cum S. Alph., n.* 802.

QUAER. 4.° *An etiam liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?*

Resp. Affirm., probabiliter. Ratio est, quia res ultronea juxta communem aestimationem pretio decrescit; inopia autem venditoris non efficit, ut communis aestimatio mutetur. Negant tamen alii *probabiliter.*

1042. — QUAER. 5.° *An liceat carius vendere ob dilationem solutionis pretii, aut vilius emere ob anticipatam solutionem?*

Resp. Affirm., saltem *probabiliter*, modo non excedatur taxa legalis pro mutuo, aut ratio alicujus tituli. Ratio patet ex dictis supra de usura, *n.* 1017 *et seq.*

QUAER. 6.° *An etiam chirographa et credita possint vilius emi ob anticipatam solutionem?*

Resp. 1.° *Affirm.* omnino, si sint *incertae*, vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt.

Resp. **2.°** *Affirm., probabiliter*, etiamsi sint certae et facilis solutionis. Ratio est, 1.° quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo censetur justum pretium illud, quod communiter pro talibus chirographis solvitur... — *Ita S. Alph., n.* 829, etc...; 2.° quia aequivalent pecuniae mutuatae; proinde ex eadem ratione ac in mutuo, licet percipere lucrum moderatum, juxta taxam legalem vel communem aestimationem. — *Ita nunc praxis communis.*

1043. — QUAER. 7.° *An possit quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis in se, si propter circumstantiam sibi specialem solutu fiant facilia?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re quae venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicujus rei, a communi aestimatione, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur. *S. Alph., n.* 829.

QUAER. 8.° *An possis pretio currente vendere rem, quam scis mox minoris valituram?*

Resp. Affirm., probabilius et verius. Ratio est, quia pretium praesens est justum et nondum immutatum, modo tamen scientia haec sit privata; si enim communis esset, jam pretium mutaretur. Aliquando tamen peccare posses contra charitatem. — *S. Thomas; S. Alph., n.* 824; Hom. apost., *n.* 188.

1044. — QUAER. 9.° *An possis pretio currente vendere rem mixtam cum alia viliore?*

Resp. Distinguendum est, scilicet: 1.° si commixtio sit noxia vel reddat rem *notabiliter* deteriorem aut minus utilem, peccas contra justitiam, ut patet; 2.° si res tua sit extraordinariae bonitatis, potes probabiliter illam cum viliore mixtam pretio communi vendere; 3.° si materiam viliorem ita per industriam meliori admisceas, ut *melius* temperetur, potes vendere eam consueto pretio. At in praxi hoc non est facile permittendum ob hallucinationis periculum. *S. Alph., nn.* 820-823.

1045. — QUAER. 10. *An teneantur ad restitutionem mercatores qui fraude vel mendacio inducunt emptores ad merces suas emendas majori pretio quam emissent, licet summum pretium non excedant?*

Resp. 1.° Quoad fraudem, *affirm.* Ratio est, quia fraus est causa efficax et injusta damni, quod emptor patitur; unusquisque autem jus habet strictum, ut fraude vel dolo non inducatur ad damnum quodpiam patiendum. Ergo...

Resp. 2.° Quoad mendacium, *per se* idem dicendum foret, cum etiam illud sit de se causa injusta damni. Attamen ordinarie mendacia vel etiam perjuria, quibus mercatores affirmant merces tanti sibi valuisse, vel tale pretium sibi oblatum fuisse, habenda non sunt ut fraudes realiter damnosae; ratio est, quia haec adeo inter illos sunt frequentia, ut eis fidem fere nemo adhibeat. Excipiendum tamen est, si quando ob specialem fiduciam in venditorem mendacium censeri debeat causa contractus. *S. Alph., n.* 223.

1046. — QUAER. 11. *An vel quomodo peccent mercatores qui, interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exaggerant?*

Resp. 1.° Si revera intendant hoc pretio vendere, peccant contra justitiam, inique alienum appetendo; et ad restitutionem tenentur, si de facto pretium illud ipsis solvatur.

Resp. 2.° Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad justum pretium deveniant, excusantur, quia notum est et consuetum, mercatores ita loqui, ut emptores ad justum pretium perducant.

QUAER. 12. *An peccent contra justitiam, qui rem venditam infimo pretio, ante traditionem imminuunt vel adulterant?*

Resp. Affirm., quia agunt contra pactum cum emptore initum. Quamvis enim liceat summo pretio vendere, non licet tamen mercatori, qui infimo vel mediocri pretio vendat, occulte sibi comparare pretium mediocre vel summum imminuendo qualitatem mercis, aut de mensura vel de pondere detrahendo; secus inutiles prorsus forent conventiones.

1047. — QUAER. 13. *An liceat tibi ad obtinendum justum pretium minuere pondus vel mensuram aut etiam rem alia deteriori miscere quia omnes ita faciunt?*

Resp. Affirm., probabiliter, si revera ita omnes faciunt, nec est aliud medium obtinendi pretium justum infimum aut medium, quia tunc venditor vexationem suam juste redimit. Etenim si ille daret integram mensuram, aut rem puram, emptores nollent ei dare justum pretium, putantes se eamdem rem posse ab aliis minori pretio emere. De imminuta mensura admittit *S. Alph.*, *n.* 822, ut venditor consequatur justum pretium, alias non consecuturus ob injustam taxam vel injustum monopolium ementium, et dicit hoc esse valde probabile. Eamdem sententiam tenent *Lugo*, *disp.* 26, *n.* 125; *Laymann*, *lib.* 3, *tr.* 4, *c.* 17, *n.* 15; *Sotus*, De just., *lib.* 6, *q.* 3, *art.* 2; *Salmant.*, *tr.* 14, *c.* 2, *n.* 175. Vide etiam *Ball.-Palm.*, *vol.* 3, *n.* 798.

Quoad mixtionem eadem est ratio. Unde *S. Antoninus*, Summa, *part.* 2, *tit.* 1, *c.* 17, § 4: «Cum aliqui sophisticant ea quae vendunt, ut se servent indemnes, et cum aliquo lucro congruo, quia si venderent puras res, et emptores non vellent dare justum pretium, quia alii vendunt talia sic.... mixta minori pretio; videntur posse excusari: dummodo non fiant tales mixturae quae noceant humanis corporibus, quod accidere potest in his quae venduntur in cibum et potum.... praecipue medicinalibus.» Cfr. etiam *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 77, *art.* 3, et *S. Alph.*, l. c., *n.* 820.

Nec liceret tunc exigere summum pretium, quia emptores jus habent emendi infimo aut medio pretio et ut non cogantur per fraudem ad emendum summo pretio. Cavendum praeterea est ab hallucinationibus, ne facile quis putet alios minuere mensuram, cum non sit ita, sed ideo minoris vendunt, quia contenti sunt lucro infimo, aut quia ipsi minoris obtinent illas merces, quia ab aliis venditoribus petunt in maxima quantitate. Tunc aliis non licet mensuram imminuere aut merces miscere.

1048. — Quaer. 14. *An peccent contra justitiam, mercatores europaei, qui maximo pretio vendunt apud indos cultellos, specula, et alia ejusmodi, quae apud nos vilioris pretii habeantur?*

Resp. Neg., quia haec licet viliora sint in nostris regionibus, communiter tamen magni aestimantur ab indis vel sinensibus, etc.: pretium autem vulgare ex communi aestimatione hominum regionis determinatur. Ergo... *Carrière*, *n.* 699.

1049. — Quaer. 15. *An peccent contra justitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quando venales exponuntur apud veteramentarios?*

Resp. Neg., quia res illae censentur amisisse pretium antiquum, et aliud accipere consuetudine, seu contrahentium conventione. Unde res ejusmodi ratione pretii maximam recipiunt latitudinem. *S. Alph.*, *n.* 807. — Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque vel decem francis vendi potuissent. Idem dicendum de emptione mobilium veterum, quae dicuntur hispanice *de lance*,

quia haec minoris valoris communiter habentur. *Carrière, nn.* 695, 699.

1050. **Resolves:** — 1.° Mercatores, qui minutatim vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui vendunt in magna quantitate, quia debent majores labores et expensas, majusque tempus impendere ad eas conservandas, atque emptoribus distribuendas... Sic ab injustitia excusantur caupones, stabularii, etc., qui avenam, fenum, paleas et alia carius vendunt. *S. Alph., n.* 809.

2.° Potest etiam carius vendi, si pretium ab emptore sit tradendum tempore quo res sit pluris valitura. Sic pariter potest vilius emi, si res tradenda sit tempore quo minus valebit.

3.° Si venditor et emptor ignorent pretium rei, et de certo pretio contrahant, valet contractus, modo uterque ex aequo et bono procedat; quia si uterque pretium justum ignoret, uterque aequali periculo damni se exponit, et voluntarie de jure suo cedit.

4.° Res ultra justum pretium non ideo vendi potest, quod venditor eam ex sua ignorantia, vel imprudentia, aut etiam ex casu fortuito, majori pretio emerit, vel subierit majores sumptus quam vulgo alii solvant aut subeant. Ratio est, quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni vel alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit. Neque ex eo quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in aestimatione vulgi adaugeri solet pretium rerum; sicut neque crescere solet pretium frumenti, eo quod unus vel alter rusticus fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit. — Secus autem dicendum foret, si multi mercatores in naufragio suas merces perdidissent, quia merces rariores factae ideo pretio crescerent. *Elbel, n.* 587.

1051. — 5.° Non probanda est praxis mercatorum vel artificum qui, ut ad suam officinam plures attrahant, solent munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias, etc., postea vero hujusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra justitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes injuste refundendas. *Elbel, n.* 583. — Secus vero, si cum ipsis justum pretium servent.

6.° Pariter reprobanda est praxis eorum mercatorum, qui merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ad se attrahant; deinde vero pondus aut mensuram corrumpunt, etc. Ratio est, quia sic emptores decipiuntur injuste, et injuste aliis venditoribus damnum creatur. *Elbel, n.* 523; *Lugo, d.* 26, *sect.* 8, *etc.*

7.° *A fortiori* reprobanda est praxis eorum qui res alienas, bona fide emptas, domino comparenti restituere nolunt, nisi prius pretium pro iisdem expensum refunderit. *Elbel, n.* 691. — Vide tamen supra, *nn.* 780, 722 *et* 723.

8.° Generatim in restitutione facienda ob laesionem justi pretii, haec sunt tenenda: 1.° si *de venditore* agatur, excessus injustus

computandus est a summo pretio, quia hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit laesus, nisi in eo quod pretium supremum superat; 2.° si vero *de emptore* agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia potuit emere tali pretio; unde venditor tantum laesus fuit in eo, quod est infra hoc pretium. Dixi *generatim;* quia si lucrum fraude obtentum fuerit, esset restituendum, etiamsi pretium summum non excederet, vel infimum attingeret, juxta dicta supra, *n.* 1044. — V. **Casus,** *nn.* 900 *ad* 944.

ARTICULUS III

DE PRAECIPUIS VENDITIONUM SPECIEBUS

Scilicet: 1.° de retrovenditione; 2.° de venditione sub hasta, seu per licitationem; 3.° de monopolio; 4.° de venditione per proxenetas.

§ I. *De retrovenditione et mohatra.*

1052. — Pactum *retrovenditionis*, venditioni additum, est contractus, quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, melioritatem, vel similia resarciat. **Per.**, 1448 (Jure **lusit.** retrovenditio prohibita est, *a.* 1587).

Mohatra est species retrovenditionis, seu contractus quo quis rem majori pretio credito vendit, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat. — Vide infra, *quaer.* 3.°

Dico I. Licitus omnino est contractus retrovenditionis. — Illud constat ex Scriptura sacra, quae testatur tale pactum fuisse judaeis impositum. Deinde nihil habet quod juri naturali contradicat: *dummodo* enim *vera emptio fiat, nec usura palliata intercedat,* liberum est venditori de re sua, prout vult, disponere; nec injuriam ullam emptori infert, quum hic libere de retrovenditione conveniat, nec aliunde damnum in hoc patiatur. *S. Alph., n.* 812, *et alii omnes.*

Dico II. *Conditiones ad hoc requisitae* sunt: 1.ª ut pretium minuatur juxta aestimationem gravaminis, quod emptori imponitur; 2.ª ut generatim non sit pactum de retrovenditione pretio majori vel minori facienda: licitum est pactum ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur; 3.ª ne pacto exigatur, ut periculum rei venditae cedat in damnum venditoris, quum illud *per se* ad emptorem spectet; nisi tamen pretium juxta aestimationem periculi augeatur; 4.ª ut res retrovendatur, sicut traditur, vacua vel cum fructibus; 5.ª ex jur. **hisp.-ph.**, 1518, et **arg.**, 1418 (1384); **bras.**, 1140, ut venditor si repetat rem, solvat emptori expensas omnes contractus, necnon expensas necessarias et utiles in re vendita factas.

N. B. 1.° Secunda conditio servanda est, quando jus (ut facit **hisp.-ph.**, *a.* 1507; **cost.**, 1092, 1095; **mex.**, 2901; **per.**, 1448; **ven.**, 1479) statuit retroventionem ad modum venditionis cum conditione resolutoria; at, si retrovenditio se habeat ad modum novae venditionis, nihil prohibet quominus rei pretium augeatur quantum in priore venditione fuerit imminutum, quum res ipsa reddatur sine onere quod venditioni priori adnexum erat. *Lugo, d.* 26, *n.* 196. Hoc expresse permittunt **aeq.**, 1872; **chil.**, 1881; **col.**, 1940; **nic.**, 1881; **ur.**, 1722.

2.° Jus petendi retroventionem exerceri debet intra tempus habile, i. e. intra 4 ann. ex jure **hisp.-ph.**, 1508 (nisi *pactum* adsit contrarium, modo non ultra decennium); **aeq.**, 1876; **chil.**, 1885; **col.**, 1939; **nic.**, 1885; — intra 5 ann. ex **cost.**, 1094; **mex.**, 2903; — intra 3 ann. ex **arg.**, 1415 (1381); **bras.**, 1141; **per.**, 1454; **ur.**, 1728; **ven.**, 1480.

1053. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quanto decrescere debeat pretium in retroventionis contractu?*

Resp. Regula praecisa determinari non potest, sed decisio plerumque a variis circumstantiis, arbitrio prudentium aestimandis, pendet. Vide *S. Alph., n.* 812.

1054. — QUAER. 2.° *An sit licitum pactum redimendi rem ad arbitrium* emptoris?

Resp. Affirm., probabilius, dummodo adsit verus animus emendi et vendendi, emptorque *majus* pretium solvat juxta oneris istius aestimationem, et non obligetur venditor redimere pretio majori, quam recipit. *S. Alph., ibid.; Lugo, d.* 26, *n.* 200.

1055. — QUAER. 3.° *Quid sentiendum sit de mohatra?*

Resp. Est contractus *per se* usurarius, adeoque illicitus et injustus. Hinc ab Innocentio XI proscriptus est in damnatione prop. 40.ae quae sic jacet: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retroventionis praevie inito cum intentione lucri.* Ratio autem damnationis est, quia in eo contractu usura palliata latet; si vero res sine ullo praevio pacto retrovendatur etiam pretio infimo eidem venditori, non est *per se* illicitum. Cfr. etiam *Wernz*, III, *n.* 264, *nota* 172.

Non est tamen damnandus ille contractus, si lucrum inde perceptum taxam legalem vel timoratorum praxim pro mutuo non excedat, quia tunc in mutuum legitimum recideret. — Vide **Casus**, *n.* 945.

De relatione mercatoria et aliis operationibus *bursae*, dicetur *n.* 1106 *et seq.*

§ II. *De venditione sub hasta, seu per licitationem.*

1056. — Venditio *sub hasta* est ea quae fit per praeconem, et in qua ultimae licitationi res adscribitur.

Licita est, sive fiat consentiente sive invito domino, seu per auctoritatem publicam, sive infra infimum pretium ematur, aut supra summum vendatur; quia potestas publica approbat justum pretium publice constitutum ex emptorum concursu. Hinc si emptores concurrant, res fit aestimabilior; si non concurrant, vilior habetur. *S. Alph.*, *n.* 808.

1057. Quaesita. — QUAER. 1.° *An venditor possit rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur?*

Resp. Neg., per se. Ratio est, quia emptores publice convocati ad auctionem, acquirunt quoddam jus ad rem venalem, quatenus fit stipulatio tacita ut cedat plus offerenti. Attamen videtur temperandus hujus doctrinae rigor, ubi forte vigeat contraria consuetudo, vi cujus contrahentes in hoc consentiant. Durum enim videtur damnare injustitiae praxim universalem, quam docti et etiam pii absque ullo scrupulo tenent. *Ita Billuart*, etc.

QUAER. 2.° *An possit venditor mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat?*

Resp. Negandum videtur. Ratio est, quia hoc apparet nimis fraudulentum ut excusari possit, quum tendat ad decipiendos emptores sinceros, atque adeo iis injuriam inferat, dum ficti causa sunt ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero concursu (*S. Alph.*, *n.* 808; Hom. apost., *n.* 175). At, saltem ubi ex consuetudine liceat domino rem suam retrahere nisi pretium justum infimum offeratur, non videtur illicitum amicos mittere, qui licitent *donec pretium justum infimum detur*. Imo semper licebit amicos *rogare* ut ipsi concurrant et pretium augeant, modo verum emendi animum habeant.

1058. — QUAER. 3.° *An ille, cujus bona venduntur in gratiam creditorum, mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda?*

Resp. 1.° *Affirm.*, saltem attento usu communi, si licitatio sit voluntaria, quia hoc sequi videtur ex eo quod venditor possit rem suam retrahere.

Resp. 2.° *Affirm., a fortiori*, si licitatio sit coacta, seu si fiat auctoritate publica; nam ille, cujus bona venduntur, deterioris conditionis esse non debet. Aliunde ipse non est proprie vendens, quum venditio ipso invito fiat. Ergo...

1059. — QUAER. 4.° *An emptor possit pactum facere cum aliis, ne licitent, aut ne plus offerant?*

Resp. Neg., saltem in casu coactae *subhastationis*. Ratio est, quia venditor jus habet, ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum. *S. Alph.*, *n.* 808.

Excipiunt tamen plures, si emptores sint societate conjuncti, vel quasi conjuncti, ut fratres, amici, etc., quia faciunt quasi unam personam moralem, nec potest exigi, ut adversum se licitent. Excipiunt etiam probabiliter alii, si vigeat usus ut venditor rem

suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur; quia si ipse potest impedire ne pretium sit nimis exiguum, aequitas etiam postulat ne conqueratur quod emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur (1).

Alii vero sunt qui probabiliter opinantur hujusmodi pactum non adversari justitiae, licet forte aliquando peccatum adsit contra charitatem (2). Dominus enim rei non quodcumque jus habet ne alii a licitando impediantur, sed ne impediantur mediis *injustis*, vi nempe, metu, aut fraude.

1060. — QUAER. 5.° *An emptor rogare possit alios, ne licitent? Resp. Affirm.*, quia in hoc non violatur venditoris jus, siquidem libertas licitandi non tollitur, et emptor sua utitur diligentia, ut sibi consulat. Attamen preces importunae esse non debent. Vide *S. Alph., ibid.* — V. **Casus**, *n.* 951 *et seq.*

Scholion. Jure **hisp.**, *aa.* 1504-1506 Codicis processus civilis (*Ley de enjuiciamiento civil*), si licitatio judicialiter decernitur, in prima quae inducitur hasta, licitatores ad minus offerre debent $^2/_3$ partes valoris rei a peritis taxati; quod si licitatio maneat deserta, indicitur secunda, in qua saltem $^1/_2$ pretii est offerendum; et si haec deserta pariter relinquatur, indicenda est tertia, in qua jam liberum est licitatoribus offerre quod libuerit pretium, ita tamen ut si pretium in illa oblatum $^1/_4$ pretii non attingat, possit dominus intra *novem dies*, vel debitum aliunde solvere remque sibi servare, vel alium licitatorum quaerere, qui pretium oblatum augeat: quo in casu, veniendum est ad quartam et ultimam hastam, in qua duo tantum licitatores admittuntur, ille scilicet cui res in tertia hasta sub conditione fuerat adjudicata, et alter qui pretium oblatum intra novem dies auxit. Jam vero, quum res necessario alterutri sit adjudicanda, si horum alter alterum precibus, pacto aut mercede inducat ut a licitando desistat, et ita res sibi pretio antea oblato adjudicetur, ille cui in iis adjunctis res forte infra dimidium pretii adjudicatur, peccatne contra justitiam, an solam violat charitatem?

Quaestio, ut patet, difficultate non caret, quia eo ipso quod unus a licitando abstineat, res alteri est adjudicanda, quum aliis licitare non sit permissum.

Nobis tamen videtur dicendum: 1.° pactum hujusmodi generatim esse *illicitum*, utpote contra charitatem in dominum rei; 2.° non tamen *certo* constare de peccato *contra justitiam*, quamvis res infra verum pretium adjudicetur. In casu enim quicumque ex iis duobus potest *absque injustitia* recedere a licitatione; quod autem quis potest absque injustitia facere, id ipsum potest alteri absque injustitia promittere, atque etiam in pactum accepta quoque pecunia deducere. — Nec facessit difficultatem quod alii licitatores non admittantur; jus enim hoc, ut sc. illi duo tantum possint rem maxima auctione acquirere, est favor illis concessus a lege; cui favori renuntiare alteruter libere potest, et tunc res erit adjudicanda vel illi qui antea post tertiam licitationem pretium auxerat, vel alteri, si nunc aliquantulum illud augeat. At obligatio alia licitandi nulla est in casu, maxime quum

(1) *Bouvier; Delama*, II, *n.* 621, etc.

(2) *Ball-P., vol.* III, *n.* 771; *Lehmk.*, I, *n.* 1122; *Buccer.*, I, *n.* 1164; *Génicot*, I, *n.* 638, et *Casus, pag.* 361; *Noldin, n.* 592.

haec licitatio potius in favorem horum licitatorum sit instituta, quam in favorem domini, pro quo tot licitationes praecesserunt.

Dices: juxta *a.* 555 Cod. poenalis **hisp.,** qui promissis *muneribus, minis,* vel alio artificio, licitantes avertunt a licitando, et ita pretium auctionis mutant, magnis poenis mulctantur. Ergo quoties licitatio contra praescriptum codicis habetur, est injusta. — *Resp.* Actio erit *illicita,* et poena erit subeunda, si imponatur, *conc.;* licitatio erit *injusta, neg.*

§ III. *De monopolio.*

1061. — *Monopolium* est potestas vendendi penes unum aut paucos tantum exsistens; vel est agendi ratio, qua unus vel plures efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant aut emant. Aliud est *legale,* quod auctoritate publica ex rationabili causa viris privatis conceditur, aut per ipsam civilem societatem exercetur; aliud *privatum,* quod opera unius aut plurium mercatorum inducitur (1).

Dico I. Monopolium *legale* a viris privatis exercitum licitum est; modo *cum justo pretio* fiat. Ratio est, quia ob justam boni publici causam societas illud ceu privilegium, vel ad tributum a mercatoribus exigendum, concedere potest.

Quod si a publica potestate exerceatur, adhuc licitum erit, quamvis pretium augeatur ultra summum quod secluso monopolio merces haberet. — Hoc enim augmentum rationem tributi haberet in casu.

Dico II. Monopolium *privatum* illicitum est in sequentibus casibus: 1.° si mercator impediat fraude vel mendacio ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum communi detrimento; 2.° si unus vel pauci merces omnes emant, ut deinde illas ultra pretium, quod secluso monopolio esset summum, vendant; 3.° si opifices vel artifices conveniant, ut non doceant artem suam, nisi pretio injusto, vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum. *S. Alph., n.* 815.

Licitum tamen dicendum est si instituatur ad excessus immoderatae concurrentiae corrigendos, et qui illud exercent mediis utantur licitis et pretium justum non excedant.

1062. Quaesita. — QUAER. 1.° *An peccent contra justitiam et charitatem mercatores qui conspirant ne merces suas vendant nisi summo, licet justo, pretio?*

---

(1) Privatum monopolium appellari solet *trust,* si plures venditores aut eorum societates administrationem totius negotii paucis viris committant penes quos sit potestas pro arbitrio statuendi quaecumque ad rei productionem aut venditionem spectantia; si vero pactum eo tantum tendat, ut *limitetur* mercium productio aut venditio, et in reliquis detur libertas, vocatur *cartell;* dicitur autem *ring* seu *corner* dum maximas alicujus mercis quantitates communi consilio emunt, ut pretium augere valeant maximumque lucrum inde reportare. Cfr. *Tanquerey,* De just., *n.* 775.

Resp. 1.° *Quoad justitiam*, duplex est sententia probabilis.

I.ª SENTENTIA *affirmat*, quia hujusmodi mercatores per medium injustum alios pretio supremo emere cogunt. *Laymann*, etc.

II.ª SENTENTIA, *probabiliter*, *negat*, quia si alii coguntur ad emendum pretio summo, non coguntur a venditoribus, sed sua necessitate, quae vera coactio ex parte venditorum dici nequit. *S. Alph.*, *n.* 817; *Lugo*, etc.—In hac sententia, ut vera sit, duo supponuntur cum ipso Lugo: 1.° ne quis ex illis mercatoribus ab aliis per vim, dolum vel metum, impediatur quominus merces viliori vendat pretio; secus injuria fieret, non modo ipsi, sed etiam emptoribus; 2.° ut pretium summum intelligatur de pretio quod summum fuerit secluso monopolio.

Resp. 2.° *Quoad charitatem*, *affirm.*, quia licet charitate non obligeris ad vendendum infra pretium summum, videris tamen obligari ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant. Ita licet charitate non teneris ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen alios dissuadere, si qui eam largiri volunt; ergo *a pari... S. Alph.*, *ibid.*

1063. — QUAER. 2.° *An peccent contra justitiam vel contra charitatem mercatores, qui tempore messis aut vindemiae omne triticum vel vinum regionis pretio vili tunc currente emunt, ut postea carius vendant?*

Resp. 1.° *Neg.*, *probabilius*, ut videtur, *quoad justitiam*, modo non vendant supra pretium summum, quod secluso monopolio curreret. Ratio, quia nullius jus violant. *Ita Lugo; S. Alph.*, *n.* 817.

Resp. 2.° *Neg.*, etiam *probabiliter quoad charitatem*, modo alios ad carius vendendum non inducant, nec ipsi vendant supra pretium summum, quod praeciso monopolio locum haberet, quia jure suo utuntur; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum evitet, quum illud avertere non obligetur. *Lugo*, *Lessius*, etc., contra *alios.*

QUAER. 3.° *An facto semel monopolio cum pretio injusto ab aliquibus mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere?*

Resp. Neg., quia pretium ex injustitia auctum semper manet injustum, nec aestimatio communis dici debet, sed fraus et deceptio. *Ita communiter* cum *S. Alph.*, *n.* 817. — V. **Casus**, *n.* 958 *et seq.*

§ IV. *De venditione per proxenetas* (corredores, comisionistas).

Venditio per proxenetas ea est, quae non fit immediate ab eo, ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetae dicuntur. Proxenetae autem possunt esse vel tantum amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera pretio annuo locati.

1064. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An proxeneta qui vendit supra, aut emit infra pretium sibi designatum, possit excessum pretii sibi retinere?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Ratio est, quia nullum habet titulum aliquid retinendi. Etenim: 1.° non ratione rei, quia illius non est, sed domini; 2.° nec ratione laboris et industriae, saltem stricto justitiae titulo debitae, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud jus habet; si vero industriam gratuito praestet, jam mercedi, quae stricto justitiae titulo debeatur, renuntiavit. *S. Alph., n.* 825, *et alii communiter.*

Excipe, 1.° si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecerit; 2.° si dominus expresse aut aequivalenter declaraverit, se nihil ultra pretium determinatum exigere: tunc enim excessus retineri potest; 3.° si dominus agendi rationem proxenetae noverit et ratam habeat. *Sic communiter theologi.*

1065. — QUAER. 2.° *An possit proxeneta rem, pretio sibi determinato vendendam, pro seipso emere, et postea eamdem rem tamquam suam majori pretio vendere?*

Resp. Affirm., positis duabus conditionibus, scilicet: 1.ª ut adhibita morali diligentia emptorem non inveniat, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2.ª ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servatur. *Ita communiter.*

QUAER. **3.°** *An proxeneta possit sibi retinere ea quae vendens solo ejus intuitu gratis donat?*

Resp. Affirm., si constet de vera donatione in favorem proxenetae. Talis donatio praesumitur facta, si proxeneta frequenter emat pro *diversis* personis; si autem semper pro eadem, potius in hujus favorem donatio facta censetur. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus. *S. Alph., n.* 825; Hom. apost., *n.* 189.

CAPUT II

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU

ARTICULUS I

DE SOCIETATE

(Cfr. CC. CC. **hisp.-ph.**, 1665 *seq.*; **lusit.**, 1240 *seq.*; **aeq.**, 2040 *seq.*; **arg.**, 1682 (1648) *seq.*; **bol.**, 1200 *seq.*; **bras.**, 1363 *seq.*; **chil.**, 2053 *seq.*; **col.**, 2079 *seq.*; **cost.**, 1196 *seq.*; **guat.**, 1776 *seq.*; **mex.**, 2219 *seq.*; **nic.**, 2053 *seq.*; **per.**, 1652 *seq.*; **Salv.**, 2010 *seq.*; **ur.**, 1849 *seq.*; **ven.**, 1608 *seq.*).

1066. — *Contractus societatis* est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum, aut lucrum pro rata parte percipiendum.

Dico I. Omnis societas fieri debet de re licita et honesta, necnon ad commune bonum contrahentium. Singuli autem socii in societatem afferre debent pecuniam, aut merces, aut industriam, vel operam. *Ita ex omni jure.*

Dico II. Contractus societatis est modus legitimus negotiationem faciendi. Constat 1.° ex legibus civilibus omnium nationum; 2.° ex usu universali omnium populorum; 3.° ex jure naturali: non enim minus licitum est pluribus conjunctim quam singulis ex suis rebus lucrum facere, modo debita aequalitas servetur.

Dico III. Conditiones requisitae sunt: 1.ª ut sit aequalitas, id est, divisio lucri pro rata rei collatae; 2.ª ut ad certum tempus ineatur societas, et ante non liceat suum repetere; 3.ª ut periculum sortis spectet ad dominum, nisi aliter pactum initum fuerit; 4.ª ut quisque subeat onus damnorum et expensarum, quae intuitu societatis adveniunt; 5.ª ut quisque diligentiam eamdem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata. *S. Alph.*, *n.* 905.

1067. Quaesita. Quaer. 1.° *Quomodo solvatur societas?*

Resp. Contractus societatis solvitur: 1.° lapsu temporis, ad quod factus est; 2.° interitu rei, vel fine negotiationis; 3.° morte naturali vel civili unius e sociis; 4.° interdictione alterutrius socii, vel decoctione seu bonorum subversione; 5.° impossibilitate rem promissam praestandi; 6.° mutuo sociorum consensu. Alia vide in C. C. H., *a.* 1700 *seq.*

Quaer. 2.° *Quid, si quis invito socio ante tempus e societate recedat?*

Resp. Tenetur damnum compensare, nempe solvere lucrum cessans pecuniae ab ipso praestandae, aut reddere lucra industriae suae. — V. **Casus**, *n.* 981 *et seq.*

ARTICULUS II

DE TRINO CONTRACTU

1068. — *Contractus trinus* est, quo quis pecuniam conferens paciscitur cum alio socio ut, quidquid eveniat, summa integra sibi restituatur cum lucro certo, minore tamen eo lucro quod sperare probabiliter poterat; vel est contractus societatis, cui adjunguntur duo alii contractus, nempe assecurationis sortis et assecurationis lucri, seu venditionis spei lucri majoris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur: Contraho, v. gr., cum *Petro,* pecuniae summam ei tribuendo ad negotiandum. Verum cum spes lucrandi 15 pro 100 mihi affulgeat, et timeam ex alia parte ne sortem amittam, ineo secundum contractum cum *Petro*, ei 5 pro 100 erogando, si assecurationem sortis in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, jam 10 tantum pro 100 mihi lucrandi supersunt. Sed lucrum adhuc minus ac certum mallem, quam majus et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 tribuat, sed certo refundat quidquid superventurum sit. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri.

QUAER. *An trinus contractus sit licitus?*

Resp. Duplex est sententia *probabilis* inter theologos.

I.ª SENTENTIA *negat.* Ratio est: 1.° quia sic destruitur societas, cujus natura est, ut pericula sint communia; ergo est verum mutuum; ergo deficit titulus seu fundamentum lucri percipiendi, saltem supra taxam legis pro mutuo; 2.° quia, ajunt, opposita doctrina a Sixto V reprobata est per bullam *Detestabilis* anno 1586. *Collet*, *Habert*, etc.

II.ª SENTENTIA *communiter affirmat* (modo pecunia in negotiatione impendatur). Ratio est: 1.° quia hi singuli contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et justi; ergo etiam si fiant simul et cum eodem; 2.° quia nihil est contra aequalitatem; nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam aequivalenter sustinetur; 3.° quia *Benedictus XIV* declarat in opere De synod. dioeces., *lib.* 10, *c.* 7, contractum trinum a Sixto V non esse damnatum, nec illum damnare intendere. Et in encyclica *Vix pervenit...* dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter theologos disputatur. Vide *S. Alph.*, *n.* 908.

CAPUT III

DE LOCATIONE

(Cfr. *CC. CC.* **hisp.-ph.**, 1542 *seq.*; **lusit.**, 1606 *seq.*; **aeq.**, 1906 *seq.*; **arg.**, 1527 (1493) *seq.*; **bol.**, 1129 *seq.*; **bras.**, 1188 *seq.*; **chil.**, 1915 *seq.*; **col.**, 1973 *seq.*; **cost.**, 1124 *seq.*; **guat.**, 1663 *seq.*, *et* 269 *leg. reform. C. C.*; **mex.**, 2434 *seq.*, 2936 *seq.*; **nic.**, 1915 *seq.*; **per.**, 1540 *seq.*; **Salv.**, 1902 *seq.*; **ur.**, 1750 *seq.*; **ven.**, 1522 *seq.*).

1069. — *Locatio* est contractus, quo usus vel fructus rei, aut personae opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur. Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius dicitur *locator*; alter *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Porro variae numerantur locationis species: 1.ª locatio aedificiorum; 2.ª agrorum; 3.ª animalium; 4.ª laboris et famulatus.

Ad contractum locationis aliquatenus accedunt emphyteusis et feudum. *Emphyteusis* est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum vel saltem ad 10 annos, cum onere solvendi pensionem annuam domino directo in recognitionem dominii directi. *Feudum* vero est contractus emphyteusi similis, seu traditio rei immobilis ad dominium utile, cum onere exhibendi domino directo obsequium seu fidelitatem. Differunt tamen emphyteusis et feudum a locatione, quia nequeunt constitui nisi in re immobili, nec ad brevius tempus, quam ad decennium. De emphyteusi *ex jure* **hispano**, dicetur infra, *n.* 1080, *N. B.* 2.°

I. *Regulae locationis generales.*

1070. **Principia.** — 1.° Locatio fieri potest scripto aut verbo. — 2.° Locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat. — 3.° Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad heredes transit. — 4.° Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat juxta locorum consuetudinem et rei locatae naturam. — 5.° Si locator rem locatam vendiderit, potest emptor, nisi aliud conventum sit, etiam non finito locationis tempore, locatarium expellere, qui tamen locatorem compellere poterit ut damnum (si quod est) sibi illatum sarciat; et emptorem, ut sibi permittat colligere fructus illius anni (*a.* 1571: S. T. S. 11 jun. 1912, ap. *Alcub.* ann. 1913, *pag.* 476). — 6.°

Si vero contractus locationis rerum immobilium inscriptus fuerit in Regesto proprietatis, et contractus sit vel *a*) ultra sexennium, vel *b*) in quo pretium locationis trium annorum anticipatum fuerit, vel *c*) saltem mutuo consensu inscriptus, tunc contractus ex jure **hispano** retinet suam vim etiam contra emptorem, qui illum sustinere debet tamquam onus temporale (*Ley hipot., a.* 2, *n.* 5.°; *Reglam., aa.* 5 *et* 25, *n.* 11; *C. C., a.* 1280. Vide etiam *a.* 1550, *seq.*).

II. *Obligationes locatoris.*

1071. — 1.° Tenetur aperire vitia noxia rei locandae. — 2.° Praestare debet, ut locatarius tranquille ea fruatur. — 3.° Expensas necessarias rei locatae reparandae sustinere ipsi incumbit. Non tenetur tamen ad expensas *minutas*, ut mox dicetur. — 4.° Formam rei locatae absque consensu locatarii mutare nequit. Reparationes tamen *necessarias*, etiam invito conductore, facere potest, nec quodcumque damnum inde exsurgens compensare tenetur. *Jure* tamen **hispano**, si reparatio necessario facienda *ultra quadraginta dies* se protendat, pretium conductionis imminui debet pro rata temporis et portionis rei locatae, qua conductor privatus exsistat (*a.* 1558).

III. *Obligationes locatarii.*

1072. — 1.° Debet uti re locata tamquam bonus paterfamilias, ad solum finem locationis. — 2.° Tenetur ea reficere vel reparare, quae culpa ipsius perierunt, aut deteriora facta sunt. — 3.° Imo in foro externo tenetur de omnibus damnis quae subit res locata, nisi ea, seclusa sua vel subditorum culpa, evenisse probaverit. — 4.° Modicae reparationes, quae dicuntur *locativae*, ad ipsum spectant, v. gr. reficere vitra, etc.

1073. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *Quid juris, si domus locata incendio pereat?*

Resp. 1.° In foro conscientiae locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla ejus culpa etiam juridica fuerit incensa; imo *probabiliter* etiamsi ex sola culpa juridica perierit.

Resp. 2.° In foro externo locatarius de damno tenetur, nisi probet illud accidisse citra ullam, etiam juridicam, suam culpam, ut supra dictum est. Cohaeret **hisp.-ph.**, *a.* 1563.

QUAER. 2.° *Quid speciatim de locatione operum?*

Resp. 1.° Locator famuli vel operarii tenetur cum eo de justa mercede convenire, qualis est quae communiter talibus dari solet.

Resp. 2.° Si determinatio mercedis fuit relicta ad conductoris arbitrium, hic justam, saltem infimam, dare debet. Herus autem famulum ante tempus dimittens sine sufficienti causa, damnum

inde emergens resarcire tenetur. Ex jure **hisp.-ph.**, *a.* 1584, in hoc casu tenetur famulo solvere salarium *quindecim dierum*, ultra ea quae jam ipsi propter praestitum servitium debebantur. Jure **lusit.**, 1379, 1382, si famulus sine justa causa servitium relinquat ante tempus conventum, amittit jus ad salarium adhuc sibi non solutum propter servitium jam praestitum; si vero herus famulum ante tempus dimittat, solvere ei debet salarium pro toto tempore convento.

Resp. 3.° Si famulus vel operarius ultro sese offerat, tuque eo non egeas, sed ex charitate tantum suscipias, quid ei dare debeas vide *n.* 759, *et apud S. Alph.*, *n.* 522.

Quoad tempus locationis cfr. dicta supra, *n.* 671.

QUAER. 3.° *Quid veniat nomine salarii* FAMILIALIS.

Resp. Duplex distinguitur salarium familiale: aliud absolutum aliud relativum. *Absolutum* definiri potest: retributio qua operarius frugi et honestus, adhibitis *prudentibus subsidiis*, valeat se suamque sustentare familiam in ordinariis fecunditatis adjunctis, i. e. tribus quatuorve filiis cum uxore constantem (paulo aliter *Pottier*, De jure et just., *n.* 231).

Subsidia adhibenda haec sunt, nempe ut *a*) juvenes aliquid seponant ante matrimonium, et *b*) matrimonio suo tempore inito, parcius vivant dum nullus liberorum par sit labori sustinendo, et *c*) uxor laborem assumat suae conditionis proprium.

Relativum est diversum pro diversitate, numero ac necessitatibus personarum quibus de facto constet familia operarii.

QUAER. 4.° *An salarium* FAMILIALE *operariis ex justitia legali debeatur?*

Ante responsionem nota, quaestionem procedere de salario familiali *absoluto*, non de *relativo*. Relativum non deberi ex justitia omnes admittunt. Igitur:

Resp. Affirm. Ipsis deberi saltem ex *justitia legali*, ita ut, seclusa omni lege, *per se* graviter peccet contra justitiam legalem, qui hoc salarium suis opificibus non solvat, fere omnes concedunt. Ratio est, quia ad bonum publicum valde confert, si operarii habeant unde matrimonium suo tempore inire, et susceptam prolem alere possint.

QUAER. 5.° *Utrum ipsis etiam debeatur ex justitia commutativa?*

Resp. Neg. in praxi, nam acriter disputatur, et duplex datur sententia probabilis.

Primam affirmativam tenent plures, inter quos *P. Vicent*, Socialismo y Anarquismo, *p.* 1, *cap.* 8, *art.* 3; *P. Liberatore; P. Steccanella*, Del Comunismo, *p.* 2, *cap.* 15; *P. Eschbach; P. Vermeersch*, De just., *n.* 437 *seq.*; *Pottier*, l. c., *n.* 221 *seq.*; *Noldin*, De praecept., *n.* 601 *seq.*, etc.

1.° Probatur cum *P. Vermeersch*. Si bonum commune exigit

ut opifici detur salarium familiale, ut dictum est in *q.* 4.°, qui facit contra hanc exigentiam boni *communis*, non modo peccat contra justitiam legalem, sed etiam contra commutativam: sicut gravitas absoluta furti desumitur ex eo quod adversetur bono *communi*, et tamen ejus reatus est contra ipsam justitiam commutativam. Ratio est, quia justitia legalis eatenus est specialis virtus, quatenus imperat, ut debitos propter bonum commune, actus *aliarum* virtutum. Atqui haec alia virtus cujus actus hic imperantur a justitia legali nulla alia esse videtur nisi justitia commutativa. Ergo... (*nn.* 429 et 449, 4). Alia plura apud ipsum vide, *nn.* 403-454.

Prob. 2.° Juxta encycl. Leonis XIII *Rerum novarum*, salarium *singulare*, i. e. sufficiens ipsi opifici sustentando, debetur ex justitia naturali seu commutativa, quia opifex deesse nequit officio se ipsum sustentandi. Ergo a pari ipsi ex eadem justitia debetur salarium familiale *ex naturali officio alendi suam familiam.*

En Pontificis verba: «Hinc jus reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur: quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid *ex justitia naturali*, idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere.»

Antecedens confirmatur ex responsione data jussu Pontificis a Cardinali Zigliara ad quaesita Archiepiscopi mechlinensis, ubi ad dub. I: — «Num verbis: *justitia naturalis* intelligitur justitia commutativa, an vero aequitas naturalis?» respondetur: «Ad dub. I. — Per se loquendo intelligitur *justitia commutativa.*» (*Il Monitore, vol.* 7, *p.* 2, *pag.* 155).

Negat vero *secunda sententia*: 1.° Quia argumentum *P. Vermeersch* non concludit. Etenim obligatio ferendi suffragium in electionibus legislativis est ex justitia legali et ob bonum commune, et nihilominus non est ex justitia commutativa. Ergo ex eo quod salarium familiale absolutum debeatur ex justitia legali et ob bonum commune non sequitur quod debeatur ex justitia commutativa. 2.° Quia disparitas assignari potest ex qua patet cur salarium *singulare* debeatur ex justitia commutativa, non autem familiale: *a*) quia aequalitas quam respicit justitia commutativa apparet quidem inter laborem operarii et ipsius sustentationem; minime vero inter laborem unius hominis et necessaria ad sustentationem integrae familiae; *b*) quia officium alendi se ipsum est absolutum et labori intrinsecum; officium vero familiae sustentandae hypotheticum, quum matrimonio contrahendo nemo astringatur.

Directe etiam probatur haec sententia: 1.° Ex encyclica Leonis XIII, qui, ubi ex professo de infimo justi salarii limite loquitur, de familia opificis tacet et rationes affert quae soli salario personali convenire videntur; 2.° ex responsione data ex commissione Pontificis a Cardinali Zigliara ad

quaesita Archiepiscopi mechlinensis, ubi haec legimus: «Dub. II. — An peccabit herus qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi sufficientem, sed imparem ipsius familiae alendae, sive haec constet uxore et numerosa prole, sive haec non ita numerosa sit? Si affirmative, contra quamnam virtutem?» Resp. ad dub. II: «*Non peccabit contra justitiam,* poterit tamen quandoque peccare vel contra charitatem, vel contra naturalem honestatem.» Postea vero hanc rationem subjungit: «Opus autem est opus personale operarii et non familiae ipsius, nec ad familiam ipsam refertur primo et per se, sed secundario et per accidens quatenus mercedem acceptam operarius cum suis distribuit. Sicut ergo familia opus, in casu, non auget, ita ex *justitia* non requirit ut merces debita operi ipsi augeatur.» Hanc sententiam tenent *Il Monitore,* l. c., *pag.* 205 g); *P. Génicot,* I, *n.* 647; *P. Antoine,* Cours d'Economie sociale, *c.* 19, *art.* 5; *P. Dumas in h. l. P. Gury; et plures alii.*

N. B. Quamvis ex encyclica clare appareat *per se* deberi ex *justitia* commutativa salarium sufficiens «alendo frugi opifici ac bene morato»; attamen, ut recte notatur in responsione Cardinalis Zigliara, «per accidens possunt dari casus particulares, in quibus heri conducere licite valent operarios inadaequata mercede contentos. Puta si herus aut nullum, aut omnino suae vitae convenienter sustentandae insuficiens, beneficium retraheret, si mercedem adaequatam largiretur, imo etiam damnum exinde caperet. Hoc enim in casu, ac in similibus, etsi quaestio sit prima facie de justitia, revera tamen quaestio magis de charitate, qua herus et sibi et aliis providet».

Quaer. 6.° *An opifices jus strictum habeant ut in socios negotii admittantur?*

Resp. Negative; constat enim: 1.° ex universali praxi et consensu theologorum; 2.° ex litteris encycl. *Rerum novarum,* ubi perpetuo supponitur ex justitia deberi salarium aliquod fixum, minime vero partem aliquotam seu *participationem,* ut ajunt, *in beneficiis.* Ita *Génicot,* I, *n.* 645. Ratio est, quia dominus liber est ad ineundum cum operariis vel contractum *societatis* vel contractum *locationis.*

Quaer. 7.° *An liceat patronis eas machinas introducere, quibus res facilius et minori pretio producantur, quamvis propterea operarii plures sint dimittendi, quorum opera patrono jam non sit necessaria?*

Resp. Affirm., modo patroni praedictos operarios retineant usque ad finem contractus; vel si nullum tempus statutum est, eos opportuno tempore praemonuerint. Nec obstat quod forte plures operarii aliam artem addiscere debeant, ut operam suam collocare possint; nec quod alii patroni, qui impares iis machinis emendis, detrimentum capiant, eo quod pretium rei ob facilitatem productionis imminuatur: haec enim per accidens contingent. Secus vix unquam novae machinae industriales, quo bono publico magnum afferunt emolumentum, possent introduci.

1074 — Quaer. **8.°** *An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis ob grandinem, vel aliud infortunium extraordinarium?*

Resp. Neg. Licet enim videatur in rigore justitiae de jure naturali ad id teneri (et ita statuit **lusit.**, *a.* 1630), attamen consuetudine generali introductum est ut, si ingens sit jactura, aliquid remittatur, et damnum ex aequo ab utroque subeatur. Excipe, nisi ex fructibus per alios annos perceptis aequa detur compensatio. *S. Alph., n.* 860; *et ex jure romano confirmatur.*

Ex *jure* **hisp.-ph.**, conceditur locatario imminutio pensionis, tantum in casu infortunii *extraordinarii* quod *praevisum non fuerit*, v. gr. in casu belli, incendii, inundationis insolitae, locustae, terraemotus, etc., modo fructus ultra *dimidiam* eorum partem amittantur (*a.* 1575) antequam a radice vel arbore sejuncti fuerint (*a.* 1576).

Quaer. 9.° *An tributum solvendum sit a locatore, an a locatario?*

Resp. Per se, speciali seclusa conventione, locator tributa solvere debet, quia non solum est rei dominus, sed ne usumfructum quidem transtulit, nisi modo successivo et de die in diem. Secus autem de usufructu pleno et proprie dicto, ut dictum est supra, *n.* 729.

1075. — Quaer. 10.° *An nuntius proficiscens in certum locum, licite possit a pluribus integram accipere mercedem?*

Resp. 1.° De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. *Ita communiter theologi.*

Resp. 2.° De nuntio duplex est sententia probabilis. — Recole dicta supra, *n.* 892. — **V. Casus**, *n.* 973 *et seq.*

CAPUT IV

DE CAMBIO

1076. — *Cambium* est permutatio pecuniae cum aliquo lucro campsoris. Cambium tamen in genere idem sonat ac permutatio sive in pecunia sive in aliis rebus. Multipliciter dividitur, scilicet:

1.° Cambium *manuale* seu *minutum*, et cambium *locale* seu *per litteras*. Prius fit, cum permutatur pecunia unius formae vel materiae cum pecunia alterius formae aut materiae. Posterius autem locum habet, quando pecunia praesens commutatur cum pecunia absente et alio loco solvenda.

2.° Cambium *reale* seu *verum*, et cambium *fictum* seu *siccum*. Prius illud est, quo pecunia cum alia reapse commutatur. Posterius vero illud est, quo permutatio fingitur, sed non est aliud nisi

mutuum palliatum, uti v. gr., cum datur pecunia tamquam in alio loco recipienda, quae tamen in hoc ipso loco recipitur.

3.° Cambium *fictum* sic fieri solet: v. gr. *Titius* indigens pecunia in hoc praesenti loco, 100 nummos a campsore postulat. Campsor autem non aliter dat, nisi in loco distanti solvendos, petitque ab eo pretium, quod pro locis similibus exigitur. *Titius* vero pecuniam accipit, et tamen non cogitat de pecunia in tali loco reddenda, idque campsori manifestum est. Unde contractus ille est merum mutuum palliatum; sed jam in desuetudinem abiit.

1077. **Principia**. — I. Licitum est cambium *reale*, sive minutum sive locale, modo servetur aequalitas, aut lucrum non excedat justum pretium determinatum lege vel locorum consuetudine. — Ratio est, quia sunt varii tituli, ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet: 1.us pecuniae assecuratio usque ad locum assecurationis; 2.us locatio operae et officii ad numerandam et transmittendam pecuniam; 3.us damnum emergens ex infortuniis debitorum; 4.us expensae et curae in detinendo telonio. *S. Alph.*, *nn.* 851, 952, *et alii* (1).

II. Illicitum est *per se* cambium *fictum*. — Ratio patet; nullus enim est in eo titulus lucrum accipiendi, quum nullum fiat cambium proprie dictum, siquidem nulla est realis pecuniae translatio, sed tantum ficta, unde non est nisi mutuum palliatum. *Ita omnes. S. Alph.*, *n.* 853. Dixi *per se*, quia ratione mutui licet sequi hujus contractus leges, juxta dicta supra, *n.* 1017.

S. Pius V in bulla de cambiis varias apposuit restrictiones circa cambium; *Haunoldus* tamen eam in paucis locis vigere, saltem quoad omnia in ea contenta, testatur. De ea loquitur *S. Alph.*, *n.* 852.

1078. **Quaesita**. — Quaer. 1.° *An licitum sit cambium eis qui officium publicum cambiendi non habent?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia eaedem militant rationes: quisque enim jus habet ad lucrum pro labore et industria sua. Sed cavere debent isti campsores, ne lucrum majus aequo exigant. *Ita S. Alph.*, *n.* 851; *Salmant.*, *c.* 4, *n.* 8; *Carrière*, *n.* 1038.

Quaer. 2.° *An licitum sit cambium vulgo dictum* francofurtense, *in quo campsor dat pecuniam in proximis nundinis reddendam, ita ut lucrum majus pro majori dilatione exigatur?*

---

(1) In litteris cambii (*letras de cambio*), quibus frequentissime utuntur mercatores ad pecunias absque periculo et onere transferendas, tres personae necessario interveniunt, scilicet: 1.° is qui pecunias transferendas solvit (*el tomador*); 2.° ille qui onus pecunias transferendi suscipit et litteras cambii tradit (*el banquero o cambista*); 3.° ille ad quem litterae cambii diriguntur (*el corresponsal del banquero*). Insuper qui litteras cambii habet, et eas praesentat, dicitur *lator* (*el portador*). Lator vero eas alteri transferre potest inscribendo: *Páguese a la orden*, et hic vocatur hispane *endosante*. E.

Resp. 1.° *Affirm.*, si sit titulus lucri cessantis, damni emergentis, etc. *S. Alph.*, *n.* 854.

Resp. 2.° Secus *controvertitur;* sed *probabiliter* leges civiles pro mutuo in hoc sequi licet, juxta dicta superius, ubi de usura, *n.* 1017.

1079. — QUAER. 3.° *Quid campsores recipere possint ratione mutui?*

Resp. Campsores jus habent, sicut ceteri omnes, ad lucrum respondens damno emergenti, lucro cessanti, periculo sortis, expensis pro officina sustinenda, pro famulis negotio necessariis, etc., etc. Ex his principiis generalibus, juxta diversa loca et virorum piorum praxim, dijudicandum est. *A priori* enim damnari nequit quod quis percipiat 8 vel 9 %. Cfr. supra, *n.* 1025, *q.* 5.° — *V.* **Casus**, *n.* 988 *et seq.*

CAPUT V

DE CENSU

(*Cfr.* **lusit.**, 1644 *seq.*, 1653 *seq.;* **aeq.**, 2014 *seq.;* **bras.**, 678 *seq.;* **chil.**, 2022 *seq.;* **mex.**, 3066 *seq.;* **nic.**, 2022 *seq.;* **per.**, 1885 *seq.;* **ur.**, 1730 *seq.;* **ven.**, 1684 *seq.*).

(*Pro* **Cathal.**, *vide app.* III).

1080. — *Census* est jus pensionem aliquam percipiendi ab alio ob cessionem ei factam alicujus rei. Dicitur *jus* respectu ejus in cujus favorem constitutus est, qui dicitur *censualista;* nam respectu ejus qui pensionem solvit, quem *censuarium* appellamus, verum gravamen est. Census potest esse multiplex, scilicet:

1.° *Reservativus*, id est, jus certam pensionem exigendi a possessore praedii in recognitionem cessionis ei factae ipsius dominii, nedum utilis, sed etiam directi.

2.° *Consignativus*, id est, emptio venditio, cujus pretio emptor acquirit jus percipiendi a venditore, domino certi praedii vel praediorum, pensionem quamdam impositam aut constitutam in ipso praedio vel praediis.

3.° *Realis*, vel *personalis*, prout pensio in re frugifera constituitur, vel in personae labore et industria.

4.° *Temporarius*, vel *perpetuus*, aut *vitalitius*, prout constituitur ad tempus, v. gr. ad 20 annos, vel in perpetuum, vel ad vitam hominis.

5.° *Redimibilis* ex una vel utraque parte, prout ad nutum alterutrius vel utriusque redimi potest; vel *irredimibilis*, si ex pacto venditor seu censuarius se liberare non possit per capitalis resti-

tutionem; tunc emptor seu censualista necessario jus suum in censum servat.

N. B. Jure **hisp.-ph.**: 1.° Omnis census redimi potest arbitrio censuarii (*C. C., a.* 1608). Quoad modum redimendi, vida *aa.* 1609-1612, 1651, 1658, 1662; itam *aa.* 149-151 *legis hypoth.* Potest tamen in pactum deduci ut census redimi non possit vivente censualista vel alia determinata persona, vel intra aliquot annos; modo non sit ultra 20 si de censu consignativo agatur, vel ultra 60 si census sit *reservativus*, vel *emphyteuticus*, de quo statim dicemus.

2.° Census *emphyteuticus*, ut diximus *n.* 1069, habetur cum aliquis alteri, qui *emphyteuta* dicitur, cedit dominium utile alicujus praedii, sibi reservans dominium directum et jus percipiendi pensionem annuam in agnitionem hujus dominii (**hisp.-ph.**, 1605).

Praeterea *censualista* sive dominus directus habet *a*) jus percipiendi *laudemium* a quocumque, qui, titulo *oneroso* inter vivos, veniat de novo in possessionem dominii utilis; sed requiritur ut tale jus in pactum expresse deducatur in contractu *emphyteusis* (**hisp.-ph.**, 1644); quantitas percipienda pendet ex conventione: si nihil statutum circa quantitatem fuerit, percipiet *duo* pro singulis centenis;

b) jus *praelationis*, emendi sc. dominium utile pretio a quocumque emptore oblato, vel a venditore petito: quod jus, nisi intra *viginti dies* exerceatur, amittitur (**hisp.-ph.**, 1636 et 1637);

c) jus *retractus* (exercendum intra 9 *dies* a confectione scripturae venditionis, si monitio venditionis praecesserit; secus exercendum *intra annum* ab inscriptione facta in Regesto proprietatis: (**hisp.**, 1638, 1639), vi cujus praedium acquirere potest pretio quo alienatio facta fuit, etsi venditum fuisset sub hasta ad debita emphyteutae solvenda;

d) jus *devolutionis* ipsius dominii utilis, si *emphyteuta* a *tribus annis* pensionem non persolvat, aut conditiones stipulatas non servet, aut praedium graviter in deterius venire sinat (**hisp.-ph.**, 1648); sed adhuc poterit emphyteuta ab hoc onere se eximere solvendo debitas pensiones et censum redimendo (**hisp.-ph.**, 1650);

e) jus exigendi recognitionem sui juris ab emphyteuta, et ejus expensis si petitio fiat quovis 29.° anno; si vero exigatur ante annum 29.^{um} ab ultima recognitione facta, expensis *censualistae* (*a.* 1647; *Alcubilla*, *V.* Censos).

Emphyteuta habet etiam *jus praelationis*, et *retractus* quoad dominium directum eodem modo ac censualista habet respectu dominii utilis. Vide supra, *b*) *et c*). Item si dominium utile domino devolvatur, juxta dicta supra in *d*), habet jus exigendi omnes meliorationes quae valorem augeant ipsius fundi (**hisp.-ph.**, 1652). Potest disponere de dominio utili tum per testamentum tum etiam per actus inter vivos. Potest rem alienare, permutare, et consentiente domino directo, etiam gravare (**hisp.-ph.**, 1632-1635).

N. B. Quoad bona ecclesiastica, haec prae oculis habenda sunt: «In emphyteusi bonorum ecclesiasticorum emphyteuta nequit canonem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici de quo in can. 1532 (vide infra, *n.* 1090); quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim ecclesiae dare debet, quae canoni respondeat.

»Ab emphyteuta congrua exigatur cautio pro solutione canonis et conditionibus implendis; in ipso instrumento pacti emphyteutici forum ecclesiasticum arbiter statuatur ad dirimendas controversias inter partes forte exorituras, et expresse declaretur meliorationes solo cedere» (*can.* 1542, § 1 et 2).

1081. **Principia.** — I. Quilibet census reservativus est licitus, quia quilibet rei suae proprietatem transferens, potest partem fructuum illius sibi reservare, modo pro rata reservationis pretium imminuat.

II. Census consignativus realis, tum fructuarius tum pecuniarius, est licitus, quia jus ad partem aliquam usufructus, vel ad pensionem annuam vendere et emere licet.

III. Conditiones eaedem generatim ad censum requiruntur de jure naturali, ac ad venditionem, scilicet: 1.ª bona fides; 2.ª assecuratio sufficiens ex parte censuarii erga censualistam; 3.ª pretium justum, quod lege vel aestimatione communi determinatur.

1082. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An census consignatus personalis sit licitus?*

Resp. Affirm., saltem de jure naturali, modo serventur debitae conditiones; quia jus recipiendi pensionem ex alterius labore, industria, etc..., tam est pretio aestimabile, quam jus illam percipiendi ex re frugifera. *Ita communiter. S. Alph.*, *n.* 839, contra *alios* negantes, quia persona vendi nequit.

QUAER. 2.° *An census* REDIMIBILIS *sit licitus?*

Resp. Affirm., saltem ex parte censuarii, sicut retroventitio licita esse potest.

1083. QUAER. 3.° *An possit esse redimibilis ex utraque parte?*

Resp. Affirm., probabilius, quia est vera venditio, et emptor non debet esse deterioris conditionis ac venditor, modo sit bonae fidei, et aliunde aequalitas servetur. *S. Alph.*, *n.* 843; *Lessius*, *Laymann*, contra alios.

QUAER. 4.° *An liceat emere currente pretio census annuos in Gubernio fundatos, vel actiones a nummulario publico?*

Resp. Affirm. Venduntur enim ut merces; pretio crescunt vel decrescunt juxta communem aestimationem.

1084. QUAER. 5.° *An licitus sit census vitalitius?*

Resp. Affirm. Est enim contractus aleatorius, nec ullatenus juri naturali repugnat, et a lege civili approbatur.

Sequentes autem conditiones requiruntur:

1.ª Habenda est ratio aetatis vel sanitatis personae, stirpis, periculorum quibus exponatur ratione artis vel officii, etc.

2.ª Ex his conjiciendus est numerus annorum quibus probabiliter censualista vivet juxta computum *vitae mediae*, ut ajunt.

3.ª Tunc igitur respectu habito ad capitale, talis pensio statuenda est, ut in fine vitae censualistae, sic probabiliter conjectae, tum capitale tum ejus reditus in pensiones censualistae solutas fuerint impensi.

4.ª Censuarius non potest se redimere, nisi ex voluntate censualistae; nec censualista capitale repetere potest, nisi in quantum censuarius promissas securitates non praebeat.

5.ª Census non extinguitur *morte civili* censualistae, sed transit ad ejus heredes usque ad ejus naturalem mortem. — V. **Casus**, *n.* 1005.

Jure **hisp.-ph.**: 1.° hic census recensetur inter contractus aleatorios; 2.° jus pensionis constitui potest ad vitam et in favorem illius qui jus emit, vel alterius, vel plurium personarum; etiam ad vitam unius et in favorem alterius (*a.* 1083); 3.° contractus erit nullus si persona ad cujus vitam constituatur jam sit mortua, vel ita aegrotet ut tandem moriatur intra 20 dies (*a.* 1804); 4.° capitale vel praedium repeti non potest quamvis pensiones non solvantur; quae tamen pensiones exigi judicialiter poterunt, et etiam cautio pro solvendis in futurum (*a.* 1805); 5.° pensiones solvendae sunt pro rata temporis quo vixerit ille cui debentur; sed si essent solvendae per anticipatas solutiones, integra pensio danda erit quae respondeat tempori incepto (*a.* 1806).

N. B. Jure **bol.**, *a.* 1327; **guat.**, 2181; **Salv.**, 2009, census omnino prohibentur.

CAPUT VI

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS SEU DE FIDEJUSSIONE, PIGNORE ET HYPOTHECA

Contractus isti dicuntur subsidiarii, quia adhibentur ad securitatem alterius contractus. De singulis breviter dicemus.

ARTICULUS I

DE FIDEJUSSIONE

(*De fidejussione, C. C.* **hisp.-ph.**, *aa.* 1822-1856; **lusit.**, 818 *seq.*; **aeq.**, 2317 *seq.*; **arg.**, 2020 (1986) *seq.*; **bol.**, 1358 *seq.*; **chil.**, 2335 *seq.*; **col.**, 2361 *seq.*; **cost.**, 1301 *seq.*; **guat.**, 2218 *seq.*, *et* 321 *seq.*, *leg. reform. C. Civ.*; **mex.**, 1700 *seq.*; **nic.**, 2335 *seq.*; **per.**, 2079 *seq.*; **Salv.**, 2287 *seq.*; **ur.**, 2076 *seq.*; **ven.**, 1783 *seq.*).

1085. — Fidejussio est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis.

1086. **Regulae fidejussionis.** — 1.ª Nemo fidejussor esse potest nisi liberam bonorum administrationem habeat.

2.ª Qui principaliter obligari non possunt, fidejubere non valent; tales sunt pupillus, minor, religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris, curatoris, superioris, mariti. Sed mulieres, etsi principaliter obligari possint, tamen *romano* jure prohibentur fidejubere, nedum pro maritis suis, sed et pro aliis personis.

3.ª Fidejussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris pro quibus fidejussit, se solummodo in illius defectu vel impotentia, et quidem juridice probata; unde non prius ad solutionem compelli poterit, quam excussis debitoris facultatibus compertum sit, eum non esse solvendo parem; nisi huic beneficio renuntiaverit, quod dicitur ordinis et excussionis.

4.ª Non potest fidejussor ita obligari ut qualitate, tempore, aut alio modo plus debeat, quam debet is pro quo obligatur; at ex adverso ut minus debeat, obligari potest. Ita si reus quinque aureos debeat, non potest fidejussor in decem obligari; neque obligari pure, si ille in diem, aut tantum sub conditione obligatus sit.

5.ª Fidejussor qui pro debitore solvit, omnibus creditoris juribus subrogatur, et proinde recursum in eumdem debitorem habet, ut ab eo repetat quidquid ejus loco solvere coactus fuit.

6.ª Obligatio fidejussoris ad ipsius heredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis. — V. **Casus**, *n.* 1007.

ARTICULUS II

DE PIGNORE

(*De his, C. C.* **hisp.-ph.**, *aa.* 1857-1873, 1871-1886; **lusit.**, 855 *seq.*; **aeq.**, 2366 *seq.*; **arg.**, 3238 (3203) *seq.*; **bol.**, 1415 *seq.*; **bras.**, 768 *seq.*; **chil.**, 2384 *seq.*; **col.**, 2409 *seq.*; **guat.**, 1983 *seq.*, *et* 287 *seq. leg. reform. C. Civ.*; **mex.**, 1773 *seq.*; **nic.**, 2384 *seq.*; **per.**, 1984 *seq.*; **Salv.**, 2336 *seq.*; **ur.**, 2266 *seq.*; **ven.**, 1813 *seq.*).

1087. — *Pignus* est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. — Pignoris nomine venit etiam res oppignorata.

Regulae pignoris. — I. Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet: 1.° tradere creditori pignus idoneum; 2.° refundere creditori impensas necessarias, quae factae fuerint ad rei conservationem; 3.° pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

Ex parte *creditoris* pignus accipientis. Debet: 1.° non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris; 2.° diligenter pignus custodire, secus de damno tenetur; 3.° fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad aequalitatem scilicet servandam; 4.° non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili et prius monitus fuerit. *Ita de jure naturali et positivo.*

Pignori accedit contractus qui *antichresis* nuncupatur. Est autem *antichresis* pignoris species, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usquedum debitum solvatur. *S. Alph.*, *n.* 916. — V. **Casus**, *n.* 1010.

ARTICULUS III

DE HYPOTHECA

(*De hypotheca*, L. Hyp. **hisp.** (1), *C. C.* **hisp.-ph.**, *aa.* 1857-1862, 1874-1880; **lusit.**, 888 *seq.*; **aeq.**, 2389 *seq.*; **arg.**, 3142 (3108) *seq.*; **bol.**, 1436 *seq.*; **bras.**, 809 *seq.*; **chil.**, 2407 *seq.*; **col.**, 2432 *seq.*; **guat.**, 2018 *seq.*, *et* 290 *seq.*, *leg. reform. C. Civ.*; **mex.**, 1823 *seq.*; **nic.**, 2407 *seq.*; **per.**, 2020 *seq.*; **Salv.**, 2359 *seq.*; **ur.**, 2296 *seq.*; **ven.**, 1846 *seq.*).

1088. — *Hypotheca* est contractus quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit (L. H., *aa.* 105 *seq.*).

Triplicis generis distinguitur hypotheca, nempe: legalis, judicialis et conventionalis.

1.° Hypotheca *legalis*, ea est quae a lege statuitur: et alia dicitur *implicita* seu *tacita*, quae scilicet vi solius legis, et absque ulla speciali bonorum in regesto inscriptione constituitur (De tacita ac legali hypotheca vide quae diximus *n.* 684, §§ II, IV, et *n.* 705, IV); alia simpliciter *legalis*, quae absque ulla conventione jus tribuit exigendi ut specialis hypotheca constituatur atque in regesto inscribatur. (Cfr. L. H., *aa.* 157 *seq.* In *art.* 168 dicitur quibus lex concedat hypothecam legalem).

2.° Hypotheca *judicialis* illa est, quae ex judicis decreto statuitur in gratiam eorum qui causam obtinuerunt; si v. gr. judex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum, vi illius sententiae cuncta bona immobilia damnati, praesentia et futura, pro damno hoc reparando hypotheca gravantur. Requiritur autem, ut haec judicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet.

---

(1) Quoad novam editionem hujus legis, cfr. *n.* 684, nota 2.

Jure **hisp.** non exsistit hujusmodi hypotheca judicialis, sed in ejus locum successit adnotatio praeventiva in regesto proprietatis, facta ex mandato judicis, vi cujus confertur praelatio creditorum exposita supra, *n.* 844, § II. Quae adnotatio non semper se extendit ad universa bona debitoris, nec mutat in reales obligationes personales. Cfr. apud *Alcubilla*, *vol.* VI, *pag.* 25, 26; L. H., *aa.* 42 *seq.*, 73; App. 1910, *pag.* 70, 71 cum adnot. et App. 1905, *pag.* 59, 60.

3.° Hypotheca *conventionalis* seu voluntaria, id est, quam partes mutua conventione inter se statuunt, est contractus solemnis, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem et solutionem. Debet igitur fieri coram notario, per publicam scripturam (L. H., *a.* 146), et a persona ad contrahendum habili, seu quae liberam habeat bonorum suorum administrationem; hinc minores, interdicti, uxores non possunt aliquid in hypothecam tradere. Debet praeterea inscribi in regesto proprietatis (L. H., *a.* 146). Cfr. L. H., *aa.* 138-156, et C. C., *aa.* 1857, 1858, 1875. — V. **Casus**, *n.* 1015.

ARTICULUS IV

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

1089. I. Ad alienandas res ecclesiasticas sive mobiles sive immobiles, quae servando servari possunt, requiruntur sequentes conditiones: 1.° ut praecedat rei aestimatio (*sea justipreciada*) a probis peritis scripto facta; 2.° ut intercedat *justa causa* alienationis, id est, urgens *necessitas* vel *utilitas* Ecclesiae, aut *pietas;* 3.° ut obtineatur *licentia* legitimi superioris, sine qua alienatio erit *invalida* (*can.* 1530, § 1).

II. Alienatio fieri non debet minori pretio quam quod in peritorum taxatione fuerit indicatum, imo, in quantum fieri possit, alienatio fieri debet per publicam licitationem aut saltem nota reddi, eique adjudicari debet qui, omnibus perpensis, plus obtulerit (*can.* 1531, § 1 et 2).

III. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae invertiri debet (*Ibid.*, § 3).

1090. Quaesita. — QUAER. 1.° *A quonam superiore licentia obtinenda est ut alienatio valida esse possit?*

Resp. 1.° A Sede Apostolica, si agatur *a*) de rebus quae pretium excedunt 30.000 *pesetarum*, libellarum seu francorum, **aut** de rebus (1) pretiosis (*can.* 1532, § 1); vel *b*) de locationibus ultra novennium, si pretium locationis annuae excedat 30.000 libellarum (*can.* 1541, § 2, 1.°).

---

(1) Res *pretiosae* dicuntur, quibus *notabilis* valor sit sive artis sive historiae sive materiae causa (*can.* 1497, § 2).

Resp. 2.° Secus ab Ordinario *loci*, qui tamen eam nequit concedere nisi de consensu partium quarum interest. Praeterea debet obtinere *consensum* tum Capituli Cathedralis, tum Consilii administrationis, *a*) si valor rei **aut** pretium locationis annuae excedat 1000 et non superet 30.000 libellarum, francorum seu *pesetarum*, et locatio sit ultra novennium; *b*) si pretium locationis annuae excedat 30.000 libellarum, et locatio novennium non excedat. — Satis ei erit *audire* Consilium administrationis: *a*) si non excedat mille libellas pretium rei **aut** pretium annuae locationis, et haec sit ultra novennium, *b*) et si excedat 1000 et non superet 30.000 libellas pretium annuae locationis, quae non sit ultra novennium (*can.* 1532, § 2, 3; *can.* 1541, § 2).

Resp. 3.° Si res sint minimi momenti, alienari possunt de licentia Episcopi, etiam non audito Consilio administrationis (*can.* 1532, § 2).

Locationes vero quarum annuum pretium non excedat mille libellas, nec locatio sit ultra novennium, fieri possunt a legitimis administratoribus, monito Ordinario (*can.* 1541, § 2, 3.°).

N. B. 1.° Solemnitates quae hucusque expositae sunt requiruntur etiam in quocumque contractu quo conditio Ecclesiae pejor fieri possit (*can.* 1533), v. gr. si bona ecclesiastica hypothecae subjiciantur.

2.° Si autem agatur de bonis ecclesiasticis immobilibus vendendis aut locandis propriis administratoribus eorumque conjunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu, requiritur praeterea *specialis* Ordinarii loci *licentia* (*can.* 1540).

Quaer. 2.° *Quid si alienatio fuerit facta absque debitis solemnitatibus aut sit nulla?*

Resp. In utroque casu ecclesiae competit actio: in primo, *personalis* contra alienantem ejusque haeredes; in secundo, *realis*, ut bona illa penes quemlibet possessorem persequi possit, salvo jure emptoris contra male alienantem (*can.* 1534, § 1).

Quaer. 3.° *An donatio facta ecclesiae repudiari possit ab ejus rectore aut superiore?*

Resp. Neg., sine licentia Ordinarii; quod si illegitime repudietur, datur ecclesiae actio *restitutionis in integrum* vel indemnitatis ob damna inde obvenientia (*can.* 1536, § 2 et 3).

Quaer. 4.° *Quid requiritur ut administratores commutare possint* titulos ad latorem (*títulos al portador*)?

Resp. Si commutatio fiat in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, sufficit et requiritur consensus Ordinarii, Consilii administrationis aliorumque quorum intersit (*can.* 1539, § 2).

Quaer. 5.° *Quas in poenas incurrit qui* praesumpserit *alienare absque debita licentia?*

Resp. Si agatur de re cujus pretium excedat 30.000 libellarum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, incidunt in *excommunicationem* latae sententiae *nemini* reservatam (*can.* 2347, 3.°).

Si valor sit supra 1.000 libellarum et infra 30.000, privari debet *patronus* jure patronatus; *administrator*, munere administratoris; *Superior* vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a superioribus infligendas; *Ordinarius* aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvere debent duplum (1) favore ecclesiae vel piae causae laesae; *ceteri* autem clerici suspendi debent ad tempus ab Ordinario definiendum (*Ibid.*, 2.°).

Si minor fuerit valor, congruis poenis a legitimo Superiore erit puniendus (*Ibid.*, 1.°).

N. B. 1.° Ut censura incurratur, alienatio debet esse perfecta (*Piat*, h. l). At jure *romano*, **hisp.-ph.** *aa.* 1182, 1445; **aeq.**, 1811; **chil.**, 1820; **nic.**, 1820; **ur.**, 1656, 1309 *seq.*, non censetur perfecta nisi post rei traditionem. Jure autem **lusit.**, 1549; **cost.**, 1049 *seq.*; **guat.**, 1479; **per.**, 1038; **ven.**, 1418, venditio solo contrahentium consensu perficitur.

2.° Alienationes factae ab una ecclesia ad aliam, saltem probabilius, comprehenduntur hac censura. S. C. C., 24 jan. 1632 et 27 febr. 1666. Cfr. *Wernz*, l. c., *n.* 156; *Pezzani*, in can. 798, *pag.* 183.

3.° In **Amer. lat.** et Ins. **Philipp.**: Episcopi, praevio Capituli vel Consultorum dioecesanorum consensu, facultatem habent: 1.° Locandi bona ecclesiastica ultra consuetum triennium, usque ad novem vel *duodecim* annos, dummodo juxta leges civiles periculum non adsit quod locatio transeat in emphyteusim; 2.° libere alienandi bona ecclesiastica, ubi summa pecuniae non excedat valorem *viginti millium libellarum monetae* propriae nationis, si necessitas vel evidens utilitas id postulent, et pretium inde obveniens investiatur loco honesto, tuto et fructifero, favore ecclesiae seu causae ad quam bona pertinebant. Pius X, 1 jan. 1910, *ad decennium* (*Acta A. Sedis*, *vol.* 2, *pag.* 219; *C.* **Manilan.**, *pag.* LXXIV).

CAPUT VII

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS

1091. — Varii sunt generis: assecuratio, sponsio, sortitio seu loteria, et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

---

(1) Duplum intelligendum videtur damni illati, ita ut non modo damnum reparetur, sed praeterea solvatur tantumdem. Ita intelligi solet in similibus casibus quando quis dicitur damnari in duplum, v. gr. ex jure romano quando debitum negetur. *Inst.*, IV, 16, § 1.

ARTICULUS I

DE ASSECURATIONE

(Cfr. *C. C.* **hisp.-ph.**, *aa.* 1791-1797; **lusit.**, 1540; **bras.**, 1432 *seq.*; **chil.**, 512 *seq.*, *Cod. comm.*; **guat.**, 1866 *seq.*; **mex.**, 2705 *seq.*; **per.**, 1767 *seq.*; **ven.**, 1776 *seq.*).

Assecuratio est contractus, quo unus periculum alicujus rei in se suscipit, et alter ad pretium pro suscepto hujusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus exsistunt societates, quae assecurant v. gr. domos contra incendium, navigia contra naufragia, etc.

1092. Quaesita. — QUAER. 1.° *An sit licitus assecurationis contractus?*.

Resp. Affirm. Aequalitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter theologi, et praxis quotidiana confirmat.

QUAER. 2.° *Quaenam sint conditiones ad assecurationem requisitae?*

Resp. Sunt sequentes: 1.ª ut pretium sit periculo proportionatum; 2.ª ut periculum sit verum, et utrique parti aequaliter notum; 3.ª ut assecuratus servet omnes contractus conditiones; 4.ª ut assecurator habeat unde solvere possit. *S. Alph.*, *n.* 911. — V. **Casus**, *n.* 1012.

Jure **hisp.-phil.**: 1.° nullus erit contractus qua parte quantitas solvenda ab assecuratore (vel ab assecuratoribus, etiamsi plures contractus circa eamdem rem ineantur) excedat valorem rei assecuratae (*a.* 1795); 2.° item contractus erit omnino nullus et irritus si tempore quo fuit initus, notum fuerit: *a*) assecurato, rem jam damnum de quo contrahitur subiisse; vel *b*) assecuratori, rem jam fuisse a tali periculo subductam (*a.* 1797).

1093. Resolves: — 1.° Qui res suas assecuratas de industria aut comburunt, aut certo interitui exponunt, ut compensationem accipiant, graviter peccant et ad restitutionem acceptae compensationis tenentur.

2.° Idem tene de eo, qui de industria aut non impedierit efficaciam incendii absque culpa sua excitati, aut non servaverit res, quas servare potuit.

3.° Si vero incendium vel periculum ex culpa *mere juridica* assecurati ortum habuit, hic compensationem petere et retinere potest, nisi damnetur a judice.

4.° Restitutionis onere gravatur qui compensationem accipit aut damni quod non subiit, aut majoris, quam fuerit passus.

5.° Licet accipere compensationem, quam, nulla interveniente

fraude ex parte assecurati, sponte offert societas; vel quam arbitri statuerint, quorum judicio ex conventione standum fuerat, quamvis forte compensatio pretium superet.

6.° Ad restitutionem tenetur societas assecurationis, quae, postquam res in periculo absque culpa assecurati periit, compensationem denegat, aut timore injustae litis cogit assecuratum ut minorem, quam par est, accipiat.

7.° Imo ipsius societatis administratores aut mandatarii, qua auctores aut participes damni injuste illati, secundario et in solidum ad restitutionem tenentur.

Nihil prohibet quominus legitimus administrator bonorum ecclesiasticorum contractus assecurationis quoad illa bona ineat cum societatibus assecuratricibus, v. gr. contra incendium, grandinem, etc. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., III, *n.* 271.

1094. — Quaer. *Si quis, sciens alienam domum assecuratam esse, eam incendio destruat, cui et quomodo restituere debeat?*

Resp. In praxi (et idem tene in casu resolutionis 1, 2 et 4 num. praecedentis) videtur satius et in conscientia tutum, summam restituendam impendere in pauperes, aut in causas pias. Ita *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 358, *q.* 4, et *Lehmk.*, I, *n.* 1134, quibus accedere videtur *Génicot*, *n.* 658. Rationes eorum sunt: 1.ª periculum ne officiales sibi injuste pecuniam retineant et ad aerarium societatis illa non perveniat; 2.ª quia *actionum* possessores, non autem aerarium societatis, damnum ex voluntariis incendiis patiuntur; cum vero horum possessorum tantus soleat esse numerus, uniuscujusque damnum grave non erit; 3.ª quia societates assecurationis, multorum aedificiorum periculum cum pluribus aliis societatibus reassecurationis dividunt; sed cum societas nesciat a quonam restitutio procedat, nesciet an et cum qua societate summa accepta sit dividenda; 4.ª quia, ut alii volunt, damnum patiuntur non *actionum* possessores, nec societas assecurationis, sed ipsi *assecurati;* quia societates praevidentes hujusmodi voluntaria incendia, pretium assecurationis (*la prima*) quotannis solvendum augere solent. Jam vero *assecuratorum* numerus maximus esse solet, unde parum est damnum quod singuli capiunt, et aliunde vix sciri potest quinam sint et qua proportione sit ipsis restituendum.

Ergo cum creditores dubii sint, et sive actionum possessores sive assecurati modicum detrimentum capiant, restitutio fieri potest pauperibus aut causis piis.

Praeterea, cum revera incerti sint creditores, ille, qui damnum non intulerit in confidentiam Bullae, vel compositionis, ad compositionem recurrere potest. Cfr. infra, *vol.* 2, ubi de Bulla Cruciatae; *Génicot*, *n.* 558, IV. — Vide dicta supra, *n.* 802.

APPENDIX

DE ASSECURATIONE VITAE

(Bras., 1471)

1095. — *Assecuratio vitae* est contractus, quo unus se obligat ad solvendam singulis annis quamdiu vixerit determinatam pensionem (*prima*), et aliter se obligat ad certam pecuniae summam, accidente illius morte, heredibus ejus solvendam.

Huic contractui principali alii accessorii non raro accedere solent, vi quorum plures optiones assecurato conceduntur, v. gr., jus mutuam pecuniam a societate petendi, rescindendi contractum, etc.

Principia. — I. Ad liceitatem contractus requiritur justa proportio inter pensionem solvendam et quantitatem, quae post mortem heredibus obvenire debet.

II. Ut haec proportio determinari queat, attendenda sunt ea omnia de quibus diximus supra (*n.* 1084), dum sermo fuit de censu vitalitio, cui contractus hic similis est, licet ratione inversa procedat.

Igitur habita ratione aetatis assecurati, ejusque sanitatis, stirpis, periculorum (quibus exponatur ratione artis, muneris vel officii), etc., conjiciendus est numerus annorum, quibus probabiliter ipse adhuc sit victurus, et talis pensio statuenda erit, ut in fine vitae sic probabiliter conjectae summa pensionum solvendarum cum reditibus aequet capitale ab assecuratore solvendum.

Unde si assecuratus plus vivat, quam probabiliter putabatur, commodum assecurator percipiet; secus vero, si ille praemature decedat.

III. Assecuratus sincere respondere debet interrogationibus assecurantis quoad sanitatem aliaque pericula mortis maturioris. Ille vero qui assecurationem praebet, habere debet unde solvat quantitatem debitam, nec circumvenire potest assecuratum iniquis conditionibus, quas forte hic plene cognoscere nequeat.

Generatim hic contractus semper initur cum societate aliqua assecurationis.

1096. Quaesita. — QUAER. 1.° *An valeat contractus si aliquid ab assecurato fuerit reticitum, quod erat aperiendum, et quaenam sit vis clausulae* **sanatoriae?**

Resp. 1.° *per se* nullus et irritus est hujusmodi contractus quoties sive scienter sive ignoranter reticetur aliquid, quo cognito, contractus initus non fuisset.

Resp. 2.° Attamen inter societates assecurationis plures sunt (v. gr. *El Banco Vitalicio de España*), quae in ipso contractu clausulam sanatoriam includunt, vi cujus, post *quinquennium* a contractu inito, firmum habent contractum, quamvis forte assecuratus eas deceperit in declarationibus praestitis; aliae eamdem firmitatem concedunt post primum annum (v. gr. *La Equitativa de los Estados Unidos*); imo nec desunt, quae firmum jam ab initio volunt haberi contractum (v. gr. *Societas New York*). Igitur his in casibus qui mentitur peccat; sed postquam societas firmum vult haberi contractum, ille ad restitutionem non tenetur. Ita *Lehmk.*, Casus, I, *n.* 919; *Génicot*, I, *n.* 658.

Imo *Noldin*, De praeceptis, *n.* 620, ait: «Validus censeri debet contractus, si defectus notabilis sanitatis tum assecurandum tum medicum latebat: pericula enim vitae, quae ex causis omnino ignotis oriuntur, societas in se suscipere debet.»

QUAER. 2.° *Quid sit clausula* **poenalis**, *et quousque licita esse possit?*

Resp. 1.° Praeter clausulam sanatoriam, solet esse alia poenalis in ipsa *poli* (*póliza*), vi cujus, si fraus deprehendatur ante tempus pro sanatione statutum, contractus habetur nullus, et assecuratus amittet omnes pensiones jam solutas, easque sibi adjudicat societas.

Resp. 2.° Ut haec clausula justa sit, opus est ut poena non imponatur nisi illi, qui *fraudulenter* celavit rem magni momenti. Non autem *a*) si ex oblivione omiserit rem gravem; nec *b*) si res non manifestata sit levis momenti pro contractu ineundo; at etiam in utroque hoc casu licite poterit societas rescindere contractum, ita ut restituat pensiones, praeter id quod requiratur ad indemnitatem pro expensis factis.

QUAER. 3.° *Ad quid teneatur medicus in hujusmodi contractibus, et quid si assecuratus medicum corrumpat.*

Resp. 1.° Communiter similes contractus non perficiuntur nisi postquam medicus, nomine et expensis societatis, assecurandum examinet, et de illius valetudine testimonium dicat. Igitur medicus tenetur de damnis erga societatem, si falsum testimonium dixerit, vel non examinet clientem, etc.

Resp. 2.° Quod si assecuratus medicum corrumpat, tenetur ille etiam de damnis erga societatem; et, ut videtur, contractus in hoc casu non convalidatur neque per clausulam illam sanatoriam post annum, vel quinquennium, etc.

QUAER. 4.° *An et quaenam sit obligatio restitutionis, quando aliquid ab assecurato culpabiliter reticitum est, et contractus lapsu temporis per clausulam sanatoriam non est firmatus?*

Resp. Disting. Si a societate nullitas invocetur, post sententiam judicis nullitati standum erit. Si non invocetur, stare poterit quis

validitati, cum onere tamen reparandi damna societati *efficaciter* illata. Quare si mors revera praematura contingat propter causam celatam, pensiones augendae sunt in ea mensura juxta quam initus esset contractus, si causa illa manifestata fuisset. Si vero circumstantia celata nullo modo in mortem de facto influxerit, nullum damnum erit reparandum. Ita *Lehmk.*, Casus, I, *n.* 922.

Attamen *P. Génicot* contractum dicit esse omnino nullum et irritum, quoties, sive bona sive mala fide, reticita circumstantia fuerit, qua notabiliter minuatur probabilitas vitae assecurandae: hoc enim in casu dicit adesse errorem substantialem, quia assecurator, veritate cognita, contractum inire noluisset. Quare, juxta ipsum, heredes capitale acceptum societati restituere debent, detractis pensionibus solutis: imo etiam societatem indemnem servare debent pro expensis factis in contractu ineundo, si mala fides intercesserit. Si vero circumstantia quae reticetur non ita graviter in sanitatem influat, dicit validum haberi posse contractum, ita tamen ut pensiones occulte augeantur pro mensura, qua a societate auctae fuissent, si cognita illa circumstantia fuerit; et hoc quamvis de facto in mortem talis circumstantia non influxerit.

Sententia *P. Génicot*, conformior videtur doctrinae generali de contractibus; attamen in subjecta materia non apparet improbabilis sententia *P. Lehmk.*; non solum quia societas per examen a medico institutum non parum securitatis capere potest, sed maxime quia reservat sibi jus puniendi fraudem detectam, tam rescindendo contractum, quam adjudicando sibi pensiones jam solutas; unde videtur quod alia pars poterit etiam, quasi in compensationem, habere commodum quod ex firmitate contractus illi assignat *P. Lehmk.* Igitur, si probabiliter potest sustineri firmitas contractus, quamvis subjecta rescissioni, non adest obligatio restitutionis, nisi pro damno de facto *efficaciter* illato. — V. **Casus**, *n.* 1014 *a*, *seq.*

ARTICULUS II

DE SPONSIONE

(Cfr. **hisp.-ph.**, 1798-1801; **bras.**, 1477 *seq.*)

Sponsio est contractus quo plures, de veritate aut de eventu rei alicujus contendentes, aliquid *sibi invicem spondent*, vel apud *aliquem deponunt*, ut sit ejus qui *verum dixerit.*

1097. **Quaesita**. — Quaer. 1.° *An contractus sponsionis sit licitus?*

Resp. Affirm., positis ponendis; nihil enim inhonesti prae se fert. *S. Alph.*, *n.* 869, *et alii communiter.*

QUAER. 2.° *Quaenam sint conditiones, ut sponsio sit licita?*

Resp. 1.ª Ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; 2.ª ut sit animus se obligandi, et solvendi quod spondetur; 3.ª ut eventus sit utrique incertus. — *V.* **Casus,** *n.* 1017. Cfr. dicenda *n.* 1104.

ARTICULUS III

DE SORTITIONE, SEU LOTERIA

Loteria est contractus quo plures aliquid deponunt in commune, ut jus habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Quidam totum, quidam partem, quidam denique nihil habent.

1098. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An loteria sit contractus licitus?*

Resp. Affirm., dummodo adsint requisitae conditiones. Ratio est, quia loteria spectari potest ut emptio rei incertae, seu ut contractus, quo pecunia emitur jus sortiendi et acquirendi id quod per sortem acciderit. Porro licet emere rem incertam, sicut pro rei alicujus periculo pacisci.

QUAER. 2.° *Quaenam sint conditiones requisitae, ut loteria fiat contractus in se licitus?*

Resp. Sunt: 1.ª ut nulla sit fraus in schedulis educendis nec in solvendo praemio quod obtigerit; 2.ª ut dominus loteriae in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret. Attamen majus potest esse lucrum, si in bonum opus vel utilitatem publicam instituta sit loteria. *Ita communiter.*

ARTICULUS IV

DE LUDO

(Cfr. **hisp.-ph.**, 1798-1801; **bras.**, 1477 *seq.*).

1099. — *Ludus* est contractus quo ludentes inter se *paciscuntur*, ut *victori cedat pretium* quod exposuerunt. — Triplex est ludus: 1.° *industrialis*, qui potissimum regitur industria ludentium, ut ludus pilae et discorum; 2.° *aleatorius*, qui praecipue pendet a casu; 3.° *mixtus*, qui partim ab industria, partim etiam a casu pendet, ut v. gr. ludus chartarum, saltem plerumque.

1100. **Quaesita.** — QUAER. 1.° *An licita sit omnis species ludi recensita?*

Resp. Nullus ex tribus praefatis ludis ex se illicitus est, si ser-

ventur conditiones debitae. Ratio est, quia ludus *per se:* 1.° non repugnat moribus, cum sit honesta recreatio: 2.° nec justitiae, cum quivis possit bonorum suorum dominium transferre, cui et quomodo voluerit.

Olim ludi aleatorii jure canonico omnibus, praesertim clericis, prohibebantur; sed hae leges quoad laicos et etiam quoad clericos in desuetudinem fere abierunt.

1101. — QUAER. 2.° *Quaenam sint conditiones requisitae, ut ludus sit licitus?*

Resp. Requiritur 1.° ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem; 2.° ut a ludo exsulent fraus et dolus; 3.° ut utrinque moraliter aequale sit perdendi periculum; 4.° ut ludus sit honestus in se, nec lege prohibitus; 5.° ut absit coactio qua ad ludendum quis inducatur; 6.° ut non exponatur ingens summa, adeo ut familia et creditores inde damnum pati possint.

1102. — QUAER. 3.° *An teneatur restituere victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut certo praesciat se victorem fore?*

Resp. Affirm., multo *probabilius;* quia deest aequalitas inter ludentes requisita, et proinde justitia laeditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. *Ita communius* contra *nonnullos.*

Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam quando adversarius sufficienter praemonitus, nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc nulla deceptio intercessisset.

1103. — QUAER. 4.° *An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus?*

Resp. ad 1.um *Neg.*, quia contractus non declaratur a lege *irritus*, sed tantum *illicitus. S. Alph., n.* 887; *Antoine, c.* 11, *q.* 5; *Lugo, d.* 31, *n.* 60; *Lacroix, n.* 1086, *et alii communiter.*

Resp. ad 2.um *Controvertitur.* I.ª SENTENTIA *negat;* quia lex talem ludum prohibendo, videtur ipso facto obligationem naturalem solvendi in poenam victoris sustulisse. *Ita Lugo, d.* 22, *n.* 300; *Salmant.*, 4, *n.* 62. Jure **lusit**., 1542, victus solvere non debet; sed si solvit, generatim solutum repetere non potest.

II.ª SENTENTIA *affirmat;* quia contractus fuit jure naturali validus, et proinde victus huic stare debet, donec judicialiter restitutionem petat.

Utraque sententia probabilis videtur. Primam tamen *probabiliorem* dicit *S. Alph., n.* 890.

1104. — QUAER. 5.° *An sit validus ludus, si magna pecuniae summa una vice exponatur?*

Resp. Affirm. per se, probabilius, si conditiones requisitae serventur, id est praesertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiae, creditorum, etc...;

quia ludentes aeque periculum subeunt scientes et volentes, ac proinde nulla est injustitia. Sed facile deficiunt praefatae conditiones; et aliunde etiamsi talis ludus non esset contra justitiam, saltem honestati adversatur; unde prudens confessarius per modum satisfactionis injungere, si opportunum videatur, posset poenitenti victori ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. *Antoine, c.* 11, *q.* 5; *Bouvier; Gousset, n.* 889.

Attamen, cum haec sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali Poenitentiae illi, qui nollent solvere magnam summam quam amisissent. *Ita recte Gousset, ibid.*

Ex *C. C.* **hisp.-ph.**, judex potest rejicere petitionem qua compellitur debitor ad solvendam quantitatem amissam in sponsione vel in ludo licito, si haec quantitas fuerit excessiva; vel poterit etiam quantitatem solvendam imminuere quatenus excedat usum boni patrisfamilias (*a.* 1801).

1105. *Conclusio.* — Licet ludus plerumque sit in se licitus et honestae recreationi inserviat, debita moderatio in ejus usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobat quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot, enim, heu! cernuntur miserrimi juvenes, necnon cujuslibet conditionis homines, qui ludo dediti jacturam integrae fortunae paucis diebus vel horis faciunt, familiam aerumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus parochi et confessarii, ut subditos et poenitentes ab hujusmodi ludendi furore avertant, atque solliciti sint ne obtemperare renuentes ad sacramenta admittant. — Sic recte concludit *Gousset, n.* 891. — V. **Casus**, *n.* 1021 *et seq.*

ARTICULUS V

DE OPERATIONIBUS BURSAE

1106. — Operationes seu speculationes BURSAE dicuntur contractus *negotiatorii* vel *mercatorii* qui in *bursa*, seu mercatu *valorum mobilium*, peraguntur interveniente generatim publico mediatore seu agente cambii vel commercii (*agente de cambio y Bolsa, corredor de comercio*, etc. Cfr. *Cod. commerc., a.* 88; *Reglam. de la Bolsa*, 31 *dic.* 1885, *aa.* 36-39). Appellantur etiam *ludi* aliquae operationes bursae, illae scilicet, quae sponsioni vel contractui vere aleatorio aequivalent.

1107. Quaesita. — QUAER. 1.° *Quaenam sint hujusmodi operationes, et an licitae haberi debeant?*

Resp. Longissimum esset singulas enumerare ac describere; de simplicioribus dicemus, ad quas tamen reliquae reducuntur.

1.° Emuntur numerata pecunia valores qui creditum repraesentant, v. gr. tituli debiti publici, *actiones* vel *obligationes* societatis industrialis, vel commercialis, etc., vel *a*) ut titulos quis sibi servet et ex ipsis reditus annuos percipere possit; vel etiam *b*) ut titulorum pretio crescente, iterum numerata pecunia eos vendat. Hujusmodi operationes licitas *per se* hodie esse, nemo est qui non videat.

2.° Emuntur *valores* pretio quo nunc aestimantur, sed tituli hujusmodi tradendi non sunt nisi statuta ex contractu die, v. gr. prima die mensis sequentis (quae *liquidationis* vocari solet), et tunc etiam pretium conventum solvendum erit. Hujusmodi contractus dicuntur *ad terminum* (*a plazo*). Hanc operationem quis intendere potest multiplici ex fine: *a*) Quia vult emere titulos ad obtinendos annuos eorum reditus, et cum ex una parte usque ad finem mensis pecuniam in promptu non sit habiturus, et ex alia timeat ne pretium titulorum augeatur pro illa die, vult nunc emere, modo praedicto, ut sibi consulat. Unde si statuto die valor titulorum creverit, commodum emptor reportabit; si vero decreverit, tunc venditor lucratur. Igitur cum utrinque tum pro emptore tum pro creditore aequale sit periculum, *per se* licitae sunt hae operationes.

b) Quia vult lucrum obtinere, titulos iterum vendendo numerata pecunia illo ipso liquidationis die, in quo sperat pretium titulorum auctum iri. Intendit igitur lucrari *differentiam* inter pretium ab ipso solvendum et valorem titulorum. Unde si revera pretium crescat, lucrum obtinebit, secus detrimentum sentiet: contrarium, ut patet, venditori eveniet. — Parum refert utrum *reales* operationes peragat, vel jam, e contra, cum venditore statuat neque titulos neque pretium esse tradenda, sed solas differentias, quo in casu operatio dicitur manifesta (hisp. *al descubierto o por diferencias*). — Nec interest utrum venditor titulos, et emptor pretium sufficiens, in die statuto sint habituri, necne; sufficit si habeant vel sint habituri necessaria ad solvendas *differentias*. — Haec operatio est aleatoria, cum sponsioni aequivaleat. De ipsa igitur, sicut de contractibus aleatoriis, judicandum erit. Vide dicta *nn.* 1097, 1100-1105.

Qui *emit*, credita pecunia, sperans die liquidationis pretium auctum iri et ita lucrum reportare, dicitur ludere ad *elationem (jugar a la alza)*; e contra qui ad creditum *vendit*, quia sperat die liquidationis pretium imminutum iri, dicitur ludere *ad depressionem (jugar a la baja)*.

3.° *a*) Quum operationes fiunt ad terminum, aut nulli licet a contractu recedere, et tunc vocantur ad terminum *fixum*; aut conceditur emptori facultas vel exigendi contractus exsecutionem, vel contractum rescindendi statuto die, v. gr. pridie liquidationis: quod si rescindat, relinquere venditori debet pro hac libertate,

quae, ut patet, pretio aestimabilis est, summam quamdam in pactum ab initio deductam, quae vocatur praemium seu *prima*. Contractus in hoc casu dicitur ad terminum *liberum*, vel ad *praemium (operación a prima para el tomador)*.—Non semel similis facultas (in bursa barcinonensi) venditori conceditur cum obligatione praemium emptori relinquendi (*operación a prima para el cedente*). — Hic modus contrahendi etiam licitus erit, si praemium libertati respondeat: respondere communiter solet quum legitime in bursa definiatur, habita ratione concursus vendentium et ementium.

b) Aliquando (v. gr. in bursa barcinonensi) ab initio *venditori* traditur quaedam pecuniae summa (*prima abandonada*), quam ipse statim facit suam; sed emptor jus sibi reservat vel exigendi contractus exsecutionem quocumque die usque ad terminum conventum, v. gr. usque ad primum diem sequentis mensis, vel contractum rescindendi.

In hisce casibus *a*) et *b*), qui se obligat ad solvendum praemium, nihil ultra praemium conventum amittere potest, quum tamen lucrum indefinitum possit obtinere. Compars, e contra, nihil ultra praemium obtinebit, quum tamen se exponat periculo indefinitum detrimentum sentiendi.

N. B. Sicut pretium valorum majus esse solet pro operationibus ad terminum, quam pro his quae peraguntur soluta statim pecunia; ita etiam adhuc majus solet esse pro operationibus ad *praemium*, et eo majus, quo praemium sit minus. Sic ex. gr., si pretium numerata statim pecunia sit 70 %, pro operationibus ad primum diem sequentis mensis forte sit 70'50 %; et pro operationibus ad praemium poterit esse: 70'75 %, si praemium sit 1 % (70'75 cum 1); 71 %, si praemium conventum sit 0'50 %; et 71'20 %, si praemium sit 0'25 %.

4.° *a*) Titius Cajo vendit titulos numerata pecunia, quos ipsi tradit; sed illos iterum a Cajo statim emit ad creditum, ita ut in die liquidationis, v. gr. prima die sequentis mensis, Cajus titulos Titio tradat et hic illi pretium solvat. Fieri potest (et communiter fit), ut pretium solvendum a Titio die liquidationis, majus sit pretio a Titio accepto die operationis, et tunc haec operatio, specie saltem externa, aequivalet mutuo, in quo Titius mutuatarius Cajo mutuatori in pignus dat titulos, et se obligat ad solvendum quasi pro usura differentiam inter pretium perceptum a Cajo, et pretium Cajo solvendum.—Haec differentia in casu appellari solet voce gallica *report*. — Similes operationes perfici solent quum pauci sunt qui titulos emere volunt, *multi* vero qui eos *vendere* exoptant.

b) Fieri etiam potest ut Titius *emat* titulos a Cajo numerata pecunia, et statim ipsi Cajo titulos vendat ad creditum: tradendos scilicet titulos et accipiendum pretium die liquidationis, ita tamen ut pretium solvendum die liquidationis, *minus* sit pretio hodie numerata pecunia accepto. In hoc casu haec differentia gallice

apellatur *deport*. In hac operatione prima fronte, seu specie saltem externa, Cajus dat veluti in mutuum titulos, et accipit in pignus pecuniam.

Hujusmodi operationes locum habere solent quum *pauci* sunt qui titulos *vendere* volunt, *multi* vero qui eos emere cupiunt.

Utraque operatio sub *a*) et *b*) appellari solet etiam *relatio mercatoria*, *reportus* (*Buccer.*) et gallice *report*, hispanice vero *operación doble*.

1108. — 5.° Occasio operationis sub *n.* 4.° *a*) pro Titio haec esse potest. Titius a Sempronio emit pretio hodie currente ad creditum titulos accipiendos die liquidationis in qua pretium solvendum erit: ludit ad *elationem*, sperans pretium auctum iri tali die: hodie, v. gr. emit hoc pretio 75 %, sperans pretium die liquidationis futurum esse 76 %; si ita esset, lucrum obtineret 1 %; sed spem fefellit eventus, quum die liquidationis pretium sit 74'80 %. Debet igitur pretium 75 % Sempronio tradere, et ab illo accipere titulos valentes hodie 74'80 % tantum. Sed Titius forte nec pecuniam sufficientem nunc habet, et aliunde sperat proxima die liquidationis pretium augeri usque ad 76 %. Igitur titulos a Sempronio acceptos Cajo vendit pretio 74'80 % numerata pecunia, quam tradit Sempronio, supplens tantum id quod deest, 0'20 %; et statim eosdem titulos emit iterum a Cajo, sed ad creditum, ita scilicet ut tituli Titio tradantur die liquidationis, in quo ipse solvat pretium hodie constitutum pro operationibus hujusmodi, v. gr. 75'10 %. Ergo haec differentia inter 74'80 % et 75'10 %, seu 0'30 %, constituit *report* in favorem Caji. Jam vero, si die liquidationis revera pretium attingat 76 %, Titius ex hac operatione obtinebit lucrum 0'90 %, seu differentiam inter pretium Cajo solvendum, 75'10 %, et pretium titulorum in die liquidationis, scilicet, 76 %. Verum si binas operationes simul computas, nempe, alteram cum Sempronio, in qua detrimentum cepit 0'20 %, et alteram cum Cajo, ex qua obtinuit lucrum 0'90 %, lucrum liquidum obtentum a Titio fuit 0'70 %. — V. **Casus,** *vol.* I, *n.* 946 *et seq.*

1109. — Occasio operationis sub *n.* 4.° *b*) erit contraria occasioni superiori; v. gr. Titius Sempronio vendidit pretio hodie currenti (80 %) ad creditum titulos Sempronio tradendos die liquidationis, in quo pretium etiam a Sempronio accipiet. Sperat Titius die liquidationis pretium imminutum iri, v. gr. 70 %: ludit igitur ad depressionem (*juega a la baja*); sed die liquidationis res aliter evenit, et pretium majus est (80'90 %); et nec titulos habet, quos Sempronio tradat, nec forte pecuniam ad ipsos emendos; quum aliunde speret pretium titulorum revera esse imminuendum in proximum liquidationis diem (v. gr. 78'50 %).

Igitur emit a Cajo pretio currenti (80'90 %) titulos Sempronio tradendos, et pretium a Sempronio acceptum, totum Cajo tradit, supplens quod deest (0'90 %).

Tunc iterum Cajo vendit ipsos titulos ad creditum, tradendos scilicet proxima die liquidationis, in qua accipiet pretium quod hodie constituitur (80'10 %).

Haec differentia (0'80 %) inter (80'90 %) pretium hodie a Cajo perceptum et (80'10 %) pretium quod solvere debet die liquidationis, constituit *deport* in favorem Caji. Igitur si die liquidationis revera pretium titulorum imminuatur (v. gr. 79'50 %), tunc lucrabitur Titius (0'60 %) differentiam inter pretium a Cajo perceptum et pretium titulorum quos Cajo tradere debet; unde detrimentum in operatione cum Sempronio expertum ex toto vel ex parte compensetur. (In facta hypothesi lucrum obtentum cum Cajo est 0'60 % detrimentum expertum cum Sempronio 0'90 %. Unde tantum amisit 0'30 %).

1110. — 6.° De liceitate *reportus* vel *deportus* vix est cur dubitetur; quum generatim legitime moderetur publico concursu offerentium et ementium. Quare si pretium titulorum communiter creditur auctum iri pro die liquidationis, tunc datur *reportus*, nempe, pretium quod hodie constituitur esse solvendum die liquidationis pro titulis tunc accipiendis, *majus* est pretio quod hodie solvitur (numerata pecunia) pro titulis qui hodie accipiantur. E contra, si creditur communiter pretium titulorum fore imminutum die liquidationis, datur *deportus*, i. e., pretium quod hodie in pactum deducitur esse solvendum die liquidationis pro titulis tunc accipiendis, erit *minus* pretio quod hodie numerata pecunia solvitur pro titulis hodie acceptis.

Reportus et *deportus* crescunt etiam non semel pro majore vel minore periculo ne altera pars fidem datam non servet. Cfr. dicta *n.* 1055.

Igitur operationes bursae *per se* licitae dicendae sunt, quamvis *per accidens* frequenter illicitae evadant.

1111.—QUAER. 2.° *Quaenam sint causae quae has operationes injustas non semel reddunt?*

Resp. Plures enumerari possunt, sed praecipuas indicamus.

1.ª Sparsis falsis rumoribus, v. gr. imminentis belli, vel pacis restitutae, etc., artificiose pretium valorum imminuitur vel augetur.

2.ª Ad eumdem finem vel *operistitia* (*huelgas*) excitantur vel pretio quaeruntur qui seditiones publicas moveant vel simulent.

3.ª Coëmptis maximo numero his valoribus, eorum pretium, et etiam pretium *deportus* vel *reportus*, quasi per monopolium augetur vel minuitur, ultra vel citra realem valorem.

4.ª Si ineantur operationes ab eo qui non habeat ea quae necessaria sunt ad solvendas probabiles *differentias*.

5.ª Si tantam summam exponas ut periculum subeas amittendi necessaria ad satisfaciendum creditoribus et familiam alendam.

Ex his causis, et praesertim ex tribus prioribus, adest obligatio restitutionis.

N. B. 1.° Moderatores ephemeridum, primae causae cooperatores iniqui esse possunt, nisi cauti sint in hujusmodi nuntiis inserendis.

2.° Monendi sunt *pauperes*, et etiam *mediocriter divites*, ne operationes ineant ad lucrandas differentias neque ad terminum fixum neque ad elationem, neque ad depressionem ad praemium. Etenim communiter viri potentiores media adhibere possunt et adhibent, saltem per monopolium, quibus pretium valorum et etiam *deportus* vel *reportus* augere vel minui faciunt prout ipsis convenit, ita ut pauperes et mediocriter divites frequenter opprimantur remque suam amittant. Quod si aliquando commodum aliquod repor-

tare videantur, id raro accidit, parum durat, et magis speciei quam veritatis habet.

Unde *in praxi* non incongrue has operationes ad lucrandas differentias retia appellabis quibus incauti frequenter a ditissimis illaqueantur et capiuntur.

1112 —Quaer. 3.° *An ille qui scit falsos ab aliis sparsos fuisse rumores, vel simulatas ab aliis esse publicas seditiones, unde pretium valorum artificiose imminutum sit, possit tali imminuto pretio valores emere?*

Resp. Negative, saltem *probabilius*, si id *certo* sciat; sed tenetur emere justo pretio, vel restituere id quod deest ad justum pretium complendum.

«Ratio est, quia pretium non potest esse simul justum et injustum: scilicet, justum pro mercatore qui falsum rumorem non sparsit, et injustum pro alio qui illum diffudit. Porro est injustum respectu mercatoris, qui est causa falsi rumoris; ergo est etiam injustum pro alio quolibet. Et re quidem vera non est pretium involuntarie a vulgo, aut naturaliter a circumstantiis introductum. *Lacroix*, *l.* 3, *p.* 2, *n.* 955; *Reuter*, *n.* 221; *Salmant.*, *Castropalao.*» V. **Casus**, *vol.* 1, *n.* 941; *Génicot*, Casus, *vol.* 1, *pag.* 361, *cas.* 13.

In casu, quamvis id sciat ex secreto commisso, potest illud secretum aperire; imo videtur teneri.

1113. — Quaer. 4.° *An pecent contra justitiam, ideoque restituere teneantur illi qui volunt, vel tenentur, vendere valores hoc ipso die, et tamen propositum vel necessitatem occultant, imo simulant se velle emere, et pretium fortasse augent ut majus et ipsis pretium postea offeratur pro suis valoribus?*

Resp. Videtur respondendum *negative*, quia similes astutiae passim adhibentur et *per se* alios non decipiunt. Videtur huic casui accommodari posse id quod S. Alph., *lib.* 4, *n.* 882, loquens de ludo, scribit: «Non tenetur restituere, qui utitur astutiis illis, quas regulae lusus, et consuetudo recepta patitur, quum uterque sciat tales astutias esse solitas, et sic tacite in illas libere consentiat, v. gr.: 1.° si potiores chartas habens et securus de victoria, augeat sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius augeat; 2.° si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, ut sic relinquatur sibi quod erat appositum, etc.».

Haec intelliguntur dummodo simulantes velle emere, parati sint ad veras emptiones peragendas; non vero si fingant simulatas, quia tunc videtur pretium augeri vel minui falsis nuntiis vel rumoribus.

1114. — Quaer. 5.° *An sit contra justitiam ut ille qui certo scit jamjam promulgandam esse legem ex qua, quum cognita fuerit, pretium valorum multum auctum iri certum est, emat valores pretio nunc currente?*

Resp. Negative, probabilius, cum *Lugone, d.* 26, *nn.* 140-143; *S. Alph.*, l. c., *n.* 924; *Buccer.*, I, 1147. — V. **Casus**, *n.* 90.

Ratio est, quia valores in illo casu pretio justo emuntur; ergo non committitur injustitia: valor enim justus non desumitur ex privata existimatione unius vel alterius, sed ex communi et vulgari. Quum igitur illa futura immutatio adhuc communiter ignoretur, ut supponimus, adhuc durat valor communis antiquus.

Imo et ipsos ministros et senatores posse tali scientia uti in proprium commodum, probat Lugo iis verbis: «quia non apparet cur notitia illa particularis quam habent, non possit illis prodesse ad utiliter contrahendum, sicut notitia aliarum rerum, quam occasione suorum munerum habent, possunt etiam uti ad suum commodum.

»Ratio autem est, quia licet lex communis et aequalis esse debeat, ejus tamen scienta antequam promulgetur non debet esse omnibus communis, sed aliquibus ratione sui muneris potest antea competere.»

Excipiendus tamen est casus, quem, teste Lugone, *omnes* excipiunt, utpote qui sit contra justitiam: nempe, quando Princeps, vel ministri, vel senatores, ex industria, legis promulgationem differrent, donec ipsi vel eorum amici valores emant (vel, in opposita hypothesi, vendant), «quia hoc esset abuti potestate sua in subditorum praejudicium, quod illicitum est. Nam potestas data est illis in bonum commune, non in bonum proprium: quare non possunt potestatem exercere, nisi in bonum subditorum et commune, ad quem solum finem talis potestas ordinatur. Usus autem scientiae non est usus vel exercitium potestatis, sed est actus prudentiae oeconomicae, quae ordinatur ad privata commoda; quare nullus est abusus, quod in ea commoda ordinetur.»

1115. — Quaer. 6.° *An sit contra justitiam obtinere, v. gr. a ministro regio, promissionem justi decreti ferendi* (puta construendae viae ferreae), *ex quo pretium quorumdam valorum* (ex. gr. actionum vel obligationum alicujus societatis pro fodina A vel B) *licite augeatur, et interea emere omnes illos valores* (illas actiones vel obligationes) *pretio quo nunc aestimantur?*

Resp. Negative, quia non est injustum petere justum ac bono publico utile decretum; nec posita cognitione futuri decreti, emere pretio justo currente publicos valores, quamvis postea illorum pretium augeri certo sciatur, ut probatum est in q. praecedenti.

Ex eadem ratione licebit tibi vendere pretio currente *actiones* vel *obligationes*, etc., si scias ex futuro decreto illarum pretium imminuendum esse.

1116. — Quaer. 7.° *An sit contra justitiam in casu valores emere ad terminum, v. gr. ad lucrandas solas differentias?*

Resp. Affirmative, seu esse contra justitiam: nam talis contra-

ctus sponsioni aequivalet; jam vero ut sponsio licita sit, requiritur, ex omnium sententia, ut eventus sit utrique incertus, secus non erit aequalis conditio utriusque, et alter nulli se exponet periculo; atqui in casu adest cognitio *certa*, ut supponitur, *eventus* pro una parte, *qui* ab altera ignoratur; ergo contractus sponsionis est injustus. *Busemb., lib.* 3, *tr.* 5, *c.* 3, *dub.* 13, *et resolv.* 4; *S. Alph., lib.* 4, *n.* 878.

In casu enim, ut ait Lugo, illud quod tu das adversario et pro quo petis ab eo jus ad lucrandas differentias si pretium augeatur, est *jus ad lucrum si pretium imminuatur*. Atqui hoc jus quod alteri das, seu haec spes, quamvis ab alio propter suam ignorantiam magni fiat, nihil valet, sed est quid inane ac falsum, sicut gemma falsa existimata vera. Ergo non acquiris jus ad differentias, quod acquireres concedendo jus verum, sicut non acquireres jus ad pretium magnum pro gemma falsa, quamvis alius propter suum errorem illam magni faciat existimans veram. Cfr. *Lugo*, De just. et jure, *d.* 31, *n.* 83.

Idem videtur dicendum de contractibus *ad praemium*.

1117. — Quaer. 8.° *Quid sit operatio pignorationis seu chartae pignoratae* (pignoración, papel pignorado), *et an licita sit dicenda?*

Resp. 1.° En modus quo operatio chartae pignoratae peragitur: Titius habens 144 000 fr., emit pretio 60 % (1) 240 000 fr. nominales debiti publici 4 %, ex quibus percipit singulis annis 9 600 fr., seu relate ad 144 000, 6'67 %. Hos 240 000 fr. defert ad societatem bancariam, v. gr. ad appellatam *Banco de España*, illosque in pignus dat, petens mutuo 115 200 fr. (2), pro quibus solvere debet 4 %. Cum his emit 192 000 *nominales*, ex quibus relate ad 115 000 percipiet fere 6'67 %, quum ipse non solvat nisi 4 %. Hos 192 000 iterum in pignus dat eidem societati petens mutuo 92 160 fr. cum interesse 4 %, ex quibus ipse emens novos valores percipiet 6'67 %, et ita porro. Unde tandem aliquando ex capitali 144 000 fr., emptos habet 1 200 000 fr. nominales, quorum valor realis est 720 000 fr., ex quibus 576 000 habet mutuos ab illa societate, et pro quibus debet solvere interesse 23 040 fr., id est, 4 %. Jam vero quum ex illis 1 200 000 fr. Titius percipiat 4 %, id est, 48 000 fr., et solvat 23 040 fr., liquidos sibi colligit singulis annis 24 960 fr., pro capitali 143 000 fr., vel quod idem est, percipit interesse 17'40 %.

Multoties non est necesse ut quis omnes istas operationes singillatim peragat, sed potest chartas ita pignoratas ab alio emere. Sic v. gr. Cajus poterit emere a Titio omnia sua jura pretio 144 800 fr., ex qua emptione, nulla alia operatione interposita, acquiret jus percipiendi illos 24 950 fr., seu plus quam 17 %.

Resp. 2.° Quum unaquaeque ex his operationibus licita sit, nihil est cur omnes simul sumptae illicitae dicantur.

Haec tamen operatio potest esse periculosissima pro his qui capitale non habent, quo possint praebere nova pignora. Si enim pretium valorum decrescat, tunc societas bancaria augmentum pignoris exigit, quum jam

---

(1) Hoc pretio, et adhuc minori, emere potuit e. gr. annis 1883-1886.

(2) Haec societas *Banco de España* tantum dat mutuam pecuniam 80 % (4/5) supra valorem *realem* titulorum, quos in pignus accipit.

illud antiquum non sufficiat. Igitur, si Titius aliud capitale non habeat, debet vendere valores illo imminuto pretio, ex quo facile fortunam amittet. Supponamus Titium emisse illos 1 200 000 fr. pretio 60 $^{0}/_{0}$, i. e. 720 000 fr. Si autem cogatur vendere pretio 55 $^{0}/_{0}$, tunc obtinebit tantum 660 000 fr., unde amittet 60 000 fr.

1118. — *N. B.* In casibus in quibus, prout dictum est in hoc articulo (praesertim *nn.* 1111, 1112, 1116), restitutio facienda sit, haec fieri debet juxta principia generalia, ideoque, si illi, qui injuste damnificati sunt, cognoscantur, ipsis restitutio facienda est. Si ignoti omnino maneant, restitutio fieri debet pauperibus vel causis piis. Et restituere debes non modo id, in quo tu injuste factus es ditior, sed etiam damnum praevisum aliis injuste illatum, quamvis tu commodum non reportes. Potest dari obligatio restituendi in solidum, vel pro rata tantum; ut causa principalis, vel ut causa secundaria, etc. Cfr. dicta *nn.* 832-853 (1).

---

(1) Circa doctrinam hujus art. V. cfr. **Casus**, *n.* 946 *seq.*; *Villada*, Casus, *vol.* 2, *n.* 272 *seq.* (ed. 1.ª); *Ball.-Palmieri*, *vol.* 3, *n.* 927 *seq.*; *Génicot*, I, *n.* 664 *seq.*; *Bucceroni*, I, *n.* 1259 (ed. 4.ª); *Antoine*, Cours d'économie sociale, *p.* 2, *c.* 13, *art.* 5; *Deville*, Les opérations de Bourse, *p.* 1, *c.* 5.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

APÉNDICE I

(*al n.* 165).

DE LA PROMULGACIÓN DE LAS LEYES CIVILES EN LA AMÉRICA LATINA

En la República **argentina**

Art. 2.° Las leyes no son obligatorias sino después de su publicación, y desde el día que ellas determinen. Si no designan tiempo, la ley publicada en la capital de la República, o en la capital de la Provincia, es obligatoria desde el día siguiente de su publicación; en los departamentos de campaña, ocho días después de publicada en la capital del Estado o capital de la Provincia (*Buenos Aires,* 1900).

En la República **boliviana**

Art. 1.° Las leyes obligan en todo el territorio boliviano, y serán ejecutadas en cada parte de la República en virtud de su solemne promulgación *(Sucre,* 1890).

En el **Brasil**

Art. 2.° A obrigatoriedade das leis, quando nâo fixem outro prazo, começará no Districto Federal tres dias depois de officialmente publicadas, quinze dias no Estado do Rio de Janeiro, trinta dias nos Estados maritimos e no de Minas Geraes, cem dias nos outros, comprehendidas as circumscripçôes nâo constituidas em Estados.

Paragrapho unico. Nos paizes estrangeiros a obrigatoriedade começará quatro mezes depois de officialmente publicadas na Capital Federal. (Introducçâo). (*Rio de Janeiro,* 1916).

En la República **colombiana**

Art. 11.° La ley es obligatoria y surte sus efectos desde el día que en ella misma se designa, y en todo caso después de su promulgación.

Art. 12.° La promulgación de la ley se hará insertándola en el *Diario oficial,* y enviándola en esta forma a los Estados y a los Territorios.

En la capital de la Unión se entenderá promulgada el día mismo de la inserción de la ley en el periódico oficial: en los Estados y en los Territorios, tres días en la capital y quince días en los distritos o poblaciones de que se compongan, después del recibo de dicho periódico por el Presidente o Gobernador del Estado, o por el Prefecto del Territorio respectivo, a cuyo efecto estos funcionarios harán llevar por su Secretario un Registro especial en que anote el día del recibo de cada número del *Diario Oficial,* dando aviso de ello por el inmediato correo a la Secretaría de lo Interior y Relaciones Exteriores (*Bogotá,* 1895).

En la República **costarricense**

Art. 1.° Las leyes son obligatorias y surten sus efectos en todo el territorio costarricense desde el día que ellas mismas designen; a falta

de designación, diez días después de haberse publicado en el periódico oficial.

Nadie puede alegar ignorancia de la ley debidamente publicada (*San José, Imp. Nacional,* 1887).

En la República chilena

Art. 6.° La ley no obliga sino en virtud de su promulgación por el Presidente de la República, y después de transcurrido el tiempo necesario para que se tenga noticia da ella.

La promulgación deberá hacerse en el periódico oficial; y la fecha de la promulgación será, para los efectos legales de ella, la fecha de dicho periódico.

Art. 7.° En el departamento en que se promulgue la ley, se entenderá que es conocida de todos y se mirará como obligatoria después de seis días contados desde la fecha de la promulgación; y en cualquier otro departamento, después de estos seis días, y uno más por cada veinte kilómetros de distancia entre las cabeceras de ambos departamentos.

Podrá, sin embargo, restringirse o ampliarse este plazo en la ley misma, designándose otro especial.

Podrá también ordenarse en ella, en casos especiales, otra forma de promulgación.

Art. 8.° No podrá alegarse ignorancia de la ley por ninguna persona, después del plazo común o especial, sino cuando por algún accidente hayan estado interrumpidas durante dicho plazo las comunicaciones ordinarias entre los dos referidos departamentos.

En este caso dejará de correr el plazo por todo el tiempo que durare la incomunicación (*Códigos chilenos, Leipzig,* 1882. *Edición revisada por el representante de Chile en Francia*).

En la República ecuatoriana

Art. 5.° La ley no obliga sino en virtud de su promulgación por el Presidente de la República, y después de transcurrido el tiempo necesario para que se tenga noticia de ella.

La promulgación de la ley se hará en la capital de la República, por la imprenta, por bando, o en la forma que la misma ley lo prevenga.

Art. 6.° En el cantón a que pertenece la capital de la República, se entenderá que la ley es conocida de todos y será obligatoria después de seis días contados desde la fecha de la promulgación; y en cualquier otro cantón, después de estos seis días y uno más por cada veinte kilómetros de distancia entre las cabeceras de ambos cantones.

Podrá, sin embargo, restringirse o ampliarse este plazo en la misma ley, designando otro especial (*Edición hecha por la Corte suprema de Justicia,* 1889).

En la República de Guatemala

(*Ley de reformas al Código civil*)

Art. 1.° El artículo primero queda modificado así:

Las leyes, reglamentos, circulares, o cualquiera otra disposición de observancia general, emanadas de la autoridad, obligan en virtud de su solemne promulgación, y después de transcurrido el tiempo necesario para que se tenga noticia de ellas. La promulgación debe hacerse en el periódico oficial; la fecha de la promulgación será, para los efectos legales de ella,

la fecha de dicho periódico; y promulgadas las leyes en la residencia del Gobierno, se entenderá que son conocidas de todos los habitantes de la República y se tendrán como obligatorias después de quince días contados desde la fecha de la promulgación.

Este plazo podrá, sin embargo, ser ampliado o restringido en las mismas leyes, designándose otro especial. (*Leyes emitidas por el Gobierno democrático desde* 1.° *de julio de* 1881 *a* 30 *de junio de* 1883. — *Guatemala, Tipografía «El Progreso»*).

En la República mexicana

Art. 2.° Las leyes, reglamentos, circulares o cualesquiera otras disposiciones de observancia general, emanadas de la autoridad, obligan y surten sus efectos desde el día de su promulgación en los lugares en que deba ésta hacerse.

Art. 3.° Si la ley, reglamento, circular o disposición general, fija el día en que debe comenzar a observarse, obliga desde ese día, aunque se haya publicado antes.

Art. 4.° Para que se reputen promulgados y obligatorios la ley, reglamento, circular o disposición general, en los lugares en que no reside la autoridad que hace la promulgación, se computará el tiempo a razón de un día por cada veinte kilómetros de distancia; si hubiese fracción que exceda de la mitad de la distancia indicada, se computará un día más (*México,* 1901).

En la República de Nicaragua

Art. 6.° La ley no obliga sino en virtud de su formal promulgación, y después de transcurrido el tiempo necesario para que se tenga noticia de ella.

La promulgación de la ley deberá hacerse por bando en todos los pueblos, y la fecha de la promulgación en la cabecera de los Departamentos servirá para los efectos legales.

Art. 7.° Promulgada la ley en la cabecera de los Departamentos, se entenderá que es conocida de todos, y se tendrá como obligatoria en dichos Departamentos después de diez días contados desde la fecha de la promulgación.

La promulgación de la ley en los Departamentos se registrará por el Prefecto respectivo en los libros que llevará al efecto.

Podrá restringirse o ampliarse en la ley misma el plazo de que habla este artículo.

Podrá también ordenarse en ella, en casos especiales, otra forma de promulgación.

Art. 8.° No podrá alegarse ignorancia de la ley por ninguna persona después del plazo común o especial, sino cuando por algún accidente hayan estado interrumpidas, durante dicho plazo, las comunicaciones ordinarias entre el Departamento de la publicación y alguno de sus pueblos.

En este caso dejará de correr el plazo por todo el tiempo que dure la incomunicación (*Managua,* 1871).

En la República del Perú

Tít. preliminar. — Art. 1.° Las leyes obligan en todo el territorio de la República después de su promulgación.

En la República de **San Salvador**

Art. 6.° La ley obliga en el territorio de la República en virtud de su solemne promulgación, y después de transcurrido el tiempo necesario para que se tenga noticia de ella.

La promulgación deberá hacerse en el periódico oficial, y la fecha de la promulgación será, para los efectos legales de ella, la fecha de dicho periódico.

Art. 7.° Promulgada la ley en la Residencia del Gobierno, se entenderá que es conocida de todos los habitantes de la República, y se mirará como obligatoria después de doce días contados desde la fecha de su promulgación.

Podrá, sin embargo, restringirse o ampliarse este plazo en la ley misma, designándose otro especial.

Art. 8.° No podrá alegarse ignorancia de la ley por ninguna persona después del plazo común o especial, sino cuando por algún accidente grave hayan estado interrumpidas durante dicho plazo las comunicaciones ordinarias entre el lugar de la Residencia del Gobierno y el Departamento en que debe regir.

En este caso dejará de correr el plazo por todo el tiempo que durare la incomunicación (*San Salvador,* 1893).

En la República **uruguaya**

Art. 1.° Las leyes sólo son obligatorias en virtud de su promulgación por el Poder Ejecutivo.

El Poder Ejecutivo determinará la forma de la promulgación; y desde que ésta pueda saberse, las leyes serán ejecutadas en todo el territorio de la República.

La promulgación se reputará sabida diez días después de verificada en la capital (*Montevideo,* 1894).

En la República **venezolana**

Art. 1.° La ley no es obligatoria antes de ser promulgada (*Edición oficial,* 1896).

APÉNDICE II

MOTU PROPRIO

COMMISSIO INSTITUITUR AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

BENEDICTUS PP. XV

Cum juris canonici Codicem, fel. rec. decessoris Nostri Pii X jussu digestum, non multo ante, exspectationem totius catholici orbis explentes, promulgaverimus, Ecclesiae bonum ipsiusque natura rei profecto postulant

ut, quantum fieri potest, caveamus, ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et conjecturis, aut crebra novarum legum varietate, tanti operis stabilitas in discrimen aliquando vocetur. Quapropter propositum Nobis est utrique incommodo occurrere; quod ut efficiamus, Motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostra, haec quae infra scripta sunt statuimus atque decernimus:

I. Exemplum decessorum Nostrorum secuti, qui decretorum Concilii Tridentini interpretationem proprio Patrum Cardinalium coetui commiserunt, Consilium seu *Commissionem,* uti vocant, constituimus, cui uni jus erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra ea Congregatione cujus propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. Idem vero Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praesit, Auctoritate Nostra et successorum Nostrorum deligendis; his accedent tum vir probatus, qui sacri Consilii erit ab Actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero iuris canonici periti, eadem Auctoritate designandi; sed Consilio jus erit Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

II. Sacrae Romanae Congregationes *nova Decreta Generalia* jamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones,* si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis majorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Ejusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

III. Si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de ejusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice adprobatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cujus erit, ad Decreti sententiam, canonem vel canones redigere. Si decretum e praescripto Codicis discrepet, Consilium indicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis, ter,* etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia, statim post Sacrae Congregationis Decretum, in *Acta Apostolicae Sedis* referantur.

Quae Nobis videmur utiliter in hac causa decrevisse, ea omnia et singula, uti decreta sunt, ita rata et firma esse et manere volumus ac jubemus; contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xv mensis septembris anno MCMXVII, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTUS PP. XV

APÉNDICE III

ALGUNAS NOTAS SOBRE DERECHO FORAL (1) ESPAÑOL TOMADAS EN SU MAYOR PARTE DE LAS ANTIGUAS EDICIONES ESPAÑOLAS DE GURY

N.º 683.

Por derecho canónico es válida la enajenación de los inmuebles dotales inestimados hecha por el marido con licencia jurada de la mujer; y esto mismo viene consignado en el *cap.* 10, *tít.* 13, *lib.* 1.º, *vol.* II, *de las Const. de Catal.*

En **Cataluña** puede la mujer pedir también la restitución de la dote, si se trabase ejecución de los bienes de su marido; en cuyo caso tiene derecho de elegir los muebles e inmuebles necesarios. Este privilegio es conocido con el nombre de opción dotal. (*Const.* 1, *tít.* 2, *lib.* 5, *vol.* II; *const.* 3, *tít.* 33, *lib.* 9; *const.* 9, *tít.* 11, *lib.* 7, *vol.* I, *de las Const. de Catal.* — Sentencia del Tribunal Supremo de Justicia de 31 de enero de 1861).

N.º 720.

Los créditos de los abogados, escribanos, notarios y procuradores y de todos los artistas y artesanos por razón de sus oficios, prescriben a los tres años. Los de los farmacéuticos, a los dos años. Los de los criados de ambos sexos prescriben al finir un año desde que el sirviente dejó la casa de su amo. Después del año no se pueden reclamar, si no se presenta documento en que conste el salario debido. Muerto el señor, el criado no puede pedir salario alguno sin que pruebe el convenio que medió respecto al mismo.

N.º 953.

En **Cataluña,** para ordenar un testamento, ya sea abierto, ya cerrado, basta la intervención del notario con *dos* testigos expresamente rogados. Consiste la diferencia en que en el primero el testador declara su voluntad en presencia de los testigos y del notario, quien lo continúa desde luego en su protocolo como los demás instrumentos; al paso que en el segundo se manifiesta la voluntad del testador, la que está consignada reservadamente en un escrito que en presencia de los testigos presenta dentro de una cubierta cerrada al notario, quien lo envuelve en un pliego de papel del sello correspondiente, en el que extiende el acta de su entrega, que firma con el testador y testigos, y lo guarda después en su poder, sin continuarlo en el protocolo hasta que, muerto aquél, se haya abierto judicialmente el testamento en la forma que ordena la ley de enjuiciamiento civil.

En virtud de real provisión de 29 de septiembre de 1736, pueden en **Cataluña** los curas párrocos (y los sacerdotes encargados de las parrorroquias en las ausencias de los párrocos) y sus tenientes (v. gr. ante el vicario que desempeña sus funciones en un pueblo con dependencia del párroco que reside en otro, Sent. Trib. Supr. 8 jun. 1905: *Alcubilla*, Ap. de

(1) Las disposiciones del derecho romano relativas al valor de las pruebas no vigen en Cataluña (ni en las demás regiones forales), sino solamente el Código y la Ley de Enjuiciamiento civil. Sent. Trib. Supr., 4 mayo 1911 (*Alcubilla*, Ap. de 1912, *pag.* 834, *n.* XII).

1905, pág. 620) autorizar testamentos o últimas voluntades, cada uno en su distrito, territorio o feligresía, no habiendo en ellos notario real o numerario, y siendo en el papel sellado que corresponda; y si bien deben los párrocos guardar en sus respectivos archivos los testamentos que autorizan por falta de notario, no pueden, sin embargo, sacar copias o traslados de los mismos, sino que deben permitir que los saquen los notarios que al efecto elijan las personas a cuya instancia se haga la saca, pagando éstas a dichos curas los derechos correspondientes (1).

En los testamentos, así nuncupativos como cerrados, son necesarias la institución de heredero y la unidad de contexto, es decir, que el acto se verifique en un solo tiempo y lugar, sin otra interrupción que la que exijan el cuidado o necesidades del testador y testigos, y sin celebrarse actos jurídicos extraños; no pudiendo los testigos separarse del acto hasta su conclusión, ni permanecer allí contra su voluntad, debiendo finalmente ver la cara al testador y oirle.

En la otorgación de los testamentos o codicilos por falta de notario, los párrocos y sus tenientes hacen las veces de notario, y por consiguiente deben cumplir los deberes de este cargo.

---

(1) Véase el *Boletín eclesiástico* de Urgel de 30 de diciembre de 1903, *n.* 22, *pág.* 402, donde el Decano del Colegio notarial de la provincia de Lérida dice en atenta comunicación dirigida al Prelado con fecha de 14 de diciembre del mismo año:

«1.° Que en las comunicaciones que (los reverendos curas párrocos) remitan a este Decanato referentes a los actos de última voluntad consignen todos los datos que determina el art. 4.° del Real Decreto (de 27 de septiembre de 1899). — 2.° Que bajo ningún concepto expresen en dichas comunicaciones disposición alguna de las contenidas en los testamentos o codicilos a que aquéllos se refieran. — 3.° Que ejerciendo funciones notariales los señores curas párrocos al autorizar testamentos y codicilos, además de sus derechos por la autorización deben percibir de los otorgantes una peseta, de cuya suma les servirá la mitad (0'50) por los derechos que devenguen por la nota de haber remitido la comunicación que han de poner al margen del respectivo instrumento, y la restante mitad habrán de ingresarla en la Tesorería de este Colegio notarial, para sufragar, en cuanto sea necesario, los gastos del expresado Registro, con arreglo al art. 8.° del mencionado Real Decreto, como así lo ordenó el Excmo. Sr. Arzobispo de Tarragona en su circular a los párrocos de su Diócesis de 30 de abril último. — 4.° Y que por los delegados de la Junta Directiva de este Colegio en el distrito o partido judicial en que radiquen las parroquias, o por el Notario residente en la población más próxima a la parroquia, se les facilitarán impresos de partes de última voluntad, y los sellos especiales de importe cincuenta céntimos que deberán los señores párrocos adherir a cada parte o comunicación, en representación de igual suma que ha de ingresar en la Tesorería del Colegio para los efectos expresados.»

El art. 4.° del R. D. de 27 de septiembre de 1899, a que se refiere la presente comunicación, dice lo siguiente (Cfr. *Alcubilla*, Ap. de 1899, *pág.* 480):

«Art. 4.° Desde 1.° de enero de 1900, se llevará el Registro de actos de última voluntad, en tarjetas, en que se consignarán los nombres y apellidos de los otorgantes, su estado, su naturaleza y vecindad, nombre de los padres, nombre y apellido del Notario o funcionario que haya autorizado o protocolizado el acto de última voluntad, o Juez o Tribunal que haya dictado la ejecutoria, población en que tenga lugar, fecha y clase del acto de última voluntad.»

N. B. La R. O. de 29 de abril de 1909 que aumenta los derechos a que se refiere el apartado 2.°, ha sido derogada por otra de 22 de dic. de 1911.

Véase el Boletín de Urgel de 1905, *págs.* 218, 219, y *Alcubilla*, Apéndice de 1911, *pág.* 923; *Mach-Ferreres*, Tesoro del Sacerdote, *nn.* 542, 790, edic. 14.ª.

No olviden que nada absolutamente puede escribirse en el testamento fuera de la presencia del testador y de los testigos, o sea fuera del acto de la recepción; que debe procurarse que éstos firmen también el testamento delante del testador, y que cuando éste no sabe o no puede firmar, debe verificarlo por él y a su ruego uno de los testigos, expresándolo en esta conformidad, y añadiendo este testigo que también firma por sí como tal testigo.

Los testamentos deben estar encuadernados en un libro, cosidos y no sueltos, y además numerados. No deben permitir en manera alguna que los testamentos salgan del archivo parroquial; los notarios tienen el deber de trasladarse al mismo.

En **Aragón** es válido y firme el testamento otorgado ante el párroco y dos testigos, en defecto de notario o por no poderse aguardar en su ausencia, atendida la gravedad de la dolencia del testador. Si por falta de notario tampoco se hallasen dos testigos en poblado, son suficientes el párroco y un vecino para la validez del testamento, y si no hubiere vecinos, en este caso el párroco y una mujer de buena fama, y si el testamento se hiciere en despoblado donde no hubiere testigos, podrán serlo los menores de siete o más años.

Mas para la validez de este testamento es necesaria la *adveración* en escritura pública, o sea por medio de la confirmación solemne del testamento ante el juez en la puerta de la iglesia por el párroco que lo autorizó y los testigos que intervinieron en su otorgamiento. Por real orden de 4 de febrero de 1867, se mandaron observar ciertas reglas en la adveración de los testamentos otorgados en Aragón ante el párroco y dos testigos a falta de notario.

Llamamos la atención de los párrocos a que guarden bien lo prescrito para autorizar testamentos, por los graves perjuicios que podrían ocasionar.

Los testamentos otorgados por los ciudadanos de *Barcelona* son válidos aunque no contengan institución de heredero, y aun cuando se hayan preterido o desheredado los hijos o descendientes. Estos tendrán, sin embargo, derecho para pedir su legítima.

Igualmente son válidos los testamentos llamados *sacramentales,* que otorgan los ciudadanos de *Barcelona,* manifestando su voluntad con palabras claras y precisas en presencia de testigos, cuando no hay lugar a duda de haber tenido ánimo deliberado de testar, siempre que los testigos, dentro de seis meses desde que estuvieren en Barcelona, declaren mediante juramento en el altar de San Félix mártir (hoy de Santa Cruz), en la iglesia de los Santos Justo y Pastor, y ante el juez, un notario y otras personas, la voluntad del difunto, que deberá protocolizarse. (*Const. Cat., l. unic., tít.* 1, *lib.* 6, *vol.* II; *lib.* 1, *tít.* 13, *vol.* II, *Recogn. procer., cap.* 48).

También en *Gerona* existen los testamentos *sacramentales.*

N.º 968.

Los ciegos sólo pueden testar nuncupativamente según la legislación española. En **Cataluña** rige la ley del código romano que se cita en el texto, siendo necesaria por lo mismo la intervención de *siete* testigos y del *notario* para esta clase de testamentos.

N.º 969.

En **Cataluña** se considera como viable todo el que nace vivo, aunque muera inmediatamente, con tal que no sea monstruo. En **Navarra** se requiere que viva doce horas separado del seno materno y sea bautizado. — Cfr. *Huguet,* El Abogado popular, *n.* 740.

N.º 982.

Para la otorgación de los codicilos en **Cataluña** rige el derecho romano, excepto en cuanto al número de testigos; pues si para los testamentos bastan dos, con mayor razón este número es suficiente en los codicilos, en los que sólo intervienen para prueba del acto.

N.º 991.

En consideración a que en **Cataluña** y en otras provincias están facultados los curas párrocos y sus tenientes para autorizar dentro de su parroquia o feligresía actos de última voluntad, es conveniente dar una idea más amplia de las sustituciones tan comunes en estos países.

Tanto por derecho español como catalán, hay seis clases de sustituciones: *vulgar, pupilar, ejemplar, brevílocua* o *recíproca, compendiosa* y *fideicomisaria*. Las tres primeras y la última se llaman simples, y las otras dos compuestas. Cuando se establece una serie de sustituciones, se aplica el principio de que *el sustituto del sustituto es también sustituto del sustituido*.

La sustitución *vulgar* es la definida por el autor como *directa*. Es *expresa* o *tácita*.

Las formas de la *vulgar expresa* son tres: 1.ª Instituyo heredero a Juan, y si no lo fuere porque no quisiere, o no pudiere, le sustituyo a Pedro. 2.ª Instituyo heredero a Juan, y si no lo fuere porque no quisiere (o bien porque no pudiere), le sustituyo a Pedro (en esta fórmula la expresión de un caso solamente, sea el de voluntad o el de impotencia, comprende también el otro). 3.º Instituyo heredero a Juan, y si no lo fuere, le sustituyo a Pedro (1). Estas tres fórmulas producen unos mismos efectos (*a.* 774).

Sustitución *pupilar* es la que hace el padre a sus hijos impúberes constituídos bajo su potestad, para el caso de que mueran en la impubertad. Su fórmula es la siguiente: Instituyo heredero a mi hijo José, y si siéndolo falleciere en la edad pupilar, le sustituyo a Luis (*a.* 775).

La sustitución *ejemplar* es la que hacen el padre o la madre y demás descendientes, a sus hijos o descendientes locos o dementes, para el caso de que fallezcan en aquel estado (*a.* 776). Por ejemplo: Instituyo heredero a Narciso mi hijo demente, y si muriere antes de volver a su acuerdo, sea mi heredero Joaquín. Es de advertir que al ordenarse esta sustitución, deben ser nombrados sustitutos los hijos del loco; si no los hay, sus hermanos, luego el padre sobreviviente, y en último lugar los extraños. Por derecho español sólo será válida cuando no perjudique los derechos legitimarios. Lo mismo se entiende en la pupilar.

La *brevílocua* o *recíproca* es aquella con la cual muchos herederos son sustituídos entre sí recíprocamente. Por ejemplo: Instituyo herederos a Antonio y a Francisco, y quiero que el uno suceda al otro (*a.* 778).

---

(1) «Los descendientes de uno de los sustitutos pretendieron, a la muerte del heredero instituído, los bienes del causante, que, según el testamento, habían de aplicarse en beneficio de su alma; y desestimada tal pretensión, acudieron al T. S., que **mantiene** la sentencia, siendo ponente D. Octavio Cuartero:

»Considerando... que el sustituto ni física ni legalmente tiene tal personalidad mientras la muerte del sustituído no hace necesaria la sustitución, y, por tanto, el heredero sustituto que premuere al heredero instituído, no puede transmitir a sus hijos o nietos lo que él no pudo adquirir.

»Considerando que en el caso actual toda duda era imposible, porque los sustitutos, nominal y singularmente llamados — sólo en sus personas y sin englobar las de sus descendientes — murieron antes que el instituído, y para ese momento, si llegaba, como llegó, el testador estableció en favor de su alma un legado de todos sus bienes...» (Sent. 11 diciembre 1912. — *Gac.*, 19 octubre 1913, *pág.* 290). *Alcubilla*, Ap. de 1913, *pág.* 832.

La *compendiosa* abraza en pocas palabras muchas sustituciones y muchos tiempos. Por ejemplo: Nombro por mi heredero a Tomás, y faltando éste en cualquier tiempo, le sustituyo a Mariano.

La sustitución *fideicomisaria* universal es aquella con que se señala un sustituto al heredero instituído para después de dada la herencia y llegar un día a verificarse una condición que no puede ser objeto de la *pupilar* o *ejemplar*. Sus fórmulas son varias, según el tiempo y condiciones que se establezcan. Instituyo heredero a Pedro, y para después de su muerte, o si muriese sin hijos, o bien si muriese sin hijos que llegasen a la edad de testar, le sustituyo a Agustín.

La sustitución *fiduciaria* o de *confianza* se otorga generalmente cuando el sustituto que ha de gozar de la herencia ha de quedar desconocido para el público. Por ejemplo: Nombro herederos de confianza a Pedro y a Pablo para que dispongan de mi herencia del modo que les tengo confiado de palabra (o por escrito en un papel reservado que hallarán en mi escritorio).

Por derecho español los ascendientes excluyen a todos los colaterales sin distinción; pero por derecho romano, que se observa también en **Cataluña,** si el difunto, además de ascendientes, deja hermanos germanos, esto es, de un mismo padre y de una misma madre, son admitidos juntamente, sucediendo los padres por líneas y los hermanos por cabezas, y también suceden por estirpes o por derecho de representación los hijos que existan de algún hermano carnal premuerto, llevándose entre todos la parte que se habría llevado éste si viviese.

En **Aragón,** la sucesión de los descendientes se rige por el derecho español. No habiendo descendientes, suceden al pariente abintestato en los bienes adquiridos de pariente por sucesión, los consanguíneos más próximos a la línea de donde proceden los bienes; y en los adquiridos por industria o de otro modo que no sea por sucesión, suceden en líneas los parientes de padre y de madre respectivamente más próximos, aunque no estén unos y otros en igual grado. No obstante, si hubiese padres, éstos serían preferidos a los colaterales, por ser parientes más inmediatos que éstos. La sucesión colateral se extiende, sin límite de grado, a los parientes del finado, y se verifica por líneas y por cabezas, excluyendo el más próximo en su línea al más remoto, sin que tenga lugar el derecho de representación. Los padres suceden en los bienes que hubiesen transferido por título gratuíto u oneroso a sus hijos, si éstos mueren en la menor edad o intestados y sin sucesión; e igualmente si el hijo muriese intestado con hijos y éstos fallecieren en la menor edad (que es para ambos sexos hasta los 14 años), y también en los bienes adquiridos por los hijos con su industria, preferentemente a los colaterales, por cabezas cuando no ha de seguirse el sistema de troncalidad, y por líneas cuando éste se observa.

En los fueros de **Aragón** no se hace mérito de la sucesión del cónyuge sobreviviente, porque el viudo o viuda se consideraban suficientemente atendidos con el usufructo foral, conocido con el nombre de viudedad.

Por último, es de observar que el *Hospital de Nuestra Señora de Gracia en Zaragoza* sucede al enfermo o demente que en él mueren intestados y sin parientes dentro del cuarto grado. Lo propio se verifica en el *Hospital de la Santa Cruz, de Barcelona.*

N.° 1080.

En **Cataluña,** en el censo consignativo que es conocido con el nombre de censal, y se rige casi por las mismas reglas que en Castilla, acostumbra a ponerse el pacto llamado de mejora, esto es, que dentro de algunos años se haya de mejorar por el vendedor la obligación del censal, dando, ya otra hipoteca además de la que suele darse, ya fiadores, o mudándolos, bajo

pena, en caso contrario, de satisfacer una cantidad igual al precio del mismo. Pero este pacto de mejora está prohibido en los censos vitalicios, a fin de evitar la usura que pudiera importar, según así es de ver en la constitución 25, *tít.* 9, *lib.* 7, *vol.* I, del Código municipal.

APÉNDICE IV

(*at n.* 675 *y sigs.*)

DEL DOMINIO DE LOS HIJOS DE FAMILIA EN LA AMÉRICA LATINA

Según los códigos de **Chile,** *aa.* 243-248; **Ecuador,** 237-242; **Nicaragua,** 246-251; **San Salvador,** 290-295, distínguense tres clases de peculio: *a*) *el profesional* o *industrial; b*) el *adventicio extraordinario,* y *c*) el *adventicio ordinario.*

a) El *peculio profesional* está constituído por los bienes que adquiere el hijo en el ejercicio de cualquier empleo, profesión liberal, industrial u oficio mecánico, y equivale al castrense o cuasi-castrense de los romanos. El hijo tiene sobre él, no sólo el dominio, sino también la administración; pero no puede enajenar bienes raíces sin autorización judicial.

b) El peculio *adventicio extraordinario* está formado por los bienes que el hijo adquiere: 1.° por donación, herencia o legado con la condición, impuesta expresamente por el donante o testador, de que el usufructo pertenezca al hijo y no al padre; o 2.° por herencia o legado que ha pasado al hijo por incapacidad, indignidad o desheredación del padre. Sobre estos bienes el hijo tiene siempre el dominio y el usufructo; el padre únicamente sobre los de la primera clase tendrá la administración, a no ser que también ésta se le hubiese quitado por el donante o testador. También el derecho español quita al padre el usufructo y administración de los bienes de esta segunda clase (*aa.* 761, 857, 929, 973).

c) El *adventicio ordinario* (equivale al adventicio de los romanos) se compone de los bienes adquiridos por cualquier otro título. Tiene el padre sobre estos bienes el usufructo y la administración, y el hijo la sola propiedad.

En cuanto a la substancia coinciden con los anteriores los códigos **arg.,** *aa.* 321-324 (287-290), 327-329 (293-295) (pero concede al padre la administración de todos los bienes del hijo); **col.,** *aa.* 291, 294, 295; **ur.,** *aa.* 244, 245. Los dos primeros cuentan también en el peculio adventicio *extraordinario* los bienes adquiridos «por casos fortuitos, como juego, apuesta, etc.» Ni difiere substancialmente el *a.* 287, 6.°, del C. C. de **Guatemala.** Véase también el *a.* 297, y el 92 de la *ley de reformas del C. C.*

El código de **Costa Rica** sólo concede a los padres el derecho de *administración* sobre los bienes del hijo, y aun de ésta los priva con respecto a los bienes adquiridos *a*) por la profesión de letras o artes liberales; *b*) por su trabajo o industria, viviendo fuera de la casa paterna con permiso de sus padres; *c*) por donación, herencia o legado, si así lo disponen el donante o testador (*a.* 132). En cambio concede al padre los honorarios de tutor (*a.* 134).

El código **mexicano** divide los bienes del hijo en seis clases, que pueden reducirse a tres, a saber: bienes que adquiere el hijo *a*) por *donación del padre; b*) por un *trabajo honesto* del mismo hijo; *c*) por cualquier otro

título. En los primeros, toca al hijo la propiedad, y al padre la administración; en cuanto al usufructo, toca al padre señalar al hijo los frutos que quiera, y si no dispone otra cosa, percibirá el hijo la mitad de ellos. En los segundos, toca al hijo la propiedad, el usufructo y la administración. En los terceros, tiene el hijo la propiedad y la mitad del usufructo, y el padre, o quien ejerza la patria potestad, tendrá la administración, y la otra mitad del usufructo (*aa.* 375-378).

N. B. Reconocen la patria potestad en la *madre* los códigos de **Bolivia,** *aa.* 189 y 191 reform. por el 1.° y 2.° de la ley de 28 de octubre de 1890; **bras.,** *a.* 380 *sig.*, 385; **Colombia,** *a.* 53 de la ley 153 de 1887; **Costa Rica,** *aa.* 129, 130; **Ecuador,** *aa.* 234, 258; **Guatemala,** *a.* 290; **Perú,** *a.* 285; **San Salvador,** *a.* 287; **Uruguay,** *a.* 233, y **Venezuela,** *a.* 236.

Niegan la patria potestad a la madre los códigos de **Chile,** *a.* 240, y **Nicaragua,** *a.* 243.

En cambio el de **Méjico** la extiende no sólo a la madre en defecto del padre, sino que a éstos subroga el abuelo paterno; y a éste, el materno; y a éste, la abuela paterna; y a ésta, la materna (*a.* 366).

El Código del **Perú** concede al padre el usufructo de todos los bienes del hijo menor sujeto a patria potestad, menos el de los adquiridos por su trabajo, profesión o industria, ejercidos con consentimiento de los padres, o de los que gane por servicios eclesiásticos, civiles o militares (*a.* 287).

APÉNDICE V

(*al n.* 680 *y sigs.*)

DOMINIO DE LA MUJER CASADA EN LA AMÉRICA LATINA

I. Los códigos *americanos,* lo mismo que el español y casi todos los modernos, se apartan del sistema romano en lo que se refiere a los bienes de la sociedad conyugal. En esta materia han predominado en diferentes tiempos y en diferentes regiones tres sistemas principales:

a) el *romano,* que exigía que la mujer aportase necesariamente su dote al matrimonio, y en cambio le negaba toda participación en los gananciales: este régimen informa la legislación española de *Partidas,* y es el que actualmente vige aún en **Cataluña;**

b) el *germánico,* o sistema de gananciales, que puede estudiarse en el Fuero Juzgo español, obligaba al marido a dotar a la mujer, consideraba a ésta como socia del marido, y partícipe de las ganancias que obtenga la sociedad conyugal;

c) el de la libertad de pactar, vigente desde antiguo en **Aragón** y **Navarra,** concede a los esposos el derecho de establecer las capitulaciones matrimoniales por las que han de regirse sus bienes, sin que la mujer deba necesariamente aportar dote, ni el marido dar arras, ni les sea forzoso formar sociedad de bienes.

Este es el que domina hoy en casi todos los códigos, con algunas variantes más o menos notables. Todos conceden libertad más o menos amplia de pactar; y cuando nada se ha pactado en contra, o en cuanto las capitulaciones no se oponen a ello, la ley los sujeta al régimen de sociedad conyugal o comunidad de bienes, estableciendo reglas que hay que consultar en los códigos respectivos. Aquí sólo apuntaremos los caracteres más notables.

II. El código **bras.,** *aa.* 256-277; el **mex.,** *aa.* 1965, 1976, 1977; el **ur.,** *a.* 1912; el **ven.,** *aa.* 1361, 1362; lo mismo que el español, conceden libertad de pactar hasta una completa separación de bienes.

Los de **Colomb.,** *a.* 1776; **Chile,** *a.* 1720 (1); **Ecuad.,** *a.* 1740; **Nicar.,** *a.* 1720; **S. Salvador.,** *a.* 1706, conceden sólo facultad para una separación parcial. Dice así el *a.* 1720 del C. C. de **Chile,** que es común a los códigos citados: «Se puede estipular en las capitulaciones matrimoniales que la mujer administrará una parte de sus bienes propios con independencia del marido; y en este caso se seguirán las reglas dadas en el tít. VI, § 3.°, del libro primero.

»Se podrá también estipular que la mujer dispondrá libremente de una determinada suma de dinero, o de una determinada pensión periódica, y este pacto surtirá los mismos efectos que la separación parcial de bienes, pero no será lícito a la mujer tomar prestado o comprar al fiado sobre dicha suma o pensión.»

También el de **Guatemala,** *a.* 1183, parece conceder sólo facultad para separación parcial.

El **argent.** solamente permite que la mujer se reserve el derecho de *administrar algún* bien raíz de los que lleva al matrimonio o que adquiera después por título propio (*aa.* 1251, 1260).

III. Los de la **Argent.,** *a.* 1253 (1219); **Bras.,** *aa.* 256-258; **Colomb.,** *aa.* 1778, 1779; **Chile,** *aa.* 1721, 1722; **Ecuador,** *aa.* 1712, 1713; **Nicar.,** *aa.* 1720, 1723; **S. Salvador,** *aa.* 1703, 1709; **Urug.,** *aa.* 1916, 1918, 1919; **Venez.,** *aa.* 1365-1368, lo mismo que el español, no permiten que las capitulaciones matrimoniales se hagan ni se alteren una vez contraído el matrimonio. Los de **México,** *aa.* 1978 *sigs.,* 2072; de **Guatemala,** *aa.* 1186, 1187, y de **Costa Rica,** *a.* 75, autorizan positivamente ambas cosas.

El de **Colombia** establece la sociedad de gananciales (*a.* 971); aunque autoriza a la mujer para renunciar a ella antes o después de contraído el matrimonio (*a.* 975).

Y en todos, como hemos dicho, se establece la sociedad legal, para el caso en que no se pacte en contrario.

IV. El de **México** distingue doble régimen: 1.° el de sociedad conyugal, que puede ser: *a*) voluntaria, *b*) legal; y 2.° el de separación de bienes.

El del **Brasil** distingue cuádruple régimen: 1.° el de comunidad universal de bienes; 2.° el de comunidad parcial; 3.° el de separación de bienes; 4.° el dotal (*aa.* 262 *sig.*; 269 *sig.*; 276 *sig.*; 278 *sig.*).

Ni el Código **argentino,** ni el de **Colombia,** ni el de **Chile,** ni el **ecuatoriano,** ni el de **Nicaragua,** ni el de **S. Salvador,** ni el del **Uruguay** admiten la denominación de bienes *parafernales.* Son *dotales,* según dichos códigos, todos los de la mujer. Véase, por ejemplo, el **argent.,** *aa.* 1277 (1243); **colomb.,** *a.* 1845; **ecuator.,** *a.* 1779, etc.

En el de **México** tiene la dote un carácter bien definido (*aa.* 2119-2218). Allí mismo se declara que la *dote puede* existir tanto en el régimen de separación de bienes como en el de sociedad conyugal (*aa.* 1966 y 2218). A los propios de la mujer que no son dotales los llama parafernales en los *aa.* 1875, fragm. VII, y 1876.

---

(1) Puede consultarse con fruto, en lo referente al derecho chileno, la obra del *Padre Zoilo Villalón,* S. J., titulada *Tratado teológico legal de la Justicia.* Además, como el código de Chile coincide en muchísimos puntos con los de Colombia, Ecuador, Nicaragua, San Salvador y Uruguay, el estudio de las cuestiones referentes a aquél, servirá también para las que a éstos dicen relación. — Es también digna de estudio la preciosa obrita *Compendio del Código Civil* (de Colombia) *en armonía con la conciencia,* por el *P. Mario Valenzuela,* S. J.

El de **Boliv.** distingue expresamente los dotales (*aa.* 976-993) y los parafernales (*aa.* 997-1002), dando a ambos un carácter semejante al que les dió el derecho romano, pero sujetándolos a la sociedad de gananciales (*a.* 972). Lo mismo hace el C. C. de **Guatemala,** respectivamente en los *aa.* 1114-1137; 1142-1153; 1098 *sigs.* Hay que tener en cuenta los *aa.* 198-208 de *la ley de reformas del C. C.*

El de **Venez.** no emplea siquiera las palabras *dotales* ni *parafernales,* sino que a todos los bienes de la mujer los llama *patrimonio* de la mujer, y a los del marido *patrimonio* de éste (*aa.* 1372-1383).

El del **Brasil** distingue perfectamente entre bienes dotales y parafernales (*aa.* 278 *sig.;* 310 *sig.*).

V. El de **México** concede *hipoteca necesaria* legal en el mismo sentido que el C. español (véase lo dicho *n.* 684, IV) a los bienes de la mujer y de los menores, etc. (*a.* 1875); y además, si no han exigido dicha hipoteca, todavía los tiene como privilegiados (*a.* 1956).

El de **Venez.** (enteramente lo mismo que el español) les da hipoteca legal, pero debe ser ésta particular y registrada, sin que los considere como privilegiados en el caso en que no hayan exigido dicha hipoteca. Lo mismo dispone el de **Guatemala** (*aa.* 1152 y 2050 *sigs.*).

El **argent.** no concede a la mujer ni hipoteca legal, ni privilegio alguno, a no ser que el marido le hubiere constituído hipoteca expresa (*a.* 1293 (1259)).

Los de **Colombia,** *a.* 2488 *sigs.;* **Chile,** *a.* 2465 *sigs.;* **Ecuador,** 2447 *sigs.;* **Nicarag.,** 2481 *sigs.;* **S. Salvador,** 1430; **Urug.,** 2016, 2345, 2352, no conceden a dichos bienes hipoteca legal, pero ponen a la mujer y menores, etc., entre los acreedores privilegiados, si bien después de los hipotecarios.

El código **boliv.** todavía reconoce hipoteca legal tácita y general en favor de la mujer, de los menores, etc. (*aa.* 1466-1467, 1488).

El de **Costa Rica** encierra toda la legislación sobre bienes de los cónyuges en cinco artículos y otro transitorio (*aa.* 74-79).

APÉNDICE VI

(*a los nn.* 578 *y* 691 *sigs.*)

A) *Diezmos y dotación del culto y clero en la* América latina, *según las leyes concordadas.*

La Iglesia ha celebrado varios concordatos con las naciones latinoamericanas, a saber:

Con la República de *Costa Rica,* en 1853; con la de *Guatemala,* el mismo año; con la de *Haití,* en 1860; con la de *Honduras,* en 1861; con la del *Ecuador,* en 1862 y 1881, y un convenio adicional en 1890; con la de *Venezuela,* en 1862; con la de *Nicaragua,* también en 1862; con la de *San Salvador,* el mismo año 1862; y con la de *Colombia,* en 1887, con otro adicional en 1892. Trasladaremos aquí los artículos que hacen más a nuestro propósito.

I. Concordatos de

Costa Rica . . *a.* 5
Nicaragua. . . *a.* 5
S. Salvador. . *a.* 5

Costaricense (1) Gubernium obligatione se obstringit praestandi et integram servandi dotem pro Episcopo, Capitulo, Seminario, et divini cultus ac sacrarum aedium expensis, super fundis aerarii Costaricensis (1) nationis, juxta designationem in fine hujus Conventionis expressam. Et quoties novae Dioeceses erunt erigendae, eadem norma locum habebit pro dote cujusque ecclesiae, capituli et seminarii. Cum autem hujusmodi dotes assignentur compensatione, immo loco decimarum, quibus hoc modo supplendis Gubernium propria illius loci utilitatis causa a Sede Apostolica hujusmodi veniam petiit et obtinuit, idcirco dotes ipsae habendae omnino erunt, prout sunt, titulo oneroso, ac propterea Gubernium, tamquam verum Ecclesiae creditum erga nationem Costaricensem (1), dotes ipsas agnoscit, quae ita liberorum, seu omnino independentium reddituum naturam rationemque acquirent.

Costa Rica . . *a.* 6
Nicaragua. . . *a.* 6
S. Salvador. . *a.* 6

Parochi pergent exigere primitias et emolumenta quae a stola nuncupantur, salvo ordinario jure haec eadem emolumenta in propria dioecesi religiose ordinandi per opportunam legem, donec parochis ipsis congrua, tuta, independens dos fuerit attributa a Gubernio, collatis invicem super hac re cum propriis Ordinariis consiliis.

II. Id. de **Honduras.**

a. 5. Hondurense Gubernium obligatione se obstringit, ut decimae sartae tectae habeantur illaeque sua etiam interposita auctoritate solvantur; declarans decimas ipsas semper absque ulla exceptione esse solvendas, etiam tempore quo Episcopalis Sedes vel quodlibet beneficium vacaverit. Namque ipsae omnino destinatae sunt tum ad dotem Episcopatus, Capituli et Seminarii constituendam, tum ad impensas sustinendas pro divino cultu, pro aedificio Cathedralis Templi aliarumque ecclesiasticarum aedium, secundum peculiarem propositum modum, qui in hujus Conventionis fine exhibetur. Quidquid vero ex decimarum reditibus reliquum fuerit, in promovenda publicae institutionis et beneficentiae instituta erit erogandum. Si autem decimae haud sufficiant omnibus commemoratis sustinendis expensis, Hondurense Gubernium spondet ac promittit se quotannis eam pecuniae vim esse daturum, quae divini cultus et cleri dotem plane perficiat. Earumdem decimarum collectio et adsignatio ecclesiasticorum Commissioni perpetuo erit concredita, cui Ordinarius vel Vicarius Capitularis tempore Sedis vacantis praeerit. Si ob temporum adjuncta, quae praevideri non possunt, decimae aboleri deberent vel aliqua de ipsis immutatio esset inducenda, id fieri nunquam poterit, prout juris est, quin Apostolica Sedes suam primum interposuerit auctoritatem, et quin Gubernium idem alios attribuat fundos, quibus decens et liber seu independens reditus constituatur ad veram Ecclesiae proprietatem asserendam iis omnibus pollentem

(1) Como fácilmente se deja entender, en los otros concordatos las palabras *Costaricense*, *Costaricensis*, etc., están substituídas por las respectivas correspondientes a la Rep. de que se trata.

juribus, quibus ejusdem Hondurensis Reipublicae quilibet proprietarius fruitur. (*El art.* 6 *es como el* 6 *de Guatemala*).

III. Id. de **Guatemala.**

a. 5. Guatimalense Gubernium obligatione se obstringit, ut decimae sartae tectae habeantur et illae sua interposita auctoritate omnino solvantur; quae etiamsi Archiepiscopalis Sedes aut illius Dioecesis beneficia vacaverint, in ipsius Archiepiscopalis Sedis, Capituli et Seminarii dote, in divini cultus sumptibus, ac Metropolitano templo instaurando integrae impendi plane debeant. Instituetur Ecclesiasticorum Virorum Commissio, quos Ordinarius ipse ex Metropolitanae Ecclesiae Canonicis, quantum fieri possit eliget. Eidem Commissioni Ordinarius praeerit; Sede autem vacante, Vicarius Capitularis; quae quidem commissio, donec Sedes, aut Beneficia vacaverint, illorum reditus exigere et administrare, eosque sive in sacras aedes reficiendas, sive in eleemosynas elargiendas, vel in alios omnino pios ac religiosos usus, ipsius Commissionis judicio juxta indigentias et opportunitates erogare omnino debebit. Si ob temporum adjuncta, quae praevideri non possunt, aliqua de decimis immutatio induci deberet, id fieri numquam poterit, prout juris est, quin Apostolica Sedes suam primum interposuerit auctoritatem, et quin Gubernium idem alios attribuat fundos, quibus decens et liber, seu independens reditus constituatur ad veram Ecclesiae proprietatem asserendam, iis omnibus pollentem juribus, quibus ejusdem Reipublicae quilibet proprietarius fruitur. Cum autem in praesentia decimae haud sufficiant iis sustinendis, quorum causae destinatae sunt, idcirco Gubernium idem ex publico aerario annuam pecuniae vim attribuet, quae erit solvenda etiam postquam decimae in meliorem conditionem adductae fuerint, quaeque recognoscitur uti verum Ecclesiae creditum in Statum pro summa quatuor mille scutatorum monetae dividenda juxta subsequens schema, videlicet pro Archiepiscopo mille, pro quolibet ex quinque dignitatibus tercentum, pro unoquoque ex quinque Canonicatibus biscentum, et pro Fabrica Metropolitani templi quingenta scutata similia.

Guatemala. . . *a.* 6
Honduras . . . *a.* 6

Parochi pergent percipere, donec iis congruus, tutus, ac independens reditus ab Ordinario adprobandus assignetur, primitias et emolumenta, quae vulgo a stola nuncupantur, salvo semper Ordinarii jure haec ultima pro sua conscientia moderandi peculiari statuto quod, uti opus fuerit, examini et probationi ipsius Ordinarii subjicietur, collatis cum Gubernio consiliis pro auxilio per ipsum Gubernium praestandum, ut illa tuto, ac revera a Parochis exigantur. Cum in Guatimalensi Republica nonnulli adsint fundi ex juribus, aut uti dicunt, ex fabricae taxis constituti ad hoc ut hi in Ecclesiae utilitatem, in divini cultus impendia et in paroeciarum pauperum subsidium vere erogentur, ipsum Gubernium, quin tamen unquam ullum jus habeat administrandi eosdem fundos, potest advigilare, ut fundi iidem, enuntiato modo impendantur et ad id in singulis abusionis casibus ab Ordinario efflagitabit, ut debita remedia adhibeat. Quoties fundi paroeciarum indigentiis necessarii desint, Gubernium spondet se opportuno modo iisdem indigentiis provisurum susceptis cum Ordinario consiliis.

IV. Id. de **Haití.**

a. 3. Il Governo della Repubblica d'Haiti si obbliga di somministrare e di conservare agli Arcivescovati e Vescovati un assegno annuo conveniente sopra i fondi del pubblico Tesoro.

a. 14. I fondi delle Cure non s'impiegheranno in ciascuna Parocchia se non che alla conservazione del culto, e de 'suoi Ministri, come pure al mantenimento e alle spese dei Seminarii ed altri Stabilimenti pii. L'amministrazione di questi fondi sarà affidata sotto l'alta sorveglianza del Arcivescovo, o del Vescovo Diocesano, al Curato del Consiglio dei Notabili, i quali sceglieranno un cassiere fra i cittadini del luogo.

V. Id. de **Venezuela.**

a. 6. Gubernium de Venezuela per suum Plenipotentiarium Ministrum petiit et ab Apostolica Sede, ob extraordinaria temporum locorum adjuncta, obtinuit ut in decimarum locum substitueretur ecclesiastica dos. Quocirca Gubernium idem se obligat ad solvendam ex publico Aerario, uti debitum Status, eamdem dotem ecclesiasticam, juxta notam huic Conventioni adjectam pro congrua sustentatione Archiepiscopi et cujusque Episcopi, Capituli ecclesiastici, Parochi, Seminarii et Aedificii Templorum, et pro consuetis et necessariis divini cultus expensis; atque id pro legitima compensatione reditus decimarum sublati. Parochi pergent frui jure percipiendi primitias et emolumenta, quae vulgo appellantur *a stola* ex cujusque Dioecesis more, ac juxta taxam ex praescriptis Synodorum in praesentia vigentem, vel quae in posterum a competenti ecclesiastica auctoritate statui contigerit.

(Cfr. Nussi-Brueck, *Conventiones*, etc.).

VI. Id. de **Colombia.**

a. 9. Locorum Ordinariis, ut et Parochis, integrum est exigere a fidelibus obventiones proventusque ecclesiasticos ad canonum normam et ex bono et aequo constitutos, quique sive ex immemoriali consuetudine cujuslibet dioeceseos causam habent, sive ex opere in sacro ministerio praestito; attamen, ut actus et obligationes ab hujusmodi jurium fonte manantes vim civilibus legibus nanciscantur, et saecularis potestas suam auctoritatem interponat locorum Ordinarii communicabunt cum Gubernio consilia.

VII. Id. del **Ecuador.**

a. 4. Haec tributa ad scopum praedictum destinata non poterunt a Gubernio aboleri, nisi ex continua experientia quinquennali constiterit, praedictam contributionem praedialem trium in singula millia omnino exaequare summam praevisam pro stipendiis Dioecesium quae interiori regione continentur. Sin vero interea Gubernium voluerit vectigal abrogare impositum theobromae, *cacao*, eique aliud aeque fructuosum substituere, oportet ut primum inter ipsum et Apostolicam Sedem hac de re conveniat. Sic posthac quandocumque praedictum tributum trium in singula millia nequiverit quavis de causa summam exaequare quotannis percipiendam a Dioecesibus quae interiori regione continentur, reviviscet omnino obligatio Gubernii supplendi eventualem defectum duobus memoratis tributis. Sin vero haec sublata reperiantur vel firma et decretoria ratione in alios usus conversa, tenebitur Gubernium supplere quod deficit per alios proventus qui partis utriusque consensu erunt definiendi.

a. 6. Dioecesis Guayaquilensis et Manabiensis attributum sibi

stipendium recipient ex novo vectigali imposito exportationi theobromae, *cacao*. Quod si Gubernio placuerit hoc abrogare vectigal, tenebitur antea sufficere in locum ejus contributionem aliam, qua commode satisfiat praestationi pecuniae utrique Dioecesi attributae. Haec contributio praediis imponenda sitis intra earum fines, pleno ac proprio jure ad Ecclesiam pertinebit, firma jugiter manente Gubernii obligatione supplendi quod forte defuerit, ea ratione quae superius significata est quoad Dioeceses in regione interiori.

a. 7. Quum Aequatorianis Episcopis constiterit quin sese immisceat Gubernii auctoritas, praedialem proventum tributi trium pro mille excedere pecuniae vim stipendiis Dioecesium attributam, debebit Ecclesiastica auctoritas id quod superest, impendere sacris missionibus, novarum Dioecesium erectioni ac demum domibus beneficentiae quae modo Gubernii sumptibus sustentantur.

a. 12. Si praesens Conventio ob quemlibet eventum vel causam, plenam vim et effectum suum quandocumque habitura non erit, convenit inter excelsos Paciscentes ac declaratur explicite, rediturum ad Ecclesiam jus indubium tam coram Gubernio, quam coram fidelibus exigendi ac percipiendi contributionem decimalem prout antea fieri solebat.

(Cfr. *Conventiones... initae sub pontificatu... Leonis XIII.*)

B) *Derecho de la Iglesia a poseer, según las leyes civiles y las concordadas, en varias naciones de la América latina.*

a) LEYES CONCORDADAS

I. Concordatos de

Costa Rica . . *a.* 17
Guatemala . . *a.* 18
Nicaragua. . . *a.* 17
Venezuela. . . *a.* 22
S. Salvador. . *a.* 18

Ecclesia jure pollet novas acquirendi possessiones quovis justo titulo, ejusque acquisitae res aut fundationes erunt sacrae et inviolabiles aeque ac proprietates aliorum civium Costaricensium (1), ideoque nulla fundationum suppressio vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum juxta Concilii Tridentini normam.

Costa Rica . . *a.* 18
Guatemala . . *a.* 19
Nicaragua. . . *a.* 18
Venezuela. . . *a.* 23
S. Salvador. . *a.* 18

Ob rerum et temporum adjuncta Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subjiciantur vectigalibus aeque ac aliorum Costaricensium (1) civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris aedibus divino cultui dicatis.

Costa Rica . . *a.* 19
Guatemala . . *a.* 20
Nicaragua. . . *a.* 19
S. Salvador. . *a.* 19
Venezuela. . . *a.* 24

Attenta utilitate quae ex praesenti conventione in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Costaricensis (1) Reipublicae Praesidis postulationibus annuens et publicae tranquillitati consulere cupiens, decernit et declarat, eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in ejusdem Costaricae (1) dominiis ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum tum temporis vigentium normam, et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint, vel ex jure succedunt, nullo unquam tempore, aut modo molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate, neque a suis successoribus Romanis Pontifi-

(1) Véase la nota de la pág. 725.

cibus; *immo vero eorumdem bonorum proprietatem, reditus et emolumenta tuta et pacifica fore per seipsos, atque ab iis causam habentes* (1); id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut hujusmodi abusivae alienationes nunquam renoventur.

(Cfr. Nussi-Brueck, *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem.* Moguntiae, 1870).

II. En el de **Colombia** se lee:

«Art. 5. Ecclesia jure pollet acquirendi justo titulo, possidendi liberequeque administrandi bona tum mobilia tum immobilia ad normam communi jure praefinitam, ejusque acquisitae res et fundationes inviolabiles nihilo secius ac propria civilium Reipublicae bona.

»Art. 22. Reipublicae Gubernium dehinc perpetuo tamquam publicum status nomen et debitum (vulgo: *debito consolidato*) agnoscit pretium tum censuum in aerarii beneficium redemptorum, tum etiam bonorum publicatorum (vulgo *beni disammortizzati*), quae olim ad Ecclesias, pia sodalitia, patronatus, capellas et instructionis ac beneficentiae instituta ab Ecclesia administrata pertinebant, quo demum cumque tempore ipsum in publici aerarii nominibus inscriptum fuerit. Hujusmodi nominum sors recognita (vulgo *debito reconosciuto*) annuum fenus, quovis onere deducto, trientis cum dimidio reddet, cujus quolibet exacto semestri dies cedat.

»Art. 23. Reditus qui ex patronatibus, capellis, sodalitatibus, aliisque privatis fundationibus proveniunt, iis directim addicentur et numerabuntur, qui juxta fundationum tabulas eosdem exigendi jure polleant, vel ab iis legitime delegatis. Illorum solutio, ut praecedenti articulo cautum est, absque ulla subductione fiet, ab insequenti anno 1888 exordio ducto. Casu quo aliquam ex praedictis fundationibus extingui contingat, praehabitis inter potestatem ecclesiasticam et Gubernium consiliis, proventuum, qui ad illam pertinebunt, pietatis et beneficentiae operibus addictio fiet, quin tamen unquam contra fundatorum voluntatem quidpiam fiat».

(Cfr. *Conventiones... initae sub pontificatu SSmi. D. N. Leonis XIII, Romae* 1893).

III. En cuanto al del **Ecuador,** dice así el

«Art. 19. Ecclesia jure suo pollebit novas justo quovis titulo, qui Reipublicae legibus sit consonus, acquirendi possessiones; ejusque proprietates, quae nunc possidet vel in posterum acquiret, inviolabiles ex legum quoque ordinatione solemniter erunt. Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum canones spectat, qui unice dati et accepti rationes aliasque oeconomicas regulas accurate recognoscent ac perpendent. Bona ecclesiastica ad religiosas familias et congregationes pertinentia alienari non poterunt, absque facultate a S. Sede obtenta et Gubernii venia. Bona ecclesiasticae fundationis cujusque generis, quae ad Valetudinaria et alia beneficentiae Instituta spectant, quaeque ab ecclesiastica auctoritate in praesentia minime administrantur, ad eam deferentur ut ipsa Ecclesiastica potestas, nulla interposita mora, bonis ipsis congruam tribuat inscriptionem. A praedicta devolutione illa bona excluduntur, quae multo jam tempore publicae utilitati seu beneficentiae destinata fuerunt. Qui anteactis vicissitudinibus bona ad Ecclesiam pertinentia forte a Gubernio acquisierint, aut in eorumdem bonorum possessionem emptoribus successerint, nullam hujus rei causa sive a Summo Pontifice feliciter regnante, sive

(1) El inciso que hemos subrayado falta en el Concordato de Venezuela.

ab Ejus Successoribus molestiam accipient. Atque ita iidem poterunt horum bonorum proprietate, reditibus atque aliis emolumentis tute ac pacifice frui. Quoad antiquas novasque fundationes ecclesiasticas, nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque auctoritate Apostolicae Sedis, salvis facultatibus a Sancto Concilio Tridentino Episcopis tributis».

Y antes se había dicho en el

«Art. 17. Abrogatur Decretum, ut dicitur, executionis in Aequatoris Republica latum, die vigesima octava maji anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto de redimendis censibus, qui favore Ecclesiae impositi fuerant, et Sacta Sedes ratione habita utilitatis, quae ex praesenti Conventione dimanatura erit, ac summopere cupiens publicae tranquillitati prospicere et mederi malis, quae in Republica orta sunt ex censibus in publicum aerarium translatis, annuens iteratis illius Praesidis petitionibus, decernit atque declarat nullo unquam tempore ac modo ullam molestiam ex parte Sanctitatis Suae et Romanorum Pontificum Suorum Successorum eos esse habituros, qui durante tempore elapso ab anno 1836 in posterum hujusmodi translationes fecerint vel promoverint, itemque possessores fundorum qui tali modo redempti fuerint et illos qui quolibet modo eorumdem possessioni successerint.

»Declaratur praeterea, possessores bonorum, quae censibus favore Ecclesiae obnoxia sunt, qui potestate a lege civili facta utentes censuum reditus solverint duo pro quolibet centenario, quavis obligatione liberari et in posterum solvere jure posse duo pro quolibet centenario in numerata pecunia vel tria in specie» (1).

Y en el art. 18. «Circa obligationes, quas Gubernium cum suis creditoribus ob census translatos contraxerit Sancta Sedes permittit ut Gubernium idem, soluta decima parte, aut minus, si Ordinarius consentiat, tum sortium quae in publicum aerarium translatae fuerunt, tum fructuum qui elapsi sunt, ab omni onere solutum plane sit. Ut autem commemorata summa tuto solvatur, Gubernium assignat quartam ex tertia fructuum parte, quos ex fundis decimarum percipit, quam in Ordinariorum manus tradet, ut pro rata portione, inter legitimos creditores dividatur atque modo tuto pariter ac fructifero sors collocetur. At in posterum nullus possessor bonorum, quae censibus obnoxia sunt, poterit in publicum aerarium transferre sortes recognitas, et qui voluerint redimere census fundis impositos, id agere nunquam poterunt, nisi antea interposita fuerit respectivi Ordinarii Auctoritas, traditis sortibus recognitis in manus ejusdem Ordinarii, qui facultate pollebit reducendi, si opus fuerit, sortes ipsas prudenter et aeque, ita tamen ut in singulis casibus Ecclesiae utilitati consultum sit.»

Por último en el adicional se lee:

«Art. 1.° In Republica Aequatoriana substituentur decimae vel convertentur in contributionem praedialem trium pro mille, seu triginta, uti ajunt, *centavos* nummorum quolibet anno pro quibusque centenis *sucres* realis pretii rusticorum praediorum. Excipiuntur ab hac contributione praedia quorum pretium ad centum *sucres* non extollitur, aedificia praediis rusticis adnexa et habitationi destinata, necnon plantationes theobromae, *cacao*.

»Art. 2.° Haec praedialis contributio trium in singula millia erit in exclusiva Ecclesiae proprietate, nec poterit Gubernium aliam loco ejus sufficere, eamve imminuere aut immutare directe vel indirecte, nisi Sancta Sedes consenserit.

»Art. 3.° Quum prudenter praevideatur, reditum contributionis praedialis trium in singula millia nequire in praesens aequare summam dotandis

(1) Este último párrafo no se hallaba en el Concordato de 1862.

Dioecesibus Reipublicae Aequatorianae praestitutam, quae annuam vim attingit nummorum *sucres* 245,804'67 (comprehensa Dioecesi Manabiensi), Gubernium promittit suppletum iri quod deficit per tributum quod jam exstat singulorum nummorum pro millenis quibusque, verum pro ea parte tantum quae praedia rustica percellit, revocata cessione provinciis indulta; nec non per reditum novi vectigalis octoginta centavorum in singula pondera 46 chilogrammatum theobromae, *cacao*, quae ex finibus Reipubicae exportantur.

Art. 11. Substitutio seu conversio decimarum juxta formam et conditiones supra scriptas non obstat quominus integra et inviolabilia maneant officia et obligationes utrinque susceptae ab Ecclesia et Gubernio, juxta articulum primum Conventionis additionalis ad Concordatum (in titulo inscripto *preventivo permanente*) circa solutionem aeris pro rata cujusque parte conferendi pro Nosocomiis, Seminariis, Scholis et Collegiis morali et religiosae juvenum institutioni destinatis, nec non pro domibus beneficentiae causa statutis quae nunc exstant, vel in posterum statuentur, excepto casu de quo in art. 7 actum est».

(Cfr. *Conventiones... Leonis XIII,* etc.)

b) LEYES CIVILES

IV. En cuanto al derecho civil, los códigos de **Chile,** *a.* 547; **Ecuador,** *a.* 536; **Nicaragua,** *a*, 548; **San Salvador,** *a.* 620, indican claramente que las iglesias y las comunidades religiosas se rigen, en cuanto al derecho de poseer, por leyes especiales (*esto es, por derecho canónico y concordado*).

V. El de **Colombia** dice en la ley 57 de 1887:

Son personas jurídicas las iglesias y asociaciones religiosas de la Religión católica» (*a.* 24).

Las personas jurídicas pueden adquirir bienes de todas clases, por cualquier título, con el carácter de enajenables» (*a.* 27).

VI. El de **Venezuela,** *a.* 13: La nación, las entidades políticas que la componen, *las iglesias,* universidades, y en general, todos los seres o cuerpos morales, lícitamente establecidos, son considerados personas jurídicas, y, por lo tanto, capaces de obligaciones y derechos».

VII. Y el **argentino**, *a.* 33: Las personas jurídicas... son las siguientes...: 4.° La Iglesia; 5.° Los establecimientos de utilidad pública, religiosos o piadosos...»

Art. 41. «Respecto de los terceros, los establecimientos o corporaciones con el carácter de personas jurídicas, gozan en general de los mismos derechos que los simples particulares para adquirir bienes, tomar y conservar la posesión de ellos, constituir servidumbres reales, recibir usufructos de las propiedades ajenas, herencias o legados por testamentos, donaciones por actos entre vivos, crear obligaciones e intentar, en la medida de su capacidad de derecho, acciones civiles o criminales».

FINIS TOMI PRIMI

NUMERORUM MARGINALIUM
ORDO NOVUS
ed. 8.ae collatus cum ordine veteri editionum 1.ae-7.ae

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
1-50	desunt	92	35	132-138	
51	1	93	36	139	75
52. 53	2	94	37	140	76
54	3	95	38	141	77
55	4	96	39	142	78
56	5	97	40	143	79
57	6	98	41	144	80
58	7	99	42	145-147	
59	8	100	43	148	81
60	9	101	44	149	82
61, 62	10	102	45	150	83
63	11	103	46	151	84
64		104	47	152	85
65	12	105	48	153	86
66	13	106	49	154	87
67	14	107	50	155	88
68	15	108	51	156	89
69	16	109	52	157	90
70	17	110	53	158	91
71	18	111	54	159	92
72	19	112	55	160	93, 94
73		113	56	161	
74	20	114	57	162	95
75	21	115	58	163, 164	95 bis
76	22	116	59	165	96
77		117	60	166	97
78		118	61, 62	167	98
79	23	119		168	99
80	24	120	63	169	100
81	25	121	64	170	101
82		122	65	171	102
83	26	123	66	172	103
84	27	124	67	173	104
85	28	125	68	174	105
86	29	126	69	175	106
87	30	127	70	176	107
88	31	128	71	177	108
89	32	129	72	178	109
90	33	130	73	179	110
91	34	131	74	180	111

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
181	112	239	158	289	208
182	113	240	159	290	209
183	114	241	160	291	210
184	115	242	161	292	210 bis
185	116	243	162	293	210 ter
186	117	244	163	294	211
187	118	245	164	295	212
188	119 y 119 bis	246	165	296	213
189	120	247	166	297	214
190		248	167	298	215
191	121	249	168	299	216
192	122	250	169	300	217
193	123	251	170	301	218
194	124	252	171	302	219
195	125	253	172	303	220
196		254	173	304	221
197		255	174	305	222
198	126	256	175	306	223
199	127	257	176	307	223 bis
200	128, 129	258	177	308	224
201	130	259	178	309	225
202	130 bis	260	179	310	226
203	131	261	180	311	227
204	132	262	181	312	228
205	133	263	182	313	229
206	134	264	183	314	230
207	135	265	184	315	231
208	136	266	185	316	232
209	137	267	186	317	233
210		268	187	318	234
211	138, 139	269	188	319	235
212	140	270	189	320	236
213-219		271	190	321	237
220, 221	141	272	191	322	238
222, 223	142	273	192	323	239
224	143	274	193	324	240
225	144	275	194	325	241
226	145	276	195	326	242
227	146	277	196	327	243
228	147	278	197	328	244
229	148	279	198	329	245
230	149	280	199	330	246
231	150	281	200	331	247
332	151	282	201	332	248
233	152	283	202	333	249
234	153	284	203	334	250
235	154	285	204	335	251
236	155	286	205	336, 337	252
237	156	287	206	338	253
238	157	288	207	339	254

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
340	255	395	310	450	360
341	256	396	311	451	361
342	257	397	312	452	362
343	258	398	313	453	363
344-346		399	314	454	364
347	259	400	315	455	365
348	260	401	316	456	366
349	261	402	317	457	367
350	262	403	318	458	368
351	263	404	319	459	369
352	264	405	320	460	370
353	265	406	321	461	371
354	266	407	322	462	374
355	267	408	323	463	375
356	268	409	324	464	376
357	269	410	325	465	376 bis
358	270	411	326	466	372
359	271	412	327	467	372 bis
360	272	413	328	468	
361	273, 274	414	329	469	
362	275, 276	415	330	470	
363	277	416	331	471	373
364	278, 279	417	332	472	377
365	280	418	333	473	377 bis
366	281	419	334	474	378
367-369	282	420	335	475	379, 380
370	283	421	336	476	381
371	284	422	337	477	382
372	285	423	338	478	383
373	286	424	339	479, 480	383 bis
374	287	425	340	481	384
375	288	426	341	482	385
376	289	427	342	483	386
377	290	428	343	484	387
378	291	429	344	485	387 bis
379	292	430	345	486	388
380	293	431	346	487	389
381	294	432	347	488	390
382, 383	295	433-440	348	489	391
384	296		349	490	392
385	297		350	491	393
386	298	441	351	492	394
387	299	442	352	493	395
388	300	443	353	494	396
389	301-304	444	354	495	397
390	305	445	355	496	398
391	306	446	356	497	399
392	307	447	357	498	400
393	308	448	358	499	401
394	309	449	359	500	401 bis

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
501	402	554	450	612	498
502	403	555	451	613	499
503-506		556	452	614	500
507		557	453	615	501
508	404	558	454		502-504
509	405	559	455	616	505
510	406	560	456	617	506
511	407	561	457	618	507
512	408	562	458	619	508
513	409	563	459	620	509, 510
514	410	564	460	621	511
515	411	565	461	622	512
516	412	566	462	623	513, 514-116
517	413	567	463		bis
518	414	568	464	624-645	982-988 bis
519	415	569	465		vol. II
520	416	570	466	646	516 ter
521	417	571	467	647	516 quater
522	418	572	468	648	516 quinquies
523	419	573	469	649	517
524	420	574	470	650	518
525	421	575	471	651	519
526	422	576	472	652	520
527	423	577	473	653	521
528	424	578	473 bis	654	522
529	425	579	474	655	523
530	426	580-582	475	656	524
531	427	583	475 bis	657	525
532	428	584	476	658	526
533	429	585		659	527
534	430	586	477	660	528
535	431	587	478	661	529
536	432	588	479	662	530
537	433	589	480	663	531
538	434	590	481	664	532
539	435	591	482-484	665	533
540	436	592-598	485	666	534
541	437	599	486	667	535
542	438	600	487	668	536
543	439	601	488	669	537
544	440	602	489	670	538
545	441	603	490	671	539
546	442	604	491	672	540
547	443	605	492	673	541
548	444	606	493	674	542
549	445	607	494	675	543
550	446	608	495	676	544
551	447	609	496	677	545
552	448	610	496 bis	678	546
553	449	611	497	679	547

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
680	548	730	594	780	644
681	549	731	595	781	645
682	550	732	596	782	646
683	551	733	597	783	647
684	551 bis	734	598	784	648
685	552	735	599	785	649
686	553	736	600	786	650
687	554	737	601	787	650 bis
688	555	738	602	788	651
689	556	739	603	789	652
690	557	740	604	790	653
691	558	741	605	791	654
692	559	742	606	792	655
693	560	743	607	793	756
694	561	744	608	794	757
695	562	745	609	795	658
696	563	746	610	796	659
697	564	747	611	797	660
698	565	748	612	798	661
699	565 bis	749	613	799	662
700	565 ter	750	614	800	663
701	566	751	615	801	664
702	567	752	616	802	664 bis
703	568	753	617	803	665
704	569	754	618	804	666
705	570	755	619	805	667
706	571	756	620	806	668
707	572	757	621	807	669
708	573	758	622	808	670
709	574	759	623	809	671
710	575	760	624	810	672
711	576	761	625	811	673
712	577	762	626	812	674
713	578	763	627	813	675
714	579	764	628	814	676
715	580	765	629	815	677
716	581	766	630	816	678
717	582	767	631	817	679
718	582 bis	768	632	818	680
719	583	769	633	819	681
720	584	770	634	820	682
721	585	771	635	821	683
722	586	772	636	822	684
723	587	773	637	823	685
724	588	774	638	824	686
725	589	775	639	825	687
726	590	776	640	826	688
727	591	777	641	827	689
728	592	778	642	828	690
729	593	779	643	829	691

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
830	692	880	745	930	795
831	693	881	746	931, 932	796
832	594	882	747	933	797
833	695	883	748	934	798
834	696	884	749	935	799
835	697	885	750	936, 937	800
836	698	886	751	938	801
837	699	887	752	939	802
838	700	888	753	940	803
839	701	889	754	941	804
840	702	890	755	942	805
841	703	891	756	943	806
842	704	892	757	944	807
843	705	893	758	945	808
844	705 bis	894	759	946	809
845	706	895	760	947	809 bis
846	707	896	761	948	810
847	708	897	762	949	811
848	709	898	763	950	812
849	710	899	764	951, 952	813
850	711	900	765	953	814
851	712	901	766	954-957	814 bis
852	713	902	767	958	815
853	714	903	768	959	816
854	715	904	769	960	817
855	716	905	770	961	818
856	717	906	771	962	818 bis
857	718	907	772	963-966	
858	719	908	773	967	819
859	720	909	774	968	820
860	721	910	775	969	821
861	722	911	776	970, 971	822
862	723, 724	912	777	972	823
863	725	913	778	973, 974	824
864	726	914	779	975	825
865	727	915	780	976	825 bis
866	728	916	781	977	826
867	729	917	782	978	827
868	730	918	783	979	828
869	731	919	784	980	828 bis
870	732	920	785	981	828 ter
871	733	921	786	982	829
872	734	922	787	983	830
873	735	923	788	984	831
874	736	924	789	985	832
875	737	925	790	986	833
876	738	926	791	987	834
877	739-742	927	792	988	835
878	743	928	793	989	836
879	744	929	794	990	837

Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8 ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.	Nov. ordo ed. 8.ae	Vetus ordo i. e. ed. 1-7 incl.
N.°	N.°	N.°	N.°	N.°	N.°
991	838	1030	882	1075	926
992	839	1031	883	1076	927
993	840	1032	884	1077	928
994	841	1033	885	1078	929
995	842	1034	886	1079	930
996	843	1035	887	1080	931
997	844	1036	888	1081	932
998	845	1037	889	1082	933
999	846	1038	890	1083	934
1000	847	1039	891	1084	935
1001	848	1040	892	1085	936
1002	849	1041	893	1086	937
1003	850	1042	894	1087	938
1004	851	1043	895	1088	939
1005	852	1044	896	1089, 1090	
1006	852 bis	1045	897	1091	940
1007	853	1046	898	1092	941
1008	854	1047		1093	941 bis
1009	855	1048	899	1094	941 ter
1010	856	1049	900	1095	941 quat.
1011	857	1050	901	1096	941 quin.
1012	858	1051	902	1097	942
1013	859	1052	903	1098	943
1014	860	1053	904	1099	944
1015	861	1054	905	1100	945
1016	862	1055	906	1101	946
1017	863	1056	907	1102	947
	864	1057	908	1103	948
1018	865	1058	909	1104	949
1019	866	1059	910	1105	950
1020	867	1060	911	1106	951
1021	868	1061	912	1107	952
1022	869	1062	913	1108	953
1023	870	1063	914	1109	954
	871	1064	915	1110	955
1024	872	1065	916	1111	956
1025	873	1066	917	1112	957
	874	1067	918	1113	958
1026-1027	875	1068	919	1114	959
1028	876	1069	920	1115	960
	877	1070	921	1116	961
	878	1071	922	1117	962
	879	1072	923	1118	963
	880	1073	924		
1029	881	1074	925		

ERRATA

				Dicit	Lege
pag.	4	lin.	6	*psicologici*	*psycologici*
»	6	»	37	*Hieronimus*	*Hieronymus*
»	21	»	40	perturbationis	perturbationibus
»	48	»	10	oratione	orationi
»	101	»	16	ausis	anni
»	214	»	26	n. 327 et 823	et 643
»	215	»	35	n. 804 seq.	624 seq.
»	361	»		Caput I	Caput II
»	401	»	5	can. 1886	can. 1386
»	402	»	18	can. 1891	can. 1391
»	402	»	37	can. 1382	can. 1392
»	493	»	22	constitutiva	commutativa
»	454	»	25	*Resp.* 1.° *Affirm.*	*Resp.* 1.° *Neg.*
»	»	»	28	*Resp.* 2.° *Neg.*	*Resp.* 2.° *Affirm.*

E. SUBIRANA — EDITOR Y LIBRERO PONTIFICIO — PUERTAFERRISA, 14 — CASA FUNDADA EN 1845 — APARTADO Nº 203 — BARCELONA

PRIMERA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

EL PARAÍSO EN LA TIERRA

O EL MISTERIO EUCARISTICO

Estudiado desde el punto de vista dogmático, litúrgico, ascético y moral

EN 96 DISCURSOS

que pueden servir también de instrucciones, lecturas piadosas y temas de meditación, por el Pbro. CH. ROLLAND, Canónigo titular de Langres, Misionero Apostólico. Obra honrada con la bendición de S. S. León XIII, y con la aprobación de numerosos Prelados. Traducción de la 15.ª edición francesa, por el Lic. D. MANUEL MESTRES GIRALT, Pbro., Catedrático del Seminario Conciliar de Barcelona

Consta de cuatro tomos en 8.º, esmeradamente impresos sobre papel lisado superior, cuyo precio es de **8 pesetas** en rústica y **12** en elegante encuadernación de tela con dorados.

SEGUNDA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

LA VIRGEN MADRE DE DIOS

Y LA VIDA CRISTIANA

o sea MARÍA CONSIDERADA A LA LUZ DE LA FE Y DE LA RAZÓN, EN SUS RELACIONES CON DIOS, CON LA REDENCIÓN Y CON LA VIDA CRISTIANA

por el Pbro. JOSÉ PERARDI, autor del «Manual del Catequista católico»

Traducción por JOSÉ PUGÉS

DISCURSOS

SOBRE LA VIDA, DIGNIDAD, CULTO Y DEVOCIÓN A MARÍA SANTÍSIMA

Consta de tres tomos en 8.º, impresos y encuadernados como los de la obra anterior, a **6 pesetas** en rústica y **9** en elegante encuadernación. — Los poseedores de **El Paraíso en la tierra** podrán obtener esta obra por **4'80 pesetas** en rústica y **7'80** en tela.

TERCERA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

SERMONES E INSTRUCCIONES CATEQUÍSTICAS

PARA MISIONES Y EJERCICIOS ESPIRITUALES

por el Dr. A. F. BIAMONTI, Pbro. Traducción del italiano, precedida de una introducción del P. JAIME PONS, S. J.

Consta de cuatro tomos en 8.º, impresos y encuadernados como los de las obras anteriores, a **9 pesetas** en rústica y **13** elegantemente enc. — Los poseedores de **El Paraíso en la tierra** o de **La Virgen Madre de Dios**, pueden obtener esta obra por **7'20 pesetas** en rústica y **11'20** enc.

CUARTA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

PLÁTICAS ESCOGIDAS PARA RELIGIOSAS

Traducción y arreglo
por el Rdo. Dr. D. FRANCISCO DE P. RIBAS Y SERVET, Pbro.

Un tomo en 4.º, de 360 páginas, impreso y encuadernado como los anteriores de la misma *Biblioteca,* a **3 pesetas** en rústica y **4** con elegante encuadernación. —Los poseedores de alguna de las demás obras, **El Paraíso en la tierra, La Virgen Madre de Dios** o **Sermones e Instrucciones Catequísticas,** podrán adquirir esta obra por **2'40 pesetas** en rústica y **3'40** en tela.

QUINTA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

BREVE SERMONARIO DE ALMAS

Entresacado de notables oradores

Versión castellana, por D. JUAN LAGUÍA LLITERAS

Un tomo en 8.º, de 220 páginas, impreso y encuadernado como los anteriores de la misma *Biblioteca*, a **2'50 ptas.** en rústica y **3'50** con elegante encuadernación.—Los poseedores de alguna de las demás obras: **El Paraíso en la tierra, La Virgen Madre de Dios, Sermones e Instrucciones Catequísticas** o **Pláticas para Religiosas,** podrán adquirir esta obra por **2 ptas.** en rústica y 3 enc.

SEXTA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

PLÁTICAS

para todos los días del

MES DE SAN JOSÉ

DISTRIBUÍDAS EN TRES NOVENAS Y UN TRIDUO

Escritas por el Rdo. P. A. LEFÉBVRE, S. J., y vertidas al castellano por el Rdo. D. AMBROSIO VALVERDE, Pbro.

Un tomo en 8.º, impreso como los anteriores de la misma *Biblioteca*, a **3 ptas.** en rústica y **4** en tela. Los poseedores de alguna de las demás obras pueden obtener ésta por **2'40 ptas.** en rústica y **3'40** en tela.

SÉPTIMA OBRA DE LA «BIBLIOTECA DEL ORADOR SAGRADO»

PLÁTICAS

para todos los días del

MES DEL SAGRADO CORAZÓN

por el P. ALEJO LEFÈBVRE, S. J.

Traducidas del francés. Precede una breve reseña histórica de la devoción al Corazón de Jesús, por el P. JAIME PONS, S. J.

Un tomo en 8.º, impreso y encuadernado como los anteriores de la misma *Biblioteca*, a **3'25 ptas.** en rústica y **4'25** en tela. — Los poseedores de alguna de las demás obras pueden obtener ésta por **2'60 ptas.** en rústica y **3'60** en tela.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.F47 C001 V001
COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS AD NORMAM
3 0311 00044 1936

WITHDRAWN

47366

BX
1758
.F47 47366 Ferreres, Juan B.

AUTHOR
v.1 COMPENDIUM THEOLOGIAE
TITLE ~~MORALIS AD NORMAM NOVIS-~~
SIMI CODICIS CANONICI

DATE BORROWER'S NAME

240 F385c v.1

~~2515~~

BEFORE TAKING BOOK
from library, remove slip from this pocket: put your name and date on it and place it in the box provided for the same

WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.
Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.